✝ LIBRARY ✝
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

LXXXVIII.

PATRES QUINTI ECCLESIAE SAECULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XIX.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI.

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE :

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS— E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET,

VIA VULGO DICTA JACOB, N° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS OCTOGESIMUS-OCTAVUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVII.

1838

This is the property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Road
Matthews, NC 28105

BR65
.C42
1934
v.19-20

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ IN DIVERSA LOCA SANCTI PAULI.

HOMILIA.

In dictum illud Apostoli: Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, *et de patientia, et quantum lucrum ex tribulationibus oriatur.*

1. Quasi longo veniam ad vos intervallo, sic affectum hodierno die me sentio. Quanquam enim domo conclusus propter corporis infirmitatem manebam: tamen perinde quasi alicubi procul a vestra charitate translatus degerem, sic animo afficiebar. Qui enim sincere diligere novit, cum in congressum venire non datur ejus quem diligit, quamvis eamdem urbem incolat, non aliter afficitur ac si in aliena regione versaretur. Hoc norunt qui vere diligunt. Ignoscite igitur nobis, quæso: non enim ex negligentia nostra separatio ista ortum habuit, sed silentii causam infirmitas corporis attulit. Ac vos quidem gaudere nunc omnes scio, quod ægritudinem deposuerimus: ego vero gaudeo non modo quod ægritudinem deposuerim, sed quod optatos vultus vestros rursus intueri possim, et charitate vestra secundum Deum oblectari. Et quemadmodum plurimi homines, cum e morbo fuerint recreati, phia-

las et pocula, gelidosque latices quærunt: ita mihi lætitia quavis jucundior extitit congressus vester, et hoc mihi sanitatis materia fuit, et occasio gaudii. Age igitur quandoquidem Dei beneficio nos invicem recuperavimus, charitatis vobis debitum persolvamus, si quidem ullo tempore possit illud persolvi. Hoc enim solum debitum finem nescit: sed quanto magis dissolvitur, tanto magis debitum augetur: et quemadmodum in re pecuniaria, laudamus eos qui nihil debent, ita hic eos, qui multa debent, beatos prædicamus. Idcirco magister orbis terrarum Paulus scribens dicebat: « Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem » diligatis[1], quod nimirum velit nos hoc debitum et semper solvere, et semper debere, nec unquam hoc æs alienum solvere, donec vitam præsentem absolverimus. Ut igitur pecunias debere, grave ac molestum est, ita debitum hoc non semper debere, crimini est obnoxium. Atque ut hoc ita esse cognoscas, audi mirabilis istius Doctoris sapientiam, quo pacto cohortationem induxerit. Cum enim ante dixisset, « Nemini quidquam debeatis, » tum adjunxit, « Nisi » invicem diligatis, » quasi hoc velit, ut omne hic debitum dispungamus, et hoc æs alienum perpetuum, ac nunquam dissolubile perseveret. Hoc enim est præcipue quod vitam nostram continet, et constringit. Quando igitur, quanta ex hoc debito manet utilitas, scimus, et dum persolvitur, magis illud augeri, age nos quoque debitum, quod non ex inertia quapiam, vel improbitate ac fraude aliqua, sed ex eventu morbi contraximus, hodie, quantum in nobis situm erit, reddere studeamus, et paucis vestram charitatem alloquentes argumentum sermonis ab hoc ipso orbis terrarum doctore ducamus: et quæ ad Romanos hodie scribens dicebat, hæc in medium adducta expendamus, ac longo intervallo spirituali em charitati vestræ mensam ins-

[1] Rom. XIII, 8.

truamus. Quæ vero lecta sint, operæ-pretium fuerit indicare, ut de iis quæ dicta sunt admoniti facilius, quæ a nobis dicentur, percipere valeatis. « Scimus, inquit, quo» niam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum[1].» Quid sibi vult hoc exordium ? Nihil enim temere aut frustra loquitur beata hæc anima, sed convenientia semper objectis ægritudinibus spiritualia medicamenta solet adhibere. Quid igitur est hoc quod ait? quandoquidem multæ undique tentationes eos circumsidebant, qui tum accedebant ad fidem, et frequentes ab hoste machinæ admovebantur, et continuæ tendebantur insidiæ, neque prædicationis Evangelii adversarii quiescebant, sed alios in carcerem conjiciebant, alios in exilium mittebant, alios in alia præcipitia trahebant. Propterea quemadmodum optimus imperator, cum hostem videt acrem iracundiam spirantem, circumiens suos excitat undique, corroborat, instruit, audaciores reddit, alacriores efficit, ut manus contra adversarium attollant, nec illius incursiones reformident, sed animo forti se illi opponant, ipsum ejus vultum, si possint, vulnerent, nec illi resistere pertimescant: non aliter Beatus iste, hæc anima ad cœlum usque sublimis, fidelium volens animos excitare, et humi jacentem, ut ita dicam, illorum cogitationem erigere studens ita dicere occœpit: « Scimus autem quoniam diligentibus Deum » omnia cooperantur in bonum. » Vides prudentiam apostolicam? Non dixit, Scio, sed, « Scimus, » ut ipsos ad assensum præbendum orationi pelliceret, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Animadverte, quam accurate, loquatur Apostolus. Non dixit : Qui Deum diligunt, evitant mala, liberantur a tentationibus; sed, « Scimus, » inquit, hoc est, persuasum nobis est, certiores facti sumus, ipsa rerum experientia edocti demons-

[1] Rom. VIII, 28.

trationes accepimus : « Scimus quoniam diligentibus Deum » omnia cooperantur in bonum. »

II. Quantam huic brevi dictioni vim inesse arbitramini ? « Omnia, inquit, cooperantur in bonum. » Noli enim mihi hujus vitæ commoda commemorare, neque jucunditatem tantum aut securitatem animo volvas, sed etiam contraria, carceres, tribulationes, insidias, quotidianos incursus, ac tum dictionis vim accurate cognosces. Ac ne forte ad longe petenda exempla charitatem vestram abducam, paucula quædam, si lubet, ex iis quæ Beato isti acciderunt, in medium proferamus, et vim istius verbi cognoscetis. Nam cum regiones omnes circumiens, pietatis verbum spargens, spinas evellens, veritatem in singulorum animis plantare contendens, ad urbem quamdam appulisset Macedoniæ, quemadmodum beatus Lucas, is qui librum Actorum composuit, nobis enarravit, ancillam quamdam, quæ malignum habebat spiritum, neque tacere poterat, sed circuibat, et ubique illos dæmonis opera patefacere volebat, multa cum auctoritate, solo verbo ac jussu tanquam verberonem quemdam abigens, illam a pravo dæmone liberasset : cum illius urbis incolas oportuisset tanquam benefactores suos ac salutis suæ vindices deinceps Apostolos intueri, atque omni eos officiorum genere prosequentes, tantum beneficium remunerari, illi plane contraria rependunt. Atque audi quo pacto illos remunerentur. « Videntes, inquit, domini ejus, quia exivit » spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum et Silam, » perduxerunt in forum ad principes, et offerentes eos ma» gistratibus, cum multas eis plagas imposuissent, mise» runt eos in carcerem, præcipientes custodi, ut diligen» ter eos custodiret [2]. » Videtis summam illius urbis incolarum improbitatem ? videtis Apostolorum patientiam ac

[2] Act. XVI, 19-23.

tolerantiam ? expectate paulisper, et Dei videbitis benignitatem. Cum enim sapiens sit ac solers, non in principio, nec in exordiis mala tollit, sed cum incrementum acceperint adversariorum molimina, et rebus ipsis athletarum probata patientia fuerit, et innotuerit, tum subsidium suum præbet, ne dicere possit ullus, illos idcirco sponte periculis se objicere, quod se nihil molestum passuros esse confidant. Hanc nimirum ob causam quosdam etiam ineffabili quadam sapientia in malis derelinquit, quosdam eripit, ut ex omnibus discas summam ejus benignitatem, ipsumque majora illis præmia præparantem, mala frequenter augeri permittere. Ita hoc etiam loco fecit. Post tantum miraculum, ac beneficium, quod impudente illo dæmone ejecto contulerant, virgis illos cædi permisit, et in carcerem mitti. Hinc enim maxime Dei virtus etiam elucebat. Quapropter et Beatus hic dicebat : « Libentis-» sime gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in » me virtus Christi; » et rursus, « Cum infirmor, tunc » potens sum [1], » infirmitatem continuas tentationes appellans. Sed quæret fortasse quispiam hoc loco, cujus rei gratia dæmonem expulerint nihil ipsis contradicentem, sed potius illos patefacientem. Spatio quippe multorum dierum clamabat dicens : « Isti homines servi Dei excelsi » sunt, qui annuntiant nobis viam salutis. » Ne mireris, charissime : nam et hoc prudentiæ fuit apostolicæ ac beneficii Spiritus sancti. Licet enim contrarium illis diceret nihil, ne tamen inde fidem sibi dæmon aliquam conciliaret, et in aliis simpliciores subdole posset attrahere, propterea cum illi os obturasset, ejecit, neque sivit ea proloqui, quæ dignitatem et captum ejus excedebant. Hoc autem præstitit, ut domini sui vestigiis insisteret : nam ad illum etiam accedentes dicebant : « Scimus te, quis sis,

[1] 2 Cor. XII, 10.

» sanctus Dei [1], » et tamen hæc dicentes eos ejiciebat. Id vero fiebat in accusationem impudentium Judæorum, quod illi quidem miracula quotidie cernentes et innumera prodigia fieri, non crederent : dæmones autem agnocerent, eumque Dei Filium faterentur.

III. Sed ad seriem instituti sermonis redeamus. Ut igitur discatis quo pacto diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, totam vobis historiam operæ-pretium fuerit recitari, ut inde cognoscatis quo pacto post verbera, post carcerem, omnia Dei gratia in bonum mutarit. Sed videamus, qua ratione beatus id Lucas indicet dicens : « Cum autem tale præceptum accepisset, misit eos in in- » teriorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno [2]. » Animadverte quo pacto augeantur mala, ut Apostolorum etiam patientia fiat illustrior, et immensa Dei virtus omnibus manifesta reddatur. Audi vero quid sequatur : addit enim, « Media autem nocte Paulus et Silas orantes lauda- » bant Deum. » Vide animum excitatum, vide vigilem mentem : ne temere prætereamus quæ dicta sunt, dilectissimi. Non enim sine causa tempus ipsum designavit dicens, « Media autem nocte, » sed quod vellet ostendere id gestum esse eo tempore, quo cæteris omnibus dulcis advenit somnus, et palpebras consopit, et quo ii, præcipue qui multis doloribus ac molestiis sunt obsessi, somno corripi solent; tum igitur, inquit, cum undique somni vis dominaretur et vigeret, tunc illi orantes Deum laudabant, et hoc suæ in illum charitatis maximum indicium edebant. Nam quemadmodum nos quoties doloribus corporis divexamur, propinquorum congressum requirimus, ut intentionem doloris illorum alloquio mitigemus : sic etiam hi Sancti amore in Dominum inflammati, ac sacros hymnos offerentes, ne sensum quidem illarum moles-

[1] Luc. IV, 34. — [2] Act. XVI, 24.

tiarum capiebant, sed toti in orationem incumbebant, et mirabilem illum hymnorum cantum offerebant, ac deinceps carcer Ecclesia fiebat, et illorum Sanctorum cantu totus ille locus sanctificabatur. Ac videre erat res miras et inusitatas, homines ligno alligatos, neque tamen quominus hymnos canerent quidquam impediri. Vigilem enim et attentum, et ardenti in Deum amore correptum nihil unquam poterit a colloquio cum Domino prohibere. « Deus » enim, inquit, appropinquans ego sum, et non Deus de » longe [1] : » et alibi rursus, « Adhuc loquente te dicam: » Ecce adsum [2]. » Ubi siquidem vigilans animus fuerit, excitatur ratio, et propemodum corporis vinculis liberatur, et evolat ad eum quem diligit, terram despicit, et quæ sunt oculis subjecta exsuperans ad illum festinat : quod utique sanctis etiam istis contigit. Vide namque celerem et efficacem hymnorum vim, et quo pacto cum in carcere versarentur, et alligati ligno essent, atque impostoribus et captivis admixti, non modo nihil passi sint detrimenti, sed et hac ratione splendidiores evaserint, et omnes, qui carcerem incolebant, virtutis suæ radiis collustrarint. Quippe illa sacrorum vox hymnorum cum in animam uniuscujusque captivorum penetrasset, transmutavit illam propemodum, ac reformavit. « Subito enim, » inquit, terræ motus factus est magnus, ita ut moveren» tur fundamenta carceris, et statim aperta sunt omnia » ostia, et universorum vincula soluta sunt [3]. » Vides hymnorum, qui Deo canuntur, virtutem ? non illi modo, qui obtulerunt hymnos, solatium perceperunt, sed etiam effecerunt, ut omnium vincula solverentur : ut factis ipsis innotesceret, quo pacto Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum. Ecce namque verbera, carcer, compedes, et cum carnificibus conversatio, et tamen hæc om-

[1] Jerem. XXIII, 23. — [2] Isaï. LVIII, 9. — [3] Act. XVI, 26.

nia bonorum materia fuerunt et occasio gloriæ, non ipsis tantum, nec illis qui carcerem incolebant captivis, sed et ipsi custodi carceris. « Expergefactus enim, inquit, custos » carceris, et videns januas apertas carceris, evaginato » gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. » Tu mihi hoc loco Dei benignitatem considera, quam nulla exprimere potest oratio. Cur enim media nocte fiunt hæc omnia? nullam aliam ob causam, nisi ut provideatur, ut sine turbis et tranquille res succedat, et saluti custodis carceris consulatur. Cum enim terræ motus accidisset, et reseratæ fores essent, omnium qui erant ibi soluta sunt vincula, nec ulti permissum est, ut inde discederet. Aliam quoque Dei sapientiam hic contemplare. Nam alia quidem evenerunt, terræ motus, inquam, et reseratio januarum, ut rebus ipsis omnes intelligerent, quales illi essent, qui tunc carcerem habitabant, neque vulgares homines esse : porro nemini contigit ut exiret, ne quod inde periculum custodi carceris crearetur. Atque ut hoc verum esse intelligas, audi quo pacto, cum id accidisse suspicaretur custos carceris, et aufugisse quosdam putaret, etiam vitam suam contempserit. « Evaginato enim, » inquit, gladio, volebat se interficere : » sed qui vigil ubique atque expergefactus erat beatus Paulus, ex belluæ faucibus sua voce agnum eripuit. Clamavit enim voce magna dicens, « Nihil tibi mali feceris; universi enim hic » sumus. » O incredibilem humilitatem! non elatus est in superbiam ob ea quæ acciderant, non in custodem carceris insurrexit, nullum arrogans dictum illi excidit, sed cum vinctis, cum lictoribus, cum maleficis se ipsum numerabat, dicens : « Universi hic sumus. » Vides insignis eum humilitatis exemplum edere, nec sibi plus quam maleficis cæteris, qui illic erant, tribuere? Vide jam quo pacto carceris etiam custos non tanquam ad unum ex aliis

ad illum accedat : confidentior enim factus, « Petitoque » lumine introgressus est, et tremefactus procidit Paulo et » Silæ, et producens eos foras ait : Domini, quid me opor- » tet facere, ut salvus fiam? » Videtis quo pacto diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum? Videtis diaboli machina quo pacto fuerit dissoluta? quo pacto in nihilum machinationes ejus reciderint? Nam cum dæmonem ejecissent, ut in carcerem conjicerentur effecit, ratus se hoc pacto prædicationis cursui obicem oppositurum. Sed ecce carcer etiam quæstus illis materiam spiritualis objecit.

IV. Ergo possumus nos quoque, si sapimus ac vigiles sumus, non modo cum res secundæ sunt, sed et cum affligimur, lucrum acquirere, ac tum etiam magis, quam cum secundis rebus fruimur. Inertiores enim plerumque nos reddunt secundæ res : afflictiones autem dum vigiles nos reddunt, auxilium nobis cœleste conciliant, ac tum præcipue, cum propter spem in Deum patientiam, et in omnibus, quæ inferuntur, afflictionibus tolerantiam exhibemus. Ne igitur doleamus, si quando tribulemur, sed potius gaudeamus. Id enim nobis in occasionem gloriæ vertit. Propterea Paulus etiam dicebat, « Scimus autem, quo- » niam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » Sed ardentem Sanctorum istorum animum videamus. Cum igitur custodem carceris dicentem audissent: « Quid me » oportet facere, ut salvus fiam? » num distulerunt? num cunctati sunt? num catechismo illum imbuere neglexerunt? nullo modo : sed quid ad eum? « Crede in Dominum » Jesum Christum, et salvus eris tu, et tota domus tua. » Vide sollicitudinem apostolicam. Illius salute contenti non sunt, et omnes ejus domesticos in causa religionis acquirere Deo volunt, et letalem diabolo plagam infligere. « Et baptizatus est ipse, et domus ejus continuo, et læ- » tatus est cum omni domo sua credens Deo. » Hinc doce-

mur in spiritualibus ne tantillum quidem unquam differre, sed idoneum censere quodvis tempus, quod occurrerit. Si enim multa nocte nolebant hi sancti differre, quæ nobis venia dari poterit, si alio tempore spirituale lucrum omittamus? Vides carcerem in Ecclesiam esse conversum? Vides lictorum diversorium derepente domum orationis esse factum, et illic sacram initiationem celebratam? Tanta res est vigilem esse, nec unquam spiritualia lucra negligere, sed idoneum quodvis tempus ad ejusmodi quæstum arbitrari. Recte itaque Beatus hic dixit scribens, « Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bo» num. » Hanc sententiam, quæso, nos omnes menti nostræ insculptam habentes nunquam indignemur, si quando in casus aliquos adversos incurrerimus, dum in hac vita versamur, aut in calamitates, aut in corporis ægritudines, aut in res alias molestas, sed multam exhibentes moderationem animi ac philosophiam, cuivis tentationi resistamus, cum nobis exploratum sit omni ex parte nos posse lucrum reportare, si vigiles et attenti fuerimus, atque ex tentationibus potius quam ex rebus secundis: nec unquam animo concidamus, cogitantes quantum sit patientiæ lucrum, sed nec illis simus infensi, qui tentationibus nos divexant. Licet enim illi etiam, ut consilium suum expleant, id agant: communis tamen Dominus hoc permittit, quod nos velit hac ratione spiritualem hunc quæstum facere, ac patientiæ mercedem obtinere. Si ergo quæ inferuntur mala cum gratiarum actione perferre possimus, non exiguam delictorum nostrorum partem delebimus. Si enim thesaurum hunc, et orbis terrarum doctorem quotidie periculis objici cum videret Dominus, permittebat, non quod athletam suum despiceret, sed quod longius illius virtuti stadium sterneret, ut splendidiores illi coronas redderet; quid nos dicemus qui peccatis sca-

temus innumeris, et idcirco frequenter tentationibus conflictamur, ut cum eorum causa pœnas dederimus, saltem aliquam misericordiæ partem exiguam impetremus, et in illo die tremendo bonis illis ineffabilibus perfruamur? Hæc autem cum animis nostris reputantes, adversus omnia constanter patienterque resistamus, ut et tolerantiæ mercedem a benigno Domino recipiamus, et peccatorum nostrorum multitudinem imminuere possimus, et æterna bona consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

Adversus eos, qui ad collectam non occurrerunt, et in dictum illud Apostoli : Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, *et de inimicitiarum memoria.*

I. Nihil, ut videtur, nobis profuit, quod sermonem bene longum nuper habuerimus, ut vestrum ad collectas veniendi studium excitaremus. Rursus enim nobis filiis suis Ecclesia destituta est : quo fit ut rursus etiam gravis ac molestus videri cogar, sive dum præsentes castigo, sive dum absentes reprehendo : illos quidem, quod pigritiam non excusserint, vos vero quod salutem fratrum non curetis. Gravis ac molestus videri cogor, non mea vel mearum possessionum, sed vestra salutisque vestræ causa, qua mihi nihil est antiquius. Ægre ferat, qui volet, importunum et impudentem appellet; ego vero semper hac de causa molestiam exhibere non desinam, nihil enim hac impu-

dentia mihi fructuosius esse potest. Fortasse namque, fortasse, si minus alterius rei, saltem hujus vos pudebit, ut ne semper eamdem ob causam molestia vobis exhibeatur, et curam fratres vestros juvandi suscipietis. Quid enim mihi laudes prosunt, cum vos in virtute facere progressus non videam? Quod vero mihi damnum oritur ex silentio auditorum, cum vestram augeri conspiciam pietatem? Laus quippe dicentis est, non applausus, sed auditorum in pietate zelus ac studium; non tumultus excitatus, quo tempore sermo auditur, sed studium ac diligentia, quæ omni tempore exhibetur: applausus ex ore simul egreditur, et in aërem diffusus interit; quod autem meliores fiant auditores, incorruptam et immortalem cum dicenti, tum obtemperantibus mercedem affert. Clamoris vestri commendatio illustriorem oratorem hic reddit: at animæ vestræ pietas multam apud tribunal Christi doctori fiduciam acquirit. Itaque si quis eos qui sermonem habent, diligat, non applausus, sed utilitatem diligat auditorum. Non mediocre malum est fratrum curam non gerere, sed extremum supplicium est, et inevitabilis pœna: quod ipsum is qui talentum defoderat indicavit. Sane nihil ei vitio vertebatur, quod in vita peccasset, neque male quidquam in depositi custodia commiserat: integrum enim illud restituit: sed tamen in depositi negotiatione male se gesserat. Non enim id quod creditum fuerat duplicarat; quam ob causam etiam pœnas dabat. Unde manifestum evadit, licet studiosi simus et instructi, licet ad sacram audiendam Scripturam multa cupiditate exardescamus, id tamen ad nostram salutem non sufficere. Duplicandum namque depositum est: porro duplum fit, quando cum salute nostra, curam aliorum quoque suscipimus: Nam et ipse dixit, « Ecce salvum habes, quod tuum est, » sed hoc ad excusationem illi satis non fuit. « Oportuit enim, inquit, te

» committere nummulariis, quod tibi commissum est[1]. » At tu mihi, quam levia sint Domini mandata considera. Homines enim eos, qui pecunias heriles dant fœnori, etiam repetitioni reddunt obnoxios. Tu commisisti, tu, inquit, repete : nullum mihi cum eo qui recepit, negotium est : Deus vero non ita, sed committere jubet tantum, at non item repetitioni nos reddit obnoxios. Quippe in potestate oratoris est, ut consulat, non ut persuadeat. Quapropter ad committendum solum te obligo, non item ad repetendum. Quid hoc levius est? attamen durum appellabat tam mitem ac benignum dominum servus. Ea quippe improborum et inertium est consuetudo servorum : peccatorum suorum culpam semper in dominos suos rejiciunt. Idcirco cruciatus et compedibus vinctus ille in tenebras exteriores ejiciebatur. Quod ne nobis etiam accidat, doctrinam fratribus committamus, sive persuadeantur, sive non persuadeantur. Si enim persuasi fuerint, et de se ipsis et de nobis bene merebuntur : si non fuerint persuasi, supplicium sibi accersent inevitabile, nobis autem ne tantillum quidem nocere poterunt. Quod enim nostri muneris fuit præstitimus, cum consilium dederimus : quod si persuasi non fuerint, nihil inde possumus capere detrimenti. Siquidem crimen est, non si minime persuaseris, sed si minime consilium dederis : ubi vero cohortatione, consilioque continuo frequentique perfuncti fuerimus, non jam a nobis, sed ab illis rationem Deus exiget. Vellem equidem evidenter nosse vos illos assidue cohortando perseverare, et num in eadem semper illi negligentia persistant, nec unquam vobis molestiam exhiberem : jamvero timeo ne inertiæ incuriæque vestræ vitio maneant incorrecti. Neque enim fieri potest, ut qui cohortatione doctrinaque frequenter fruatur, melior studiosiorque non fiat. Ac vulgare quidem

[1] Matth. xxv, 25.

est illud proverbium, quod dicturus sum, verumtamen hoc ipsum testatur: Stillula enim, inquit, mollis aquæ saxum assiduo cavat ictu. Tametsi quid aqua mollius? quid saxo durius? attamen assiduitas naturam vincit. Quod si naturam vincit assiduitas, multo magis voluntatem poterit superare. Non ludus est christianismus, dilecti, nec res supervacanea. Continue ista dicimus, et nihil proficimus.

II. Quantum mihi censetis dolorem inuri, cum recordor festis quidem diebus vasta maris æquora collectarum turbas imitari, jamvero ne quotamvis quidem partem hic illius multitudinis congregari? Ubi nunc sunt, qui nobis in solemnitatibus molestiam exhibent? illos requiro, et illorum causa lugeo, dum mihi venit in mentem, quanta pereat eorum multitudo, qui salvi erant, quantam faciam fratrum jacturam, quam exiguum in numerum redigantur, qui salutem adipiscuntur, ut major pars corporis Ecclesiæ mortuo et immobili corpori assimiletur. Quid illud ad nos attinet, dicet aliquis? Ad vos quidem certe maxime attinet, qui non eos curatis, non adhortamini, non consilio juvatis, ad vos qui necessitatem non imponitis, neque vi pertrahitis, et ab illa summa negligentia revocatis. Non enim tantum nobis prodesse nos debere, sed et multis, ostendit Christus, cum salem nos, ac fermentum, et lucem vocavit. Hæc enim aliis utilia sunt et commoda. Nam lucerna non sibi lucet, at illis qui sedent in tenebris: et tu lucerna es, non ut lumine solus fruaris, sed ut illum errantem reducas. Quid namque prodest lucerna, quando in tenebris sedenti non lucet? quæ porro utilitas Christiani, quando neminem lucratur, nec ad virtutem reducit? Rursus non se ipsum abstringit sal tantum[1], sed et corpora quæ corrumpuntur cohibet, neque diffluere

[1] Matth. v, 13.

ac perire permittit. Sic tu quoque, quandoquidem spiritualem te salem Deus effecit, membra corrupta, hoc est desides fratres, et qui mechanicas exercent artes adstringe et colliga, desidiaque tanquam ulcere quopiam putrido liberatum cum reliquo Ecclesiæ corpore copulato. Propterea te fermentum appellavit[2] : si quidem fermentum etiam non se ipsum fermentat, sed reliquam massam ingentem licet et immensam, ipsum parvum cum sit et breve. Sic nimirum vos quoque, quanquam numero pauci estis, multi tamen ac potentes estote fide ac studio erga cultum Dei. Ut igitur fermentum propter exiguitatem imbecille non est, sed propter insitum a natura calorem ac virtutem qualitatis exuperat : sic vos nimirum multo plures poteritis ad eumdem fervorem ac studium reducere si velitis. Quod si æstatem obtendant; siquidem hoc quoque illos audio dicentes : Vehemens nunc æstus est, atque intolerandi calores : non possumus coarctari et in tanta turba comprimi, undique sudore diffluentes, æstu gravati et in angustias redacti : pudet me illorum, mihi credite; sunt enim muliebres isti prætextus, vel potius ne illis quidem ad obtinendam veniam excusationes istæ sufficerent, quibus molliora sunt corpora et imbecillior natura. Quanquam autem ejusmodi defensionem responsione diluere turpe videbitur, necessarium est tamen. Si enim illi has obtendere excusationes non erubescunt, multo magis nos pudere non debet hæc refellere. Quid ergo hæc obtendentibus opponemus? Trium puerorum illis memoriam volo refricare, qui cum in fornace, ac mediis flammis versarentur[2], cum undique se cernerent ignibus obsideri, qui in os, in oculos, in anhelitum ipsum incurrerent, sacrum illum et mysticum hymnum cum creaturis Deo canere non cessarunt, sed alacrius, quam si in prato versati fuis-

[2] Matth. XIII, 33. — [2] Dan. VI, 24.

sent, tum in medio rogo stantes communi Domino universorum laudes offerebant : et cum tribus his pueris leonum in Babylone, Danielis et lacus. Neque vero tantum hujus, sed et alterius lacus, ac Prophetæ, lutique, quo ad collum usque suffocabatur Jeremias, ut recordentur, illos obsecro. Et ex lacubus istis ascendens, in carcer m introducere istos volo, qui calores obtendunt, Paulumque monstrare ac Silam compedibus illic præpeditos, vestigiis verberum plenos, quibus totum corpus vulneribus qlagarumque fuerat multitudine laceratum, media nocte Deum laudantes et sacras illas vigilias celebrantes. An non enim absurdum est sanctos quidem illos, cum in fornace, et igne, et lacu, et belluis, et luto, carcere, et compedibus, et plagis, et ergastulis, et intolerandis versarentur malis, nihil unquam horum culpare, sed multa cum animi contentione et ardore perpetuo precibus et hymnis sacris operam dare; nos qui non ullam exiguam, non magnam ex illis quæ enumeratæ sunt passionibus toleravimus, ob æstum et calorem modicum ac sudorem nostræ ipsorum salutis curam deponere, ac relictis collectis foris, vagari, nosque cœtibus depravandos immiscere, in quibus nihil non vitiosum est et corruptum? Tantus sacrorum eloquiorum est ros, et æstum objicis? « Aqua, quam ego dabo » ei, » ait Christus, « Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam » æternam : » et rursus, « Qui credit in me, sicut dixit Scrip» tura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ[1]. » An tu, quæso, cum intus fontes habeas et flumina spiritualia, sensilem calorem times? at in foro, quæso, ubi tantus est strepitus, tot angustiæ, ac multus æstus, qui fit ut calores et solis ardorem non obtendas? Non enim, opinor, id dicere potes, illic frigidiore licere aëris aura frui, hic vero totum nobis collectum calorem sævire : quin potius con-

[1] Joan. IV, 14, et VII, 38.

trarium penitus, hic quidem ubi crustis lapideis solum constratum est, et ob reliquam ædis sacræ fabricam; siquidem in immensam assurgit altitudinem, levior et frigidior est aër : at illic multus undique sol irradiat, multæ angustiæ, fumus, pulvis, et alia plura, quæ majorem istis molestiam exhibent. Ex quo intelligitur inertiæ et mollitici animi, qui Spiritus sancti flamma sit destitutus, has ineptas excusationes esse tribuendas.

III. Hæc non tam ad illos a me dicta diriguntur, quam ad vos, qui non illos pertrahitis, qui non ab inertia revocatis, et ad salutarem hanc mensam adducitis. Ac servi quidem cum commune ministerium obituri sunt, advocant suos conservos : vos vero a quibus hoc spirituale obsequium exhibendum est, conservos sinitis vestros hoc quæstu privari. Quid si nolint ipsi, dicet aliquis? effice assidue instando, ut velint. Si enim urgentes nos viderint, omnino volent. At enim prætextus hæc sunt et fictæ excusationes. Quam multi namque hic sunt patres, qui secum stantes non habent filios? num etiam liberos huc pertrahere non poteras? ex quo apparet cæteros quoque non ob inertiam tantum suam, sed et ob vestram incuriam foris manere. At licet non prius, nunc saltem excitamini, et cum membro suo quisque in Ecclesiam ingrediatur, et pater filium, et genitorem filius, et viri uxores, et viros uxores, et servum herus, et frater fratrem, et amicus amicum excitet, et ad hunc conventum frequentandum instiget : imovero non amicos tantum, sed inimicos etiam ad communem hunc bonorum thesaurum invitemus. Si curam viderit tuam inimicus, odium plane deponet. Dic illi, non verecundaris, nec erubescis Judæos, qui tanta cum diligentia sabbatum custodiunt, atque ab ipsa jam vespera ab omni opere abstinent? quod si die Parasceves solem videantadoccasu m vergentem, et pacta rescindunt, et

emptiones interrumpunt. Quod si quis cum ante vesperam emisset, vespere veniens pretium afferat, non sustinent accipere, nec pecuniam admittunt. Quid dico pretium rerum venalium, et pacta? quamvis thesaurum accipere liceret, lucrum illud mallent amittere, quam legem violare. Ergone Judæi, tametsi legem intempestive custodiant, ita sunt accurate diligentes, et ita studiosi sunt observationis, quæ nihil eis prodest, imo etiam nocet: tu qui jam umbra superior es, cui solem justitiæ videre concessum est, qui jam ad cœlorum municipatum pertines, ne eamdem quidem cum iis, qui vitio intempestive adhærent, sollicitudinem ac studium exhibes, tu cui veritas ipsa est credita: sed ad modicam diei partem huc vocatus, ne eam quidem sacrorum eloquiorum auditioni dignaris impendere, quam tandem veniam, quæso, mereri queas? quam vero poteris legitimam et justam excusationem afferre? Non potest fieri, plane non potest, ut qui tam negligens sit ac piger unquam venia dignus habeatur, licet millies sæcularium negotiorum occupationes obtendat. Nescis, si huc veniens Deum adoraveris, et conventus istius particeps fueris, ea quæ præ manibus sunt negotia facilia tibi et expedita reddi? Sæcularibus curis premeris? earum igitur causa huc ventita, ut cum tibi Dei benevolentiam conciliaveris, quod hic versatus fueris, ita cum securitate discedas; ut illum habeas adjutorem, ut cœlestis manus auxilio septus dæmonibus fias invictus. Si paternis precibus fruaris, si communis orationis particeps fias, si eloquia sacra audiveris, si Dei tibi auxilium comparaveris, si his armis communitus egressus fueris, ne diabolus quidem ipse contra te deinceps oculos audebit attollere, nedum homines improbi, quibus studio esse solet, ut contumeliis cæteros et calumniis persequantur. Quod si ex ædibus in forum egressus ejusmodi nudatus armis offendaris, omnium qui te con-

tumeliis infestabunt facile vincendus patebis incursibus. Idcirco et in privatis et in publicis nostris negotiis nequaquam ex animi sententia nobis multa succedunt, quod spiritualia non prius studiose accuraverimus, ac deinde sæcularia, sed ordinem inverterimus. Idcirco negotiorum quoque series ac rectus ordo invertitur, et omnia plane turbantur. Quantum mihi dolorem ac molestiam inuri putatis, cum cogito, veniente quidem festo ac solemnitate, licet nullus sit qui vocet, totam concurrere civitatem : ubi vero festum solemnitasque transierit, toto licet die perseveremus nos disrumpentes et vos advocantes, nullum tamen esse qui attendat ? Hæc enim sæpenumero cum mente versarem, graviter ingemui, et hæc apud me verba faciebam : Quid cohortatione vel consilio est opus, cum vos consuetudine tantum cuncta faciatis, nec ullius nostræ doctrinæ opera promptiores reddamini? Cum enim festis quidem diebus nostra cohortatione nihil indigeatis, postquam autem illi præterierint, nullam ex doctrina utilitatem percipiatis, nonne quantum quidem in vobis situm est, inutilem ac supervacaneam orationem nostram redditis ?

IV. Forte multi, qui hæc audiunt, dolent. Sed negligentes ita non sentiunt : alioquin incuriam suam deponerent, ut nos qui quotidie de rebus vestris solliciti sumus. Quod tantum ex negotiis sæcularibus lucrum colligis, quantum tibi damnum accersis? fieri nequit, ut ex alio congressu conventuve tantum lucrum reportes, quantum ex eo quod hic verseris : sive judiciale forum commemores, sive curiam sive ipsam regiam. Non enim gentium urbiumque regimen, neque ducatum exercituum his qui huc ingrediuntur committimus, sed alium principatum augustiorem ipso regno : vel potius non committimus nos, sed Spiritus gratia. Quisnam igitur est regia potestate augus-

tior principatus, quem adipiscuntur, qui huc ingrediuntur? Docentur absurdis passionibus imperare, pravas libidines regere, iram moderari, invidiam subigere, inanem gloriam in servitutem redigere. Non perinde veneratione dignus est imperator in regio considens solio et diademate redimitus, atque homo, qui rationem in solium dominatus servilium passionum subvehit, et imperio, quod in illas exercet, tanquam splendido quodam revinctum caput habet diademate. Quid enim, quæso, prodest purpura, aureæ vestes, et corona gemmata, quando passionum captiva fuerit anima? quod ex ista externa libertate lucrum obvenit, quando id quod in nobis potissimum est, turpi ac miserabili subjacet servituti? Nam quemadmodum cum febris ad interiora penetrat, et viscera omnia incendit, nihil nobis prodest, si superior corporis superficies nihil tale patiatur : ita dum nobis anima interioribus distrahitur passionibus, nihil externus principatus juvat, ne ipsum quidem regium solium, cum animus violento admodum impetu a passionibus de throno regio devolvatur et ultro se submittat, earumque rebelles insultus pertimescat? Quod ne fiat, undique Prophetæ concurrunt et Apostoli, passiones nostras reprimunt, omnem appetitus rationis expertis feritatem a nobis amandant, et multo augustiorem regno principatum nobis committunt. Hac de causa dicebam eos, qui hac sollicitudine se privant, letale sibi vulnus infligere, ac tantum capere detrimentum, quantum ulla alia ex parte capere nequeunt : quandoquidem et qui huc ingressi fuerint, ejusmodi quæstum faciunt, qualem aliunde facere nullo modo possent : quod et ipsa sermonis series demonstravit. « Non apparebis in conspectu » Domini vacuus[1] , » aiebat Lex : hoc est, absque sacrificiis non introeas. Quod si absque sacrificiis in domum Dei

[1] Exod. xxiii, 15.

non est ingrediendum, multo magis ad collectas cum fratribus non est intrandum : quippe sacrificium istud illo melius est, et oblatio, cum animum tecum accipiens ingressus fueris. Non videtis columbas, quæ instructæ fuerunt, quo pacto reliquas egressæ pelliciant et venentur? hoc nos quoque faciamus. Quænam enim tandem excusatio reliqua erit, cum rationis expertes animantes alias ejusdem generis venari possint, nos autem ratione tantaque sapientia exornati talem capturam negligamus. Superiori concione vos in hæc verba cohortatus sum, unusquisque vestrum ad proximi domum pergite, exeuntes præstolamini, prehendite, atque ad communem matrem adducite : illosque qui in spectacula theatrorum insaniunt imitamini, qui summo studio quasi composito inter se agmine, cum prima luce ad nefarium illud spectaculum contendum expectant. At nihil illa nostra cohortatione promovimus; idcirco rursus dico, neque dicere desinam, donec persuasero : Nihil prodest auscultatio, nisi illam actio comitetur. Imovero graviorem nobis pœnam accersit, cum eadem frequenter audientes, nihil eorum præstamus, quæ dicuntur. Et vero majus supplicium imminere, audi quo pacto Christus indicet : « Si non venissem, et locutus » fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excu- » sationem non habent de peccato suo[1]. » Et Apostolus pariter : « Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, » sed factores legis justificabuntur[2]. » Atque ad auditores quidem ista dicuntur : volens autem concionatorem ipsum docere ne ipsi quidem ullam ex doctrina, quam communicat, utilitatem esse obventuram, si conversationem cum doctrina non habeat copulatam, et vitam convenientem orationi, audi quo pacto Apostolus et Propheta in illum invehantur. Nam hic quidem sic ait : « Peccatori

[1] Joan. xv, 22. — [2] Rom. ii, 13.

» autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et » assumis Testamentum meum per os tuum : tu vero odisti » disciplinam[1] ? » Apostolus autem cum in eosdem istos rursus invehitur, qui ob doctrinam magnifice de se sentiunt, ita loquitur : « Confidis te ipsum esse ducem cæ- » corum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem » insipientium, magistrum infantium. Qui ergo alium » doces te ipsum non doces[2] ? » Quando igitur neque mihi qui dico, prodesse potest, quod verba faciam, nisi paream iis quæ dicuntur, sed et me condemnat magis : ne sola auditione tenus studium exhibeamus, sed operibus etiam ea quæ dicuntur observemus, Bonum quidem est assiduam sacrorum eloquiorum auditioni operam dare, sed et hoc bonum inutile redditur, si conjunctam utilitatem non habeat, quæ ex obedientia nascitur. Ne igitur hic frustra conveniatis, omni studio, quod a vobis precibus sæpe contendi, neque contendere desinam, fratres nobis adducite, cohortamini errantes, consilium date non verbo tantum, sed etiam opere. Major est ista doctrina quæ moribus, quæ conversatione profertur. Etsi nihil dicas, si tantum exeas e collecta, et externa specie, aspectu, voce, incessu, et tota reliqua modesta corporis compositione lucrum, quod hinc egressus tecum retulisti, ostendas hominibus, qui collectæ non interfuerunt, ad cohortationem et consilium id sufficit. Sic enim egredi nos hinc oportet, quasi ex sacris adytis, quasi de cœlo delapsos, modestiores redditos, philosophantes, moderate ac temperate cuncta facientes ac dicentes : et uxor maritum a collecta recedentem videns, et filium pater, et patrem filius, et dominum servus, et amicum amicus, et inimicum inimicus, omnes utilitatis sensum capiant, quam ex hoc conventu reportavimus : capient autem, si mitiores, si

[1] Psal. xlix, 17. — [2] Rom. ii, 19.

patientiores, si religiosiores vos factos animadvertant. Cogita quibus mysteriis interesse tibi datum sit, qui initiatus es, cum quibus mysticum illum cantum offeras, cum quibus ter sanctum hymnum pronunties. Doce profanos, te cum Seraphim choreas agitasse, te ad cœlestem populum pertinere: te in chorum Angelorum ascriptum esse, te cum Domino collocutum esse, te cum Christo esse congressum. Si nos ita composuerimus, nihil oratione opus erit erga illos, qui non interfuerunt, sed ex profectu nostro jacturam suam animadvertent, et confestim accurrent, ut iisdem commodis perfruantur. Cum enim animæ vestræ pulchritudinem ex ipsis sensibus viderint relucentem, licet omnium sint stupidissimi, ad cupiditatem eximii vestri decoris exardescent. Si enim forma corporis excitat intuentes, multo magis animæ pulchritudo spectatorem potest commovere, atque ad similem zelum hortari. Interiorem igitur hominem nostrum exornemus, et eorum quæ hic dicta fuerint foris recordemur : illic enim ut maxime memores simus tempus exigit, et quemadmodum athleta, quæ in palæstra didicerit, eorum in certaminibus specimen edit: sic nos etiam quæ hic audimus, in externis negotiis oportet ostendere.

V. Memor igitur eorum esto quæ hic dicuntur, ut cum egressus fueris, et te diabolus vel per iram, vel per inanem gloriam, vel per aliam aliquam passionem invaserit, ejus doctrinæ memor, qua hic imbutus es, facile possis mali laqueos et nexus evadere. Nonne videtis in stadiis pædotribas ac palæstræ magistros, qui cum post mille certamina vacationem deinceps a luctis beneficio ætatis acceperint, extra stadium non longe ab ipso pulvere sedentes iis qui sunt intus ac decertant clamando suggerere, ut manum prehendant, ut crus attrahant, ut dorsum invadant, et alia multa ejusmodi monentes, si hoc vel illud

feceris, adversarium facile in terram extendes : hac ratione discipulis maximopere prodesse? Tu quoque pædotribam tuum beatum Paulum intuere, qui post coronas innumeras, extra stadium nunc considens, hoc est, ex hac vita egressus certantibus nobis clamando suggerit, et per epistolas suas vociferatur, cum correptos ab ira viderit, ab injuriarum memoria, atque a passionibus oppressos, « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum[1]. » Et quemadmodum dicit palæstræ magister, si hoc vel illud feceris, adversarium superabis, ita subjicit hic quoque : « Hoc enim » faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. » Verum dum legem percurro, quæstio nobis occurrit, quæ ex ipsa nasci videtur, et multis adversus Paulum reprehensionis ansam suppeditat, quam hodierno die statui vobis in medium afferre. Quid ergo tandem est, quod mentes eorum terret, qui diligenter omnia nolunt excutere? Cum ab ira revocaret Paulus, inquit, et ut mansueti essent, ac modesti erga proximos, suaderet, illos amplius exasperavit et iracundia inflammavit. Quod enim dixit, « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum » da illi, » præclarum mandatum est, et philosophiæ plenum, ac tum agenti, tum patienti perutile : quod vero deinde sequitur, multam habet difficultatem, minimeque videtur cum ejus, qui priora dixit, sententia convenire. Quidnam vero illud est, quod dicat, « Hoc autem faciens, » carbones ignis congeres super caput ejus. » His enim verbis, et cum qui agit, et cum qui patitur afficit injuria, cum istius caput exurat, et ignis carbones imponat : quod enim tantum bonum obveniat, ex eo quod cibetur et potetur, quantum malum ex accumulatione carbonum? Itaque illum qui beneficio afficitur, inquit, hoc pacto afficit injuria, cum in majus supplicium illum conjiciat, eum

[1] Rom. XII, 20.

vero qui beneficium contulit, alio rursus modo lædit. Quid enim referre lucri potest ex eo, quod de inimicis bene mereatur, cum illud spe supplicii faciat? Nam quid idcirco cibat vel potat inimicum, ut in caput ejus carbones congerat, non benignus et clemens, sed crudelis et immitis qui per exiguum beneficium supplicium immensum inferat. Quid enim asperius fieri potest eo, qui propterea nutriat, ut in caput ejus qui nutritur, congerat carbones ignis? Hæc igitur est objectio : jamvero solutio est addenda, ut ex iis ipsis, quæ verba legis videntur carpere, omnem legislatoris sapientiam accurate cognoscas. Quænam igitur est solutio? Noverat hoc probe magnus ac generosus ille vir rem gravem ac molestam esse celeriter cum inimico reconciliari : gravem et molestam non ex sua natura, sed ob nostram ignaviam : at ipse non reconciliari tantum jussit, sed etiam alere, quod priori multo gravius fuit. Si enim conspectis tantum illis, qui se molestia affecerint, efferantur nonnulli, quo pacto adducerentur, ut alerent esurientes? Quid dico, conspectis? si quis mentionem illorum fecerit, et solum eorum nomen in medium protulerit, mentis nobis vulnus renovat, et inflammationem auget. Hæc igitur omnia cum intelligeret Paulus, et hoc emendatu difficile et arduum vellet facile reddere et expeditum, et illi persuadere, qui ne intueri quidem inimicum dignatur, ut ad bene de illo merendum se promptum ostenderet, carbones ignis posuit, ut supplicii spe commotus ad beneficium in illum conferendum accurrat, a quo damno fuisset affectus. Et sicut piscator hamum illecebra contegit undiqne, tumque piscibus objicit, ut ad consuetum cibum occurrentes, illo facile capiantur ac detineantur : sic nimirum et Paulus, cum affectum injuria vellet ad beneficium conferendum incitare, in illum qui injuriam intulerat, non nudum philosophiæ

objicit hamum, sed tanquam illecebra quadam carbonibus ignis obtectum, et cotumeliam passum spe supplicii ad beneficium in eum conferendum, qui læsit, invitat : mox autem ut venerit, deinde retinet, neque resilire sinit, cum ab ipsa rei natura cum inimico jungatur, atque his propemodum verbis illum affatur : Non vis pietatis causa cibare illum qui te læsit? saltem ob spem ultionis ciba. Scit enim fore, ut si beneficium in illum conferre aggrediatur, jam tum initium fiat, ac via sternatur reconciliationis. Nemo enim, nemo unquam poterit a se nutritum hominem ac potatum infestum habere, licet initio spe ultionis id fecerit. Temporis enim progressu iræ contentio remittitur. Ut igitur piscator si nudum hamum objiceret, piscem nequaquam alliceret, jamvero postquam illum obtexit, clam in os animalis accedentis hamum immittit. Sic etiam Paulus, nisi pœnæ expectationem objecisset, affectis injuria non persuasisset, ut ad bene merendum de illis a quibus læsi fuissent, animum appellerent. Quod igitur illos refugientes, ægre ferentes, et vel etiam inimicos intueri detrectantes flectere vellet, atque ad illos maximis beneficiis cumulandos incitare, carbonum ignis fecit mentionem, non ut in supplicium inevitabile illos conjiceret, sed ut cum illis qui fuerant injuria læsi, persuasisset expectando supplicium bene mereri de inimicis, tandem progressu temporis etiam persuaderet illis, ut iram omnem deponerent.

VI. Atque illum quidem qui passus injuriam fuerat, sic mitigavit; vide autem quo pacto illum etiam qui injuriam intulerat, cum læso reconciliet. Primum quidem ipso genere beneficii : nullus enim tam miser et stupidus est, qui potatus ac cibo refectus, nolit ejus fieri servus et amicus, a quo in illum ista collata sunt : deinde vero supplicii metu. Nam videtur quidem insectari eum qui

cibat, dum ait : « Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus : » sed eum qui læsit perstringit maxime, ut hujus pœnæ timore perculsus perpetuas inimicitias minime foveat, sed intelligens fore, ut maximo afficiatur detrimento, quod cibatus ac potatus fuerit, si semper inimicitias exerceat, iram deponat. Sic namque poterit ignis carbones extinguere. Itaque pœna et supplicium propositum tum eum qui affectus est injuria ad beneficium conferendum invitat in eum qui læsit, tum eum qui irritavit terret et excitat, atque ad reconciliationem cum eo qui cibo refecit ac potavit, impellit. Duplici ergo vinculo ambos inter se copulavit altero beneficii, altero supplicii. Difficile quippe est incipere, atque aditum invenire reconciliationi : ubi vero aperta hæc quoquo modo fuerit, quæ sequuntur facilia cuncta erunt et expedita. Quamvis enim initio spe supplicii, qui læsus est alat inimicum, tamen dum alet, amicus evadet, et pœnæ cupiditatem poterit ex animo pellere. Cum enim amicus redditus fuerit, non jam tali cum expectatione poterit secum reconciliatum nutrire. Rursus is qui offendit, cum viderit eum qui affectus fuerat injuria, ipsum alere ac potare dignari, saltem ob hoc ipsum, et ob metum parati supplicii odium omne deponet, quantumvis ferreus, inhumanus et adamas fuerit, quod et humanitatem revereatur ejus a quo nutritur, et quod sibi paratum supplicium reformidet, si post alimenta percepta inimicus esse non desinat. Idcirco neque huc usque tantum cohortationem provexit, sed postquam utriusque iram mitigavit, deinceps animi sententiam corrigit dicens : « Noli vinci a malo [1]. » Si enim acceptæ injuriæ memoriam conservaveris, et ulcisci volueris, vincere quidem inimicum videris, sed a malo vinceris, hoc est, ab ira. Itaque si vincere cupis,

[1] Rom. XII, 21.

reconciliare, nec ulciscere. Hæc enim est præclara victoria, quando in bono, hoc est, patientia malum vincis, abjecta prorsus iracundia et injuriarum memoria. Verum hæc verba non tulisset a principio, qui læsus fuerat, et ira tumebat. Propterea cum primum ejus furorem exsaturavit, tum ad optimam illum reconciliationis causam traduxit, neque prava supplicii spe detineri permisit. Vides sapientiam legislatoris? Atque ut intelligas propter infirmitatem eorum, qui aliter inter se non poterant copulari, legem hanc ab illo fuisse invectam, audi quo pacto Christus hoc ipsum præcipiens, non hoc ipsum præmium proposuerit : sed cum dixisset : « Diligite inimicos vestros, » benefacite his qui oderunt vos[1], » hoc est, cibate ac potum date; non adjecerit : Hoc enim facientes carbones ignis congeretis super capita illorum; sed quid? « Ut simi- » les fiatis Patri vestro, qui in cœlis est. » Merito. Petrum enim, Jacobum et Joannem ac reliquum Apostolorum cœtum alloquebatur, propterea præmium illud proposuit. Quod si dicas hac quoque ratione grave esse præceptum, majorem tu quidem nobis suppeditas defensionem pro Paulo, te vero prorsus omni venia privas. Quid ita? quod nimirum hoc quod esse grave videtur, in Veteri Testamento tibi ostendam esse perfectum, quo tempore nondum tantæ philosophiæ specimen editum fuerat. Propterea namque Paulus etiam non suis verbis legem introduxit, sed iisdem ipsis verbis usus est, quibus ille, qui a principio ipsam a se latam invexit, ut nullus veniæ locus relinqueretur iis, qui non illam observassent. Illud enim, « Si » esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da » illi[2], » non Pauli primum est dictum, sed Salomonis. Propterea verba posuit, ut auditori persuaderet, turpissimum esse veterem legem, et quam antiqui frequenter

[1] Matth. v, 44. — [2] Prov. xxv, 22.

adimpleverunt, quæ nunc ad tantam evecta est philosophiam, gravem et molestam putari. Et quis illam ex antiquis adimplevit, dicet aliquis? Multi sane alii, sed David præsertim majorem in modum. Non enim cibavit inimicum, neque potum dedit ei tantum, sed etiam periclitantem sæpius a morte liberavit, et cum posset ipsum occidere, semel et bis et sæpius pepercit. Ac Saül quidem sic eum oderat et aversabatur post innumera beneficia, post tropæa præclara, et partam adversus Goliath populo salutem, ut ne nominis quidem ipsius mentionem fieri sustineret, sed ipsum a patre designaret. Cum enim solemnitas advenisset, quoniam cum dolos texuisset aliquos et graves insidias in eum struxisset, illum venisse non videbat, « Ubi est, inquit, filius Jesse[1]? » Illum quidem a patre designabat, simul quidem non sustinens ejus nominis præ odio nimio meminisse, simul vero existimans ignobilitate patris posse justi claritatem obscurari, quæ opinio misera plane fuit et infelix; præsertim cum nihil hoc deberet nocere Davidi, quamvis aliquod parenti crimen objici posset. Rerum enim a se gestarum rationem reddere debet unusquisque, atque ex illis vel laudem, vel vituperium meretur. Jamvero cum nullum scelus posset objicere, generis ignobilitatem in medium protulit: et hac ratione speravit se posse claritatem ejus obscurare, quod extremæ fuit dementiæ. Quod enim crimen est ex vilibus et humilibus ortum esse parentibus? At ille tantam philosophiam non callebat. Saül igitur eum Jesse filium vocabat; David autem cum illum intus in spelunca dormientem offendisset, non eum filium Cis, sed dignitatis nomine vocavit: « Non enim injiciam manum meam, in» quit, in Christum Domini[2]. » Sic ab ira mundus erat et ab injuriarum omni memoria : Christum Domini vocat

[1] 1 Reg. xx, 27. — [2] Id. xxvi, 10.

eum, a quo tot affectus erat injuriis, qui sanguinem ejus sitiebat, et post innumera beneficia multoties illum aggressus est interimere. Non enim spectabat, quid ille pati commeruisset, sed spectabat quid ipsum facere vel dicere conveniret, qui supremus limes est philosophiæ. Quodnam illud tandem? tanquam in carcere tenens inimicum duplici vinctum compede vel triplici potius, et angustiis loci, et auxiliatorum inopia, et somni necessitate, non exigis ab illo pœnas nec supplicium? Nequaquam, inquit. Non enim quid ille patri mereatur nunc considero; sed quid fecisse me decuerat. Non respiciebat cædis facilitatem, sed convenientis sibi philosophiæ sanctitatem respiciebat. Tametsi quid eorum quæ tunc aderant non idoneum erat ad illum ad cædem impellendum? Quod vinctus ei traditus erat inimicus? Scitis enim hoc nimirum, nos ad ea exequenda promptius advolare, quæ facilitatis plena sunt, et prosperi spes successus efficit, ut ad rem agendam majori cupiditate exardescamus, quod et in illo tum accidit. Numquid tum exercitus dux consulebat et incitabat? numquid præteritarum rerum memoria? sed nihil ad cædem illum impulit : imo ipsa cædis facilitas avocavit. Veniebat enim illi in mentem idcirco Deum illum tradidisse, ut majorem illi philosophiæ materiam et occasionem præberet. Ac vos quidem illum fortasse miramini, quod nullius ex præteritis malis recordatus sit : ego vero propter aliud multo majus ipsum obstupesco. Quid illúd rei est? quod nec futurorum quidem metus eum ad inimicum necandum impulerit. Quippe qui probe noverat eum semel ex ipsius manibus elapsum, rursus illi structurum insidias : sed maluit adversarium liberum dimittere ac periculum subire, quam ut salutis suæ securitati consuleret, hostem necare. Quid cum magno illo

generosoque animo conferri possit, qui cum oculum effodi lex pro oculo jubeat, et dentem pro dente[1], ac par pari referri, non modo id non fecit, sed et multo majorem philosophiam præ se tulit? quanquam si tum Saülem necasset, sic quoque illi philosophiæ laus illæsa mansisset, non modo quod ultus esset, cum nec ipse prior percussisset, verumetiam quod dictum illud, « Oculum pro » oculo, » longe majori modestia vicisset. Non enim pro una cæde unam rependisset, sed pro multis mortibus, quas ille intulerat, dum non semel, non bis, sed multoties ipsum occidere conatus erat, unam illaturus mortem fuisset : imovero non idcirco tantum, sed etiam quod metu futuri adactus ad ultionem progrederetur, hoc quoque præter ea, quæ dicta sunt, integram illi tolerantiæ coronam acquirit. Qui enim propter ea quæ acciderant, in eum iratus esset ac pœnas exegisset, tolerantiæ laudem consequi minime posset : cum vero qui præterita multa eaque gravia prætermittens metu imminentium periculorum saluti suæ prospicere, atque idcirco ad ultionem progredi cogeretur, nemo posset modestiæ corona privare.

VII. Verumtamen David ne hoc quidem fecit, sed novum quoddam et insolitum philosophiæ genus adinvenit, et neque memoria præteritorum, neque futurorum metus, neque ducis exercitus cohortatio, nec solitudo loci, non facilitas cædis, non aliud quidquam ad homicidium illum impulit, sed tanquam alicui de se bene merito, cuique magna beneficia tulisset accepta, sic inimico homini, a quo fuerat affectus injuriis, pepercit. Quamnam igitur veniam merebimur nos, qui præteritorum delictorum memores sumus, et eos ulciscimur, qui nos læserint, cum innocens ille tot mala passus, quique plura et graviora sibi, si hostem servaret, expectabat eventura, sic pepercisse videa-

[1] Deut. xix, 21.

tur, ut periculum ipse subire maluerit, atque in metu ac tremore vivere, quam eum quem sibi innumeras moliturum insidias sciebat, jure occidere? Ejus itaque philosophiam ex his cernere licet, quod non modo tanta imminente necessitate non interemerit, sed neque maledicum in eum verbum ullum protulerit, licet is quem læsurus fuisset, minime audiisset. Atqui nos etiam amicos sæpenumero absentes conviciis incessimus, at ille ne inimicum quidem, a quo tot fuerat affectus injuriis. Ac philosophiam quidem ex his licet cognoscere : benignitatem autem ac reliquam sollicitudinem ex iis, quæ postea præstitit. Quod enim fimbriam vestis absciderit[1], quod aquæ sciphum subtraxerit, quod longe secedens et stans clamarit, atque a se servato incolumi hæc significarit, non ad ostentationem et ambitionem id fecit, verum ut operibus ipsis ei persuaderet, se immerito ac sine causa tanquam hostem illi fuisse suspectum, et hac ratione studuit illum ad amicitiam provocare. Verumtamen cum nec sic quidem illum flectere potuisset, atque e medio posset tollere, rursus patria carere maluit, et peregre vivere, atque in malis quotidie versari, dum necessarium sibi victum compararet, quam domi manendo insidiatorem suum lædere. Quid illius anima lenius reperiri possit? Merito sane dicebat, « Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus[2]. » Hunc imitemur nos quoque, ac neque dicamus, neque faciamus inimicis quidquam mali, sed et pro viribus de illis bene mereamur : siquidem de nobis ipsis potius, quam de illis bene merebimur. « Si enim, inquit, dimiseritis inimicis » vestris, dimittetur vobis[3] » : dimitte servilia peccata, ut veniam herilem obtineas peccatorum : quod si magnam intulerit injuriam, quanto majora dimiseris, tanto majorem veniam herilem obtineas. Propterea namque dicere

[1] 1 Reg. xxiv, 5. — [2] Psal. cxxxi, 1. — [3] Matth. vi, 14.

edocti sumus, « Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus[1], » ut discamus remissionis modum initium a nobis accipere. Itaque quanto graviora mala intulerit inimicus, tanto majoribus afficit beneficiis. Properemus igitur, et cum iis qui nos læserint, reconciliari festinemus, sive jure, sive injuria sint irati. Si enim hic fueris reconciliatus, illic a judicio liberaberis : sin autem interim dum inimicitiæ perseverant, mors interveniens odium e medio tollat, illic deinceps judicium constituatur necesse est. Ut igitur homines multi qui inter se controversantur, si quidem extra forum amice litem inter se componant, damno, metu, periculisque multis se liberant, dum ex animi sententia litis eis terminatio succedit : quod si judici negotium suum permittant, nihil aliud inde præter pecuniæ jacturam et pœnam persæpe, atque immortalium inimicitiarum continuationem reportabunt : ita hic quoque, si dum in hac vita versamur, lites componamus, omni nos supplicio liberabimus : sin autem in odio perseverantes, ad tremendum illud judicium abeamus, illius judicis calculo damnati, extremo plane supplicio plectemur, et utrique pœnas inevitabiles sustinebimus, unus quidem injuste iratus, propterea quod injuste, alter autem juste iratus, quod juste memoriam injuriæ conservarit. Licet enim injuste quidpiam mali passi fuerimus, veniam dari par est iis, a quibus injuria læsi fuerimus. Ac vide quo pacto eos, qui præter jus fasque molestiam intulerunt, impellat et urgeat ad reconciliationem cum illis quos læserint. « Si offeras munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te : vade, prius reconciliare fratri tuo[2]. » Non dixit, « Collige, sacrificium offer, sed, reconciliare, ac deinde offer. » Sine ibi jaceat, inquit, ut oblationis necessitas etiam invitum reconciliari

[1] Matth. VI, 12. — [2] Id. V, 24.

cogat eum, qui juste fuerit iratus. Vide quo pacto rursus hortetur ut ad eum qui nos offendit, veniamus, dicens : « Dimittite debitoribus vestris, ut et Pater vester dimittat » delicta vestra[1]. Non enim exiguam mercedem proposuit, sed eam etiam quæ boni operis magnitudinem longe excederet. Hæc igitur omnia nobis ob oculos ponentes, ac remunerationem hac de causa nobis propositam mente versantes, quamque non magni sit laboris aut studii peccata delere, his a quibus læsi fuimus, veniam demus. Quod enim alii jejunio, planctibus, precibus, sacco, cinere, ac millies repetita confessione vix perficiunt, ut nimirum sua peccata deleant, hoc nobis sine sacco et cinere ac jejunio facile licet præstare, si modo ex animo iram deleamus, eisque qui nos injuria læserint, sincere dimittamus. Deus autem pacis et charitatis omnem furorem, et acerbitatem, et iram ex anima nostra exterminans nobis largiatur, ut juxta membrorum ordinem inter nos nexuque firmiter copulati, unanimiter, uno ore, unaque anima perpetuo gratiarum actionis hymnos ipsi debitos offeramus, quoniam ipsi gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

In illud, Salutate Priscillam et Aquilam, *et quæ sequuntur.*

I. Multos arbitror ex vobis mirari lectionis apostolicæ locum istum, vel potius minus necessariam ac supervacaneam ducere partem istam Epistolæ, quod salutationes tantum frequentes habeat ac sibi invicem succedentes.

[1] Marc. xi, 25.

Quam ob causam et ipse hodierno die cursum orationis alio flectens, ab illo digressus argumento ad hoc divertere sum paratus, ut in sacris Scripturis nihil supervacaneum esse intelligatis et non necessarium, sive unum iota sit, sive apex unus, imo etiam simplex salutatio magnum nobis pelagus aperit sententiarum. Quid dico, simplex salutatio? sæpe vel litteræ unius accessio integrum agmen sententiarum invexit. Atque hoc in nomine Abrahæ videre licet. Annon enim absurdum est eum quidem, qui epis-tolam acceperit ab amico, non corpus tantum epistolæ legere, sed etiam in fine positam salutationem, atque inde maxime scriptoris affectum conjicere : cum vero scribat Paulus, vel potius non Paulus, sed Spiritus gratiæ dictet epistolam ad integram civitatem ac tantum populum, et per illos orbi terrarum universo, supervacaneum aliquid eorum, quæ in ea sunt, arbitrari, eaque perfunctorie percurrere, neque cogitare hanc ob causam omnia susque-deque verti? Hoc enim est, hoc plane, quod magnam negligentiam nobis ac torporem ingenerat, quod non omnes Scripturas legamus, sed ea quæ censemus dilucidiora seligamus, cæterorum nullam rationem habeamus. Hoc etiam hæreses introduxit, quod totum corpus nolimus perlegere, quodque superfluum aliquid esse minusque necessarium arbitremur. Propterea nos in alia quidem omnia studium omne conferimus, non in superflua tantum, sed et in ea quæ inutilia sunt et noxia : Scripturarum autem peritia negligitur ac despicitur. Atque illi quidem qui certaminis equorum spectacula ad stuporem usque mirantur, et nomen et gregem et genus et patriam et educationem equorum diligentissime possunt referre, atque annos vitæ, cursusque vehementiam, et quis cum quo si fuerit copulatus, victoriam reportabit, et quis equus ex his vel illis emissus carceribus, et a quo si agitator regatur vincet in

cursu, et adversarium antecedet. Illi etiam qui saltationibus vacant, nihilo minorem quam isti, sed et majorem erga illos qui in theatris indecore se gerunt, insaniam præ se ferunt, mimos dico et saltatriculas, dum et genus ipsarum et patriam et educationem et alia cuncta commemorant : nos autem si interrogemur, quot et quæ Pauli sint Epistolæ, ne numerum quidem scimus exprimere. Quod si sint nonnulli qui numerum noverint, quænam tamen urbes Epistolas acceperint, si interrogentur, quid sit respondendum ignorant. Atque homo quidem eunuchus et barbarus innumeris curis[1], negotiisque distractus innumeris, ita libris affixus erat, ut ne itineris quidem tempore interquiesceret, sed in curru sedens diligentem lectioni Scripturæ operam daret : nos autem qui ne minima quidem parte illius occupationum urgemur, vel ipsis nominibus epistolarum terremur, idque cum singulis diebus dominicis huc conveniamus, et sacris lectionibus audiendis vacemus. Verumenimvero ne in solam reprehensionem sermonem impendamus, age salutationem ipsam, quæ supervacanea videtur esse atque importuna, in medium adducamus. Si enim explicetur, et utilitas ostendatur, quam parit iis, qui diligenter attenderint, tum majus eorum crimen apparebit et culpa, qui tantos contemnunt thesauros, et spirituales e manibus opes abjiciunt. Quænam igitur est salutatio? « Salutate, inquit, Priscillam et » Aquilam adjutores meos in Domino[2]. » Nonne videtur nuda quædam esse salutatio, neque quidquam magnum aut eximium nobis indicare? age igitur in eam solam totam hanc sermocinationem impendamus. Imovero ne hodie quidem poterimus vobis involutas exiguis istis vocibus explicare sententias, sed in alterum diem reservare vobis necesse est contemplationum copiam, quæ ex hujus exi-

[1] Cf. VIII, 27. — [2] Rom. XVI, 3.

guæ salutationis consideratione nascentur. Neque enim totam illam enarrare statui, sed partem ejus et initium atque exordium tantum. « Salutate Priscillam et Aquilam. »

II. Primo quidem Pauli virtutem admiremur oportet quod cum illi totius orbis terrarum esset cura commissa ; et terram, mare, cunctasque civitates quæ sub cœlo sunt, et barbaros et Græcos, et tot populos secum circumferret, adeo de viro uno deque una muliere sollicitus esset. Secundo hoc item mirandum, quam vigilanti ac sollicito esset animo præditus, qui non omnium simul tantum, sed et privatim singulorum ex probis et eximiis recordaretur. Jam enim præsules Ecclesiarum id agere nihil sane mirum, cum et tumultus illi sedati sint, et unius civitatis tantum curam susceperint: tum vero non periculorum tantum magnitudo, sed et itineris intercapedo, et multitudo curarum, et continui fluctus, quodque non semper apud omnes assidue moraretur, atque alia plura poterant etiam valde charos e memoria excutere. Verumtamen hos non excusserunt. Quo tandem pacto non excussi sunt ? Ob Pauli magnanimitatem ac fervidam sinceramque ipsius charitatem. Sic enim menti ejus inhærebant, ut et in litteris crebram eorum fecerit mentionem. Sed videamus quinam illi qualesque tandem essent, qui Paulum adeo sibi manciparant, et ad amorem suum pellexerant. Num fortasse consules aliqui vel magistri militum erant et præfecti, vel in aliqua illustri dignitate constituti, vel opibus circumfluentes, quique civitatem regerent ? nihil tale potest afferri, sed plane contrarium, pauperes et egeni, quique opere manuum victum quærerent. Erant enim, inquit, scenofactoriæ artis [1] : neque Paulum pudebat, neque augustissimæ civitati populoque magnifice de se sentienti probro esse ducebat, si opifices illos salutari juberet,

[1] Act. XVIII, 3.

neque ignominiam illis conflari ex sua in illos amicitia putabat: sic omnes tum temporis erudierat, ut de se modeste moderateque sentirent. Atqui nos sæpe si propinquos paulo tenuioris fortunæ habeamus, ab illorum familiaritate abhorremus, nobisque probro ducimus, si quando illorum propinqui deprehendamur. Paulus vero non ita, sed ea re quoque gloriatur, nec hominibus tantum illius ætatis, sed etiam omnibus posteris curavit ut innotesceret, inter ipsius amicos illos tabernaculorum opifices primos fuisse. Neque mihi quisquam dicat, Quid vero magnum mirumve, si ipsum, qui eamdem artem factitaret, ejusdem opificii consortium non puderet? Quid ais? hoc enim ipsum plurimi faciendum est et admiratione dignum. Non enim eos qui claritatem possunt commemorare majorum æque pudet inferiorum, atque illos qui in eadem olim vulgi fæce jacuerint, et ad illustrem ac nobilem subito fuerint dignitatem evecti. Porro nihil fuisse illustrius Paulo vel nobilius: sed ipsis eum regibus fuisse clariorem, cuivis, sat scio, manifestum est. Nam qui dæmonibus imperabat, qui mortuos suscitabat, qui solo jussu excæcare poterat et cæcos sanare, cujus vestes morborum genus omne depellebant, haud dubium, quin non jam homo, sed Angelus de cœlo delapsus censeretur. Verumtamen licet in existimatione tanta esset, et ubique admirationi, et in quascumque se oras conferret, omnes ad se converteret, tabernaculorum opificem non erubescebat, nec honorem eorum imminui censebat, qui in dignitatibus tantis erant ac magistratibus constituti. Verisimile namque est multos in Ecclesia fuisse Romanorum illustres, quos cogebat pauperes illos salutare. Noverat quippe, noverat probe non opum splendorem, neque pecuniarum affluentiam, sed morum modestiam parere nobilitatem solere. Itaque illi qui hac privati sunt, sed majorum claritate su-

perbiunt, nomine potius nobilitatis nudo, non reipsa gloriantur: imo ipsum nomen plerumque subtrahitur, si quis ad antiquiores nobilium istorum majores ascenderit. Nam eum qui clarus et illustris est, ac nobilem commemorare patrem et avum potest, si accuratius examines, vilem quempiam et obscurum proavum habuisse persæpe comperies: quemadmodum et eorum qui tenues esse videntur, si totum genus paulatim sursum versus ascendendo pervestigemus, præfectos et magistros militum sæpe habuisse majores inveniemus, qui tandem in equisones et subulcos conversi fuerint. Quæ cum explorata Paulo essent omnia, non magnam horum rationem habebat, sed animæ nobilitatem quærebat, ac cæteros, ut hanc plurimi facerent, instruebat. Hinc igitur non mediocrem interim fructum percipiamus, ut vilioris fortunæ hominum nos minime pudeat, ut animæ virtutem disquiramus, ut externa omnia quibus ditamur, superflua et inutilia censeamus.

III. Aliud quoque lucrum possumus hoc nihilominus hinc decerpere, quod si rite peractum a nobis fuerit, vitam maxime nostram tuetur. Quodnam illud tandem est? ut ne conjugium vituperemus, neque nobis obstaculum et impedimentum esse arbitremur in via, quæ ad virtutem deducit, uxorem habere, filios educare, domui præesse, artem factitare. Ecce hic quoque vir erat et mulier, et officinis præerant, et artem factitabant, et perfectiorem multo probitatem morum exhibebant, quam qui in monasteriis degunt. Unde id constat? ex iis verbis quibus eos Paulus alloquitur, vel potius non ex iis quibus eos est allocutus, sed etiam ex iis, quibus eos postea testimoniis commendavit. Cum enim dixisset, « Salutate Priscillam » et Aquilam, » illorum etiam dignitatem adjecit. Quam vero tandem? Non dixit divites et illustres et nobiles: sed quid? « Adjutores meos in Domino. » Nihil autem cum

hoc conferri potest, quod ad virtutis commendationem attinet : nec tantum ex hoc, sed et ex eo quod apud ipsos manserit non unum et duos et tres dies, sed duos annos integros, virtutem illorum spectare possumus. Nam quemadmodum sæculares magistratus apud viles et abjectos homines non dignantur divertere, sed magnificas illustrium quorumdam virorum domos quærunt, ne dignitatis suæ magnitudo eorum a quibus excipiuntur vilitate lædatur : ita quoque faciebant Apostoli, non apud obvios quosvis hospitabantur ; sed ut illi magnificentiam ædium, sic animæ virtutem isti requirebant, et diligenter quæsitis sibi familiaribus, apud eos divertebant. Nam et a Christo lata lex erat quæ hoc jubebat. « In quamcumque enim, inquit, » civitatem aut domum intraveritis, interrogate, quis in ea » dignus sit, et ibi manete [1]. » Igitur Paulo digni erant isti : quod si Paulo, Angelis erant digni. Ego vero domunculam illam et cœlum et Ecclesiam audacter appellarim. Ubi enim Paulus erat, ibi etiam Christus erat : « An experi- » mentum, inquit, quæritis ejus, qui in me loquitur, » Christi [2] : » ubi autem Christus erat, illuc etiam frequenter Angeli ventitabant. Porro qui se ipsos antea Pauli cultu ac ministerio dignos præbuerant, cogita quales evaserant, dum annis duobus cum illo degerent, et habitum ejus, et incessum et aspectum, et vestium modum et ingressus et egressus et alia cuncta observarent. Siquidem in sanctis non verba tantum, neque doctrina et cohortationes, sed et reliqua omnis vitæ conversatio ad eos in philosophia sufficit erudiendos, qui fuerint attentiores. Veniat tibi in mentem quale esset Paulum cernere, et prandium sumentem, et reprehendentem et cohortantem et orantem, et lacrymas fundentem, exeuntem et introeuntem. Si enim cum quatuordecim tantum nobis restent

[1] Luc. IX, 4. — [2] 2 Cor. XIII, 3.

Epistolæ, quoquoversum per orbem terrarum illas circumferimus; qui fontem habebant Epistolarum, qui linguam orbis terrarum, qui lumen Ecclesiarum, qui fidei fundamentum, qui columnam et firmamentum veritatis, quales non evadere possent, dum cum hoc Angelo viverent? Nam si vestes ejus dæmonibus erant formidabiles [1], tantamque vim obtinebant, habitationem cum illo quantam non Spiritus gratiam conciliare potuisse credendum est? Cum enim Pauli cubile cernerent, cum stragulum, cum calceamenta, nonne hoc illis sufficiens fuit ac perpetuum ad compunctionem incitamentum? Si enim dæmones ipsius vestimenta perhorrescebant, multo magis fideles, et qui cum ipso degebant, cum ea cernerent, compungebantur. Est etiam illud operæ-pretium scrutari, quam ob causam, cum eos salutaret, Priscillam marito anteposuerit. Non enim dixit, Salutate Aquilam et Priscillam, sed Priscillam et Aquilam : nec sine causa id fecit, sed quod majori eam sciret, quam virum, præditam fuisse pietate. Atque hoc non esse conjecturam, quod a me dictum est, ex Actis licet cognoscere. Siquidem Apollo virum eloquentem et in Scripturis potentem, quique Joannis tantum baptisma sciebat [2], hæc cum assumpsisset, exposuit illi viam Dei, et perfectum magistrum reddidit. Non enim illis, quæ Apostolorum ætate vivebant, mulieribus erant curæ quæ nunc sunt istis, ut splendidis vestibus amiciantur, et pigmentis ac fucis faciem suam condecorent, quæ viros suos vexant ac premunt, coguntque vestem pretiosiorem vicinæ veste sibi coëmere, mulos albos, et frena deaurata, obsequium eunuchorum, magnum ancillarum gregem et reliquam omnem pompam ridiculam : sed his omnibus amandatis, et excusso mundano fastu unum illud solum quærebant, ut consortes fie-

[1] Act. XIX, 12. — [2] Id. XVIII, 25.

rent Apostolorum, et ejusdem cum illis prædæ participes. Quo fit ut non hæc solum talis esset, verumetiam omnes reliquæ. Nam et de Perside quadam dicit, « Quæ multum »laboravit erga nos [1], » et Mariam ac Tryphænam ob ejusmodi labores laudat, quod cum Apostolis laborarent, et ad eadem subeunda certamina se accingerent. Sed quî fit, ut ad Timotheum scribens dicat, « Mulieri autem do»cere non permitto, neque dominari in virum [2] ? » Quando pius est vir, et eamdem religionem profitetur, et ejusdem particeps est sapientiæ: quando autem infidelis est et errat, ipsam docendi auctoritate non privat. Certe cum ad Corinthios scriberet ait : « Et si qua mulier habet virum »infidelem, non dimittat illum. Unde enim scis, mulier, »si virum salvum facies [3] ? » Quo vero pacto fieri potest, ut mulier fidelis virum infidelem salvum faciat? instruens nimirum illum et docens atque ad fidem adducens sicut et ista Priscilla Apollo. Alioquin, cum dicit, « Mulieri docere »non permitto, » de institutione quæ fit e suggestu loquitur, de sermone qui habetur ad populum, et ut sacerdotibus ex officio incumbit : privatim autem cohortari et consilium dare non prohibuit. Neque enim, si hoc prohibitum fuisset, hanc quæ id præstiterat collaudasset.

IV. Audiant viri, audiant et ista mulieres : illæ quidem, ut eam imitentur, quæ sexus ejusdem est, et naturæ cognatione conjuncta : hi vero ne muliere imbecilliores appareant. Quam enim excusatiónem habebimus? quam veniam impetrabimus, si cum tantum animi studium, tantamque philosophiam mulieres exhibuerint, nos semper mundi affixi negotiis hæreamus? Hæc discant et magistratus et privati, et sacerdotes, et qui in ordine laïcorum versantur, ut illi quidem divites tanti non faciant, neque illustres domos persequantur, sed virtutem cum pauper-

[1] Rom. xvi, 12. — [2] 1 Tim. II, 12. — [3] 1 Cor. VII, 13.

tate disquirant, neque pauperiorum fratrum illos pudeat, neque tabernaculorum opificem, et coriarium, et purpuræ institorem, et ærarium omittentes, eos qui magistratus gerunt colant : qui vero privati sunt, ne se impediri putent, quominus sanctos excipiant, sed memores viduæ, quæ Eliam suscepit, cum illi farinæ pugillus solum suppeteret[1] et istorum qui Paulum ad duos annos hospitem aluerunt, domos egenis aperiant, et omnia hospitibus communia esse velint, quæ possident. Noli enim hoc mihi dicere, famulos tibi nullos esse, qui inserviant. Licet enim habere innumeros, præcipit Deus, ut per te ipse hospitalitatis fructum decerpas. Propterea Paulus cum mulierem viduam alloqueretur[2], eamque hospitalem esse juberet, non per alias, sed per se ipsam ut id ageret imperavit. Cum enim dixisset, « Si hospitio recepit, adjecit, si » sanctorum pedes lavit. » Non dixit, Si pecunias expendit, neque, si famulis, ut id agerent, imperavit, sed, « Si per » se ipsam hoc præstitit. » Propterea et Abraham, cui trecenti et octodecim erant vernaculi, ad gregem ipse perrexit, et vitulum gestavit, et alia cuncta ministeria obiit, atque uxorem in consortium fructuum hospitalitatis ascivit. Propterea quoque Dominus noster Jesus Christus et in præsepio nascitur, et in domo natus educatur, neque adultus habuit ubi caput suum reclinaret, ut his omnibus te doceret, ut res istius vitæ splendidas ad stuporem ne mireris, sed vilioris conditionis amator ubique sis, ac paupertatis studiosus, opum abundantiam evites, et intus ornari cures. « Omnis quippe gloria filiæ regis ab in- » tus[3], » inquit Scriptura. Si proposito animi tui hospitalitatis amans sis, omnem hospitalitatis thecam habes, licet obolum tantum possideas : sin autem inhumanus sis, et hospites oderis, licet innumeris rebus circumfluas, nimis

[1] 3 Reg. XVII, 12. — [2] 1 Tim. V, 10. — [3] Psal. XLIV, 15.

angusta est pro peregrinis domus tua. Non habebat ista lectos argento ornatos, sed summam habebat castitatem: non habebat stragulum, sed animi proposito erat mansueto et hospitali : non columnas habebat fulgentes, sed animæ pulchritudinem habebat emicantem : non marmore convestitos habebat parietes, non gemmis distinctum pavimentum, sed ipsa spiritus erat templum. Hæc laudavit Paulus, hæc adamavit; propter hæc cum in ædibus ad duos annos commoratus esset, inde non recessit : propterea meminit semper ipsorum, eorumque laudationem eximiam illis contexit et mirificam, non ut clariores illos reddat, sed ut cæteros ad eumdem zelum accendat, eisque persuadeat, ut beatos prædicent, non eos qui divites sunt, neque qui gerunt magistratus, sed qui hospitales et misericordes sunt, et benigni, quique multam erga sanctos exhibent comitatem.

V. Hæc igitur cum nos quoque ex hac salutatione didicerimus, operibus ipsis specimen eorum edamus, neque divites temere beatos prædicemus, neque pauperes vilipendamus, neque nos pudeat artium, nec opificium probrum esse ducamus, sed otium, et nulli occupationi vacare. Si enim probrum esset operari, non exercuisset artem ejusmodi Paulus, neque ea de causa magis gloriatus esset, ita dicens : « Si enim evangelizavero, non est » mihi gloria. Quæ est ergo merces mea? ut Evangelium » prædicans sine sumptu ponam Evangelium Christi[1]. » Quod si probrum esset ars, nequaquam eos qui non operarentur, etiam manducare vetuisset. Solum enim peccatum est probrum : at illud ex otio nasci solet, nec unum aut duo vel tria tantum sed omnis simul improbitas. Propterea sapiens etiam quidam ostendens omnem malitiam docuisse otium et verba faciens de servis ait : « Mitte » illum in operationem, ne vacet[2]. » Quod enim est

[1] 1 Cor. IX, 18. — [2] Eccli. XXXIII, 28.

frenum equo, id est, opus naturæ nostræ. Si bonum quid esset otium, omnia sine semente et agricultura terra produceret. Atqui nihil tale præstat. Olim igitur terram inaratam ferre cuncta præcepit Deus : jamvero non ita fecit, sed et boves jungere, et vomerem trahere, et sulcum ducere, et semen jacere, atque aliis multis modis colere et vitem et arbores et semina hominibus imperavit, ut operationis occupatio mentem eorum, qui se operibus exercerent, ab omni improbitate revocaret. Principio quidem ut potentiam suam ostenderet, effecit ut omnia sine nostris laboribus provenirent, « Germinet enim terra herbam » fœni[1], » inquit, et statim cuncta vernabant. Postea vero non ita, sed et nostrorum laborum opera jussit illa e terra produci, ut discas ob utilitatem et commodum nostrum laborem esse invectum. Ac videtur quidem pœna et supplicium esse cum audis : « In sudore vultus tui vesceris » pane tuo[2] : » re autem vera quædam est admonitio et castigatio, et vulnerum, quæ peccatum inflixit, medela. Quam ob causam et Paulus operabatur perpetuo, non interdiu tantum, sed etiam ipsa nocte : quod et ipse clamans testatur : « Nocte enim et die operantes, ne quem » vestrum gravaremus[3]. » Neque vero temere delectationis, aut recreandi animi causa opus tractabat, sicut multi fratres, sed tanto se labore exercebat, ut et cæteris subsidio esse posset. « Ad ea enim quæ mihi opus erant, et » iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ[4]. » Homo qui dæmonibus imperabat, qui doctor erat orbis terrarum, cui omnium, qui terram incolunt, fuerat cura commissa, qui cunctas sub sole positas Ecclesias, et populos et nationes, et urbes summa sollicitudine curabat, nocte et die operabatur, ac ne tantillum quidem ab illis laboribus respirabat. Nos vero quibus ne millesima quidem illius

[1] Gen. I, 11. — [2] Id. III, 19. — [3] 1 Thess. II, 8. — [4] Act. XX, 34.

curarum pars incumbit, vel potius qui ne mente quidem eas capere possumus, in otio perpetuo vitam ducimus. Qua vero digni excusatione, vel qua tandem venia censebimur? Inde cuncta in genus humanum mala dimanarunt, quod multi in eo maximum decus esse positum arbitrentur, ut suas artes minime tractent, et summo sibi crimini ducant, si earum peritiam præ se ferant. Ac Paulum quidem non pudet simul et scalprum manu tractare, pelles consuere, et viros alloqui in dignitate constitutos, sed et re illa gloriabatur, cum ad eum viri clari et illustres ventitarent. Neque tantum hæc illum agere non pudebat, sed etiam in Epistolis suis tanquam in æreo cippo, quam profiteretur artem, divulgabat. Quod igitur ab initio didicerat, illud et postea tractabat, idque postquam fuerat tertium raptus in cœlum, postquam translatus fuerat in paradisum, postquam illi Deus arcana verba communicaverat: nos vero, qui ne calceamentorum quidem ejus pretio æstimandi sumus, nobis ea probro ducimus, quibus se ille jactabat. Et singulis quidem diebus dum delinquimus, non convertimur, neque probrum esse censemus: ex justis autem laboribus vivere, tanquam turpe ac ridiculum evitamus. Quæ tandem igitur, quæso, nobis salutis spes reliqua erit? Quem enim pudet, oportet peccati pudere, ac Deum offendisse, atque aliquid eorum quæ agenda non sunt agere, sed artibus et opificiis gloriari. Sic enim fiet, ut et pravas cogitationes operum occupationibus ex mente facile depellamus, et egenis subsidio simus, et aliorum januis molesti non simus, et Christi legem adimpleamus, qui dixit: «Beatius est dare, quam accipere[1]. » Propterea namque nobis datæ sunt manus, ut nos ipsos juvemus, et iis qui corpore mutilati sunt, ex rebus nostris, quæ necessaria sunt, omnia pro nostra facultate suppeditemus: quod

[1] Act. xx, 35.

si quis in otio perseveret, sit licet sanus, iis qui febri laborant, est miserior. Siquidem illi propter ægritudinem corporis veniam merentur, et facile qui misereatur ipsorum invenient : hi vero qui bonam corporis habitudinem probro afficiunt, merito ab omnibus odio habentur, ut qui et Dei leges violent, et mensam infirmorum lædant, et suam animam deteriorem efficiant. Neque enim hoc solum est mali, quod cum suo sibi labore victum quærere deberent, aliorum ædibus sint importuni, sed quod ipsi omnibus pejores evadant. Nihil enim est, nihil plane in rebus humanis, quod non otio perdatur. Nam et aqua si stet, corrumpitur, si vero currat, cum ubique vagetur, suam virtutem conservat : et ferrum quidem si in otio maneat, mollius ac deterius fit, et rubigine consumitur : quod autem ad opificia transfertur, multo utilius fit, et elegantius, nihiloque minus quam argentum quodvis effulget. Ac terram quidem otiosam cernimus nihil fructuosum producere, sed mala gramina et spinas, et tribulos, et infrugiferas arbores : eam vero quæ multo labore colitur, sativis frugibus abundare. Singulæ denique res, ut uno verbo dicam, ab otio corrumpuntur, a propria vero operatione utiliores redduntur. Hæc igitur omnia cum sciamus, et quantum ab otio incommodum afferatur, quantum ab opere lucrum invehatur, illud fugiamus, hoc sectemur, ut et vitam præsentem honeste traducamus, et egenis de nostris facultatibus subsidio simus, et animam nostram meliorem reddentes æterna bona consequamur : quæ nos omnes utinam assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo patri simulque Spiritu sancto gloria, et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

In locum Pauli, Salutate Priscillam et Aquilam, *et de colendis Dei sacerdotibus.*

I. Nonne docti estis, nihil in sacris Litteris inter supervacanea habendum? Nonne didicistis et inscriptiones, et nomina, merasque salutationes diligenter in Scripturis excutienda[1]? Ego sane studiosos arbitror ne laturos quidem ut verbulum aliquod in sacris Libris contemptum prætereatur, etiamsi tantum nomina recenseantur, vel tempus numeretur, vel nuda sit quorumdam salutatio. Attamen ut adhuc certior hæc monitio fiat: age hodie ad ea quæ nuper in salutatione Priscillæ et Aquilæ relicta sunt, accedamus: tametsi non parum nobis profuerit illud proœmium. Docuit enim nos, quantum bonum sit opus, et quantum malum, otium, et qualis anima Pauli, quam vigil, quam sollicita, quæ non tantum civitatum et populorum, et gentium, sed et singulorum fidelium magnam curam gereret: ostenditque quomodo hospitalitas nec inopia præpediatur, et quod virtute ac pia voluntate ubique opus sit, non divitiis et facultatibus, et quod clarissimi omnium sunt, qui Dei timorem habent, etiamsi in extremam sint paupertatem delapsi. Unde Priscilla et Aquila tentoriorum opifices, pauperem agentes vitam, præ regibus omnibus beati prædicantur: et cum alii dignitatibus, et potentia inflati, silentio prætereantur, tentoriorum ille opifex una cum uxore toto orbe decantatur. Quod si tanta eorum in præsenti vita est gloria, cogita quantis illo die dignabuntur retributionibus et coronis, qui ante illum diem

[1] I Cor. XVI, et Act. XVIII.

non parvam voluptatem, utilitatem, et gloriam acceperunt, quibus tanti temporis consuetudo cum Paulo fuit? Enim vero quod prius dicebam et nunc dico, nec dicere desinam, non solum doctrina, et admonitio, et consilium, sed et ipse sanctorum aspectus, atque vestium amictus, et calceorum modus, multum habet utilitatis ac voluptatis. Etenim inde non exigua vitæ nostræ commoditas accedit, cum discimus, quatenus hi necessariis usi fuerint. Non enim solum utendi modum non sunt transgressi, sed aliquando ne quidem necessariis fruebantur : quin et in fame, et in siti et nuditate versati sunt. Et Paulus quidem imperabat discipulis, dicens : « Habentes autem alimenta » et tegumenta, his contenti erimus [1]. » Et de se ipso dicit : « Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi » sumus, et colaphis cædimur [2]. » Operæ-pretium hic fuerit in medium aliquid afferre, quod ante dicebam, et in sermonem incidit, de quo frequens est quæstio. Et quidnam hoc? Dicebam modum apostolicarum vestium multum nobis conferre utilitatis. Sed cum hoc dico, incidit mihi lex quam Christus posuit, dicens; « Non possidete aurum, » neque argentum, neque æs in zonis vestris, neque calceos, » neque virgam in via [3]. » Manifestum autem est Petrum habuisse sandalia. Unde cum Angelus eum dormientem excitaret, et e carcere educeret, ait : « Calcea te sandaliis » tuis, et circumda tibi vestimentum tuum, et sequere » me [4]. » Et Paulus Timotheo scribit : « Penulam quam » reliqui Troade apud Carpum, cum venies affer, et libros, » præsertim membranas [5]. » Quid dicis? Christus jubet non habere calceos, tu autem penulam habes, et alius sandalia? Quod si hi tenues quidam essent, magistro non per omnia obtemperantes, nulla erat hic facienda quæstio :

[1] 1 Tim. v, 20. — [2] 1 Cor. iv, 11. — [3] Matth. x, 9. — [4] Act. xii, 8. — [5] 2 Tim. iv, 13.

sed cum ipsi præcipui sint, ac primates Apostolorum, et animas suas impenderent, Christoque per omnia obedirent, et Paulus non solum imperata fecerit, sed et supra scammata saltaverit[1] : cumque præciperet ex Evangelio vivendum, victum ipse manibus suis quæsiverit, plus, quam imperatum erat, faciens: idcirco dignum est, ut quæramus, quare qui in omnibus Christo parebant[2], hic legem ejus videantur transgredi? At non reipsa transgrediuntur. Hic sermo non in hoc solum utilis erit, ut excusentur sancti illi, sed ut et Gentilium obstruantur ora. Quandoquidem multi viduarum domos subvertentes, orphanos nudantes, ipsique omnibus alienis abundantes, et lupis nihilo meliores, ex alienisque laboribus viventes, cum vident interdum fidelium aliquos pluribus ob ægritudinem vestiri amiculis, continuo nobis legem Christi objiciunt, et dicunt: Nonne præcepit vobis Christus, ne habeatis duas tunicas, vel calceamenta[3]? quomodo ergo vos legem illam prævaricamini? Et post hæc, cum abunde fratrem riserint, et subsannarint, et probris affecerint, discedunt. Igitur ne talia fiant, age et illorum obturemus impudentiam. Et possemus quidem ab eis facile liberari, si hoc unum eis diceremus. Quale hoc? Si Christum ut fide dignum probas, merito hæc objicis, et a nobis quæris : sin ei non credis, quare legem ejus opponis? At quando accusare nos vis, dignus tibi videtur fide legislator Christus : quando autem eum admirari oportet et adorare, nullius est apud te momenti totius orbis dominus?

II. Verum ne hæc inopia defensionis dicere nos putent, ad solutionem ejus, quod quærebatur, veniamus. Quænam ergo erit solutio? Videndum est in hujusmodi, quibus, et quando et quare ea Christus imperavit. Non enim obiter, et nude inquirenda sunt hæc : sed operæ-

[1] 1 Cor. IV. — [2] Act. XX. — [3] Luc. IX, 4.

pretium fuerit simul et personam, et tempus, et causam et omnia hæc diligenter perscrutari. His enim diligenter consideratis, inveniemus, quod ipsa non sint omnibus imperata, sed solis Apostolis : et neque illis in omne, sed ad præscriptum et determinatum tempus. Et unde hoc manifestum ? Ex dictis ipsis : etenim, « Vocatis duodecim Dis» cipulis, dixit eis : In viam Gentium ne abieritis, et in » civitatem Samaritanorum ne intraveritis. Ite potius ad » oves domus Israël quæ perierunt : infirmos curate, lepro» sos mundate, dæmonia ejicite : gratis accepistis, gratis » date : ne possideatis aurum vel argentum, vel æs in zonis » vestris[1]. » Attende quanta Magistri sapientia. Quomodo leve hoc præceptum fecerit. Nam cum prius dixisset : « In» firmos curate, leprosos mundate, dæmones ejicite, » magnamque eis gratiam liberaliter dedisset, tunc tandem hæc imperavit, nimirum paupertatem signorum potestate levem et facilem reddens : neque ex his solum, sed ex multis aliis manifestum est, solis Discipulis esse imperatum. Nam et virgines, quia oleum in lampadibus suis non habebant, punivit : et alios quoque arguit et increpat, quia esurientem ipsum vidêrunt, et non paverunt, et sitientem non potarunt. Porro is cui non est æs neque calceamentum, sed una tantum vestis, quomodo alium pascere, quomodo nudum vestire, quomodo hospitem in domum inducere poterit ? Sed ad hæc et aliunde clarum esse poterat. Nam accedente, et dicente quodam : « Magister quid » faciendo vitam æternam possidebo ? » Cum recensita essent omnia, quæ in lege præcepta, et ille curiosius percontaretur, et diceret : « Hæc omnia servavi ab adoles» centia mea, quid adhuc mihi deest ? dicit ad ipsum, Si » vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pau» peribus, et veni, sequere me[2]. » Hic si præcipere voluis-

[1] Matth. x, 6, et seqq. — [2] Ibid. — [3] Matth. xix, 16 et 21.

set, oportebat hoc principio dicere, et legem in ordine præceptorum ponere, et non tanquam consilium et exhortationem narrare. Enimvero cum dicit, « Nolite possidere »aurum, vel argentum[1] : » imperando dicit. Cum vero dicit, « Si vis perfectus esse : » consulendo et admonendo dicit. Non est autem idem, consulere, et legem ponere. Nam qui legem statuit, modis omnibus fieri vult quod præcipit. Qui vero consulit et adhortatur, sententiæ et arbitrio auditoris permittit, ut ex dictis quod voluerit eligat, sicque faciendorum dominum auditorem relinquit. Propterea non simpliciter dixit, « Vade, vende quæ ha»bes, » ne id legem esse putares : sed quomodo ? « Si vis per»fectus esse, vade, vende quæ habes[3] : » ut discas in arbitrio audientium res esse. Apostolis solis ergo hæc fuisse præcepta palam est. Verum quæstio nondum soluta est. Nam si præcepta sunt hæc solis Apostolis, cur jussi non habere calceos, vel geminas vestes, inventi sunt alius habere sandalia, alius vero penulam ? Quid igitur ad hæc dicemus ? Christus neque Apostolos semper hujus legis necessitate obstringi voluit, sed eos absolvit ab hac lege, cum jam ad salutarem crucem iturus esset. Et unde hoc liquet ? Ex Salvatoris sermonibus. Nam passionem aggressurus, vocatis illis dixit, « Cum vos mitterem sine marsu»pio et pera, aliquid-ne deerat ? At hi respondentes dixe»runt : Nihil. Ipse autem dicebat eis : Sed nunc qui habet »marsupium, tollat et peram : et qui non habet, vendat »vestem suam, et mercetur gladium[4]. » Jam forte dicet aliquis, Apostolos quidem his dictis a crimine absolutos : sed ultra quæritur, quare Christus contraria præceperit ; nam interdum dicit, Ne possideatis peram : interdum autem qui habet marsupium, tollat et peram. Quare hoc fecit ? Sane hæc admodum digne fecit sua sapientia, cu-

[1] Matth. x, 9. — [2] Id. xix, 21. — [3] Luc. xxii, 35.

raque, quam pro Discipulis gerebat. Ab initio enim hoc imperavit, ut opere et experimento potentiæ suæ documentum acciperent, ac deinde cum fiducia per totum orbem terrarum peragrarent. Verum, ubi jam potentiam ipsius agnoverunt, optavit ut et ipsi ex se virtutis specimen præberent, neque ipsos ad finem usque gestare voluit; sed ipsos sæpe exposuit permisitque suas ferre tentationes, ne scilicet perpetuo otiosi residerent : et quemadmodum qui artem natandi docent, principio suppositis manibus multa diligentia discipulos gestant; post unum autem et alterum et tertium diem subtracta dextera illis præcipiunt, ut se ipsos juvent, et nonnunquam illos parumper mergi sinunt, ita ut et multum salsuginis sorbeant : ita sane et cum Discipulis suis Christus faciebat. Nam initio nihil eos pati sinebat, vel parvum vel magnum, sed ubique aderat muniens, et circumvallans eos, faciensque ut omnia ubertim eis affluerent : cum vero tempus esset, ut virilitatem suam ipsi declararent, subtraxit modicum gratiæ, præcipiens eis, ut etiam per se ipsos multa perficerent. Atque hanc ob causam, cum non habebant calceos, vel zonam, vel baculum, vel æs, nihil eis deerat. Dicit enim, « Num » aliquid vobis defuit? Et respondentes dixerunt : Nihil [1]. » Quo tempore autem permisit eis, ut marsupium haberent et peram et calceos, inveniebantur et esurientes, et sitientes, et nudi incedentes. Unde liquidum, quod passim eos periclitari et affligi sineret; nempe, ut mercedem aliquam haberent. Sic videlicet aves pullos suos foventes, tandiu in nido sedent, donec illorum plumæ increscant; quas dum increvisse viderint, illosque aëream secare posse, eos primum circa nidum volitare docent, postea paulo longius : initio eos sequuntur et supportant, dein adminiculo suo totos destituunt. Ita faciebat et Christus. In Palæstina

[1] Luc. XXII, 35.

enim, quasi in nido nutricabat Discipulos; et postquam eos volare docuit præsens, et gestans, tandem dimisit eos ut volarent in totum orbem, dato eis mandato, ut sese identidem juvarent. Et quod hoc verum sit, quodque ideo eos omnibus nudatos, et una tantum veste amictos miserit, et absque calceis ambulare jusserit, ut suam virtutem et potentiam cognoscerent, clare sciemus, si illud dictum audiamus. Non enim simpliciter dixit eis, « Tollite » marsupium et peram; » sed priorum memoriam refricando sic dicebat, « Cum mitterem vos sine marsupio et pera, » aliquid-ne deerat? » hoc est, nonne omnia ubertim vobis affluebant, multaque largitate fruebamini? sed nunc volo vos per vos ipsos certare, et paupertatem experiri, et ea propter lege priori obstrictos nolo; sed permitto, ut et marsupium et peram habeatis, ut ne quasi per inanima instrumenta per vos operari existimer. Sed et vos vestram philosophiam exhibere oportet.

III. Quod si adhuc dicis: Annon major visa fuisset gratia si semper ita versati essent? Verum non ita probati fuissent: si enim nullam vel afflictionem, vel inopiam, vel persecutionem, vel angustiam experti essent, mansissent ignavi et pigri. Nunc autem, non solum gratiam Christi relucere, sed et subditorum probationem exhiberi volebat; ne postea quidam dicere possent, eos nihil a se ipsis attulisse, sed facta esse omnia auxilio Dei. Poterat enim Deus eos usque ad finem in ea facilitate custodire: sed noluit ob varias, necessariasque causas, quas sæpe charitati vestræ diximus. Una quidem hæc est quam diximus. Alia autem hac non minor, ut modestiæ assuefierent. Tertia vero, ut ne major illis, quam hominibus debetur, honor exhiberetur. Itaque propter hæc, et his multo plura, cum permissurus esset eis multa inexpectata accidere, noluit priorem legem tam arctam manere, sed ejus philoso-

phiæ severitatem nonnihil relaxavit; ut et ita non esset eis gravis et intolerabilis vita, si sæpe derelinquerentur, et simul duram illam legem servare cogerentur. Quoniam autem oportebat obscure propositum clarius docere, idcirco postquam dixit, « Qui habet marsupium, tollat et » peram : » subjicit, « Et qui non habet, vendat vestem » suam, et emat gladium[1]. » Quidnam hoc? Armat-ne Discipulos qui dicit : « Si quis te percusserit in dexteram maxil- » lam, verte ei et alteram[2]? » Qui præcepit, ut benedicamus iis, qui nos conviciis lacessunt, feramus lædentes, oremus pro persequentibus, nunc armat? armatque uno tantum gladio? Et quomodo hæc rationi consona sunt? Nam si omnino armis opus erat, non solo gladio, sed et scuto, et galea, et cruralibus armare oportebat. Et profecto si humano more hæc dispensare, et agere voluisset, apud vos ridiculum non erat hoc præceptum? Quandoquidem licet sexcenta id genus arma possedissent adversus tot insidias, et impetus populorum, tyrannorum, civitatum, gentium, quomodo iis potentiores fuissent undecim? Num potuissent audire vocem hinnientium equorum? annon vel ad solum exercitus aspectum conterriti essent, viri nonnisi in stagnis et fluminibus et lembis versati? Quare ergo hoc dicit? Judæorum insidias indicare volebat, illosque ipsum comprehensuros esse, idque manifeste dicere nolebat, sed per ænigmata, ne iterum conturbarentur. Itaque sicut cum audis Christum dicentem : « Quod » audistis in aurem, prædicate super tecta : et quod audistis » in tenebris, dicite in luce[3] ; » non intelligis, quasi præcipiat relictis foris et triviis, eos super tecta debere prædicare; neque enim id fecerunt Discipuli : sed cum dicit, « Super tecta, et in luce, » fiduciam et libertatem publice

[1] Luc. xxii, 36. — [2] Matth. v, 39, et Luc. vi. — [3] Id. x, 27, et Luc. xii,

prædicandi insinuat; cum vero dicit: « In aurem et in te- » nebris; » significat, ut ubique terrarum narrent, quod in parva mundi parte, et in uno Palæstinæ loco audierant. Neque enim in tenebris et in aurem eis loquebatur, sed sæpe in altis montibus, et in synagogis. Ita et hic intellige. Nam sicut ibi audientes tecta, alio modo intelleximus; ita et hic cum gladios audimus, ne putemus eum jussisse haberi gladios: sed per gladios insinuasse imminere insidias, et passurum se a Judæis quæ et passus est: atque hoc ex sequentibus manifestum est. Nam ut dixit emendum gladium, mox adjecit: « Quia oportet adimpleri ea » quæ de me sunt scripta, Quod cum iniquis reputatus » sum [1]. » Discipulis autem dicentibus, « Hic sunt duo gla- » dii: » et non intelligentibus id, quod dictum fuerat, ait, « Satis est [2]. » Tametsi non satis erat: neque enim suffecissent vel duo, vel tres, vel centum, si humano auxilio eos uti voluisset. Quod si noluit eos humano præsidio uti, sunt utique et hi duo superflui. Proinde hic ænigma non exposuit, id quod sæpe facere deprehenditur, ut quoties dicta minus intelligunt Discipuli, eventui rerum dictorum intelligentiam explanandam relinquens, prætereat. Ita et alibi facit. De resurrectione enim disserens, sic dicebat: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo il- » lud [3]: » et non intelligebant Discipuli quid diceret, sicut et Evangelista testatur, dicens: « Quando autem surrexit » Jesus, crediderunt verbo ejus, et Scripturæ [4]. » Et iterum alibi: « Nondum enim sciebant, quod oportebat ipsum » e mortuis resurgere [5]. »

IV. Sed quæstio satis soluta est. Nos nunc ad reliquam salutationis partem sermonem flectamus. Quidnam ergo est, quod dictum est, et unde istuc digressi sumus? Pris-

[1] Luc. XXII, 37. Hesa. LIII. — [2] Ibid. 8. — [3] Joan. II, 19. — [4] Ibid. 22. [5] Id. XX, 9.

cillam et Aquilam beatos diximus, quod cum Paulo habitarent, diligenter addiscentes morem habitus et calceamentorum, atque omnia quæ agebat. Hinc nobis enata est quæstio : cujus gratia Christo prohibente aliquid præter unam vestem haberi, visi sunt hi habere sandalia et pennulam? et sermone demonstratum est Apostolos his utendo legem non transgressos esse, sed diligenter observasse. Hæc autem dicebamus, non ut vos ad coacervandas divitias exhortaremur, et provocaremus ut plus quam necessitas postulat, possideatis, sed ut in promptu sint, quæ infidelibus nostra ridentibus respondeatis. Etenim Christus superiorem legem solvens, non jussit nos habere domos, servos, lectos, vasa argentea, vel quidpiam horum : sed nos a prius dictorum necessitate liberos esse voluit. Unde et Paulus sic admonebat, dicens : « Habentes vic» tum et tegumenta, his contenti sumus[1]. » Tribuendum enim egentibus, si quid usui nostro superest. Id quod Priscilla et Aquila perquam studiose faciebant. Et idcirco eos laudat et admiratur Apostolus, insigne illorum præconium apponens; nam ut dixit, « Salutate Priscillam et » Aquilam cooperarios meos in Domino[2], » etiam causam ponit tantæ charitatis. Qualem? « Qui pro mea, ait, anima » cervicem suam supposuere. » Igitur, dicet fortasse aliquis, hac de causa eos diligis et amas? Maxime. Quia et si id unum egissent, vel hinc laude digni erant. Qui enim ducem exercitus salvum fecit, et milites fecit salvos : qui medicum liberavit periculis, et laborantes morbis ad sanitatem reduxit : qui gubernatorem fluctibus eripuit, navem totam ex undis liberavit : sic utique qui magistrum orbis salvarunt, et pro illius salute sanguinem suum effuderunt, orbis quoque totius fuerunt benefactores, utpote qui sua erga præceptorem providentia discipulos omnes

[1] 1 Tim. VI, 8. — [2] Rom. XVI.

servaverint. Ut autem discas eos non solum erga magistrum tales fuisse, sed et fratribus eamdem curam impendisse, audi sequentia. Nam cum dixisset, « Pro anima mea » cervicem supposuerunt, adjecit : Quibus non ego solus » gratias ago, sed et omnes Ecclesiæ gentium. » Quid ais? tentoriorum opificibus, pauperibus, artificibus, quibus nihil præter victum necessarium suppetebat, omnes Ecclesiæ gentium gratias agunt? et quid tantum duo illi prodesse potuerunt tot Ecclesiis? Qua opum abundantia, qua potentiæ magnitudine, quo apud principes favore claruerunt? Opum quidem abundantia, et potentia, et gratia apud imperantes nihil valuerunt, sed erat eis, qui omnibus major est, animus ad pericula admodum promptus. Hinc est quod de multis bene meruerunt, multosque servarunt. Neque enim Ecclesiis tam prodesse valent divites illi fastosi, ut pauperes magnanimi. Nemo dictum hoc miretur : verum enim est, quod dicimus, idque rebus ipsis comprobatur : nam multæ sunt divitis molestiæ et pericula. Timet pro domo, pro famulis, pro agris, pro opibus, ne quis aliquid ex iis auferat. Et qui multorum est dominus, idem multorum servus esse cogitur. Pauper autem his expeditus, et curis omnibus carens, leo est, ignem spirat, generoso et forti est animo, de omnibus sese expedit, facile omnia agit, quæ prodesse possunt Ecclesiis, sive opus sit ut arguantur aliqui, sive ut increpentur, sive sexcenta propter Christum opera subeunda sint : ac quoniam semel vitam despexit præsentem, magna facilitate conficit omnia. Quid enim timeret, dic obsecro? Num-ne opes ejus auferantur? Hoc nemo dicere poterit. Num-ne pellatur e patria? sed universus orbis terrarum ei civitas est. Num-ne quis imminuat ei delicias et satellitium? sed his omnibus valere jussis in cœlo habitat, et ad futuram festinat vitam. Non deprecabitur item, si anima ipsa tra-

denda sit, et effundendus sanguis. Hinc est, quod talis etiam et tyrannis, et regibus, et populis, et omnibus potentior est ac ditior. Et ut discas, quod vere hæc, et non adulanter sint dicta, et quod qui nihil possident, hi omnium liberrimi sint ad loquendum : quot divites erant tempore Herodis, quot potentes ? et quis in medium prorupit? quis tyrannum increpavit? quis contemptas leges Dei ultus est? Divitum quidem nullus, sed pauper ille et inops, qui neque lectum, neque mensam, neque tectum habebat : ille, inquam, solitudinis inquilinus Joannes, ille solus et primus omni libertate tyrannum arguit, et adulterinas nuptias detexit, et præsentibus omnibus ac audientibus pronuntiata sententia eum condemnavit. Et ante hunc magnus quoque Elias, qui nihil præter meloten possidebat, impium et prævaricatorem illum Achab, solus viriliter corripuit. Nihil enim loquendi libertatem, et in rerum discrimine fiduciam ita præbet, nihil homines adeo munitos et fortes efficit, ut nihil possidere, et nullis sæcularibus circumvolvi negotiis. Atque adeo, si quis virtutem multam possidere cupit, paupertatem amplexetur, præsentem vitam despiciat, nihil esse putet mortem. Hic non solum plusquam divites et principes, sed et plusquam reges ipsi Ecclesiis prodesse poterit. Nam regnantes illi et abundantes quæcumque faciunt, id opibus faciunt : hic autem magna plerumque operatur per pericula et mortem ipsam. Quanto autem auro omni pretiosior est sanguis, tanto paupertas quam abundantia melior.

V. Tales quidam erant illi Pauli hospites Priscilla et Aquila, qui opum carebant abundantia, et omnibus divitiis locupletiorem animum possidebant, mortem expectantes quotidie, in cæde et sanguine viventes, atque perpetuo martyrium patientes. Ideo res nostræ illis temporibus florebant, quia sic discipuli magistris, et magistri

discipulis colligati erant. Nam Paulus hoc non solum de his, sed et de multis aliis testatur; nam Hebræis, et Thessalonicensibus, et Galatis scribens, asserit omnes multis tentationibus afflictos. Et indicat in Epistolis suis ipsos pelli, patria excidere, substantias perdere, et ad sanguinem usque periclitari. Tota eorum vita in gravibus certaminibus erat, et ipsis mutilari membris pro præceptoribus non detrectabant. Unde Galatis scribens, dicit : « Testor enim, » quod si possibile fuisset, oculos vestros effossos mihi de» dissetis[1]. » Et Epaphram qui Colossis erat, eadem de re laudat his verbis : « Ægrotavit usque ad mortem, et Deus » ejus misertus est : non solum autem ejus, sed et mei, ne » tristitiam super tristitiam haberem[2]. » Ubi clare demonstrat se jure habiturum fuisse dolorem de morte discipuli. Cujus virtutem alicubi omnibus iterum detegit dicens, « Accessit usque ad mortem, neglecta anima sua, ut im» pleret, quod in vobis erga me deerat ministerium[3]. » Quid illis fuerit beatius, quid autem nobis miserius? Quandoquidem illi sanguinem, et animam pro præceptoribus profundebant, nos autem neque verbum pro communibus patribus emittere audemus : sed cum audiamus eis maledici, et conviciis eos dehonestari, et a suis, et ab alienis, maledicentes neque compescimus, neque reprehendimus, neque prohibemus. Utinam ne ipsi primi maledicorum simus. Sane non tanta ab infidelibus convicia et probra, quanta in principes ab iis, qui nobis juncti religione et fideles videntur, proferri videmus. Ultra hic quærimus, unde tanta ignavia, et unde hic pietatis contemptus evenit, quod sic hostiliter erga patres nostros simus affecti? Nihil profecto est quod Ecclesiam Dei ita destituere, et dissolvere; nihil quod ita facile pessumdare possit, ut quando discipuli magistris, et patribus filii, et principibus subditi,

[1] Galat. IV, 15. — [2] Philip. II, 27. — [3] Ibid. 30.

non magno studio cohærent. Si quis fratrum cuipiam maledicit, a sacrarum Scripturarum lectione excluditur. « Ut » quid enim assumis, ait Deus, testamentum meum per os » tuum [1] ? » et causa posita dicit : « Sedens contra fratrem » tuum, loquebaris [2].» Patrem vero spiritalem accusans, te dignum reputas, qui ad divina vestibula accedas? Quomodo hoc congruet? Nam si maledicentes patri vel matri morte moriuntur secundum legem [3], quali judicio dignus erit, qui maledicere audet ei, qui parentibus illis magis necessarius est, et melior ? Annon timet ne aperiat se terra, et ipsum absorbeat, vel fulmen superne decidens maledicam illam linguam comburat? Non audisti quid passa sit Mosis soror, principi maledicens? Quomodo facta sit immunda, inciderit in lepram, summam sustinuerit ignominiam, fratre Deum orante, veniam non obtinuerit : tametsi illa ipsa esset, quæ Sanctum illum exposuerat, et pro ejus educatione id effecerat, ut ejus mater in nutricem assumeretur, et ne puellus in barbarico sinu enutriretur. Deinde vero fœminarum exercitus dux fuit sicut Moses virorum; omnesque cum illo tulit ærumnas, vere soror Mosis existens. Verumtamen cum maledixit, nihil ei profuerunt hæc omnia ad effugiendam iram Dei : sed nec Moses, qui tantum populum, post ingentem illam impietatem precibus expiaverat, pro sorore supplicans, et veniam petens, placare Deum potuit, sed ab eo valde illa increpatur : quo discamus et nos, quantum malum sit principibus maledicere, et de aliorum judicare vita. Etenim in die illo, non solum de iis quæ nos peccavimus, sed et de iis ob quæ in alios sententiam tulimus, omnino judicabit nos Deus. Et quod sæpe natura leve peccatum est, hoc grave et non ignoscibile fit, dum peccans de alio judicat. Forte non satis claret quod diximus, igitur clarius

[1] Psal. xlix, 16. — [2] Ibid. 20. — [3] Exod. xxi, 17.

dicemus. Peccavit aliquis, et alium idem committentem peccatum condemnavit : is in die illo valde amaro non eam pœnam luet, quam peccati natura exposcit, sed majorem quam duplicem, et triplicem : non enim quod ipse peccaverit, sed quod in alium similiter lapsum tam gravem calculum tulerit, supplicium illi destinabit Deus. Et hoc verum esse, ex iis quæ jam facta sunt, et contigerunt, clarius, ut promisi, demonstrabo. Nam Pharisæus, quamvis ipse nihil peccaverat [1], sed et juste vixerat, et multa de se bona prædicare poterat : quia tamen publicanum raptorem, avarum, et iniquissimum condemnavit, tantas dedit pœnas, ut ad supplicium majus, quam publicano debebatur, reservatus sit. Quod si is, qui nihil peccavit, et peccantem alium, qui manifestus erat omnibus, levi verbo condemnavit, tantum sibi attraxit supplicium : qui multum quotidie peccamus, aliorumque vitam condemnamus, etiam aliis ignotorum, cogita quantam sustinebimus pœnam, quomodo omni venia excidemus. « In quo »enim judicio judicatis, inquit, et vos judicabimini [1]. »

VI. Propter hæc utique et supplicio, precor, et exhortor, ut ab hac mala consuetudine desistatis. Nihil enim nocebimus sacerdotibus, quibus maledicimus, sive ementita, sive vera sint, quæ de eis dicimus : Quoniam et Pharisæus Publicano nihil nocuit, sed et ipsi profuit, licet vera de eo diceret. Cæterum nobis ipsis mala extrema ipsi accersimus, sicut et Pharisæus in se ipsum gladium impulit, et letali accepta plaga abiit. Ut igitur ne et nos idem patiamur, imperemus indomitæ linguæ. Nam si is, qui Publicano maledixit, pœnam non effugit, nos qui patribus nostris maledicimus, qua nos apologia tuebimur? Si Maria, quod fratri semel maledixerit [2], tantam dedit pœnam : cujus nobis salutis spes, cum nos quotidie prin-

[1] Luc. XVIII. — [2] Matth. VII, 2.

cipes infinitis conviciis afficimus? Ne mihi hoc quis dixerit, Ille Moses erat. Potero enim et ego dicere, Illa Maria erat. Cæterum, ut et alia ratione hoc manifeste cognoscas, quod nec si criminum rei sint sacerdotes, de illorum tibi vita judicare fas sit, audi quid dicat de principibus Judæorum Christus : « Super cathedram Mosis sederunt Scribæ » et Pharisæi : omnia igitur quæcumque dixerint vobis, ut » faciatis, facite : juxta opera autem eorum ne faciatis [1]. » Jam, quid illis pejus fuerit, quorum zelus futuris discipulis noxius erat? Attamen neque sic eos deposuit a dignitate, neque subditis despicabiles fecit, idque jure merito. Nam si semel hanc potestatem arripuerint subditi, statim magistratu privatos principes de dignitate deturbari videbimus. Eapropter Paulus cum principem sacerdotum Judæorum contumelia affecisset [2], ac dixisset : « Percutiet te Deus, paries dealbate : et tu judicans me » sedes [3] ? » Postquam autem quosdam audivit se increpantes, et dicentes : « Pontificem Dei conviciis incessis? » monstrare volens, quantum oportet sacerdotibus Dei exhibere honorem, et reverentiam, quid dicit? « Nesciebam quod pontifex Dei esset. » Propterea et David, cum Saülem apprehendisset prævaricatorem, et spirantem homicidium, multisque pœnis dignum : non solum ejus vitæ pepercit, sed neque ut verbum asperum in eum jaceretur, sustinuit, causamque ponens dicit : « Christus Domini est [4]. » Neque hinc solum, sed et aliunde videre licet copiose, quomodo subditum procul a sacerdotum correptione abesse oportet. Nam cum aliquando arca reduceretur, et subditorum aliqui ad lapsum declinantem videntes erigerent, eo ipso in loco pœnam dederunt, et a Domino percussi, mortui manserunt [5], tametsi nihil agerent absur-

[1] Matth. XXIII, 2. — [2] Act. XXIII, 3. — [3] Ibid. — [4] 2 Reg. XXIV, 7. — [5] Id. VI, 7.

dum. Non enim subvertebant, sed lapsuram erigebant. Et ut ex abundanti sacerdotum dignitatem discas, et quomodo non sit fas subditum, et in ordine laïcorum existentem talia corrigere : illos in media multitudine occidit, cæteros omnes hoc prodigio admodum terrens, et persuadens eis, ne ad adyta sacerdotii accedant. Si enim singuli obtentu male acta corrigendi in sacerdotii dignitatem se inferant, nunquam deerit corrigendi occasio, et confusis inter se omnibus, inter principem et subditum non discernemus. Nemo hæc me dicere opinetur, quasi ad sacerdotes accusandos : per Dei namque gratiam in omnibus, ut et vos scitis, magnam exhibent probitatem, et nemini unquam criminandi ansam dederunt; sed ut discatis etiamsi improbos haberetis patres, et molestos magistros, neque sic eis maledicere, vobis securum et absque gravi periculo fore. Nam si de corporalibus parentibus Sapiens quidam dicit : « Si sensu deficiat, veniam » da[1] : » quid enim illis dabis, quale ipsi tibi ? multo magis in spiritualibus hæc lex observanda : ac uniuscujusque officium est, ut suam ipsius vitam diligenter consideret, et excutiat, ne videlicet audiamus in die illo : « Hypocrita, » quid vides festucam in oculo fratris tui, in tuo autem » oculo trabem non consideras[2] ? » Etenim hypocritarum opus est, publice quidem et omnibus videntibus osculari manus sacerdotum, genua tangere, supplicare ut pro se orent, et baptismo indigentes ad illorum januas currere : domi autem et in foro tantorum bonorum nobis auctores et ministros multis afficere probris, vel conviciatoribus consentire. Quod si vere malus est pater, quomodo fide dignum putas tam terribilium sacramentorum ministrum? Si autem fide dignus tibi minister esse videtur, quare fers alios ei malèdicentes, et non obturas eorum ora, neque

[1] Eccli. III, 15. — [2] Matth. VII, 3.

stomacharis, neque ægre fers, ut et multam accipias a Deo mercedem, et laudem ab ipsis maledicis? Nam licet sexcenta convicia proferant, omnino tamen te laudabunt et amplexabuntur ob egregiam in patres curam : contra vero si hoc non faciamus, omnes nos condemnabunt, etiam illi ipsi qui maledicunt. Ad hæc accedit illud multo gravius, quod extremam illic dabimus pœnam. Quia nihil perinde sic Ecclesias labefactat atque morbus ille : et sicut corpus nervorum debita habitudine carens, multas gignit ægritudines, et vitam facit molestam : ita Ecclesia non circumdata forti illa et infracta charitatis catena, plurima parturit bella, iram Dei auget, et multarum tentationum est occasio. Ne igitur hæc contingant, neve Deum exacerbemus, neu nostra augeamus mala, et pœnam certam indeclinabilemque comparemus, vitamque hanc multis molestiis repleamus; nostram ad bene loquendum linguam transferentes, nostram ipsorum vitam singulis diebus diligenter scrutemur : aliorum autem vitam ejus, qui etiam incognita accurate novit, judicio relinquentes, ipsi nostra peccata damnemus. Ita nobis gehennæ ignem licebit effugere. Nam sicut ii, qui in alienis curiosius explorandis malis occupati sunt, suorum peccatorum nullam habent rationem : ita qui ab aliena vita discutienda abhorrent, magnam suorum delictorum habebunt sollicitudinem : et qui sua considerant mala, illaque quotidie discutiunt, a se ipsis exposcentes pœnas, mitem tunc habituri sunt judicem. Id quod Paulus declarans dicebat: «Nam si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur » a Domino[1]. » Ut autem illam sententiam effugiamus, relictis omnibus aliis, magno studio vitam nostram examinemus, corrigamus cogitationes ad peccandum inducentes, conscientiam ad compunctionem flectamus, actorum

[1] 1 Cor. xi, 31.

nostrorum rationem repetamus. Sic enim poterimus facile peccatorum exonerari sarcina, multa venia frui, præsentemque simul vitam cum voluptate transmittere, et assequi bona futura, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri simul et Spiritui sancto sit gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

De verbis illis Apostoli : Propter fornicationes autem unusquisque suam uxorem habeat[1].

I. Ad mellis fontes etiam hodie statui vos deducere, mellis quod fastidium nunquam parit. Ejusmodi namque Pauli verborum est natura : et vero quicumque sua corda laticibus ex his fontibus haustis replent, per Spiritum sanctum loquuntur : imovero mellis virtutem etiam omnem exsuperat sacrorum Eloquiorum voluptas. Atque hoc ut indicaret Propheta dicebat : « Quam dulcia faucibus » meis eloquia tua, super mel ori meo[2]. » Neque vero melle dulcior tantum, sed et auro ac lapillo quovis pretiosior, et argento purior est voluptas Eloquiorum sacrorum. « Eloquia quippe Domini, eloquia casta, argen- » tum igne examinatum, probatum terræ, purgatum » septuplum[3]. » Propterea quoque dicebat et Sapiens quidam : « Comedere mel multum non bonum : honorare » autem oportet sermones gloriosos[4] : » nam ex illo quidem morbus, quo caremus, sæpe gignitur, horum autem opera, et corporis ægritudinem, qua tenemur, deponere

[1] 1 Cor. VII, 2. — [2] Psal. CXVIII, 102. — [3] Id. XI, 7. — [4] Prov. XXV, 27.

possumus : et mel quidem in concoctione corrumpitur, sacra vero eloquia cum fuerint concocta, tum jucundiora fiunt et utiliora cum illis, qui ea possident, tum aliis multis. Ac mensa quidem sensibus subjecta dum affatim quispiam fruitur, si deinde illinc saturatus ructet, injucundus fit ei, qui illum convivio excepit : si vero spirituali doctrina expletus eructet, multum suavem odorem diffundit in proximum. David quidem certe cum his dapibus se frequenter expleret, dicebat : « Eructavit cor meum » verbum bonum [1]. » Nam et malum verbum possumus eructare. Et quemadmodum in hac sensili mensa pro conditione cibariorum qualitatem eorum, quæ eructantur, cernimus apparere : sic nimirum et in virtute verborum, qualibus pascuntur, talia plerique homines etiam eructant. Exempli causa, si in theatrum ascenderis, et meretricias cantilenas audiveris, talia plane verba in proximum etiam eructabis : quod si ad Ecclesiam veniens spiritualis particeps fueris lectionis, ejusmodi erunt etiam, quæ eructabis. Propterea quoque dicebat Propheta, « Eructavit cor meum verbum bonum, » ut mensæ dapes, qua fruebatur semper, nobis ostenderet. Hoc etiam incitatus, nos cohortabatur his verbis utens Paulus : « Omnis sermo » malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus [2]. » Et quis est malus, dicet aliquis? si bonum didiceris, tum etiam malum scies, nam ad distinctionem illius hunc posuit. Quis ergo bonus sit, non erit opus ut ex me discas : ipse quippe nobis ejus naturam declaravit. Cum enim dixisset, « Si quis bonus, adjecit : ad ædificationem Ec» clesiæ, » bonum eum esse ostendens, qui ædificat proximum. Ut igitur is qui ædificat, bonus est : ita qui destruit, malus et pravus est. Et tu igitur, dilectissime, si quidem tale quid proferre possis, quod meliorem reddere

[1] Psal. XLIV, 1. — [2] Ephes. IV, 29.

possit auditorem, ne retineas verbum in tempore salutis : quod si nihil tale suppetat, sed prava tantum et corrupta verba, tace, ne proximum accuses. Hic enim malus est sermo, nec ædificat audientem, sed subvertit. Sive enim illi curæ sit virtus, in superbiam sæpius effertur : sive sit ignavus, negligentior evadit. Si turpe prolaturus sis verbum acridiculum, tace. Nam et hic malus est sermo, quo et is qui dicit, et is qui audit lasciviores redduntur, et in unoquoque pravæ libidines inflammantur. Ut igitur ignis alimentum ligna sunt et sarmenta, ita pravæ cogitationes verbis aluntur. Idcirco non omnia quæ mente versamus, omnino eloqui nos oportet : sed ex ipsa mente pravas cupiditates omnemque fœdam cogitationem eliminare studendum est : quod si quando nobis nec opinantibus turpes irrepserint ratiocinationes, nunquam eas lingua efferamus, sed silentio suffocemus. Nam et belluæ ac serpentes si quando in fossam inciderint, et exitum quemdam sursum invenerint, ascendentes, ferociores evadunt : quod si deorsum conclusæ perpetuo manserint, omni modo perduntur facile atque exterminantur : sic nimirum et pravæ cogitationes, si quidem aliquem per os nostrum exitum nanciscantur, interiorem flammam accendunt : sin autem eas per silentium concluseris, imbecilliores fiunt, et tanquam fame confectæ per silentium, celeriter in mente moriuntur. Itaque si qua te cogitatio turpis invadat, neque turpe verbum eloquaris, etiam cupiditatem extingues. Non est tibi mens munda? saltem mundum sit os, neque lutum foras ejicias, ne et alium et te ipsum offendas. Non enim illi tantum qui dicunt, sed etiam illi qui audiunt, multas contrahunt sordes, dum alii turpia loquuntur. Propterea cohortari et consulere non desino, ut non solum ab ejusmodi verbis efferendis, sed etiam, dum ab aliis efferuntur, audiendis abstineamus, et divinæ

legi semper addicti simus. Qui enim ejusmodi fuerit, beatus a Propheta prædicatur : « Beatus vir, qui non abiit » in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, » et in cathedra pestilentiæ non sedit : sed in lege Domini » voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte[1]. »

II. Atque in profanis quidem conventibus, etsi aliquid fortasse boni aliquando dicitur, vix tamen inter multa prava unum quidpiam probum plerique loquuntur : dum autem sacræ leguntur Scripturæ, plane contrarium evenit : nullum sermonem pravum audies, omnes salutis ac philosophiæ modestiæque plenos, cujusmodi sunt, quæ hodierno die sunt lecta. Quænam illa porro ? « De quibus » autem scripsistis mihi, inquit, bonum est homini mu» lierem non tangere : propter fornicationes autem unus» quisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum » virum[2]. » De nuptiis leges sancit Paulus, neque eum pudet, nec erubescit, ac merito sane. Si enim nuptiis honorem detulit Dominus ejus, nec illarum eum puduit, sed et præsentia sua rem exornavit, et munere : siquidem munera contulit omnium maxima, cum aquæ naturam mutavit in vinum, quî potuisset pudere servum leges de nuptiis ferre ? Non enim res mala sunt nuptiæ, sed mala res adulterium, mala res fornicatio : nuptiæ vero præsens sunt adversus fornicationem remedium. Ne igitur diabolicis eas pompis dehonestemus : sed quod factum est a civibus Canæ Galilææ, fiat et ab iis qui nunc ducunt uxores, Christum habeant in medio sedentem. Quo vero pacto id fieri potest, inquit ? per ipsos sacerdotes. « Qui » enim, inquit, recipit vos, me recipit[3]. » Si ergo diabolum abegeris, si meretricias cantilenas, et molles cantus, immodestas choreas, verba turpia, diabolicam pompam, tumultum, risum effusum, et reliquam turpitudinem

[1] Psal. I, 1, 2. — [2] 1 Cor. VII, 1. — [3] Matth. X, 40.

amandaris, sanctos autem Christi servos introduxeris, Christus per ipsos plane aderit cum matre sua et fratribus. « Quicumque enim fecerit, inquit, voluntatem patris mei, ipse meus frater, et soror et mater est[1]. » Scio equidem gravem quibusdam et molestum videri me, dum ad hæc vos hortor, et antiquam reseco consuetudinem, nihil tamen istud curo. Neque enim tam gratia vestra, quam utilitate indigeo, non applausibus et laudibus, sed lucro et philosophia. Neque mihi quisquam dicat, Consuetudo est : ubi peccatum committitur, noli consuetudinis mentionem facere; sed si quidem mala sint quæ geruntur, licet antiqua sit consuetudo, tolle illam : si mala non sint, licet consuetudo non sit, introduc illam et inveho. Cæterum antiquam non fuisse consuetudinem, ut tam turpes res fierent, sed invectam quamdam fuisse novitatem, cognosces, si recorderis, quo pacto duxerit uxorem Rebeccam Isaac, quo pacto Jacob Rachelem. Nam et nuptiarum meminit illarum Scriptura, et quo pacto fuerint in ædes sponsorum hæ sponsæ deductæ narrat, neque tale quidquam commemorat; sed convivium quidem et prandium solito lautius instruxerunt, et propinquos ad nuptias invitarunt : tibiæ vero ac fistulæ, cymbala, et temulentæ saltationes, ac reliqua omnis hujus temporis turpitudo procul aberat. At nostræ ætatis homines et hymnos in Venerem saltando canunt et adulteria multa, et nuptiarum violationes, et illegitimos amores, illicitosque coïtus, et alia plurima plena impietatis et ignominiæ cantica illo die canunt, et post ebrietatem ac tantam turpitudinem cum verbis obscœnis publice sponsam deducunt. Quo igitur pacto castitatem ab illa exigis, quæso, cum jam a primo die ad tantam impudentiam illam erudias, et in ejus conspectu ea fieri ac dici cures,

[1] Matth. xii, 50.

quæ neque fas sit a probis mancipiis audiri? Tam diuturno tempore laboravit pater, dum virginem cum matre servaret, ut neque diceret, neque dicentem alium quoddam tale verbum audiret, et conclavia, et gynæcea, et custodes, et januas, et vectes, et vespertinos progressus, et ut nemini, ne propinquorum quidem ulli se spectandam offerret, et alia multa, et his plura diligenter accurabat, et tu veniens cuncta illa uno die effudisti, ac per inhonestam illam pompam effecisti, ut impudens fieret, et verba depravata in sponsæ animam infudisti? Nonne inde quæ sequuntur mala proveniunt? non inde adulteria et zelotypiæ? Nonne inde filiorum orbitates, viduitates et immaturi parentum obitus? Cum enim dæmones cantibus illis invites, cum per obscœna verba cupiditatem illorum expleas, cum mimos et effœminatos in ædes introducas et totum theatrum, cum meretricibus domum compleas, et efficias, ut totus illic dæmonum cœtus lasciviat, quid sani, quæso, deinceps potes expectare? qua vero de causa et sacerdotes introducis, cum postero die talia sis perpetraturus? Vis magnificentiam fructuosam ostentare? voca pauperum choros : sed verecundaris et erubescis : et quid hac absurditate pejus, cum in ædes diabolum pelliciens, nihil turpe te agere censeas, cum vero Christum inducturus sis, erubescas? Ut enim introeuntibus pauperibus advenit Christus, ita cum molles ac mimi choreas illic ducunt, lascivit in medio illorum diabolus. Atque ex illis quidem expensis nullum lucrum, sed et multum oritur damnum : ex his autem sumptibus multam cito mercedem reportabis. Atqui nullus eorum qui in urbe sunt, hoc præstitit. Tu vero incipe, et præclaræ istius consuetudinis auctor esse contende, ut eam tibi posteri acceptam ferant. Quod si æmuletur aliquis, et imitetur hanc consuetudinem, ad eos qui interrogabunt, dicere

poterunt nepotes, ac nepotum filii, illum talem hanc optimam legem primum invexisse. Si enim exterius in certaminibus, dum convivia instruuntur, qui inutilia ista munera publica majorem ad magnificentiam provexerint, a vulgo celebrantur : multo magis in hoc publico munere spiritali laudabunt omnes, et gratiam habebunt ei, qui principium istud præclarum introduxerit, eique laudem liberalitatis hoc et utilitatem acquiret. Nam si et hoc ab aliis peractum fuerit, tibi qui primus semina jecisti fructuum illorum, mercedem proferet : hoc et te cito parentem efficiet, hoc et liberis auxilio erit, efficietque ut sponsus cum sponsa consenescat. Ut enim peccantibus frequenter Deus comminatur dicens : « Erunt filii vestri » pupilli, et uxores vestræ viduæ[1] : » Sic illis qui in omnibus ipsi obediunt et senectutem beatam, et omnia cum ea se daturum bona pollicetur.

III. Et vero Paulum possumus hoc dicentem audire, sæpe immaturas mortes a multitudine peccatorum allatas esse. « Ideo enim, inquit, inter vos multi infirmi, et im- » becilles, et dormiunt multi[2]. » Pauperes autem, si nutriantur, nihil evenire tale permittere, sed quamvis inopinatum quid incidat, remedium illos adhibere præsentissimum, ex ea puella cognosce quæ in Joppe morabatur[3]. Nam et hanc mortuam jacentem circumstantes pauperes qui ab ea nutriebantur, et plorantes excitarunt, et ad vitam revocarunt. Tanto viduarum et pauperum oratio risu et chorea omni est utilior. Hic uno die durat delectatio, illic perennis est quæstus. Cogita quantum illud sit tot benedictionibus onustam sponsam sponsi domum introire. Quibus coronis splendidiora non sunt ista? quibus non divitiis utiliora? Cum contra hic mos hodiernus extremæ sit dementiæ. Quamvis enim nec pœna, nec supplicium,

[1] Exod. XXII, 24. — [2] 1 Cor. XI, 30. — [3] Act. IX, 35.

iis qui tam honeste se gerunt, immineret, cogita quantum supplicium sit, tantis maledictis proscindi, populo spectante, cunctis audientibus, ab hominibus ebriis et mente depravatis. Nam pauperes quidem, ubi quid acceperint, benedicunt, infinita bona precantur : illi vero post ebrietatem, post voracitatem, omnes dicteriorum sordes in eorum capita effundunt, qui matrimonium contrahunt, et diabolicum certamen inter se quoddam instituunt : et quasi essent inimici, qui conveniunt, sic illorum propinqui certant inter se uter plura de illis qui conjugio copulantur, fanda et nefanda probra effutiet ; et adversarios imitantur : atque hæc illorum inter se contentio efficit, ut cum sponsa sponsus summo pudore suffundatur. An igitur aliam, quæso, demonstrationem requiremus, ut hæc omnia ab illis fieri dicique dæmonum impulsu constet ? Quis ergo deinceps ambiget, quin hæc omnia fiant ab illis ac dicantur, dæmonibus animas eorum impellentibus ? Nemo plane : siquidem ejusmodi sunt diaboli remunerationes, cavillationes, ebrietates, et animæ delirium. Quod si quis eo, quod horum loco pauperes introducuntur, omine deterreatur, et calamitatis hoc indicium esse dicat, is hoc etiam discat, non pauperes, ac viduas ali, sed molles ac meretrices, omnis molestiæ, atque innumerorum esse malorum indicium et portentum. Sæpe namque meretrix jam ab illo ipso die ex amicis sponsum captivum abripiens discessit, amorem erga sponsam extinxit, benevolentiam subdole avertit, dilectionem, antequam accenderetur, dissolvit et adulterii semen injecit. Hæc pertimescere patres oportuit, et si nihil aliud esset, ac mimos et saltatores nuptiarum ingressu prohibere. Sunt enim institutæ nuptiæ non ut lasciviamus, nec ut scortemur, sed ut casti simus. Audi sane Paulum dicentem : « Propter » fornicationes autem unusquisque suam uxorem habeat,

»et unaquæque suum virum habeat[1].» Hæc enim duo sunt quorum causa nuptiæ sunt institutæ, ut caste vivamus et ut patres fiamus, horum autem duorum antecedens castitatis est occasio. Postquam enim ingressa est libido, conjugium quoque ingressum est, ut immoderatum usum resecaret, et persuaderet, ut una muliere contenti essemus. Non enim omnino conjugium efficit, ut liberos suscipiamus, sed illud Dei verbum, quod dicit: «Crescite et multiplicamini, et replete terram[2].» Testes sunt quicumque conjugio sunt usi, sed liberos minime genuerunt. Itaque antecedens est hæc causa castitatis, atque hoc præcipue tempore, cum genere humano totus orbis terrarum repletus est. Nam a principio quidem expetenda res erat habere liberos, ut monumentum ac reliquias vitæ suæ quisque relinqueret. Quoniam enim resurrectionis spes nondum erat, sed mors dominabatur, seque post hanc vitam perire censebant, qui moriebantur, solatium istud ex susceptione liberorum largitus est Deus, ut animatæ defunctorum imagines remanerent, genusque nostrum conservaretur, et mortem obituris, eorumque propinquis maximam consolationem id pareret, quod posteros haberent superstites. Atque ut intelligas idcirco liberos expetendos fuisse, audi quo pacto apud Jobum queratur ac lamentetur post multas plagas uxor: «Ecce, »inquit, memoriale tuum periit de terra, et filii tui, et »filiæ tuæ[3].» Et rursus ad Davidem Saül: «Jura mihi in »Domino, quia non exterminabis semen meum, et nomen »meum post me[4].» Postquam autem in foribus est resurrectio, neque mortis jam ulla ratio habetur, sed ad aliam pergimus vitam hac multo meliorem, supervacaneum studium est ejusmodi. Si enim liberorum desiderio

[1] 1 Cor. VII, 2. — [2] Gen. I, 28. — [3] Job. XVIII, 18. — [4] 1 Reg. XXIV, 22.

teneris, multo meliores atque utiliores acquirere poteris, nunc cum spiritalis quædam pariendi ratio introducta est, meliorque partus, et utiliores senectutis altores. Itaque una quædam est occasio conjugii, ut non scortemur, et idcirco remedium hoc invectum est. Quod si post conjugium scortationibus te inquinaturus sis, supervacanee, frustra et incassum ad conjugium venisti : imovero non frustra et incassum tantum, sed etiam cum damno. Non enim par ratio est, si quis uxorem non habens scortetur et si quis matrimonio contracto rursus idipsum agat. Neque enim jam illud scortatio est, sed adulterium. Quamvis enim mirum et insolens sit quod diximus, est tamen verum.

IV. Non ignoramus plurimos adulterium arbitrari tantum, cum quis marito junctam mulierem corrumpit : ego vero sive cum vulgari scorto, sive cum ancilla, sive cum alia quapiam muliere non maritata, illegitimo lascivoque congressu jungatur, cum uxorem habeat, adulterium hoc esse contendo. Non enim ex eorum tantum qui contumeliam patiuntur, sed ex eorum etiam, qui contumeliam inferunt, conditione hoc crimen adulterii metimur. Noli enim mihi leges externas objicere, quæ mulieres quidem adulterium committentes in judicium pertrahunt, et pœnas ab eis repetunt : a viris vero ancillas vitiantibus non item : at ego legem tibi Dei recitabo, quæ pari ratione in mulierem et in virum excandescit, et rem adulterium appellat. Cum enim dixisset, « Et unaquæque suum virum » habeat, adjecit : Uxori vir debitam benevolentiam red- » dat[1]. » Quid tandem innuere volens hoc dixit? num ut ei pecuniæ reditus conservaret? ut dotem illæsam? ut vestes sumptuosas suppeditaret? ut lautiorem mensam? ut splendidos sumptus? ut multum servorum obsequium? quid ais? quodnam benevolentiæ genus exigis? Nam et

[1] 1 Cor. vii, 3.

hæc omnia sunt benevolentiæ. Nihil tale commemoro, inquit, sed castitatem ac pudicitiam. Viri corpus non amplius est viri, sed uxoris. Suam igitur possessionem illæsam illi servet, neque imminuat, nec corrumpat; siquidem inter famulos ille benevolus dicitur, qui herilibus acceptis pecuniis, nihil ex ipsis interverterit. Quando igitur uxoris possessio est viri corpus, benevolum vir erga depositum suum se præbeat. Ut enim scias hoc eum innuere, cum ait, « Benevolentiam reddat, adjecit: Mulier sui corporis » potestatem non habet, sed vir: similiter et vir sui corpo» ris potestatem non habet, sed mulier[1]. » Cum ergo meretricem allicientem videris, insidiantem, corpus adamantem, dic illi: Non est meum corpus, uxoris est meæ: illo abuti non audeo, neque alteri mulieri id exponere. Hoc et faciat mulier. Magna quippe hic est honoris æqualitas; tametsi multam in cæteris tribuit excellentiam et juris prærogativam Paulus ita dicens: « Verumtamen et vos » singuli, ut unusquisque suam uxorem ita diligat, ut » se ipsum: uxor autem ut timeat virum suum[2]: et, caput » mulieris est vir[3], et debet mulier viro esse subjecta[4]. » Et rursus in Veteri Testamento: « Ad virum conversio tua, et » ipse tui dominabitur[5]. » Quomodo igitur hoc loco æqualem remunerationem servitutis et dominatus induxit? Cum enim dixerit, « Mulier sui corporis potestatem non » habet, sed vir: similiter et vir sui corporis potestatem » non habet, sed mulier, » magnam æqualitatem constituit. Et quemadmodum ille corporis ejus est dominus, sic et ista corporis illius est domina. Cur igitur tantam æqualitatem honoris introduxit? quod nimirum hic necessaria sit eminentia: ubi vero castitatis tempus est et pudicitiæ, nihil amplius habet vir, quam mulier, sed pari ratione

[1] 1 Cor. VII, 4. — [2] Ephes. V, 33. — [3] 1 Cor. XI, 3. — [4] Ephes. V, 22. — [5] Gen. III, 16.

cum illa plectitur, si leges conjugii violaverit, ac merito sane. Non enim ad te mulier idcirco venit, et patrem et matrem totamque domum dereliquit, ut a te contumeliis afficeretur, et vilem ancillulam ipsi superinduceres, ut innumeras pugnas excitares, comitem et sociam vitæ, liberam et honore parem accepisti. Annon enim absurdum est, ut cum dotem acceperis, omnem exhibeas benevolentiam, nihilque ex illa imminuas: quod autem quavis dote pretiosius est, castitatem et pudicitiam, tuumque corpus, quod illius est possessio, corrumpas et polluas? Si dotem imminueris, socero rationem reddes: si castitatem imminueris, Deus a te pœnas exiget, qui nuptias introduxit, et uxorem tibi tradidit. Atque hoc verum esse colliges ex iis, quæ de adulteris ait Paulus: « Qui enim spernit, non » hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum » sanctum in vobis[1]. » Vides quam multis verbis ostensum ex Scriptura sit adulterium esse, non solum si marito junctam mulierem, sed etiam si quamvis meretricem corrumpat is qui sit junctus uxori? Nam quemadmodum adulterio pollui mulierem dicimus, sive cum servo, sive cum alio quocumque peccet: sic etiam virum adulterium committere dicimus, sive cum ancillula, sive cum quocumque vulgari scorto uxorem habens libidinem expleat. Ne igitur salutem nostram negligamus, neve nostram animam per hoc peccatum diabolo exponamus. Hinc enim innumeræ familiarum oriuntur eversiones, et bella innumera: hinc fit, ut charitas dilabatur, et benevolentia subtrahatur. Nam ut fieri nequit, ut homo castus uxorem negligat unquam ac despiciat; sic neque fieri potest, ut homo intemperans et lascivus uxorem suam diligat, sit licet omnium formosissima. Nam ex castitate charitas oritur, ex charitate bona innumera. Fac igitur lapideas

[1] 1 Thess. IV, 8.

mulieres reliquas arbitreris, cum intelligas, si lascivis oculis alienam mulierem intuearis sive publicam sive junctam viro, te adulterorum crimini obnoxium esse factum. Hæc tibi ipsi quotidie verba occine : quod si alterius uxoris in te sentias cupiditatem exardescere, ac deinde minus idcirco tibi tuam uxorem placere, ingressus conclave, librum hunc evolve, Paulumque adhibens interventorem, ac tibi hæc verba frequenter occinens flammam extingue. Sic fiet ut et gratior tibi rursum futura sit uxor, cum nulla cupiditas tuam erga illam benevolentiam labefactet : neque tantum gratior erit uxor, sed tu quoque honestior ac venustior esse videberis. Nihil enim est, nihil plane turpius homine, qui contracto matrimonio scortatur. Non enim coram socero tantum, et amicis, et obviis, sed etiam coram servis ipsis erubescit. Neque solum est hoc malum, sed etiam, quod ipsius domus aspectus injucundior erit, quam carceris cujusvis, cum amicam ante oculos positam habeat, ac meretricis semper imaginem mente versel?

V. Vis tu probe intelligere, quantum sit hoc malum? cogita qualem ducant vitam, qui suas uxores suspectas habent, quo pacto injucundæ illis sint escæ, injucundi potus. Venenis mensa videtur scatere, et tanquam exitium domum fugiunt malis innumeris redundantem. Non illis somnus, non nox est placida, non amicorum congressus, non ipsi radii solares : sed ab ipso lumine se offendi putant, non tum solum cum adulterio pollui uxorem viderint, sed etiam cum in qualemcumque suspicionem illius culpæ venerint. Idem accidere et uxori puta, cum a quolibet id audiverit, vel etiam fuerit suspicata, te mulieri meretrici te ipsum addixisse. Hæc apud te cogitans non adulteria tantum fuge, sed etiam suspiciones : quod si immerito suspicetur, placa illam et verbis flecte. Non enim

odio vel fastu impulsa, sed præ nimia tui cura id facit, quodque de sua possessione valde timeat. Possessio quippe ipsius est, ut apte dixi, corpus tuum et possessio rerum omnium pretiosissima. Noli ergo in re maxima illam lædere, neque letale illi vulnus infligas. Quamvis enim illam contemnas, Deum tamen debes timere ejusmodi criminum vindicem, et qui talibus delictis intolerabile supplicium comminatur. Eorum enim, qui talia perpetrare sint ausi, inquit, « Vermis non morietur, et ignis non extinguetur[1]. » Quod si non admodum pungunt te futura, terreant te saltem præsentia. Multi quidem certe illorum, qui meretricibus adhærent, in hac etiam vita mali male perierunt, curiosis meretricum insidiis oppressi. Dum enim illæ contendunt a legitima uxore ac matrimonio juncta illum alienare, suoque amore penitus illum devinctum tenere, præstigiis et incantationibus utuntur, amatoria parant veneficia, et multas fascinationum fallacias texunt : sic deinde cum illum in gravem morbum conjecerint, dira lue correptum, longa tabe consumptum et innumeris obrutum malis, hujus lucis usura privant. Si forte gehennam non reformidas, mi homo, præstigias illarum reformida. cum enim per luxuriam istam divino præsidio te privaveris, et cœlesti auxilio spoliaveris, tum audacter invadens te meretrix, suosque dæmones advocans laminis et amuletis adhibitis, suisque structis insidiis facillime salutem tuam expugnat, teque probris obnoxium ac ridendum omnibus, qui civitatem incolunt, propinat, ut nec illi calamitatis unquam tuæ miseratione moveantur. « Quis enim » miserebitur, inquit, incantatori a serpente percusso, et » omnibus qui appropinquant bestiis[2] ? » Prætereo jacturam pecuniarum, et quotidianas suspiciones, fastum, arrogantiam, contumelias, quibus stultos vexant meretri-

[1] Marc. IX, 45. — [2] Eccli. XII, 17.

ces, quæ multo sunt acerbiora, quam si millies fuerit mors oppetenda. Atque uxorem quidem sæpenumero, ne si verbum quidem molestum dixerit, ferre potes, ac meretricem etiam alapis te cædentem adoras. Non te pudet, nec erubescis, nec optas ut tibi dehiscat terra? quî poteris ad Ecclesiam venire, atque in cœlum manus extendere? quo tandem ore Deum invocabis, quo meretricem osculatus es? Non tu, quæso, times, nec perhorrescis, ne quando tuum caput impudens de cœlo delapsum fulmen exurat? Quamvis uxorem tuam, quam afficis injuria, celes, at insomnem illum oculum nunquam celabis: quandoquidem adultero illi, qui dicebat, « Tenebræ circumdant » me, et parietes, quid vereor? » contradixit Sapiens ille sic dicens: « Oculi Domini millies lucidiores sunt sole, » inspicientes opera hominum[1]. » Propter hæc omnia nimirum dicebat Paulus: « Unusquisque suam uxorem ha» beat, et unaquæque virum suum habeat : uxori vir » debitam benevolentiam reddat; similiter et uxor viro[2]. » Mel distillat a labiis mulieris meretricis[3], quæ ad tempus impinguat fauces tuas : postea vero eam amariorem felle invenies, et acutam magis gladio ancipiti. Venenum habet osculum meretricis, venenum latens et absconditum. Cur igitur damnandam persequeris voluptatem, quæ exitium parit, quæ plagam infert immedicabilem, cum oblectari possis, et nullum malum incurrere? Cum libera et honesta muliere simul voluptas est et securitas, et delectatio et honor, et ornatus et bona conscientia : illic autem acerbitas multa, damnum multum, accusatio perpetua. Quamvis enim nullus hominum viderit, nunquam tamen accusare te desinet conscientia: sed quocumque perrexeris, te sequetur accusans, et magna voce te persequens accusator iste. Itaque si quis voluptatem sectetur, is con-

[1] Eccli. XXIII, 26. — [2] 1 Cor. VII, 2. — [3] Prov. V, 3.

gressum cum meretricibus fugiat maxime. Nihil enim illa consuetudine injucundius, nihil illo congressu molestius, nihil moribus illarum scelestius. « Cervus amicitiæ, et » pullus gratiarum tuarum confabuletur tecum : fons » aquæ tuæ sit tibi fons[1]. » Cum sit tibi fons purus, cur ad lacum luto plenum curris, gehennam olentem et supplicium ineffabile? qua excusatione, qua venia dignus poteris videri? Si enim qui ante contractum matrimonium scortantur, pœnas sustinent, et supplicio plectuntur, sicut ille qui sordidis erat vestimentis indutus, multo magis qui matrimonio contracto. Duplex enim inde ac triplex crimen oritur, tum quia cum deliciis fruerentur, ad lasciviam illam prosilierunt, tum quia non modo scortatio res illa, sed etiam adulterium censetur, quod peccato quovis est gravius. Hæc igitur et nobis et mulieribus inculcare non desinamus : quam etiam ob causam his verbis orationem concludam : « Propter fornicationem unusquisque » suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat, » Uxori vir debitam benevolentiam reddat; uxor similiter » viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. » Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, » sed mulier[2]. » Hæc verba studiose memoria tenentes, et in foro, et in ædibus, et interdiu, et vesperi, et ad mensam, et in lecto, et ubique locorum, cum ipsi ea meditemur, tum mulieres nobis dicere atque a nobis audire doceamus, ut cum hanc vitam caste traduxerimus, cœlorum etiam regnum consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri, una cum Spiritu sancto gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Prov. v, 19, et 15. — [2] 1 Cor. vii, 2-4.

HOMILIA.

In illum locum, Mulier alligata est legi quanto tempore vixerit vir ejus : si autem dormierit, libera est cui voluerit nubere, tantum in Domino. Beatior autem est si sic manserit[1]. »

I. Nuper nobis beatus Paulus de conjugio, conjugiique juribus legem tulit, Corinthis sic scribens ac dicens : « De » quibus autem scripsistis mihi, Bonum esse homini mu» lierem non tangere [2] : propter fornicationem autem, suam » quisque uxorem habeat, et suum quæque virum habeat. » Eapropter et nos totum sermonem in hoc insumpsimus. Itaque necesse est hodie de eodem argumento iterum vobiscum disserere, quandoquidem de eodem etiam ipse Paulus hodie disserit. Audivistis enim illum clamantem, ac dicentem : « Mulier alligata est legi quanto tempore vixe» rit vir illius : si autem obdormierit vir illius, libera est » cui voluerit nubere, tantum in Domino : beatior autem » est si sic manserit, secundum meum consilium : opinor » autem quod et ego spiritum Dei habeam. » Sequamur igitur illum, et hodie, et de hac colloquamur materia. Sequentes enim Paulum, per eum et Christum ipsum sequemur, eo quod ille non semetipsum, sed Christum per omnia sequens scripsit. Enimvero non est vulgaris res, conjugium bene constitutum : sicut etiam iis qui illo, non ut oportet, utuntur, innumerorum malorum fit materia. Nam sicut mulier adjutrix est, ita sæpe et insidiatrix. Et sicut portus est conjugium, ita et sæpe naufragium parit : non

[1] 1 Cor. VII, 39, 40. — [2] Ibid. 1.

natura sua, sed animo eorum, qui illo male utuntur. Etenim qui secundum congruas leges illud observat, domum et uxorem suam, ut malorum omnium quæ vel in foro, vel alicubi obveniunt, consolatricem ac liberatricem reperit. Qui autem temere et vulgariter hanc rem aggreditur, etiamsi multa in foro et alibi tranquillitate fruatur, ingressus domum, scopulos et petras videbit. Itaque quoniam non de rebus vulgaribus nobis est periculum, operæpretium fuerit cum diligentia dictis attendere, et uxorem ducturum, juxta Pauli, imo juxta Christi leges agere. Sane scimus, quod multis novum et inexpectatum videbitur quod dicimus : at propterea non silebo, sed primum legem vobis legam, et dein legem, quæ contraria videtur, solvere tentabo. Igitur quænam est lex illa, quam nobis Paulus posuit? « Mulier, inquit, alligata est legi : » oportet igitur ut minime separetur, vivente viro, neque alium superinducat maritum, neque secundas nuptias adeat. Et vide quanta cum diligentia verborum usus sit proprietate. Non enim dixit : Cohabitet viro, quoad vixerit; sed, « Mulier alligata est legi quanto tempore vixerit » vir illius : » atque adeo etiamsi libellum repudii det, etiamsi domum relinquat, etiamsi ad alium abeat, legi astricta adulteraque est. Quando igitur vir ejicere vult uxorem, et uxor relinquere virum, hujus memor sit dicti, et Paulum putet esse præsentem, et persequi se clamando et dicendo : « Mulier astricta est legi. » Nam quemadmodum servi fugitivi, etiamsi domum herilem relinquant, catenam secum trahunt : ita et mulieres etiamsi viros relinquant, legem habent pro catena, se persequentem et adulterii accusantem, accusantem etiam eum, qui duxerit ac dicentem : Adhuc superest maritus, et facinus hoc adulterium est. « Mulier enim astricta est legi, quoad vixerit » maritus illius. Et omnis qui dimissam duxerit, mœcha-

» tur. » Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? Quando? tunc ubi a catena liberata fuerit, quando vir morietur. Hoc igitur declarans non addidit, Quod si mortuus fuerit vir illius, libera est cui voluerit nubere: sed, « Si autem dormierit vir illius, » quasi consolans viduam, et persuadens manere apud priorem, et non adjungere secundum maritum. Non mortuus est, inquit, vir tuus, sed obdormivit. Quis dormientem non præstolatur? Propterea dixit, « Si autem dormierit, libera est cui vo- » luerit nubere. » Non dixit, Nubat, ut ne videatur vim facere et cogere: neque prohibuit volentem secundas nuptias contrahere: neque nolentem adhortatus est, sed legem legit, dicens: « Libera est cui voluerit nubere. » Liberam autem illam post viri mortem esse factam dicens, ostendit servam eam antea adhuc vivente marito fuisse. Quæ autem serva est, ac subdita legi, etiamsi millies libellum repudii accipiat, adulterii ligabitur lege. Nam servis quidem licet mutare dominos viventes, uxori autem non licebit viros commutare, vivente suo: nam id adulterium esset. Ne mihi leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudii, et divelli. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit. Etiam externæ leges non simpliciter, nec absolute hoc posuerunt: nam et ipsæ puniunt factum, et hinc liquet, eas peccatum valde ægre tulisse. Unde eam quæ auctor fuerit repudii, nudam et spoliatam facultatibus ejiciunt, et eum a quo data fuerit dissolutionis occasio, etiam facultatum jactura puniunt, et sane hoc facientes, factum illud non commendabant.

II. Quid igitur? Et Moses, aiunt, hoc fecit: et ille propter eamdem ipsam causam. Tu vero audi Christum dicentem, « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scriba-

[1] Matth. v, 32.

» rum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum[1]. » Audi illum rursus dicentem : « Qui dimiserit uxorem suam, » excepta causa adulterii, facit illam adulteram fieri : et » qui dimissam in uxorem duxerit, adulter fit[2]. » Propter hoc venit unigenitus Filius Dei, propter hoc servi formam assumpsit, propter hoc sanguinem effudit pretiosum, mortem destruxit, peccatum extinxit, largiorem Spiritus gratiam dedit, ut ad majus te sapientiæ studium induceret. Alias etiam Moyses non ita simpliciter legem hanc tulit, sed cum cogeretur sese attemperare eorum quibus legem dabat, infirmitati. Nam quoniam ad cædes prompti erant, et domos cognato replebant sanguine, et neque suis, neque alienis parcebant, ne intus occiderent uxores, quæ ingratæ erant, præcepit foras mittendas, quo gravius malum, nempe homicidiorum facilitas tolleretur. Sane quod homicidæ fuerint, audi Prophetas dicentes : « Ædificantes » Sion in sanguine, et Jerusalem in injustitiis[3]. » Et iterum : « Sanguinem sanguini miscent[4]. » Et iterum : « Manus » vestræ sanguine plenæ[5]. » Et quod non solum contra alienos, sed etiam contra suos sævierint, ita manifestans Propheta dicebat : « Immolaverunt filios suos et filias suas » dæmoniis[6]. » Qui autem non parcebant liberis, utique nec uxoribus pepercissent. Ut ne itaque hoc accideret, illud permisit. Quapropter et Christus Judæis rogantibus, et dicentibus : « Quomodo igitur Moses permisit dare li- » bellum repudii ? » ostendens quod non contrariam suæ legem ferens ita scripserit, dixit : « Moses juxta duritiam » cordis vestri locutus est, ab initio autem non erat sic ; » sed qui fecit ab initio, masculum et fœminam fecit illos[7]. » Si hoc bonum fuisset, inquit, non unum virum et unam mulierem fecisset, sed uno Adam condito duas fecisset

[1] Matth. v, 20. — [2] Ibid. 32. — [3] Mich. III, 10. — [4] Osee. IV, 2. — [5] Isaï. I, 15. — [6] Psal. CV, 37. — [7] Matth. XIX, 7, 8.

mulieres, si quidem voluisset unam quidem ejici, alteram vero induci. Nunc vero ipso formationis modo legem induxit, quam ego nunc scribo. Et quænam est illa? Hæc utique, Eam sibi quisque uxorem servet semper, quam initio sortitus est. Hæc lex antiquior, quam illa de libello repudii, et tanto, quanto Adam ipso Mose. Et idcirco nunc nihil novum sector, neque peregrina affero decreta, sed Mose antiquiora et priora. Operæ autem pretium fuerit et Mosis legem illam, quam de hac re posuit, audire : « Si » quis, inquit, acceperit uxorem, et habitaverit cum illa; » et erit, si non invenerit gratiam coram illo, quia inve- » nit in illa turpitudinis rem, scribet illi libellum repudii, » et dabit in manus ejus[1]. » Vide, non dixit, Scribito et dato, sed quid? « Scribet illi libellum repudii, et dabit in » manus ejus. » Magnum autem inter hoc et illud discrimen : nam dicere, Scribat libellum repudii, et det in manus ejus, jubentis ac imperantis est. Dicere autem, « Scri- » bet libellum repudii, et dabit in manus ejus, » annuntiantis factum, et non propriam legem introducentis est. Igitur, « Si quis, ait, ejiciat uxorem, et dimittat illam ex » domo sua : et cum abierit, si fuerit alteri viro, et odio » illam habuerit etiam vir posterior, et scripserit illi libel- » lum repudii, et dederit in manus ejus, et emittat illam » ex domo sua : si mortuus fuerit illius vir, qui accepit sibi » illam uxorem, non poterit vir prior, qui dimiserat illam, » reducere, et accipere eam sibi in uxorem. » Deinde monstrans, se non laudare factum, neque conjugium esse putare, sed infirmitati eorum sese attemperare, postquam dixit : « Non poterit vir prior accipere illam sibi in uxo- » rem, addidit, postquam polluta est : » declarans per hujus verbi modum, quod secundæ nuptiæ, vivente priore viro, pollutio magis sint quam conjugium : propter hoc

[1] Deut. XXIV, 1.

non dixit, Postquam illam in uxorem duxerit. Vides quam consona cum Christo loquatur? Deinde et causam apposuit, « Quod abominatio sit coram Deo. » Et Moses quidem sic. Propheta autem Malachias multo manifestius, quam Moses, hoc demonstrat; imo potius non Malachias, sed Deus per Malachiam his verbis, « Numquid dignum respi» cere ad sacrificium vestrum? vel recipere acceptabile de » manibus vestris[1]? » Et cum hæc dixisset? « Quare dere» liquisti, ait, uxorem adolescentiæ tuæ? » Postea ut ostendat quantum sit malum, et quam indignus sit omni venia is qui hoc fecit, in sequentibus accusationem auget, sic dicens : « Et ista socia tua, et uxor pacti tui, et reli» quiæ spiritus tui, et non alius fecit. » Vide quanta apponit jura; primum ætatem, dicens : « Uxor adolescentiæ » tuæ; » deinde societatem vitæ, dicens : « Et ista socia » tua; » postea modum formationis, dicens : « Reliquiæ spi» ritus tui[2]. » [Non enim de terra formata est sicut Adam, sed de formati e terra latere, et hoc est quod dicit ἐγκατάλειμμα, « Et reliquiæ spiritus tui[3]. »]

III. Ad hæc omnia, quod omnibus illis majus fuerit, accedit conditoris dignitas. Hoc enim significat illud, « Non alius fecit. » Non potes, inquit, dicere, quod te quidem Deus fecit, illam vero non Deus, sed alius quidam illo inferior; sed unus et idem utrosque ut essent produxit: et ita quamvis nihil aliud, hoc saltem reveritus, charitatem erga illam custodi. Nam si sæpe hoc servis litigantibus mutuæ dilectionis causa fuit, quia ambo uni et eidem domino serviunt : multo magis nobis hoc fieri convenit, quando eumdem et conditorem, et opificem utrique habemus. Vidisti quomodo etiam in veteri initia et procemia fere acceperint novæ philosophiæ præcepta? Nam ubi multo tempore in lege versati essent, et ad perfectiora

[1] Malach. II, 14. — [2] Ibid. 2. — [3] Græcus non habet quod in uncinis legitur.

mandata transire deberent, jamque properaret ipsorum politia, opportuno tempore ad ejusmodi sapientiam illos Propheta inducit. Pareamus igitur huic bonæ legi, et nos ab omni confusione liberemus, neque nostras ejiciamus, neque ab aliis ejectas recipiamus. Nam qua facie virum uxoris aspicies? quibus oculis amicos illius et famulos? Nam si is qui mortui conjugis, cujus uxorem accepit, imaginem recumbentem viderit, afficitur aliquo modo, et graviter fert, ac si viventem maritum videat ejus quæ sibi cohabitat, qualem vitam aget? quo pacto ingredietur domum? quo animo, quibus oculis videbit illius uxorem suam? imo neque illius, neque suam juste quis talem appellet : adultera enim nullius est uxor. Fefellit pacta quæ cum illo habuit, et ad te cum honestis legibus non venit. Quantæ igitur dementiæ fuerit, rem tot malis plenam in domum inducere? Num est fœminarum penuria? Quare cum multæ sint, quas licet pura conscientia, et permittentibus legibus ducere, ad prohibitas currentes, domos subvertimus, bella civilia excitamus, ac undique inimicitias nobis conciliantes, innumeris accusatoribus ora aperientes, nostram vitam dedecoramus, et quod omnium gravissimum est, inevitabile supplicium in die judicii nobis accumulamus? Quid enim dicemus ei qui de nobis judicaturus est, quando legem in medium illatam legerit dicens : Jussi repudiatam uxorem non ducere[1], dicens id adulterium esse? Quomodo igitur ausus es ad prohibitas nuptias accedere? Quid dicemus, quid respondebimus? Nunquam enim illic fas externas leges prætexere, sed necessarium est tacentes et ligatos in gehennæ ignem immitti cum adulteris et alienum torum injuria afficientibus. Nam et qui dimiserit absque causa stupri, et qui ejectam vivente viro duxerit, cum ejecta illa punientur. Propter quod oro,

[1] Matth. v.

obsecro et supplico, ne viri mulieres ejiciant, neque mulieres viros relinquant, sed audiant Paulum dicentem: « Mulier astricta est legi, quanto tempore vixerit vir » ejus. Si autem dormierit vir, libera erit cui volet nubere, » tantum in Domino[1]. » Qualem enim habebunt veniam, qui Paulo etiam secundas permittente nuptias post mortem conjugis, et tantam concedente copiam, ante mortem audent talia facere? Quam assequentur defensionem, vel illi qui viventibus viris uxores accipiunt, vel hi qui ad publica scorta accedunt? Etenim et illud est adulterii aliud genus, habere domi uxorem, et foris scortis jungi. Nam quemadmodum mulier habens virum, etiamsi famulo vel libero cuipiam uxorem non habenti se exponat, adulterii legibus implicatur: sic et vir licet ad vulgare scortum, vel ad mulierem aliam, quamvis non habentem virum, ipse uxorem habens accesserit, adulterii reus censebitur. Fugiamus igitur et hunc adulterii modum. Quid enim poterimus dicere, quid item prætexere, qui talia audemus? quam honestam excusationem adhibebimus? Naturæ concupiscentiam? sed adest quidem uxor, quæ nobis obtigit, hac nos excusatione privans. Idcirco nuptiæ invectæ sunt, ut ne scorteris; imo non uxor sola, sed et multi alii, qui eamdem, quam nos, habent naturam, hac nos privant venia. Quando enim conservus tuus, idem habens corpus, eamdemque concupiscentiam, eadem necessitate extimulatus, nullam aliam videt mulierem, sed manet sua sola contentus, qualem tu habebis excusationem, concupiscentiam prætexens? Et quid dico habentes uxores? Cogita mihi eos, qui semper in virginitate vixerunt, et contemptis nuptiis magnam præ se tulerunt continentiam. Cum igitur alii absque nuptiis continentes sint, quam tu asse queris veniam post nuptias scortans? Hæc et viri et mu-

[1] 1 Cor. VII, 39.

lieres audiant, et viduæ et nuptæ : omnibus enim Paulus loquitur, et lex illa dicens : « Mulier adstricta est legi quanto »tempore vixerit vir illius : si autem dormierit, libera est »cui vult nubere, tantum in Domino. » Et habentibus viros, et non habentibus, et viduis, et secundo nubentibus marito, et omnibus simpliciter sermo ille utilis est. Nam quæ habet virum, non volet vivente illo quærere alium, audiens se vivente illo astrictam esse. Quæ vero est libera, siquidem voluerit secundo nubere, non simpliciter neque temere hoc facit, sed cum legibus, quæ sunt a Paulo positæ. Dicit enim : « Libera est cui vult nubere, tantum in »Domino : » hoc est, cum continentia et honestate. Sin voluerit cum defuncto servare fœdera, audiet repositas sibi coronas, majoremque alacritatem capiet. « Beatior »enim est, inquit, si sic manserit. »

IV. Vides quo pacto omnibus sermo ille utilis, et se ad illarum infirmitatem demittit, et istas suis laudibus non defraudat? Etenim quod de nuptiis et virginitate fecit, hoc et de prioribus et secundis nuptiis : quemadmodum enim illic non exclusit nuptias, ut ne gravet infirmiores, neque necessitatem imposuit, ut ne volentes in virginitate degere, propositis coronis spoliaret : sed demonstravit quidem bonas esse nuptias, declaravit autem meliorem esse virginitatem; ita et hic quoque alios gradus ponit nobis, majorem scilicet et sublimiorem altero alterum, nempe viduitatem : alterum vero inferiorem, nempe secundas nuptias. Et fortiores quidem ac transilire nolentes ad certamen præparat, et infirmiores cadere non permittit. Dicens enim : « Beatior enim est si sic manserit, » ut ne putes humanam esse legem, audiens, « Juxta meum »consilium, » subdit : « Opinor autem quod et ego spiritum »Dei habeam. » Non igitur humanum consilium est vel præceptum, sed gratiæ spiritus sententia ac divina lex.

Idcirco ne putemus esse Pauli qui hæc dicit, Sed Spiritus sancti, qui hanc nobis legem condit. Quod vero dicit, « Opinor[1], » non quasi nesciens dicit, sed modeste agens et se ipsum humilians. Quod autem beatior sit, dixit quidem, sed non adjecit, Quomodo beatior; sufficienti demonstratione data, nempe hanc se a Spiritu afferre sententiam : quod si voles etiam rationibus exquirere, magnam demonstrationum copiam invenies, et videbis beatiorem esse viduam, non solum in futuro sæculo, sed etiam in præsente vita. Et istuc ipsum maxime noverat Paulus, id quod de virginibus insinuavit. Admonens enim et consulens eligendam esse virginitatem, sic dicebat : « Opinor quod bonum sit homini sic esse propter instan» tem necessitatem[2]. » Et iterum : « Etiamsi nupserit virgo, » non peccavit. » Virginem hic dicens non eam quæ renuntiavit, sed eam duntaxat quæ nondum conjugium experta est, et non factam obnoxiam perpetuæ virginitatis promissione. « Tribulationem autem in carne habebunt » qui tales sint[3] : Ego autem vobis parco. » Uno enim et brevi hoc verbo reliquit cordato auditori, ut omnia colligat et expendat, dolores partus, educationes puerorum, curam, infirmitates, mortes intempestivas, inimicitias, contentiones, innumeris servire sententiis, alienis malis obnoxiam fieri, innumeras tristitias in una sua anima recipere. Ab omnibus illis malis liberatur, quæ continentiam amplexatur, et cum liberatione a tot injucundis, etiam in futura vita magnam repositam habet mercedem. Hæc igitur omnia scientes, studeamus quidem primis nuptiis esse contenti. Si autem et ad secundas aspiramus, fiat hoc decenti modo et habitu, et secundum divinas leges. Propter hoc enim dixit : « Libera est cui vult nubere : » et subdidit, « Tantum in Domino : » simul et licentiam

[1] 1 Cor. VII, 26. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

dans, et licentiam confirmans, et potestatem concedens, et potestati illi undique leges ac terminos ponens : videlicet ne pollutos et corruptos viros in domum introducat mulier, et stuprum sectantes, sed cum honestate et modestia, ac pietate, ut omnia in gloriam Dei cedant. Quoniam enim sæpius multæ mulieres prioribus viris defunctis, adulterio prius commisso alios introduxerunt, et alias pessimas vias excogitarunt : propter hoc adjecit, « Tantum » in Domino, » ut nihil horum secundæ nuptiæ habeant : sic enim a criminibus liberæ esse poterunt. Optimum enim omnium foret expectare defunctum, et servare leges cum illo initas, continentiamque eligere, et manere cum relictis pueris, majorem Dei benevolentiam sic conciliando. Et si qua secundo nubere marito volet, cum modestia ac honestate, et decentissimis legibus hoc faciat; nam et hoc permittitur : fornicatio autem sola et adulterium prohibentur. Hanc igitur fugiamus et conjuges et cælibes, ne dedecoremus vitam nostram, ne vitam agamus ridiculam, neque polluamus corpus, neque malam conscientiam in mentem inducamus. Quomodo enim post consuetudinem cum scortis in Ecclesiam venire poteris? quomodo manus, quibus scortum contrectasti, in cœlum extendere audebis? quomodo linguam movere, et ore illo invocare, quo scortum osculatus es? Quibus oculis intueberis amicos honestiores? Et quid dico amicos? etiamsi nullus conscius sit, tu te ipsum cogeris maxime omnium rubore ac confusione perfundere, et maxime omnium corpus proprium abominari. Nam si hoc non esset, quare ad balneum post peccatum illud curris? nonne quia omni luto immundiorem te ipsum esse censes? Quam igitur majorem immunditiæ tuæ probationem quæris, vel quam Deum expectas sententiam daturum, quando tu ipse, qui deliquisti, talem de factis tuis sententiam tenes? Igitur

quod impuros se esse censent, valde laudo et approbo. Quod autem non rectum purificandi modum habeant, improbo, et propterea reprehendo. Nam si corporalis macula esset, jure balneorum purificationibus corpus ipsum ablueres, animam autem cum coïnquinaris et impuram feceris, talem quære purificationem, quæ illius maculam abluere poterit. Quod autem est illius maculæ balneum? Calidi lacrymarum fontes, gemitus e profundo cordis ascendentes, compunctio perpetua, preces continuæ, eleemosynæ, et eleemosynæ largæ, non ultra hæc opera attentare, condemnare quod factum est. Ita peccati natura abluitur, ita expurgatur animæ macula. Atque adeo si hæc non fecerimus, etiamsi in omnes fluminum fontes descenderimus, neque parvam illius peccati partem depellere poterimus. Imo quod melius, ne attentemus hoc abominabile peccatum. Si quis autem aliquando supplantatus fuerit, hæc subjiciat remedia, prius promittens non ultra se in hæc prolapsurum. Certe si peccantes condemnaverimus quidem ea, quæ jam fecimus, iterum autem eadem attentemus, nulla erit purificationis utilitas. Qui enim abluitur, et eodem luto iterum inquinatur, et qui demolitur iterum quod ædificavit, et qui ædificat iterum, ut destruat, nihil aliud inde lucri facit, quam quod frustra laborat, et ærumnosus est. Igitur et nos ne in vanum et frustra vitam insumamus, priora peccata expurgemus, et quod reliquum est vitæ in continentia et honestate cæterisque virtutibus agamus, ut et Deum misericordem habentes regnum cœlorum assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In apostolicum dictum: Nolo vos ignorare, fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt [1]. »

I. Nautæ eam maris partem libentius frequentant, quæ multis portubus insulisque instructa est. Pelagus enim portubus destitutum, etiam tranquillo tempore, multum incutit navigantibus tremorem: ubi autem portus et littora undecumque patent, cum magna securitate navigant. Etiamsi enim mare aliquantum sævire videant, cum in proximo refugium habeant, prompte facileque possunt ab instantibus periculis liberari. Eapropter non modo cum prope portum sunt; sed etiamsi procul sint, a solo portus aspectu magnam consolationem accipiunt. Non enim parum illos recreare solent montium cacumina procul visa, fumus exiliens, et ovium greges ad littus pascentes. Verum ubi ad portus ingressum devenerunt, plenas ruuntur lætitia. Tunc enim et remum deponunt, et corpora salsugine confecta potabilibus oblectant aquis: et ad littus egressi, in terraque nudis corporibus aliquantum versantes, nauticum omne tædium deponunt. Quemadmodum igitur illi eam maris partem libentius amplexantur, ob frequentes illas et assiduas recreationes; ita et ego hanc anni tempestatem maxime diligo: non quia liberati sumus hyeme, nec quod æstate fruamur zephyro suaviter afflante; sed quia adsunt spirituales portus, qui non frequenter excipiunt, festi nempe sanctorum Martyrum dies: non enim

[1] 1 Cor. x, 1.

portus perinde nautas, atque dies festi sanctorum horum fideles recreare solent; illos quippe a fluctuum impetu et diuturna remigatione portus liberant; hos autem ad Martyrum solemnitatem accedentes, a violenta per malignos impurosque spiritus, perque absurdas cogitationes in animo excitata tempestate, sanctorum memoria eripit. Sive quis ex publicis, sive ex privatis negotiis mœrore contracto huc ingrediatur, illo prorsus deposito revertitur, atque expeditior leviorque abit, non posito remo, nec relictis gubernaculis, sed excussa illa onerosa variaque sæcularis tristitiæ sarcina, multaque repletus animi lætitia. Horum omnium vos testes estis, qui in certaminibus beati Barlaam heri oblectati, et cum magna tranquillitate in ejus portum festinantes, sæcularium curarum salsuginem abluistis, atque auditis de illo sermonibus, leves et expediti domum recessistis. At ecce alia Martyrum accedit festivitas : donec igitur ad illorum portum appellamus, age nautas imitemur : et sicut illi navigantes in pelago cantant, cantu laborem sedantes; ita et nos, donec ad illorum portum appellamus, spirituales quosdam inter nos conferamus sermones, beato Paulo hujus pulchri colloquii duce constituto, ut eum, qua jusserit ille via, sequamur. Quanam porro sequi via jubet? Per desertum et per miracula, quæ illic contigerunt. Etenim audistis illum hodie sic clamantem : « Nolo vos ignorare, fratres, » quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes » per mare transierunt, et omnes in Moysem baptizati sunt, » et omnes eamdem escam spiritualem comederunt, et » omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant » enim de spirituali sequente petra : petra autem erat » Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum fuit » Deo : prostrati enim sunt in deserto. Hæc autem figuræ » nostri fuere, ut non simus concupiscentes malorum,

» sicut et illi concupiverunt; neque idololatræ simus, sicut » quidam illorum, sicut scriptum est: Sedit populus man- » ducare et bibere, et surrexerunt ludere [1]. Neque forni- » cemur, sicut quidam illorum fornicati sunt, et cecide- » runt uno die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, » sicut quidam illorum tentaverunt, et a serpentibus pe- » rierunt. Neque murmuremus, sicut quidam illorum mur- » muraverunt, et perierunt ab exterminatore [2]. » Videntur quidem hæc manifesta esse; sed diligenter advertentibus dubitationem afferunt non vulgarem. Etenim primo quæritur, cur veteres memoret historias: et qua consequentia, cum de iis disputasset, quæ idolis sunt immolata, in hanc inciderit narrationem, ea afferens in medium, quæ in deserto contigerunt. Neque enim temere vel fortuito casu Sanctus ille loquitur, sed cum magna consequentia, et accuratam semper servat dictorum consonantiam. Cur ergo et unde in hanc incidit historiam? Increpabat eos, qui temere et sine examine ad idola ingrediebantur, deque polluta mensa degustabant, atque idolothyta contingebant: et cum ostendisset ipsos hinc duplici damno affici, cum et infirmis offendiculo essent, et ipsi dæmonum participes essent: et cum per prædicta satis illorum animos coërcuisset, docuissetque, oportere fidelem non sua tantum respicere, sed etiam ea, quæ aliorum multorum sunt, volens ipsis timorem addere, veteres historias commemorat. Quia enim illi altum sapiebant, utpote fideles, et ab errore liberati, atque scientiam assecuti, et ineffabilium mysteriorum participes effecti, ad regnumque cœlorum vocati; declarare volens eorum nullam esse utilitatem, nisi adesset vita tantæ gratiæ consona, ex veteri historia ipsos erudit.

II. At hoc ipsum multas complectitur quæstiones. Cur

[1] Exod. xxxii. — [2] 1 Cor. x, 1, et seqq.

non ex verbis Christi in Evangelio positis cum ipsis disputet? Cur non gehennam memoret, non tenebras exteriores, non venenatum vermem, non vincula perpetua, non ignem paratum diabolo et angelis ejus, non stridorem dentium, et alia inenarrabilia supplicia? Si enim terrere voluit, a gravioribus id faciendum oportuit, non autem ab iis, quæ in deserto contigerunt. Illi enim etiamsi plexi sint, at mitiore et temporanea pœna, atque una tantum die; hi autem immortali ac graviori sunt supplicio plectendi. Cur ergo illos non ex hisce terruit, neque Christi dictacommemoravit? Poterat enim illis dicere, Nolo vos ignorare, fratres, quas leges Christus posuerit iis, qui cum fidem habeant, vitam tamen optimam non exhibent. Etenim eos etiam qui miracula patrabant, et prophetiæ dono fulgebant exclusit a regno cœlorum dicens: « Multi » dicent mihi in die illa: Domine, Domine, nonne in no» mine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo prophe» tavimus, et virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor » eis: Recedite a me, non novi vos, qui operamini iniqui» tatem[1]. » Et virgines quoque non de fide et dogmatibus arguens, sed de perversa vita, et inhumanitate et crudelitate, exclusit e thalamo nuptiali. Illum vero qui sordidis indutus erat vestibus, ideo vinctum ejecit: non quod dogmata recta non teneret, sed quod vitam sordidam et impuram egisset. Illos item, quos abduci jussit in ignem paratum diabolo et angelis ejus, non propterea illo misit, quod a fide excidissent, sed quod nullius unquam miserti essent. Hæc omnia et similia commemorare poterat, ac dicere: Nolo vos ignorare, fratres, hos omnes baptismum esse consecutos et mysteriorum participes effectos, multam exhibuisse fidem, scientiam habuisse perfectam; sed quia vitam fidei consonam non instituerunt, a regno ex-

[1] Matth. VII, 22.

clusos, et igni traditos fuisse. Cur ergo hæc non dixit, sed his missis omnibus, sic locutus est: « Nolo autem vos » ignorare, fratres, quod patres nostri omnes sub nube » fuerunt, » et ea commemorans, quæ ad Moysem spectabant, quæ ad gratiam pertinebant tacuit? Non temere nec sine causa sic agit, multa quippe sapientia plenus erat. Sed cur, et propter quid? Duabus hisce de causis; ut videlicet illos tangeret, simulque ostenderet, magnam esse cognationem Vetus inter et Novum Testamentum. Quoniam enim multi sunt, qui nec gehennam nec supplicium esse putant; sed autumant Deum simpliciter, ut metum et temperantiam induceret, hæc comminatum esse, vermem immortalem, ignem inextinguibilem, tenebras exteriores, sed non possunt præteritis fidem negare. Nam quæ facta sunt, quo pacto quis dicere possit non facta esse? iis quippe quæ non visa, nec in opus educta sunt, multi non credunt; iis autem quæ facta sunt, et ad finem deducta, quantumvis perversus et improbus quis fuerit, ne quidem si velit, poterit fidem negare. Ab iis ergo, quæ in confesso apud omnes sunt, utpote facta, quorum etiam reliquiæ manent, vult eos de recto Dei judicio fieri certiores; ac si diceret, Si non putas esse gehennam, neque pœnam, neque supplicium, sed Deum frustra comminatum esse, præterita repetens, futuris etiam crede. Si enim is ipse est Deus, qui et præterita et præsentia dispensat; itemque ea quæ sub veteri lege, et ea quæ in statu gratiæ; sicut revera idem et ipse est: qua ratione illos quidem peccantes castigavit et pœnis subjecit, nos vero qui paria, imo multo graviora admisimus, inultos dimittet. Quæro igitur, annon Judæi fornicati sunt et plexi sunt? annon murmuraverunt, et supplicio sunt affecti? Id confiteri necesse est. Quomodo ergo qui illos affecit pœna, te paria ausum præteribit? Id sane non est rationi consonum.

At hic non dedisti pœnas? Ideo maxime crede gehennam esse atque supplicium, quia hic non dedisti pœnas. Nisi enim posthac aliquod supplicium futurum esset, nequaquam eadem quæ illi priores ausus, inultus mansisses. Tu ergo si quempiam deprehenderis mollem, dissolutum, multamque lasciviam exhibentem, qui dicat tibi, Hæc sunt fabulæ; non est supplicium, neque gehenna, sed Deus hæc frustra terrendi causa comminatus est, responde illi: Homo, non credis futuris, quia non apparent, neque in medio vel sub oculis sunt constituta, num potes fidem negare iis, quæ facta finemque sortita sunt? Cogita Sodomam et Gomorram. Regio illa nulla alia de causa tantas dedit pœnas, quam quod incolæ ejus illicitos coïtus induxerunt, illegitimosque amores, ac naturæ leges radicitus subverterunt. Qua igitur ratione fieri possit ut Deus idem ipse nunc qui tunc erat, illos peccantes sine venia punierit, te vero qui post illos peccasti et majore dignus es ultione, quia gratiam sortitus es, neque illorum supplicio emendatus, inultum sinat.

III. Ideoque Paulus, nihildum de gehenna locutus, quia futura a multis non creduntur, ab iis quæ jam contigerant, et quibus illi fidem habebant, ipsos erudire vult. Etiamsi enim futura terribiliora sint, popularibus tamen præterita sunt credibiliora, et hæc plus quam illa terrori sunt ipsis. Idcirco ex iis argumentum mutuatur, quibus ne impudentiores quidem fidem negare possunt : simul autem et Marcioni et Manichæo et iis qui pari morbo laborabant, letalem infligit plagam. Si enim non est idem Veteris qui Novi Testamenti Deus, qui et illa monuit, et hanc formam traditurus erat, frustra mihi hoc dicis, o Paule, et nullum auditoribus timorem incutis. Nam potest is qui audit dicere : Si alius ille, alius hic Deus est: hic certe non secundum illius sententiam judicabit, neque

iisdem obtemperabit legibus. Quid enim si Deo veteris Legis visum est omnes punire : quas larvas profers, quid terres? Alium habeo Dominum, qui me judicaturus est. Itaque si alius fuisset veteris, alius novæ Legis, Paulus contra, quam volebat, fecisset : non modo enim non terruisset auditorem, sed etiam ab omni angustia et metu liberasset, quod nemo quantivis pretii etiam insipiens fecerit, nedum Paulus tanta plenus sapientia. Unde palam est eumdem esse Deum, qui et Judæos in eremo prostravit, et de nobis eos ulturus est, qui peccaverint. Neque enim, nisi unus esset, id iterum dico, per ea quæ olim a se gesta sunt, de futuris etiam nos terreret. Quia autem idem ipse est, supplicii expectationem, cui contradici nequit, ipsis induxit, ostendens metuendum formidandumque esse. Qui enim patres nostros peccantes ultus est, non utique nobis parcet paria peccantibus. Jam operæpretium fuerit principium narrationis repetere, et dicta singula cum omni accuratione examinare. « Nolo autem » vos ignorare, fratres. » Discipulos vocat fratres; non dignitatis, sed charitatis nomine ipsos compellans. Sciebat enim, apprime utique sciebat, huic appellationi æquale nihil esse, et maximam dignitatis speciem, speciem esse charitatis. Hoc autem prius et nos imitemur. Etiamsi quidam nostrum valde inferiores sint, ipsos ministerii nomine compellemus, non solum liberos, sed etiam servos; non solum divites, sed etiam pauperes; quandoquidem et Paulus non solum Corinthiorum divites, liberos et conspicuos et nobiles, sed etiam privatos et domesticos, et omnes indiscriminatim hac appellatione honoravit. Nam in Christo Jesu neque servus neque liber, non Barbarus, non Scytha[1], non sapiens, neque insipiens, sed omnis sæcularis dignitatis inæqualitas sublata est. Ecquid mi-

[1] Galat. III, 28.

rum si Paulus conservos sic appellaverit, quando et Dominus ejus naturam nostram sic vocavit, his verbis : « Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ » laudabo te [1] ? » Neque tantum nos fratres vocavit, sed et ipse frater esse noster voluit, et vere fuit cum carnem nostram induit, et naturæ nostræ consors factus est. Quod ipsum admirans Paulus dicebat : « Non enim Angelos ap- » prehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehendit ; unde » debuit per omnia fratribus assimilari. » Et rursum : « Quo- » niam vero pueri participaverunt carni et sanguini, simi- » liter et ipse participavit iisdem ipsis [2]. » Hæc porro omnia audientes, arrogantiam, fastum et superbiam quamlibet ex animis nostris eliminemus : id summo studio curemus, ut obsequii et honoris nominibus proximos nostros compellemus. Licet enim hoc officium parvi momenti esse videatur, magna tamen parit bona : quemadmodum et oppositum multas inimicitias, lites et contentiones plerumque peperit. Neque hoc solummodo dictum, sed etiam illud quod sequitur, magna accuratione excutiamus : neque enim illud sine causa posuit. Cum enim dixisset, « Nolo vos ignorare, fratres ; » adjecit, « Quod patres nostri » omnes : » non dixit, quod Judæi, neque ii, qui ex Ægypto egressi fuerant ; sed quid ? « Patres nostri omnes ; » simul suam exhibens humilitatem, cum eorum cognationem non dedignatus est, et si tantum superior virtute ; et impudentem eorum linguam coërcens, qui veterem legem criminantur. Neque enim si odisset illam, honorabilioribus illam nominibus commemorasset, cum illi omnes qui tunc vixerant criminationi essent obnoxii. « Omnes. » Neque illud temere posuit, « Omnes, » neque supervacanee, sed magna cum sapientia. Neque cum semel dixisset, id postea tacuit ; sed et bis et ter et sæpe pronuntiavit ; ut edis-

[1] Psal. xxi, 23. — [2] Hebr. ii, 14-16.

cas illum non perfunctorie hoc protulisse. Cum dixisset enim, « Quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, » adjecit, «Et omnes per mare Rubrum transierunt, et omnes » in Moysem baptizati sunt, et omnes eamdem escam spi- » ritualem comederunt, et omnes eumdem potum spiri- » tualem biberunt. » Audisti quomodo sæpe illud « Omnes, » posuerit? Quod nequaquam fecisset, nisi magnum quid et mirabile mysterium subindicare voluisset. Si enim simpliciter posuisset, satis erat id semel dictum postea tacere, et sic dicere. Quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, et per mare transierunt, et in Moysem baptizati sunt, et eamdem escam spiritualem comederunt, et eumdem potum spiritualen biberunt. Nunc autem non ita dixit, sed ad singula gesta illud, « Omnes, » adjiciens, non parvam nobis sententiæ suæ januam aperuit, ut ejus sapientiam consideremus. Cur ergo hanc vocem frequenter repetit? Ut ostendat magnam esse Legis veteris cum nova cognationem, et illa fuisse horum figuram, et futurorum umbram. Atque primum hinc consonantiam ostendit. Volebat enim demonstrare quod, quemadmodum in Ecclesia non est discrimen inter servum et liberum, neque inter peregrinum et civem, senem et juvenem, sapientem et insipientem, privatum et principem, mulierem et virum, sed omnis ætas et dignitas, atque uterque sexus similiter in eamdem illam aquarum piscinam descendunt, ac sive rex, sive mendicus eadem expiatione fruuntur, id quod est maximum nostræ nobilitatis argumentum, quod simili modo mendicum ac purpura vestitum ad mysteria admittamus, atque in mysteriorum ratione nihil hic plus illo habeat : sic et in veteri Lege illud, « Omnes, » frequenter posuit. Neque enim dicere potes, Moysem per aridam, Judæos vero per mare transivisse; neque opulentos per hanc viam, pauperes per aliam, neque mulieres sub aëre,

viros sub nube; sed omnes per mare, sub nube omnes, et in Moysem omnes. Quoniam enim transitus ille futuri baptismatis typus erat; hoc primum per figuram exprimi oportuit, nempe omnes eorumdem consortes fuisse, quemadmodum et hic omnes eadem æqualiter participant. Et quomodo potest, inquies, illud præsentium esse typus? Si prius didiceris quid sit typus, quid veritas, tunc tibi hujusce rei rationem reddam.

IV. Quid igitur est umbra, et quid veritas? Age, sermonem ad imagines transferamus, quas pictores delineant. Vidisti sæpe imperatoriam imaginem cæruleo tinctam colore; deinde vero pictorem albas lineas ducentem, et imperatorem depingentem, et solium imperatorium, et equos astantes, et satellites et vinctos hostes atque subactos. Attamen cum vides hæc delineata et adumbrata, neque totum scis, neque totum ignoras : sed hominem pingi et equum obscure cognoscis : qualis vero sit imperator et qualis hostis, non ita perspicue cognoscis, donec accedens colorum veritas visum certiorem faciat. Sicut igitur in illa imagine non exigis totum ante colorum veritatem : sed si obscuram quamdam rei cognitionem percipias, satis absolutam delineationem esse arbitraris; sic et de Veteri et de Novo Testamento sentias: neque omnimodam in typo veritatis accurationem a me requiras; tumque potero te docere, quo pacto quamdam affinitatem habuerit Vetus cum Novo, et ille transitus cum baptismo nostro. Illic aqua et hic aqua : hic piscina, illic pelagus : hic omnes in aquam ingrediuntur, illic item omnes : secundum hoc affinitas. Vis demum discere colorum veritatem? Illic ab Ægypto per mare liberabantur, hic ab idololatria. Illic Pharao demergebatur, hic diabolus : illic Ægyptii præfocabantur, hic vetus homo peccatis onustus defoditur. Et vide cognationem figuræ cum veritate, ac

veritatis præ typo excellentiam. Neque enim omnino alienum oportet esse typum a veritate, alioquin enim typus non esset : neque rursum par est exæquari typum veritati; alioquin typus ipsa veritas esset : sed in suo modo maneat oportet, neque omnia habeat, quæ veritas habet, neque a toto excidat. Si enim totum haberet, ipsa veritas esset; si a toto excideret, non posset esse typus. Sed oportet ut partem habeat, partem veritati reservet. Ne igitur in Veteri totum a me requiras : sed si qua parva et obscura acceperis ænigmata, tecum bene actum esse puta. Ubi itaque est cognatio typi cum veritate ? in eo quod illic omnes, hic item omnes : illic per aquam, hic etiam per aquam : illi a servitute liberati sunt, et nos item a servitute liberati, sed non ab eadem : nam illi a servitute Ægyptiorum, nos a servitute dæmonum : illi a servitute Barbarorum, nos a servitute peccati. Ad libertatem reducti sunt illi, et nos etiam; sed non ad eamdem, sed ad multo splendidiorem. Quod si majora suis nostra et excellentiora, ne stupeas. Hoc enim maxime veritatis est, quod sit typo longe excellentior, neque tamen illi adversaria sit, et cum illo pugnet. Quid autem est, « Omnes in Moysem baptizati » sunt ? » Forte clarum est quod dicitur; sed clarius efficere conabor. Mare tunc erat diffusum ante oculos eorum, et jubebantur transire per extraneam quamdam et admirabilem viam. Nemo unquam sic transierat. Cunctabantur et recusabant, atque ægre ferebant. Transivit Moyses primus, et ut omnes facile sequerentur effecit. Hoc sibi vult illud, « In Moysem baptizati sunt; » cum illi credidissent, tunc in aquas illo duce, ipsique fidentes ingredi ausi sunt. Hoc et in Christo accidit : cum enim nos reduxisset ab errore, et ab idolorum cultu liberasset, et in regnum nos manu duceret, ipse primus viam aperuit, primus in cœlos ascendit. Quemadmodum igitur illi Moysi fidentes, iter

suscipere sunt ausi; ita et nos Christo fidentes, hanc peregrinationem fidenter suscipimus. Quod autem id sibi velit illud, « In Moysem baptizati sunt, » ex historia palam est. Non enim in nomen Moysis baptizati sunt. Si porro nos, non modo Jesum ducem ac principem habemus, sed etiam in nomen ejus baptizamur, licet illi non baptizentur in nomen Moysis, ne ideo turberis : dixi namque oportere ut veritas aliquam ingentem et ineffabilem excellentiam habeat supra figuram. Vidisti-ne in baptismo qui sit typus, quæ veritas? Ago, ostendam tibi et mensam et mysteriorum participationem illic adumbratam fuisse; si non totum rursus a me petas; sed sic ea quæ gesta sunt examines, ut par est umbras et figuras. Nam cum dixisset de mari, de nube, deque Moyse, subjunxit : « Et omnes eam» dem escam spiritualem comederunt. » Quemadmodum tu, inquit, ex piscina aquarum ascendens, ad mensam curris; sic et illi ex mari ascendentes, ad mensam novam et mirabilem venerunt, de manna loquor. Ac rursum sicut tu mirabilem potum habes, sanguinem Servatoris; sic et illi mirabilem habuere potus naturam : non invenerunt fontes, non fluvios, sed ex petra dura et inaquosa magnam fluentorum copiam acceperunt. Ideo potum illum, spiritualem vocavit; non quod natura talis esset, sed quod ex modo, quo suppeditabatur, talis fieret. Neque enim secundum naturæ rationem ipsis dabatur, sed secundum Dei, ipsos ducentis, operationem. Quod ille ad rectum sensum deducens dicebat : cum enim dixisset, « Et omnes eum» dem potum spiritualem biberunt; » aqua autem erat quæ bibebatur; ut ostenderet se ideo spiritualem dixisse, non ob naturam aquæ, sed ob modum, quo suppeditabatur, adjecit : « Bibebant enim de spirituali consequente eos » petra : petra autem erat Christus. » Non inquit, natura lapidis, sed operantis Dei virtus fontes illos emittebat.

V. Et hic Pauli Samosateni hæresim radicitus evellit. Si enim Christus illa omnia operabatur, quomodo ipsum hinc cœpisse dicunt, cum Maria ipsum genuit? cum enim ea quæ in deserto gesta sunt, ante Mariam facta sint, et Christus secundum Pauli vocem illa omnia fecerit, necesse est illum et ante partum et ante parturitionem fuisse: neque enim qui non extitisset, tam mirabilia atque incredibilia opera patrasset. Sicut autem cum dixit, omnes per mare transivisse, Ecclesiæ nobilitatem diu ante typis expressam declaravit, sic cum dixit omnes eamdem escam spiritualem comedisse, idipsum iterum subindicavit. Quemadmodum enim in Ecclesia, non aliud corpus dives, aliud pauper, nec alium sanguinem hic, alium ille accipit; sic et illo tempore non aliud dives manna accepit, aliud pauper; nec alterius ille fontis, alterius hic et indigentioris particeps fuit: sed sicut nunc eadem ipsa mensa, idipsum poculum, idem cibus omnibus huc ingredientibus offertur; ita et tunc idipsum manna, idem fons omnibus proponebatur. Quodque stupendum admirandumque est, tentavere quidam illo tempore plus, quam opus erat, colligere, nihilque profuit illis avaritia. Verum donec æqualitatem servabant, manna manebat manna; ubi vero plus accipere studebant, avaritia manna in vermes mutabat: quamvis hoc non cum detrimento aliorum faciebant: non enim proximi escam rapiendo plus colligebant: attamen quia plus concupiscebant, damnati sunt. Licet enim proximum non læderent; sibi tamen maximum damnum afferebant, cum hoc colligendi modo avaritiæ assuescerent. Itaque idipsum simul et esca erat et Dei cognitionis doctrina: simul corpora nutriebat, et erudiebat animum. Neque nutriebat tantum, sed etiam a labore eximebat. Neque enim opus erat jungere boves, aratrum trahere, vel terram sulcare, vel per annum

expectare ; sed subito appositam habebant mensam, recentem, novam et quotidianam : rebusque ipsis discebant evangelicum illud præceptum, non debere quempiam sollicitum esse in crastinum[1] : nulla quippe utilitas ex hac sollicitudine consequebatur. Quod enim plus quispiam colligebat, corrumpebatur et peribat, atque argumentum avaritiæ solum manebat. Deinde ne putarent imbrem illum ex naturæ consuetudine manare, in die sabbati nihil hujusmodi fiebat, Deo hæc utraque ipsos docente ; quod scilicet ipse præteritis diebus hanc mirabilem pluviam operatus esset, et quod illo die pluviam ideo cohiberet, ut vel inviti discerent illo die feriari. Neque ex cibo tantum, sed etiam ex vestimentis et calceamentis et ex aliis omnibus, videre erat tradita Apostolis mandata reipsa completa. Neque enim domum habebant, non mensam, non lectum, non vestem mutatoriam, neque calceos, Deo sic dispensante. Vide quanta sit Veteris Testamenti cum Novo affinitas. Quemadmodum enim Christus Apostolos demum ad ea quæ necessaria erant informavit ; sic et illis vitæ modus adaptatus est, et omnis creatura ad ministerium eorum præparata erat. Et cur, inquies, hæc facta sunt? Ipsos in unum orbis locum conclusurus erat, et mandaturus eis ut sibi perpetuo illic ministrarent, ac neque templum vel altare alibi per orbem construerent ; sed oblationes et sacrificia sua illuc afferrent, festa celebrarent, legerent Legem, et omnes alios sanctificationis illius ritus perficerent. Ne igitur ex definito ministerii ritu, providentiam suam illic concludi putarent, seque Deum particularem illius loci crederent, prius virtutem suam in aliena terra exhibuit, in Ægypto, in deserto, ubi nemo qui se coleret, nemo erat qui se adoraret : et contrariis rebus creatura serviebat, operibus suis vel

[1] Matth. VI, 34.

incredulis suadens, ut creationem ab initio ab illo factam agnoscerent. Etenim mare alios suffocavit, alios servavit; aër nunc grandinem, quo Barbaros perderet, nunc manna, ut Judæos aleret, emittebat. Rursum terra, nunc sciniphes ad ulciscendos hostes, nunc coturnicem ad salutem suorum efferebat. Illis interdiu tenebræ, his noctu lux aderat. Ægyptii interfluentem habentes Nilum, siti et siccitate peribant; hi autem in deserto arido et sicco castrametantes, multa fruebantur aquarum copia : et illos quidem ranæ oppugnabant, hos autem ne gigantes quidem capere poterant.

VI. Sed cur hæc nobis commemorat beatus Paulus? ob eam causam, quam initio vobis dixi; ut discas neque baptismum, neque peccatorum remissionem, non scientiam, non mysteriorum participationem, non mensam sacram, non corporis fruitionem, non sanguinis participationem, nec aliud quidpiam prodesse nobis, nisi vitam rectam, mirabilem, et omni peccato liberam ducamus. Quod enim hæc ideo commemoraverit ostendit, cum postquam recensuerat formam baptismi per mare et per nubem; mysteriorumque typum per manna et per petram in veteri Lege præfiguratum descripserat, ac dixerat, « Omnes eamdem escam spiritualem comederunt, et » eumdem potum spiritualem biberunt, » Adjecit dicens : « Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. » Post tot tantaque miracula, inquit, non dilexit eos Deus. Sed quid? « Prostrati sunt in deserto. » Cur itaque hæc nobis Paule, narras? « Hæc autem in figura facta sunt nobis, » ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi con» cupierunt : neque idololatræ efficiamur, sicut quidam ex » ipsis; quemadmodum scriptum est : Sedit populus man» ducare et bibere, et surrexerunt ludere[1]. » Vide Pauli

[1] Exod. xxxii, 6.

prudentiam : dixit peccatum, dixit causam peccati, dixit pœnam propter peccatum inflictam : his nos erudiens, ut ne illos imitemur. Causa peccati fuit gula : « Sedit populus » manducare et bibere : » Peccatum, ipse lusus. Deinde pœna, « Prostrati sunt in deserto. » Iterum vero, « Ne for- » nicemur, sicut quidam eorum fornicati sunt. » Hic causam fornicationis non posuit, sed pœnam : quam vero illam ? « Ceciderunt una die viginti tria millia. » Cur autem oc- casionem non dixit, ex qua fornicatio orta est ? Studiosis reliquit, ut historiam adirent, et radicem mali discerent. Hic est medicinæ modus, dicere nempe unde nascantur morbi, et remedia adhibere vulneribus. Propterea dicit : « Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta » sunt autem ad correptionem nostram. » Itaque qui fecit illa, et improbos ultus est, is ipse nunc nos admonet, non verbis tantum, sed rebus ipsis ; qui maximus est admoni- tionis modus. Vidisti-ne quomodo iis qui in gratia sunt, eum, qui in Veteri hoc fecerat, magistrum instituerit ; ostendens eumdem ipsum esse qui et illa fecerat, et hæc per ipsum loquebatur ? Nam si alienus fuisset, nequaquam illa horum figuram, nec ad correptionem nostram ea scripta fuisse dixisset, neque magistrum nobis instituisset, quem non putasset esse Deum : neque ab iis, quæ tunc facta fuerant, nos terruisset, quasi in illius manus deven- turos. Nunc autem ostendens nos in illius manus iterum delapsuros esse : atque utrumque populum, illum nempe et hodiernum, illius gubernari legibus, omnia illa com- memoravit, ac dixit, « Ad nostram correptionem scripta » sunt. » Hæc igitur cum sciamus, et præteritis et futuris credamus. Si vero quipiam sint, qui futuris non credant, a præteritis eos ad virtutis studium deducamus, illa nar- rantes quæ Sodomitis acciderunt, quæ in diluvio item, quæ in Ægypto commemorantes ; ut aliorum pœnis ad

meliorem frugem reducti, vitamque agentes optimam, doctrinam demum de gehenna et de resurrectione admittant. Quandoquidem et nunc qui judicium non credunt, nonnisi a corrupta vita et prava conscientia sic affecti sunt. Itaque si peccata cluamus, et metu præteritorum nos erudiamus, etiam doctrinam de futuris admittere suadebimus. Quemadmodum enim prava dogmata vitam impuram inducere solent; sic et corrupta vita prava dogmata plerumque peperit. Quod ne contingat et nobis ipsis, et aliis; hæc vociferantes verba et rectam fidem servemus, et vitæ institutum optimum exhibeamus, quandoquidem a nobis ex omni parte demonstratum est, sine proba vita nullam fore rectorum dogmatum utilitatem. Fiat autem precibus sanctorum, et præsulum omnium, ut et recta dogmata, quæ a majoribus olim accepimus, pura servemus; et vitam ipsis congruentem adjiciamus, ut promissa bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre simulque sancto Spiritu, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In dictum illud Apostoli: Oportet et hæreses esse in vobis, ut qui probati sunt, manifesti fiant [1].

I. Satis nuper hoc spirituale theatrum incaluit [2], cum Jerosolymam oratione vobis inducerem et plorantem, et proprias calamitates annuntiantem. Vidi enim oculos vestros lacrymarum flumina parturire: vidi ex affectu vestro singulorum animos gemitibus oppletos, atque turbatos.

[1] 1 Cor. xi, 19. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIII, p. 200-204.

Ideo statim atque id animadverti, tragœdiam illam sedavi, sermonem de medio transtuli, fletumque illum ex singulorum cordibus erupturum coërcui. Anima quippe luctu occupata, nihil sanum vel dicere vel audire valet. At cur hoc nunc vobis in memoriam revocavi? Quia ea, quæ sum hodie dicturus, illis quæ tunc locutus sum admodum sunt affinia. Quemadmodum enim illa vitæ desidiam in nobis reprimebant, segnitiemque in agendo nostram corrigebant; sic ea quæ nunc dicturi sumus circa diligentem dogmatum observationem, securiores nos reddere poterunt; ita ut undequaque perfecti futuri simus, « In virum » perfectum, in mensuram ætatis [1] » pervenientes secundum divinum Apostolum. Tunc corpus vestrum curavimus, nunc capiti medicinam afferimus; tunc Jeremiæ verbis, nunc Pauli sermonibus. Quænam sunt illa Pauli verba, quæ nunc nobis explananda proponuntur? « Oportet, in- » quit, et hæreses esse in vobis, ut et qui probati sunt, » manifesti fiant in vobis [2]. » Non minimum est quod quæritur. Nam si consulentis more Paulus loquitur, et vere oportet hæreses esse, inculpati sunt hæresiarchæ. Atqui non ita est, non ita res se habet: non enim consulentis, sed futura prædicentis hoc dictum est. Quemadmodum enim medicus cum videt ægrum crapulæ et vino aliisque prohibitis deditum, tali intemperantia, inquit, febrim gigni oportet, non legem ponens, non consulens, sed ex præsentibus futura conjectans ac prædicens, ita loquitur; similiterque agricola aut gubernator videns concursum nubium et tonitrua cum fulguribus erumpentia, dicit, Oportet hasce nubes pluviam parere, et imbrem vehementissimum, non cohortando hæc dicit, sed quod futurum est prænuntiat; sic et Paulus illa voce, « Oportet, » usus est. Et nos sæpenumero cum videmus homines acriter

[1] Ephes. IV, 13. — [2] 1 Cor. XI, 19.

disceptantes, ac sese mutuo gravibus contumeliis afficientes, dicimus, Oportet hosce homines in aliquam pugnam erumpere, et custodiendi sunt ; non cohortantes, neque consulentes ita loquimur : quî enim id fieri possit? sed ex præsenti futurum conjectantes. Ita et Paulus non consulens ita loquitur, « Oportet hæreses in vobis esse, » sed prædicens et prophetice prænuntians id quod futurum est. Quod enim non consulat hæreses esse, ipse declarat dicens : « Etiamsi Angelus vobis evangelizat præter id, quod » accepistis, anathema sit [1]. » Ipse est qui circumcisionem, quia intempestive observabatur, et prædicationis puritatem labefactabat, rejecit ac dixit : « Si circumcidamini, » Christus vobis nihil proderit [2]. » Quomodo igitur, inquies, causam adjecit, dicens : « Ut qui probati sunt, manifesti » fiant? » Illa vox, « Ut, » in Scripturis plerumque non causam significat, sed rerum eventum. Exempli causa, venit Christus, et cæco visum reddidit [3] : ille vero ipsum adoravit : Judæi contra hoc in sanitatem restituto, nihil non agebant ut miraculum obscurarent ; atque Christum expellebant. Tunc igitur ait ille : « In judicium ego veni in » mundum hunc, ut qui non vident videant, et qui vident, » cæci fiant [4]. » Ergo-ne ea de causa venit, ut illi cæci fierent? Non certe ideo venit : sed illud accidit, et eventum rei ille ceu causam extulit. Rursum lex data est ut peccatorum cursum coërceret, ut moderatiores efficeret eos, qui ipsam acciperent : Sed ob illorum ignaviam, contrarium accidit : peccata enim auxerunt ; dicitque Paulus : « Lex autem subintravit, ut abundaret delictum [5] ; » cum tamen non ideo subintraverit, sed ut minueret delictum. Illud autem evenit propter improbitatem eorum, qui illam acceperunt. Sic et hoc loco, « Ut, » non causam indi-

[1] Galat. I, 8. — [2] Id. V, 2. — [3] Matth. XX, et Marc. X, — [4] Joan. IX, 39. — [5] Rom. V, 20.

cat, sed eventum. Quod enim alia sit hæresium causa, quodque non ideo hæreses fuerint, ut qui probati essent, manifesti fierent, sed aliunde occasiones acceperint, audi Christum nobis declarantem : « Simile factum est, inquit, » regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro » suo; et dum dormirent homines, venit inimicus homo, » et seminavit zizania [1]. » Vides-ne ideo hæreses fuisse, quod dormirent homines, quoniam segnes erant : quoniam dictis non diligenter attendebant ? Ne itaque quispiam dixerit, Cur hoc permisit Christus? dicit Paulus : hæc permissio nihil te lædit : si probatus fueris, clarior apparebis. Non enim par res est, nemine supplantare, nemine decipere conante, in recta stare fide, atque innumeris erumpentibus procellis, inconcussum et immobilem manere. Quemadmodum enim arbores, ventorum undique irruentium impetu firmiores redduntur, si quidem recte et accurate radicem posuerint; sic et animas in fundamento rectæ fidei defixas, quælibet irrumpentes hæreses non subvertunt, sed foetiores reddunt. Quid igitur dicamus de infirmis, qui facile corruunt et supplantantur? Ne illi quidem per hæreseos impetum, sed per propriam infirmitatem hoc patiuntur. Infirmitatem vero non naturalem dico, sed eam, quæ est ex proposito voluntatis, quæ digna reprehensione, pœna atque supplicio, quam emendare penes nos est. Quapropter cum emendamus, laudamur; cum non emendamus, castigamur.

II. Atque ut discas eis, qui vigilant, nihil nocere posse, aliunde etiam id demonstrare satagam. Quid diabolo malignius, quid sceleratius? Attamen hic malignus, sceleratusque, qui multa vi pollet, cum omnibus machinis suis Job adortus, totaque pharetra sua in domum et in corpus justi viri evacuata, non modo ipsum non subvertit, sed et

[1] Matth. XIII, 24.

clariorem fecit. Et ille quidem a diabolo nocumenti nihil accepit; Judas vero, quoniam negligens segnisque erat, nihil ex Christi consortio lucratus est, sed post tot illas adhortationes atque consilia proditor mansit. Causa autem est, quia neminem invitum cogit vel vi adducit Deus, ut nec illum coëgit. Eodem modo si nos vigilemus, nihil nocumenti nobis afferre poterit diabolus; sin non vigilemus, sed segniter agamus, ne quidem ab iis, quæ prodesse possent, lucri quidpiam accipiemus; sed detrimentum nobis erit extremum, tantum malum est segnities. Judæis ergo non modo nihil profuit Christi adventus, sed etiam nocuit. Non Christus illis in causa fuit, sed sua ipsorum segnities et improbitas. Id vero Christum ipsum audi dicentem : « Nisi venissem, inquit, et locutus fuissem » eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem » non habent de peccato suo [1]. » Vides-ne adventum ejus et venia ipsos privasse, et omnem defensionis modum abstulisse? Tantum est malum non attendere sibi, neque sua, ut par est, curare. Hoc et in corporibus videre est: eum enim qui oculis laborat, ipse sol caligine offundere solet, sanum vero ne tenebræ quidem lædere possunt. Non sine causa diutius hunc sermonem produco : sed quia multi cum segnitiem suam culpare, ac improbitatem stuporemque suum corrigere deberent, hac missa cura circumeunt frigidas excusationes quærentes atque dicentes : Nisi diabolus esset, non periremus; nisi lex esset, non peccaremus; nisi hæreses essent, non supplantaremur. Hæc sunt obtentus et prætextus, mi homo : vigilanti enim nihil nocet unquam, sicut dormienti, pigritanti et salutem suam prodenti, nihil prodest. Idipsum enim et Paulus subindicans dicebat : « Ut qui probati sunt, manifesti fiant in » vobis [2]; » hoc est, ne turbemini, neque anxii estote,

[1] Joan. xv, 22. — [2] 1 Cor. xi, 19.

nihil vos nocere possunt hæreses. Quod itaque etiamsi de hæresibus sermo sit, prædicta quæstio non sic habeat, hinc palam est : Prophetia namque est, non consilium; prædictio, non admonitio : et illa vox, « Ut, » eventum, non causam, significat. Quod autem non de dogmatibus jam illi sermo sit ; sed de pauperibus et divitibus, de cibo, et de abstinentia a cibo, de opulentorum lascivia et crapula, et de pauperum contemptu, qui penes ipsos erat; ferte paulisper id superius narrantem. Neque enim alio modo id vobis palam esse potest. Quoniam enim Apostoli cœperant verbum pietatis seminare, accesserunt statim tria millia, et rursum quinque millia et illorum omnium erat cor unum, et anima una. Concordiæ autem causa, et charitatis eorum vinculum, quod tot animas in unum congregabat, pecuniarum contemptus erat. « Nullus enim, » inquit, quidpiam sibi proprium esse dicebat, sed erant » illis omnia communia [1]. » Quia enim radix malorum sublata fuerat, avaritia nempe, omnia advenerant bona : ac deinde mutuo cohærebant, a nulla re divulsi. Illud enim « Meum et tuum, » frigidum illud verbum, innumera bella in orbem inducens, ex sancta illa Ecclesia eliminatum erat, et in terra perinde habitabant, atque Angeli in cœlo. Non divitibus pauperes invidebant, cum nulli essent divites; nec pauperes a divitibus contemnebantur, cum pauperes non essent; sed omnia essent communia. Ac nemo quidpiam ex iis quæ habebat, suum esse dicebat. Neque enim ut hodie, sic tunc se res habebant. Nunc enim sua habentes, erogant pauperibus : tunc vero non sic; sed a propriarum pecuniarum dominio absistentes, et in medio eas deponentes atque commiscentes, ne quidem internosci poterant qui nuper divites fuerant; ita ut si quis ex pecuniarum despectu fastus oriri posset, ille

[1] Act. IV, 32.

etiam funditus tolleretur, quandoquidem omnia æqualia erant, omnesque pecuniæ commixtæ fuerant. Neque inde solum, sed etiam ex modo deponendi pecunias, illorum pietatem videre erat. Quotquot enim agros aut domos possidebant, illas vendentes pretium afferebant, et ponebant ad pedes Apostolorum [1]. » Non dixit, In manus injiciebant, sed ad pedes eorum ponebant, pudorem, reverentiam, timorem, quo erga Apostolos afficiebantur, his declarantes : non enim dare magis, quam accipere se putabant. Et hoc maxime est pecunias despicere, hoc vere Christum nutrire; si non cum arrogantia et fastu hoc facias; si ita largiaris, si ita præbeas, ac si magis in te, quam in accipientem, beneficium conferas. Si enim non sic affectus sis, ne dederis. Nisi te putes magis accipere, quam dare, ne præbueris. Idipsum et aliis rursum testificatus est Paulus his verbis : « Notam autem facio vo» bis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Ma» cedoniæ, quoniam altissima paupertas eorum abundavit » in divitias simplicitatis eorum : quia secundum virtutem » testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii » fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gra» tiam et communicationem ministerii, quod in sanctos » impleverunt [2]. » Vides-ne quod ideo plus illos admiretur, quod gratiam scientes, et obsecrantes et hortantes, sic pecuniarum copiam exhibuerunt?

III. Ideo Abrahamum miramur, non tantum quod vitulum mactaverit, non quod farinam miscuerit; sed quod cum multa voluptate et humilitate hospites exceperit, accurrens, ministrans, dominos vocans, thesaurum innumerorum bonorum se reperisse putans, si quando transeuntem hospitem videret. Sic enim duplex est eleemosyna cum damus, et cum alacritate damus. « Hilarem

[1] Act. IV, 34. — [2] 2 Cor. VIII, 1.

» enim, inquit, datorem diligit Deus [1]. » Quandoquidem si cum arrogantia, fastu et vana gloria innumera effuderis talenta, omnia perdidisti; quemadmodum ille Pharisæus, qui bonorum suorum decimam dabat, quia altum sapiebat et superbia tumebat, omnibus amissis, discessit e templo [2]. Apostolorum vero tempore non sic se res habebat, sed gaudentes, exultantes, magno sibi esse lucro putantes, sic pecunias afferebant; et bene secum actum esse existimabant, si eas Apostoli dignarentur accipere. At quemadmodum quidam ad supremos magistratus vocati et in præcipuis imperii urbibus semper habitaturi, substantia tota in pecuniam conversa, sic solent eo se transferre; sic tunc faciebant homines illi, ad cœlum vocati, ad supernam metropolim et cœleste regnum. Quia enim sciebant illam esse vere patriam suam, substantiam suam in pecunias convertentes, eas per apostolicas manus eo præmittebant. Etenim extremæ est insipientiæ quidpiam ex rebus nostris hic relinquere, cum nos post tantillum temporis hinc emigraturi simus. Quod enim relinquitur, in damnum cedit. Omnia igitur illo præmittantur, ubi et nos deinceps semper versaturi sumus. Hæc secum reputantes ipsi, omnem substantiam deponebant: duplexque officium præstabatur : nam et egenorum paupertatem sublevabant, et ampliorem securioremque sibi substantiam parabant; in cœlo thesauros suos deponentes. Ab hac lege et consuetudine, mos quidam mirabilis in Ecclesiam tunc inductus est: coacti namque simul fideles omnes post auditam doctrinam, post orationes, post mysteriorum participationem, soluta synaxi, non statim domum concedebant: sed divites et opulentiores, alimenta et fercula e domibus suis afferentes, pauperes advocabant, communique simul mensa fruebantur, communibus epu-

[1] 2 Cor. IX, 7. — [2] Luc. XVIII, 20.

lis atque conviviis in ipsa Ecclesia; ita ut et a consortio mensæ, et a loci reverentia, undequaque charitas constringeretur, cum multa voluptate simul atque utilitate. Pauperes enim consolatione non parva; divites vero benevolentia fruebantur, tum eorum quos pascebant, tum Dei, cujus causa hoc faciebant: sicque magnam assecuti gratiam, domum secedebant. Innumera hinc sequebantur bona: quodque caput bonorum est, per singulas synaxes amor magis magisque accendebatur, cum et ii qui beneficia conferebant, et ii qui accipiebant, tanta cum benevolentia contubernales essent. Hunc morem Corinthii processu temporis labefactarunt, cum opulentiores seorsim cibum sumentes, egenos despicerent, nec expectarent tardius accedentes, et necessitatibus vitæ detentos ut pauperes solent, atque moras trahentes. Unde contingebat eos, demum advenientes, cum pudore jam sublata mensa recedere; illis præoccupantibus, his vero tardantibus. Videns itaque Paulus inde multa suboriri mala, tum quæ jam acciderant, tum quæ futura erant: nam a divitibus pauperes contemnebantur, ac superbe tractabantur, hincque pauperibus mœror odiumque in divites, aliaque succedebant mala ex hujusmodi rebus oriri solita; hanc pravam acerbamque consuetudinem corrigit. Et vide cum quanta prudentia et moderatione correctionem aggrediatur. Incipiens enim sic ait: « Hoc autem præcipiens, non » laudo, quod non in melius, sed in deterius convenitis[1]. » Quid sibi vult illud, « Non in melius? » Majores, inquit, et patres vestri, substantias suas vendebant et prædia et possessiones, atque omnia habebant communia, multamque mutuo charitatem: vos autem, quos par esset illos imitari, non modo nihil simile fecistis; sed etiam id, quod solum habebatis, amisistis; nempe convivia in col-

[1] 1 Cor. xi, 17.

lectis fieri solita. Ideoque ait : « Non in melius, sed in de-» terius convenitis. » Et illi quidem possessiones omnes in usum pauperum concedebant : vos vero mensa etiam illis concessa privatis. « Primum enim convenientibus vobis in » Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte » credo [1]. »

IV. Vide quomodo rursum prudenter correctionem adhibeat. Non dixit, Credo, vel, Non credo, sed medio verbo usus est, « Ex parte credo ; » non omnino credo, nec omnino fidem nego; ut vero hoc vel illud, in vestra penitus potestate est. Si resipiscatis, non credo; sin ita perseveretis, credo. Itaque non accusavit et accusavit. Non accusavit penitus, ut emendationis spem et inducias ad pœnitentiam daret : non crimine liberos dimisit, ne in eadem segnitie manerent. Nondum omnino credidi, inquit; idipsum enim est dicere, « Ex parte credo. » Id vero dicebat cohortans ut sese emendarent ac corrigerent, ipsumque abducerent ne rem hujusmodi vel ex parte crederet. « Oportet enim hæreses esse, ut qui probati sunt, » manifesti fiant in vobis. » Dic igitur quænam hæreses? Hic animum adhibete : quoniam non de dogmatibus dicitur illud, « Oportet hæreses in vobis esse : » sed de dissentione circa mensam. Cum enim dixisset, « Oportet au-» tem et hæreses esse, » modum hæresëon adjunxit : « Convenientibus enim vobis in unum, non est dominicam » cœnam manducare. » Quid est, « Dominicam cœnam man-» ducare? Dominicam cœnam, inquit, non est mandu-» care : » illam vocans cœnam, quam ultima nocte tradidit Christus, quia Discipuli cum illo omnes erant. In illa quippe cœna et Dominus et servi omnes simul recumbebant : vos vero, qui conservi estis, inter vos tamen dissidetis ac dividimini. Ille nec proditorem expulit : nam et

[1] 1 Cor. xi, 17.

Judas cum illis tunc erat : tu vero fratrem depellis. Ideo dicit, « Non est dominicam cœnam manducare. » Dominicam cœnam vocans eam quæ concordissime omnibus convocatis sumitur. « Unusquisque enim suam cœnam su- » mit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius au- » tem ebrius est, » Non dixit, Alius esurit, alius comedit; sed ebrietatis nomine magis illos tangit. Et hic et illic, ait, nullus est modus. Tu te crapula disrumpis, dum ille fame contabescit. Tu plura, quam opus sit, sumis, ille vero ne quidem necessariis fruitur. Duplex hoc corruptæ æqualitatis malum, hæreses vocat, quia contentiose invicem agebant et dissidebant, et alio esuriente, alius inebriabatur. Ac bene dixit, « Convenientibus vobis in unum. » Cur convenitis, inquit? quid sibi vult ille conventus? Ad quid ille communis cœtus, quando mensa non est communis? Dominicæ sunt facultates, quas accepimus, proindeque communes conservis nostris proponantur. « Num- » quid domos non habetis ad manducandum et bibendum? » aut Ecclesiam Dei contemnitis, inquit, et confunditis » eos qui non habent[1] ?» Tu quidem putas, inquit, fratrem tantum te contumelia afficere, redundat autem contumelia etiam in locum : Ecclesiam quippe totam contemnis. Ecclesia enim ideo dicitur, quia communiter omnes accipit. Cur ergo domus tuæ vilitatem in Ecclesiam inducis? Si enim contemnis fratrem, reverere locum : etenim Ecclesia contumelia afficitur. Neque dixit, Eos privatis, qui non habent; aut, non miseremini eorum, qui non habent. Sed quid : « Confunditis eos qui non habent : » Vehementissimo tangendi modo eorum luxum repræsentat. Non tam curat pauper, inquit, cibum, quam contumeliam. Vide quam honeste hoc excuset, et quam vehementer illos tangat. « Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo. » Quid

[1] 1 Cor. xi, 17.

hoc est? Post demonstratam absurditatem, lenior sequitur increpatio, et jure quidem merito, ne impudentiores evaderent. Priusquam enim rem absurdam esse demonstraret, perfectam sententiam extulit dicens, « Hoc autem præci-» piens non laudo; » Postquam autem accurate demonstravit illos esse complurium criminum reos, leniore utitur criminatione, in jam dictorum apparatu et demonstratione accusationis vehementiam positam relinquens. Deinde in mysticam mensam sermonem transfert, ut eis plus timoris incuteret. « Ego enim, inquit, accepi a Do-» mino, quod et tradidi vobis. » Qualis hæc consequentia? de communi prandio loqueris, et horrenda mysteria commemoras? Etiam, inquit. Si enim tremenda illa mensa omnibus communis proponitur et diviti et pauperi, neque illa fruitur uberius dives, et parcius pauper; sed unus honor, et unus accessus : ac donec omnes communicaverint, et participes fuerint hujus spiritualis et sacræ mensæ, quæ proposita sunt non retrahuntur; sed stant sacerdotes omnes, vel omnium pauperrimum et vilissimum expectantes; multo magis in hac sensili mensa id agendum. Ideo illam dominicam cœnam memoravi. « Ego enim ac-» cepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus » Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gra-» tias agens fregit, et dixit : Hoc est corpus meum, quod » pro multis frangitur, in remissionem peccatorum. Hoc » facite in meam commemorationem. Similiter et calicem » postquam cœnavit, dicens : Hic calix Novum Testamen-» tum est in meo sanguine[1] ? »

V. Deinde multa locutus circa eos, qui indigne mysteria participant, ubi illos vehementer tetigit et coarguit, docuitque eos, qui sanguinem et corpus Christi temere ac perfunctorie accipiunt, eamdem subituros esse pœnam,

[1] 1 Cor. xi, 17.

quam ii qui Christum occiderunt; rursus ad propositum argumentum sermonem refert, dicens : « Itaque, fratres, cum » convenitis ad manducandum invicem expectate. Si quis » autem esurit, domi manducet, ut non in judicium con- » veniatis[1]. » Vide quomodo latenter etiam voracitatem eorum damnet : Non dixit, Si esuritis; sed, Si quis esurit, ut quisque metu et pudore ductus, ne reus hoc in negotio videatur, sese emendare præoccupet. Atque a metu supplicii sermonem concludit dicens : « Ut non in judicium » conveniatis; » id est, in condemnationem et in opprobrium. Non est enim cibus, inquit, neque mensa quæ cum pudore fratris, cum despectu Ecclesiæ, et cum tanta voracitate vel intemperantia conjuncta est. Hæc non sunt lætitia, sed supplicium et pœna. Magnam enim vobis attrahitis ultionem dum fratres contumelia afficitis, Ecclesiam contemnitis, sanctumque illum locum propriam domum facitis, quando cibum seorsum sumitis. His et vos auditis, fratres, obturate ora eorum, qui apostolico dicto doctrinaque temere utuntur. Corripite eos, qui in suum aliorumque damnum Scripturis utuntur. Nostis enim de quanam re hoc dicat : « Oportet autem et hæreses esse in » vobis, » nempe de dissidio circa mensam oboriri solito. Quandoquidem « Alius quidem esurit, alius vero ebrius » est : » Ac cum recta fide vitæ rationem cum dogmatibus congruentem exhibeamus; multam erga pauperes benevolentiam, multam egenorum curam suscipiamus, negotiationem spiritualem exerceamus, nihil plus inquiramus, quam necessitas postulet. Hæ sunt divitiæ, hæc negotiatio, hic thesaurus indeficiens, si omnia nostra in cœlum transferamus, et circa depositi custodiam metu soluti fidamus. Duplex namque ex eleemosyna nobis lucrum accedet : quod scilicet non ultra timeamus circa depositas

[1] 1 Cor. xi, 33.

pecunias, ne fures aut murorum effossores, aut nequissimi servi ipsas pessumdent : et quod sic depositæ non temere defossæ sine fructu jaceant; sed quemadmodum radix in pingui solo plantata annuos tempestivosque fructus profert; sic et argentum in pauperum manibus insitum, non annuos solum, sed etiam quotidianos spirituales nobis referat fructus; fiduciam erga Deum, peccatorum veniam, cum Angelis propinquitatem, conscientiam bonam, lætitiam spiritualis exultationis, spem pudore vacuam, mirabilia bona, quæ præparavit Deus timentibus se, iisque qui ferventi ardentique animo requirunt misericordiam adventus ejus. Quam nos omnes, hac vita secundum placitum ejus transacta, assequi contingat, necnon æternum eorum qui salutem consequuntur gaudium, gratia et miserationibus veri Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium cum Patre ejusque sanctissimo Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

De verbis Apostoli: Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est[1]. *Item de his verbis*, Credidi, propter quod locutus sum[2], *et de elemosyna.*

I. Sapientissimi medici ubi vident ulcus egere ferro[3], admovent quidem sectionem, sed hoc faciunt non sine affectu, et commiseratione, verum et mœrent et gaudent non minus quam ipsi qui secantur : mœrent quidem propter dolorem quem secando inferunt, gaudent autem propter sanitatem, quæ hoc modo comparatur. Idem et

[1] 2 Cor. IV, 13. — [2] Psal. CXV, 1. — [3] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 73-82.

Paulus fecit, sapiens ille animarum medicus. Corinthios enim, cum acriori objurgatione opus haberent, increpans lætatus est simul et tristatus : tristabatur quod dolorem inferret, lætabatur quod prodesset. Et utrumque hoc significans dicebat: « Quare etiamsi contristavi vos per » priorem Epistolam, non me pœnitet, tametsi pœnitue- » rat[1]. » Cur pœnituerat? et cur non pœnitet? Pœnituerat, quia acrius objurgavi, non pœnitet, quia erratum correxi. Et ut scias hanc esse causam, audi quid sequatur : « Video » namque quod Epistola illa, tametsi ad tempus contristati » fueritis, sed quod contristati sitis ad pœnitentiam. » Etiamsi ad tempus vos contristavi, molestia illa momentanea fuit, inquit: utilitas autem ejus perpetua. Permittite nunc mihi quoque his verbis apud dilectionem vestram uti: quare etiamsi contristavi vos per priorem admonitionem, non me pœnitet, tametsi pœnituerat : video enim admonitionem illam et consilium tametsi ad tempus vos contristavit, mihi tamen magnam lætitiam attulisse, non quod contristati fueritis, sed quod contristati sitis ad pœnitentiam. Ecce enim hoc ipsum quod contristati estis secundum Deum, quantum in vobis excitavit alacritatis? luculentior est hodie noster conventus, festivius nostrum theatrum, numerosior fratrum chorus, hæc ipsa alacritas, tristitiæ illius est fructus. Ideo quantum tunc indolui, tantum nunc gaudeo, videns spiritualem hanc nostram vineam fructibus refertam. Si enim in vulgaribus istis conviviis honorem quemdam et hilaritatem convivatori affert convivarum frequentia, quanto magis in spiritualibus his conviviis idem fieri convenit; quamvis illic invitatorum multitudo magis absumat ea, quæ apponuntur, majorique sit sumptui : hic autem contra, nedum absumat mensas vocatorum multitudo, abundantiam quoque parit; quod si illic

[1] 2 Cor. VII, 8.

sumptus voluptatem affert, quanto magis hic idem faciet accessio et reditus? Hæc est enim spiritualium rerum natura, quo pluribus distribuuntur, hoc amplius crescunt. Quoniam igitur video refertam convivis mensam, expecto etiam spiritus gratiam menti nostræ insonaturam. Quando enim multos adesse videt, tunc copiosiores epulas apponere solet; non quod paucos fastidiat, sed quod multorum salutem desideret. Hac de causa Paulum quoque prætercurrentem cæteras urbes, apud Corinthum commorari Christus per visionem jussit dicens : « Noli timere, sed lo-» quere et ne taceas, quoniam populus est mihi multus in » hac civitate[1]. » Si enim propter unam oviculam montes et nemora et inaccessa loca pervagatus est pastor, quî fieri potest ut non longe majorem curam adhibeat, quoties multæ oves a socordia et errore sunt revocandæ? quod enim ne paucas quidem contemnat, audi ipsum dicentem : « Non est voluntas Patris mei, ut pereat vel unus » ex istis parvulis[2]. » Neque paucitas, inquit, neque vilitas inducit eum, ut negligat salutem nostram.

II. Quando igitur tantam habet parvulorum ac paucorum curam, tantam etiam multorum, toti ab ejus favore pendentes, ad Pauli verba quæ hodie lecta sunt, sermonem flectamus. « Scimus, inquit, quod si terrenum nos-» trum domicilium hujus tabernaculi destructum fuerit[3]. » Imovero altius et ad ipsum exordium hujus sententiæ redeamus. Quemadmodum enim qui fontem pervestigant, invento riguo loco non illic solum fodiunt, sed humorem eum, et venam sequentes interius scrutantur, donec ad caput ipsum et initium fluentorum perveniant, sic et nos faciamus. Posteaquam invenimus spiritualem fontem e Paulina sapientia manantem, verba hæc tanquam venam quampiam sequendo ad caput ipsum sententiæ ascenda-

[1] Act. XVIII, 9. — [2] Matth. XVIII, 14. — [3] 2 Cor. V, 1.

mus. Quod est igitur illud fontis caput? « Habentes igi-» tur eum spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi » propter quod locutus sum[1]: et nos credimus, quapropter » et loquimur[2]. » Quid ais? Nisi credideris, non loqueris, sed mutus perstas? Etiam, inquit, neque diducere os possum sine fide, neque movere linguam, neque aperire labia, ratione præditus cum sim, mutus persto nisi fides loqui me doceat. Sicut enim planta absque radice fructum non profert, ita absque fidei fundamento non provenit sermo doctrinæ, quapropter et alibi inquit: « Corde creditur ad ju-» stitiam, ore autem confessio fit ad salutem[3]. » Quid huic arbori vel præferri vel conferri potest, cujus quidem non rami solum, sed radix quoque ipsa fert fructum, hæc justitiam, illi salutem? Ideo dicit: « Credimus, quapropter et loqui-» mur. » Sicut enim membra tremula, et senectute languida, baculo tuto deducente, labi et cadere non permittuntur: sic etiam animam nostram infirmis ratiocinationibus circumactam ac jactatam, fides quovis baculo tutius sustentans, suaque vi reficiens, summopere firmat, nec sinit subverti, infirmas cogitationes corrigens præstantia suæ virtutis, et caliginem illam dispellens: animaque velut in domicilio tenebroso inter tumultuantes cogitationes sedentem, suo lumine illustrans. Hinc fit, ut qui illa carent, nihilo potiore sint conditione, quam qui in tenebris vitam degunt: sed sicut illi et ad parietes et in obvia quæque impingunt, et in foveas ac præcipitia prolabuntur, nec ullum usum oculorum habent ut quibus nihil præluceat: sic etiam quotquot fide carent, et inter se alii in alios incursant, et in ipsos parietes, et postremo in barathrum aliquod exitiale ultro se ipsi præcipitant.

III. Testes mihi sunt illi qui profanam sapientiam jactant, qui multum sibi promissa barba, tritoque pallio ac

[1] Psal. cxv, 1. — [2] 2 Cor. iv, 13. — [3] Rom. x, 10.

baculo placent. Post longas enim ac sæpe repetitas dissertationes, lapides præ oculis sitos non vident : si enim ut lapides eos cernerent, nequaquam eos deos esse putarent. Quin ipsi quoque in alios alii feruntur, atque inter se colliduntur, ut in ipsum impietatis profundissimum præcipitium devolvantur, non aliam ob rem, quam quod ratiocinationibus suis omnia sua permittunt. Id vero Paulus significans dicit : « Evanuerunt in cogitationibus suis, et » obtenebratum est insipiens cor eorum : cum se crede» rent esse sapientes, stulti facti sunt[1]. » Declarans deinde quam obcæcati et stulti essent, addit hæc verba : « Mu» taveruntque gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem » imaginis corruptibilis hominis, et volatilium, et quadru» pedum et reptilium[2]. » Sed has tenebras fides adventu suo in universum discutit in anima, quæ se hospitio dignata fuerit : et quemadmodum navem ventorum impetu jactatam, et fluctuum assultu inundatam, demissa ancora omnino stabilit : et vel in medio pelago radicat : ita etiam mentem nostram extraneis cogitationibus jactatam, adventu suo fides tutius quam ancora ex imminenti naufragio liberat, tanquam in tranquillum portum, in conscientiæ certitudinem deducens. Quod et ipsum Paulus significans[3] dicit : « Propterea dedit Deus Apostolos ad » consummationem sanctorum, donec occurramus omnes » in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, ut ne amplius si» mus parvuli fluctuantes, et quovis vento huc atque illuc » jactati[3]. » Vides fidei facinus præclarum, quod ceu ancora quæpiam tutissima, a fluctuatione liberat : sicut idem rursus ad Hebræos scribit, hoc modo de fide loquens : « Quam velut ancoram tenemus animæ tutam firmamque, » et introeuntem usque ad ea quæ sunt intra velum[4]. » Ne

[1] Rom. I, 21, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ephes. IV, 11-14. — [4] Hebr. VI, 19.

enim audita ancora putes deorsum te trahendum, ostendit novum esse quoddam ancoræ genus, quæ non deprimat, sed sursum mentem elevet, ad cœlum usque sublatam, et intra velum ceu manu deductam. Velum enim hoc loco, cœlum vocavit; cur, aut quam ob causam? Quia sicut velum ab exteriore parte tabernaculi dirimebat sancta sanctorum : ita cœlum istud tanquam velum medium inter creaturam objectum, ab exteriore tabernaculo, hoc est, mundo hoc quem videmus, dirimit sancta sanctorum, videlicet ea quæ supra se sunt, quo præcursor pro nobis introgressus est Christus.

IV. Quod autem dicit, sic intelligendum est. Illuc, inquit, animam nostram sublimem attollit fides, non sinens ullis præsentibus malis deprimi, sed spe futurorum labores allevans. Qui enim futura spectat, cœlestia sperans, et mentis oculos illo dirigens, ne sentit quidem præsentium malorum molestiam, quemadmodum neque Paulus sentiebat, et hujus philosophiæ causam docebat dicens : « Nam momentanea levitas afflictionis nostræ, mire supra » modum æternum pondus gloriæ parit nobis [1]. » Quomodo et qua ratione? « Dum non spectamus ea quæ videntur, » sed ea quæ non videntur, » nimirum oculis fidei. Sicut enim corporis oculi nihil vident intelligible, ita oculi fidei nihil vident sensibile. Sed de qua fide hic loquitur Paulus? nam fidei vocabulum duplicem habet significationem. Etenim fides dicitur, per quam prodigia tunc faciebant Apostoli, de qua Christus dicebat : « Si habueritis fidem sicut » granum sinapis, dicetis monti huic: Migra, et migrabit [2]. » Et rursum cum Discipuli non possent lunaticum liberare a dæmone, causamque sciscitarentur, hanc eis subindicavit, quod fides eos deficeret, dicens, « Propter incredu- » litatem vestram. » Et Paulus de eadem dicebat : « Si ha-

[1] 2 Cor. IV, 16. — [2] Matth. XVII, 19.

» buero fidem ita ut montes transferam [1]. » Et Petrus cum periclitaretur ne mergeretur pedibus per mare incedens, eamdem increpationem audivit a Christo, « Modicæ fidei, » quare dubitasti [2] ? » Itaque fides dicitur qua miracula et prodigia patrantur : dicitur item fides quæ nos ad agnitionem Dei perducit, ob quam quisque nostrum fidelis est : sicut ad Romanos scribens dicit : « Gratias ago Deo meo » per Jesum Christum, quod fides vestra annuntiatur in » toto mundo [3]. » Ac rursum ad Thessalonicenses : « A vobis » enim personuit sermo Domini, non solum in Macedonia » et Achaïa, verumetiam in omni loco fides vestra, quæ » est in Deum, dimanavit [4]. » Qualem igitur subindicat in hoc loco fidem? Dubio procul fidem cognitionis : id quod ex sequentibus patet. « Credimus, inquit, quapropter et lo- » quimur. » Quid credimus? Quod « Qui resuscitavit Chris- » tum, etiam nos resuscitabit per virtutem suam. » Sed quare eam vocat spiritum fidei, et in donationum ordinem annumerat? Nam si donum est fides, et solius spiritus donum, non nostrum meritum, neque increduli punientur, neque credentes laudem promerebuntur. Talis enim est donationum natura, non sunt coronæ neque præmia. Donum enim non est accipientis meritum; sed largitoris liberalitatis gratificatio. Hanc ob rem etiam Discipulos jussit non gaudere eo quod dæmonas ejicerent : Et eos qui in nomine suo prophetaverant, et virtutes multas fecerant, expulit e regno cœlorum : quoniam ex suis meritis nullam habebant fiduciam, sed ob solas donationes salvi fieri volebant.

V. Si igitur etiam fides tale quiddam est, et nihil ex nostro contulimus, sed totum est gratiæ spiritus, et ipsa ultro se in animas nostras ingessit, et nullam pro ea recepturi sumus mercedem, quomodo igitur dicit : « Corde

[1] 1 Cor. XIII, 2. — [2] Matth. XIV, 31. — [3] Rom. I, 8. — [4] 1 Thess. I, 8.

» enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad » salutem [1] ? » Quoniam et ejus, qui credidit, virtutis meritum est fides. Quo autem modo alibi id rursum subindicat dicens : « Ei vero qui non operatur, sed credit in » eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justi- » tiam [2], » si totum est gratiæ spiritus ? Quî enim etiam patriarcham Abraham plurimis redimivit laudum coronis? Eo quod contemptis rebus præsentibus, præter spem in spem credidit. Quam ob rem igitur spiritum fidei vocat eam ? Illud nimirum ostendere volens, quod initio credere, et parere vocanti, nostræ est bonæ mentis : at postquam jacta fuerint fidei fundamenta, jam opus est auxilio spiritus, ut in nobis perpetuo maneat inconcussa et inexpugnabilis. Neque enim Deus, neque Spiritus gratia nostrum prævenit propositum : sed tametsi vocet, expectat tamen, ut sponte et propria voluntate accedamus, ac tum demum cum accessimus nobis suum totum exhibet auxilium. Quoniam enim diabolus, posteaquam ad fidem accessimus, continuo subrepit volens egregiam hanc radicem evellere, et zizania properans interserere, germanumque ac purum semen lædere, opus tum habemus auxilio spiritus, ut quemadmodum strenuus agricola animæ nostræ insidens, multa cura et providentia novellam fidei plantam undequaque muniat. Ideo Thessalonicensibus quoque scribebat dicens : « Spiritum ne extinguatis [3]. » Ut ostendat, accedente Spiritus gratia, inexpugnabiles nos malo dæmoni atque omnibus ejus insidiis futuros esse. Nam si nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto, multo magis fidem tutam et radicatam non poterit habere nisi in Spiritu sancto.

VI. At quomodo poterimus allicere auxilium Spiritus, eique persuadere ut apud nos manere velit ? Per opera

[1] Rom. x, 10. — [2] Id. IV, 5. — [3] 1 Thess. V, 19

bona et optimam vivendi rationem. Sicut enim lucernæ lumen oleo retinetur, et consumpto eo ipsum quoque una consumptum evanescit : ita etiam Spiritus gratia, dum habemus opera bona, et crebris eleemosynis animam rigamus, manet non aliter quam flamma oleo retenta : quæ si non adsint, recedit a nobis et abit : quod etiam quinque illis virginibus accidit. Etenim illæ post multos labores ac sudores, cum nullum haberent ex sua benignitate præsidium, non potuerunt apud se retinere Spiritus gratiam : atque ideo sunt a thalamo repulsæ, vocemque illam terribilem audierunt : « Discedite, non novi vos [1] : » quæ vel gehenna fuit gravior; propter hoc etiam stultæ sunt appellatæ ; et merito : quoniam cum impotentiores cupiditates vicissent, a minus valida sunt victæ. Vide quæso : naturæ violentiam superaverunt, rabidam insaniam frenaverunt, cupidinum fluctus sedaverunt, in terra degentes angelicam vitam vixerunt, corpore vestitæ incorporeas virtutes æmulatæ sunt, et post tantos labores, pecuniarum cupiditatem non superaverunt, stultæ revera et insensatæ : quapropter ne venia quidem dignæ sunt habitæ. Lapsus enim earum socordiæ fuit solius : quæ enim in tanta flamma fornacem potuerant cupidinum extinguere, et ultra septa transilierant, et plura quam jussæ erant præstiterant : nulla enim lex virginitatem præcipit, liberæ hoc voluntati auditorum relinquitur ; post hæc omnia victa sunt a pecunia : quo quid esse miserabilius potest, si propter paululum argenti coronam e capite projiciant? Hæc dico non quod manus virginum dissolvam, neque quod virginitatem extinguere velim, sed ne inutiliter currant, ne post plurimos sudores corona privatæ et pudore plenæ ex arena discedant. Bona res est virginitas, et majus quam pro naturæ viribus meritum : sed bona hæc res et magna et na-

[1] Matth. xxv, 12.

turam superans, nisi benignitatem habeat adjunctam, ne in vestibulum quidem thalami ingredi poterit. Atque hic mihi considera benignitatis vim et eleemosynæ potentiam. Virginitas sine eleemosyna ne in vestibulum quidem thalami perducere potuit; eleemosyna vero vel sine virginitate alumnos suos cum magna laude in regnum ante conditum orbem præparatum manu deducit. Hæ siquidem quoniam largam eleemosynam non exhibuerant, audierunt : « Abite, non novi vos : » illi vero qui sitientem potaverunt, et esurientem aluerunt Christum, tametsi virginitatem non proferrent in medium, audierunt : « Venite, » benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis a » constitutione mundi [1]. » Et merito : qui enim virginitatem servat, et jejunat, sibi ipsi utilis est : qui vero miseretur, communis est naufragorum portus, proximorum paupertatem sublevans, et alienis necessitatibus succurrens. Cæterum ex benefactis quæcumque ad aliorum utilitatem fiunt, ea potissimum laudem promereri solent.

VII. Et ut scias talia præcepta præ cæteris Deo curæ esse, de jejunio et virginitate disserens regni cœlorum meminit : ubi vero de eleemosyna et liberalitate agit, et ut nos misericordes exhibeamus, præcipit, longe amplius quam regnum cœlorum præmium proponit : « Ut fiatis, » inquit, similes Patris vestri, qui in cœlis est [2]. » Illæ enim potissimum leges hominem similem Deo reddunt, quatenus Deo similem fieri hominem licet, quæ ad publicam utilitatem faciunt. Et hoc significans Christus dicit : quia « Solem suum oriri facit super bonos ac malos, et pluit » super justos ac injustos [3]. » Ita vos quoque pro sua quisque virili facultatibus vestris in communem fratrum utilitatem utendo, imitamini eum qui bona sua proponit ex æquo omnibus. Ingens est virginitatis dignitas, ideoque

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Id. v, 45. — [3] Ibid.

illam admodum coli et celebrari cupio. Est enim dignitas virginitatis, non solum abstinere a nuptiis, verumetiam benignum esse, et fratrum amantem, et pronum ad commiserationem. Quæ enim est utilitas virginitatis cum crudelitate? quid lucri ex temperantia cum inhumanitate conjuncta? Non es capta corporum concupiscentia, sed capta es cupiditate pecuniarum : non es admirata hominis faciem, sed admirata es auri pulchritudinem. Majorem adversarium vicisti, sed minori et imbecilliori succubuisti. Atque ideo turpius victa es, ideo ne venia quidem digna es, videlicet quæ tantam vim sustinuisti, et adversus ipsam naturam pugnasti, ab avaritia vero expugnata es, quam et mancipia sæpenumero, et barbari homines minimo negotio superare potuerunt.

VIII. Hæc igitur omnia scientes, dilecti, sive in conjugio, sive in virginitate degentes, magna diligentia eleemosynam exerceamus, quandoquidem nulla alia ratione licet ad regnum cœlorum pervenire. Nam si virginitas absque eleemosyna ad regnum non valuit perducere, quodnam aliud benefactum hoc efficere sine hac poterit? profecto nullum. Toto igitur animo, totisque viribus oleum affundamus lampadibus, idque largiter ac indesinenter, ut hilare ac largum lumen permaneat. Nec pauperem respicias accipientem, sed Deum redditurum : non eum qui stipem accipit, sed eum qui se tibi debitorem obligat. Nam ideo alius accipit, alius reddit, ut accipientis paupertas et calamitas ad misericordiam te flectant ac commiserationem; divitiæ vero Dei reddituri, fidejubentis etiam cum auctario solutionem futuram, majorem tibi de fructu et usura fiduciam indant, et ad largiorem eleemosynam provocent. Quis enim, rogo, centuplum recepturus, et de recipiendo securus, non omnia sua libens eroget? Ne igitur parcamus pecuniæ, imovero

parcamus pecuniæ. Nam qui facultatibus suis parcit, in pauperum manus eas deponit, in thesaurum sacrosanctum, quo nec latrones, nec servi, nec sycophantæ malefici, nec ullæ mortalium insidiæ penetrare valeant. Quod si etiam his auditis piget te e bonis tuis nonnihil erogare, et neque centuplum recipiendum, neque pauperis calamitas, neque aliud quidquam flectere te potest; reputa quam multa peccaveris, ingredere in conscientiam delictorum, excute omnem actam vitam, accurate errata tua cognosce, et sis licet hominum omnium inhumanissimus, certe pavore peccatorum omni tempore compulsus, et remissionem propter eleemosynam sperans, vel corpus tuum insuper impendes, nedum pecuniam. Si enim saucii, et morbos corporales depellere cupientes, nullis facultatibus parcimus, etiamsi indumentum ipsum divendendum sit, ut ab infirmitate illa liberemur : multo magis animæ infirmitatem et gravissima peccatorum vulnera curaturi per eleemosynam, cum summa alacritate eam exercebimus. Atqui quoties ægrotas, non statim numerata pecunia liberaris a morbo, sed sæpenumero et sectione opus est et ustione, et amaris pharmacis, et fame, et frigore, et aliis gravioribus mandatis : hic autem non sic, sed satis est dare nummos in manus pauperum, et statim ablueris omnia peccata, sine ullo vel dolore vel labore. Medicus enim qui animam curat, non opus habet arte, non instrumentis artis, non ferro aut igne, sed solus nutus sufficit, ac mox omnia peccata ab anima auferuntur et evanescunt.

IX. Non vides monachos istos qui solitariam vitam amplectuntur, et in vertices montium secedunt, quam duram vivendi rationem perferant? etenim cinerem sibi substernentes, et saccum induentes, et catenis ferreis totum corpus degravantes, et in casa se ipsos concludentes as-

sidue cum fame luctantur, in fletu vivunt et vigiliis intolerabilibus, ut partem aliquam peccatorum abluant : tibi vero licet sine omni illo duro victu expeditam hanc et facilem pietatis viam ingredi. Qualis enim, rogo, labor est, his quæ adsunt frui, et quod superest in egenos insumere? Nam etiamsi nulla merces esset proposita, etiamsi non tam ampla retributio præfinita esset, annon vel ipsa rei natura quantumvis inhumanis persuadere poterat, ut eo quod ipsis superest ad egenorum solamen uterentur? Nunc cum tantum coronarum, tantum retributionum, tanta peccatorum oblivio per eleemosynam paretur, quam, rogo, excusationem habebunt, qui pecuniæ parcunt, et animam suam in profundum peccatorum demergunt? Nam etiamsi nihil aliud te moveat et excitet ad condolendum et ad dandam eleemosynam, saltem reputa quam incertus sit vitæ finis, et cogita quod etiamsi pauperibus non des, morte tamen superveniente, velis nolis, tuas res aliis es cessurus. Ergo dispensato divitias tuas, et dum licet, humanus esto. Extremæ enim vesaniæ fuerit, ea quibus vel invitus aliis cessurus es, nolle indigentibus communicare ultro, idque cum tanta bona ex hac benignitate tibi sint proventura. « Ut vestra, inquit, copia » succurrat illorum inopiæ[1]. » Quid est autem quod dicit? Majora accipis, quam das. Das sensibilia, accipis intelligibilia et spiritualia. Das pecuniam, accipis remissionem peccatorum. Liberas pauperem a fame, ille te liberat ab ira divina. Retributionis hoc genus est et negotiationis, quod majorem ac utiliorem reditum habet quam sumptum. Nam sumptus, pecuniarum est : reditus vero non pecunias affert tantum, sed etiam remissionem peccatorum, simulque fiduciam erga Deum, et regnum cœlorum, et bona illa « Quæ neque oculus vidit, nec auris audivit, nec

[1] 2 Cor. VIII, 14.

» in cor hominis ascenderunt[1]. » Annon igitur absurdum, quod negotiatores nulli rei parcant, idque cum non singularia quædam, sed paria fere paribus permutare soleant: nos vero, cum non corruptibilia et momentanea, sed incorruptibilia et sempiterna liceat pro nostris corruptibilibus ac momentaneis commutare, non eamdem quam illi diligentiam adhibeamus? Non ita, fratres, non ita nostræ saluti male consulamus, sed moti exemplo virginum, et eorum qui ducuntur in ignem paratum diabolo et angelis ejus, eo quod non aluerint, neque potaverint Christum, retineamus sancti Spiritus ignem per largam benignitatem et profusas eleemosynas, ne circa fidem naufragium faciamus. Fides enim opus habet auxilio Spiritus ac perseverantia, ut inconcussa permaneat: auxilium autem Spiritus vitæ puritate moribusque probatis retineri apud nos solet. Quare si cupimus fidem radicatam habere, vivendi ratione pura nobis opus est, quæ spiritum retineat, a quo totam fidei vim dependere constat. Impossibile enim est, impossibile profecto, si vitam impuram habeas, in fide non vacillare.

X. Certe qui de fato nugantur, et salutari de resurrectione sermoni non credunt, ob malam conscientiam et mores depravatos in hoc incredulitatis barathrum se ipsos præcipitant. Et quemadmodum febre laborantes, dum volunt æstuationem depellere, sæpe in frigidam aquam sese projiciunt, et paulisper mitigato malo, graviorem sibi ardorem accendunt: ita qui mala conscientia premuntur, et consolationem aliquam quærunt, nec tamen volunt per pœnitentiam peccata abluere, ad fati tyrannidem, et resurrectionis confugiunt abnegationem: atque hoc pacto dum se in hac vita frigidis rationibus paulisper consolantur, majorem gehennæ flammam sibi accendunt;

[1] 1 Cor. II, 9.

quandoquidem segniores hic facti, postquam illuc devenerint, videbunt pro suis quemque peccatis debita supplicia persolvere. Et ut hoc verum esse sciatis, fidei nempe robur mala opera vehementer impedire, audite quid Paulus dicat ad Timotheum scribens : « Ut milites, inquit, » egregiam militiam, habens fidem ac bonam conscien- » tiam[1]. » Bona autem conscientia ex vita et operibus bonis contingere solet; « Quam quidam, inquit, repellentes, » circa fidem naufragium fecerunt. » Rursum alibi : « Radix omnium malorum est avaritia, per cujus cupidi- » tatem quidam a fide aberraverunt[2]. » Vides tum illos propterea naufragium fecisse, tum istos ob hoc ipsum aberravisse : quoniam illi bonam conscientiam repulerunt, isti vero avaritiæ adhæserunt? Quæ quidem omnia cogitantes magnam curam habeamus vitæ quam optime instituendæ, ut duplex nobis merces contingat, una ex operum retributione, altera ex fidei robore. Sicut enim se habet esca ad corpus, ita recta vita ad fidem. Et sicut carnis nostræ natura sine alimento durare non potest, ita neque fides sine bonis operibus. « Fides enim sine ope- » ribus mortua est[3]. » Unum superest dicendum. Quid est, « Eumdem? » Non enim simpliciter dixit, Habentes spiritum fidei : sed quid? « Habentes eumdem spiritum fidei. » Et volebam quidem enarrare hoc quoque : sed quoniam video multa sententiarum flumina ex nuda hac vocula prorumpentia, vereor ne multitudine eorum, quæ dicenda essent, inundem omnia, atque ita hæc doctrina nimia prolixitate detrimenti aliquid accipiat. Quapropter hic finem faciens loquendi, oro et obtestor, ut et quæ audivistis, de honeste vivendo, de fide, de virginitate, de benignitate, de eleemosyna, diligenter observetis : et hæc bene in memoria retinentes, ad ea quæ supersunt audienda præsto

[1] 1 Tim. I, 18. — [2] Id. VI, 10. — [3] Jacob. II, 20.

sitis. Sic enim nobis solidum erit ac inconcussum doctrinæ nostræ ædificium, si prioribus in mente vestra bene fundatis, ea quæ sequuntur superstruxerimus. Deus autem qui nobis dedit hæc dicere, et vobis cum alacritate audire, dignos nos faciat, ut et per opera fructum aliquem proferamus, gratia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quoniam ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

De eisdem verbis Apostoli: Habentes autem eumdem spiritum fidei; sicut scriptum est[1]: *Et adversus Manichæos, et omnes qui Vetus Testamentum calumniantur, et a Novo separare conantur, et de eleemosyna.*

I. Apostolici vobis sermonis expositionem debeo jam diu, sed hoc debitum vos fortassis estis obliti ob temporis longitudinem, ego vero non sum oblitus ob meum erga vos affectum. Sic se habet charitas, vigilans est ac sollicita, nec adamatos solum in animo circumferunt ii qui amant, sed quæ promiserunt magis meminerunt quam ipsi, qui promissa sunt recepturi. Eodem modo mater amantissima postquam mensæ reliquias pueris suis reposuit, etiamsi illi forte obliviscantur, ipsa tamen meminit, easque diligenter asservatas depromit, et famelicos eis pascit. Quod si matres erga liberos tam indulgentes sunt, tanto majori cura et studio vestra charitas nobis est prosequenda, quanto major vis est spiritualis partus, quam naturalis. Quænam igitur fuit illa mensa, cujus reliquias vobis servavimus? Verba erant Apostoli, ex quibus tunc non pa-

[1] 2 Cor. IV, 13.

rum nutrimenti spiritualis percepimus, cujus partem vestris mentibus indidimus, partem in hodiernum distulimus, ne multitudine sermonum memoriam vestram obruere-mus. Quænam igitur sunt illa verba? « Habentes autem » eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi, » propter quod locutus sum : etiam nos credimus, qua- » propter et loquimur[1]. » De qua igitur fide sit sermo, utrum de ea per quam patrantur prodigia, de qua Christus dicit, « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, di- » cetis monti huic : Migra, et migrabit[2] : » an de ea, quæ cognitionem in nobis gignit, secundum quam omnes sumus fideles : tum qua de causa spiritus fidei sit dictus, et quænam sit hæc fides. Hæc omnia pro viribus apud vestram disseruimus Charitatem, atque interim etiam de eleemosyna verba fecimus. Cum vero superesset disquirendum, cur dictum sit, « Eumdem spiritum fidei, » et præ multitudine eorum quæ jam dixeram, non liceret etiam hæc verba diligenter enarrare, ideo in præsentem diem ea reposuimus, et nunc illud debitum vobis reddituri venimus. Cur igitur dixit, « Eumdem? » Magnam cognationem Novi Testamenti et Veteris vult ostendere : ideo Prophetæ etiam verba nobis commemorat dicens : « Habentes » autem eumdem spiritum; » et adjiciens : « Sicut scrip- » tum est : Credidi, propter quod locutus sum[3]. » Hoc autem jamdudum et ante multas ætates David dixerat, quod nunc Paulus adduxit, indicans eamdem spiritus gratiam, et tunc in illo, et nunc in nobis, fidei radices posuisse : ac si diceret, Idem est fidei spiritus, qui in illo locutus est, et in nobis operatus.

II. Ubi nunc sunt qui Vetus Testamentum criminantur, qui corpus Scripturæ dilacerant, qui alium Novo, alium Veteri Testamento Deum attribuunt? Audiant Paulum

[1] 2 Cor. IV, 13.— [2] Matth. XVII, 20.— [3] Psal. CXV, 1.

impia ora obturantem, impugnatrices Dei linguas cohibentem, et hoc dicto ostendentem eumdem esse spiritum tam Novi quam Veteris Testamenti. Nam et ipsa nomina magnam nobis Testamentorum consonantiam significant. Novum enim ad differentiam Veteris dicitur, et Vetus ad differentiam Novi, sicut et Paulus, inquit: « Dicendo no» vum, antiquavit illud prius[1] : » nisi vero ejusdem essent Domini, neque hoc Novum, neque illud Vetus appellari posset. Itaque hoc ipsum nominum discrimen cognationem utriusque indicat: et differentia hæc non est in eorum essentia, sed in mutatione temporum: solo enim tempore Novum a Veteri distat. Cæterum temporum differentia nullam dominii mutationem affert, neque diminutionem: id quod et Christus indicavit dicens: « Propterea » dico vobis: omnis scriba doctus in regno cœlorum simi» lis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo » nova et vetera[2]. » Vides diversas quidem possessiones, idem vero dominium? Quemadmodum igitur ille potest depromere nova et vetera, cum sit unus et idem paterfamilias: ita hic quoque nihil vetat ejusdem esse Dei tum Novum, tum Vetus Testamentum: hoc ipsum enim maxime indicat ejus divitias et abundantiam, quod non solum nova possideat, verumetiam in veteribus abundantiam præ se ferat. Itaque nomine tantum inter se differunt Testamenta, at non pugnant, neque sunt contraria. Vetus enim ex Novo fit vetus; hoc autem non pugnæ est neque contrarietatis, sed differentiæ nominis tantummodo. Ego autem addo, quod etiamsi contrariæ essent leges Veteris legibus Novi, asseverarem ne sic quidem alium Deum fuisse superinducendum. Si enim eodem tempore, eisdem hominibus in eisdem rebus versantibus, eadem munia obeuntibus, contrarias leges statuisset, rationem fortassis

[1] Hebr. VIII, 13. — [2] Matth. XIII, 52.

aliquam habere potuisset commentum ipsorum. Quod si aliis illæ, aliis hæ scriptæ sunt, alio tempore illis, alio his, aliter se habentibus illis hominibus, aliter his, quid necesse est propter legum differentiam duos contrarios legislatores inducere? Equidem nullam necessitatem video, ipsi proferant, si habent quod dicant : Sed nihil habere possunt. Namque et medicus sæpenumero multa contraria facit, sed non contraria ratione, imo eadem et conveniente. Etenim urit et non urit, secat et non secat unum et idem corpus : nunc amara, nunc dulcia pharmaca ad bibendum offert : et facit quidem contraria, sed ratione simili atque eadem. Unum enim finem spectat, nimirum ægri sanitatem. Annon igitur absurdum est medicum quidem non incusare, quod multa contraria faciat circa unius corporis naturam, Deum autem criminari quod diverso tempore, diversis hominibus, diversa mandata dederit.

III. Demonstratum est igitur non fuisse incusandum, etiamsi leges inter se fuissent contrariæ : ut autem sciamus non esse contrarias, sed diversas tantum, age, ipsas leges in medium producamus. « Audistis, inquit, quod dictum » sit antiquis, Non occides. » Hæc lex est vetus, videamus nunc novam. « Ego autem dico vobis, quicumque irascitur » fratri suo temere, reus est gehennæ ignis[1]. » Hæccine sunt, obsecro, contraria mandata? Et quis hoc diceret mortalium, modo rationis compos? Si enim priore lege vetante occidere, posterior juberet, fortasse aliquis in his verbis legum pugnam esse diceret : nunc cum illa jubente non occidere, hæc jubet ne irasci quidem, augetur prius mandatum, non affertur contrarium : illa enim fructum malitiæ resecat, videlicet cædem : hæc vero etiam radicem ipsam evellit, nimirum iracundiam : illa rivum tollit vitii, hæc fontem ipsum exsiccat. Fons enim et radix cædis est

[1] Matth. v, 21, 22.

furor et iracundia. Illa lex naturam nostram posteriori paratiorem reddidit, hæc superveniens quod desiderabatur supplevit. Quænam hæc est contrarietas, dum una finem malorum, altera vero etiam principium extirpat? illa manum puram facit a sanguine, hæc mentem etiam servat a mala cogitatione. Hæc autem consentientium sunt legum, non pugnantium, sicut veritatis inimici astruere conantur, non animadvertentes quanta hinc segnitiæ ac negligentiæ nascatur occasio iis, qui Novi Testamenti Deum substituunt: comperietur enim Deus, (quæ quidem blasphemia in cap utillorum vertat, qui nobis hæc loquendi necessitatem imponunt,) intempestive res nostras dispensavisse. Quæ autem dico, sic vobis clariora faciam. Lactis alimento similis est Veteris Testamenti educatio, solido vero cibo Novi Testamenti philosophia : at nemo ante alimoniam solidum cibum adhibet : quod quidem Novi Testamenti Deus fecit, si non idem est qui etiam Vetus prodidit : prius enim quam lacte nutriret, hoc est legis disciplina, ad solidum nos cibum adduxit. Non hujus autem solum, sed majoris etiam criminis eum reum faciunt, quandoquidem post quinquies mille demum annos, aut plures, providentiam nostri generis suscepit. Si enim non idem erat, qui per Prophetas et Patriarchas et justos homines res nostras dispensabat, sed alter quispiam præter hunc, sero admodum et tarde videbitur nostri providentiam aggressus, quasi per anteactorum pœnitentiam ad se reversus : quod quidem tantum abest a Deo, ut nec in unum quemvis vulgo hominem competat, tanto tempore tam multis perire permissis, in extremis demum sæculis ad paucorum quorumdam providentiam ac curam accedere.

IV. Vides-ne quantis blasphemiis Deum faciant obnoxium isti, qui alium Novi Testamenti legislatorem dicunt, alium Veteris? quæ sane omnes evanescunt, si

unum utriusque Testamenti essentiamur esse Deum. Sic enim apparebit, eum ordine et bona ratione res nostras dispensare, tunc quidem per legem, nunc autem per gratiam : et non recens, neque nuper, sed jam inde ab initio et a prima usque die nostra omnia gubernare. Quo autem magis eorum ora obstruamus, age jam testimonia tum Prophetarum, tum Apostolorum adducamus, clamantium unum esse utriusque Testamenti legislatorem. Procedat igitur in medium Jeremias in utero sanctificatus, et probet hoc manifeste unum esse eumdemque Deum tum Novi Testamenti, tum Veteris. Quid igitur hic dicit ex persona legislatoris clamans? « Testabor vobis Testamen» tum Novum, non sicut Testamentum quod testatus sum » patribus vestris[1]. » Itaque qui Novum Testamentum dedit, idem est Deus, qui olim Vetus etiam illud dederat. Hic sane Pauli quoque Samosatenis sectatoribus ora sunt occlusa, qui negant ante sæcula fuisse Unigenitum Dei. Si enim ante Mariæ partum, et antequam in carne se videndum præberet, non erat, quomodo legem ferebat cum non esset? Quomodo autem dicebat : « Testabor vobis » Testamentum Novum, non sicut Testamentum, quod » testatus sum patribus vestris? » quomodo enim Testamentum dabat patribus eorum, cum nondum esset, ut illi quidem affirmant? Sed contra Judæos quidem, eodemque morbo laborantes Paulianos, idoneum est quod opponatur Prophetæ hujus testimonium : ut autem etiam Manichæorum ora cohibeamus, ex Novo Testamento adducamus testimonium, quandoquidem Vetus nihili pendunt : imovero etiam Novum, cui quamvis honorem habere videri velint, non minorem tamen huic quam illi alteri injuriam inferunt. Uno quidem modo quod dum illud a Veteri excindunt, hujus quoque auctoritatem labefac-

[1] Jerem. xxxi, 31.

tant. Non parum enim veritatem ejus Veteris Testamenti Prophetarum præconia, quos isti aversando non intelligunt majore Apostolos quam Prophetas contumelia se afficere : unam, inquam, Novo Testamento injuriam faciunt istam. Alio vero modo iterum, quod bonam ex eo partem resecent : attamen tanta est eorum, quæ in illo continentur, vis, ut vel ex ipsis reliquiis facile maleficium istorum deprehendatur. Resecta enim membra clamnt, et pristinum cum suis membris consensum indesinenter requirunt.

V. Quomodo igitur demonstrabimus Veteris et Novi Testamenti unum esse legislatorem ? Ex ipsis apostolicis verbis, quæ apud ipsos etiam relicta sunt : quæ tametsi prima fronte videantur Vetus illud accusare, non mediocriter tamen id commendant, et divinis oraculis cœlitus proditum esse indicant. Et hoc sancti Spiritus sapientia factum est, ut accusatores Legis, allecti prima facie verborum, imprudentes et inviti ascriptam ejus defensionem receperint : ut si vellent ad verum respicere, haberent sermonem quem sequerentur : quod si in incredulitate permanerent, nullam sibi in posterum veniæ spem reliquam facerent : ut qui etiam illis quæ alias recipere videntur, fidem in suam ipsorum perniciem abrogarent. Ubi igitur Novum Testamentum suarum ac veterum legum eumdem auctorem esse testatur ? Et alibi quidem non uno loco : nos tamen data opera eam textus partem adducemus, quæ vel in Manichæorum codicibus hactenus mansit incolumis. Quænam hæc ? « Dicite mihi, inquit, qui sub lege vultis esse, legem »non audistis ? quod Abraham duos filios habuit : unum »ex ancilla, alterum e libera [1] ? » Audiverunt hæretici unum habuisse ex ancilla, et confestim accurrerunt : rati enim his verbis Legis accusationem contineri, resectis con-

[1] Galat. IV, 21.

sequentibus illam accusationem retinent sibi patrocinantem. Age igitur ex hoc ipso loco ostendamus eumdem esse legislatorem. « Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, alterum ex libera. Hæc autem sunt, inquit, per allegoriam dicta. » Quid est, « Per allegoriam dicta? » Figuræ eorum, quæ sub gratia gererentur, erant quæcumque sub lege fiebant. Sicut enim illic duæ mulieres, ita hic duo Testamenta. Primum in hoc apparet cognatio Novi cum Veteri, quod illa horum figuræ erant. Figura enim veritati non contraria est, sed cognata. Quod si Veteris illius Deus Novi hujus Deo contrarius esset, haudquaquam per illas mulieres Novi præcellentiam præfigurasset. Quod si ille præfiguravit, par erat Paulum non abuti hac figura. Sin autem dicant, quod ad judaïcam infirmitatem se demittens hoc faciebat, oportebat eum etiam Græcis prædicantem figuras Græcorum adhibere, et rerum apud Græcos gestarum historias commemorare. Sed hocnusquam fecit, et merito. Illa enim nihil cum veritate commune habebant, hæc autem Dei leges erant, et oracula: quapropter magna cognatio veteribus illis cum Novo Testamento intercedit.

VI. Primum igitur argumentum hoc est, Vetus Testamentum modis omnibus cum Novo consonare: secundum autem illo non minus, ex ipsa historia sumitur. Quemadmodum enim tunc duæ mulieres erant unius viri : ita nunc duo Testamenta unius legislatoris. Si enim alius esset Novi, alius Veteris, supervacaneum erat hanc historiam adducere. Neque enim alium habebat Sara virum, alium Agar; sed utraque unum et eumdem. Itaque dicendo, « Hæc enim sunt duo Testamenta, » nihil aliud dicit quam quòd eumdem habeant legislatorem, sicut illæ unum virum Abraham. Sed altera quidem erat serva, altera vero libera. Quid tum? hactenus enim quærebatur, an unus

utriusque sit legislator. Recipiant igitur prius hoc, ac tum demum ad illud alterum eis respondebimus. Si enim eos hoc ut admittant, ac nobis assentiantur, coëgeris, universum illorum dogma corruet. Comperto enim etiam Veteris Testamenti eumdem legislatorem esse, sicut revera est, finem habebit omnis illorum nobiscum controversia. Attamen ne vel hinc turbemini, advertamus diligenter hæc verba. Non enim dixit, Una quidem serva, una vero libera : sed, «Una quidem in servitutem gignens : » nec statim serva est, quæ in servitutem gignit : et hoc ipsum ad servitutem natum esse, non matris est crimen, sed parvulorum qui nascuntur. Quoniam enim sua malitia se ipsos libertate privaverunt, et a jure ingenuitatis exciderunt, non secus quam ingratos servos tractavit eos Deus, terrore ac minis castigans : quin et hodie multi patres liberos suos non ut filios, sed ut servos metu coërcent, quæ culpa non parentum est, sed filiorum, qui causa fuerunt parentibus, ut servilem in modum ab eis educarentur. Eumdem ad modum etiam Deus ejus temporis populum terroribus ac pœnis erudiebat, non aliter quam nullius frugis servum, nec tamen hæc Dei culpa fuit, aut Legis, sed Judæorum respuentium frenum, et duriori freno opus habentium. Siquidem in ipso Veteri Testamento multos reperire licet, qui non ad eamdem sint tracti disciplinam, ut Abel, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moyses, Elias, Eliseus, et omnes qui Novi Testamenti instituta sunt æmulati : non enim terrore ac pœnis, nec minis ac mulctis, sed amore Dei, et ferventi erga illum affectione tales erga Deum sunt redditi, quales fuerunt. Non enim opus habebant mandatis, neque præscriptis et legibus, ut virtutem sectarentur ac vitia fugerent : sed ut ingenui et liberali ingenio filii, agnoscentes suam conditionem, absque metu ullo aut castigatione in virtutis castra se contulerunt : re-

liquum vero vulgus Judæorum, quoniam ad malitiam defecerant, legis freno necessario coërcendi fuerunt. Ideoque postquam vitulum finxerunt, et sculptile adoraverunt, tum demum audierunt, « Dominus Deus tuus Dominus » unus est[1]. » Posteaquam cædes patraverunt et uxores proximi stupraverunt, tunc audiverunt, « Non occides: » Non mœchaberis : » et simili modo reliqua omnia.

VII. Itaque non est vituperium legis quod puniat et mulctet, et servos velut improbos emendet ac castiget, sed præconium insigne, nec vulgaris laus, quod eos qui ad extremam malitiam prolapsi fuerant, potuerit severitate sua liberare a vitiis, mollireque et obsequentes gratiæ facere, atque ad novam hanc philosophiam ceu viam quamdam sternere. Idem enim spiritus tum in Veteri Testamento, tum in Novo dispensabat omnia, licet diverso modo. Propterea Paulus dicebat : « Habentes autem eum- » dem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi, propter » quod locutus sum. » Nec solum propter hoc dixit, « Eum- » dem spiritum, » sed et ob aliam non leviorem causam, quam volebam quidem nunc afferre; sed veritus ne pluribus gravati jam dictorum obliviscamini, in aliam diem vobis eum sermonem servabo, interim hortatus, ut præsentem totum in memoriam recondatis, atque diligenter retineatis, utque virtutes christianas cum dogmatum puritate conjungatis, ut sic fiat integer homo Dei ad omne opus bonum præparatus : quandoquidem nihil nobis profuerit recte sentire, si vita interim fuerit malis moribus vitiata : quemadmodum contra nihil prodest vita incorrupta, nisi accedat fidei quoque sinceritas. Ut igitur integram utilitatem consequamur, utrinque nobis provideamus, fructus etiam generosos in aliis proferentes : et cum primis eleemosynam, de qua etiam nuper ad vos verba

[1] Deut. VI, 4.

feci, magna cum largitate atque alacritate illam exercentes. « Qui enim parce seminat, ait Scriptura, parce et »metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictio»nibus et metet[1]. » Quid est « In benedictionibus? » cum magna largitate. Hic quidem in rebus sæcularibus tam messis quam sementis eorumdem est seminum : nam qui serit triticum, aut hordeum seminat, aut aliquid simile; et qui metit, idipsum metit. At in eleemosyna non idem usu venit : sed spargis argentum, et colligis fiduciam erga Deum : das pecuniam, et accipis remissionem peccatorum : præbes panem ac vestem, et pro his regnum cœlorum tibi paratur, bonaque illa infinita, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt : et quod est omnium bonorum summa, similis efficeris Deo, quatenus id homini est possibile. Nam cum de eleemosyna et benignitate disseruisset Christus subjunxit : « Ut »efficiamini similes Patri vestro cœlesti, qui solem suum »oriri jubet super malos ac bonos, et pluit super justos »ac injustos[2]. » Tu non potes oriri jubere solem, neque imbres immittere, neque beneficus esse in orbem terrarum tam longe lateque patentem; utere facultatibus tuis ad beneficientiam, et factus es similis ei qui solem suum oriri jubet, in quantum hominem Deo similem fieri licet.

VIII. Animadvertite diligenter quæ dico : « Super bonos »ac malos, » inquit. Ergo tu quoque quoties eleemosynam facis, ne vitam examines, neque morum rationem reposcas. Eleemosyna enim, hoc est miseratio, ideo dicitur, ut etiam indignis præbeamus : qui enim miseratur, non recte viventem, sed peccantem miseratur : nam qui recte vivit, laude est dignus et corona; qui vero peccat, venia et misericordia. Quapropter hac quoque parte Deum imitabimur, si etiam malis benignitatem nostram non sub-

[1] 2 Cor. IX. — [2] Matth. V, 45.

ducamus. Considera enim quam multi orbem terrarum habitent blasphemi, scelerati, præstigiatores, omnibus vitiis referti, attamen hos quoque per singulos dies enutrit Deus, docens nos ut universos homines beneficentia complectamur. Nos vero omnia contrario modo facimus : non solum enim malos et improbos homines aversamur, verumetiam cum sanus quispiam nos adit, aut propter probitatem, aut propter libertatem, forte etiam propter pigritiam, ut et hoc addam, in paupertate vivens, probra, contumelias, et innumera in eum jaculati dicteria, vacuis ipsum manibus remittimus valetudinem exprobrantes, otium objicientes, pœnas reposcentes. Hoccine jussus es, o homo, objurgare tantum ac increpare egenos ? Miserari ac sublevare paupertatem eorum jussit Deus, non rationem reposcere ac conviciari. Sed vis illius mores corrigere, et hominem inertem a segnitie sua revocatum ad opus aliquod applicare ? Da prius, ac tum demum increpa, ut non crudelitatis suspectus fias, sed benignitatis laudem reportes. Eum enim qui nihil dans tantum opprobrat, aversatur pauper, et inique fert, ac ne aspicere quidem sustinet, et merito. Putat enim non quod bene sibi velit, sed quod dare nolit, objurgatorem eum esse, ita ut revera est : qui vero posteaquam dedit objurgat, facit ut libenti animo objurgatio sua recipiatur : eo quod non propter inhumanitatem, sed propter benevolentiam increpationem adhibere videatur. Sic etiam Paulus fecit, cum enim dixisset : « Qui non vult operari, ne edat [1] : » adjungit exhortationem dicens : « Vos autem bonum facientes ne deficiatis [2]. » Atqui hæc præcepta contraria esse videntur. Si enim otiosos non oportet cibum capere, quomodo jubes bene talibus facere ? Sed non sunt contraria : absit. Ideo enim hoc dixi, inquit, « Qui non vult operari, ne edat, » non ut eos qui

[1] 2 Thess. III, 10. — [2] Ibid. 13.

alioqui largituri erant, averterem a danda eleemosyna, sed ut in otio viventes a segnitie sua revocarem. Itaque cum dicit, « Ne edat, » illos extimulat ad laborem, comminatione hac territos : cum vero dicit, « Bonum facientes » ne deficiatis, » hos excitat ad beneficentiam, utili exhortatione impulsos. Ne enim quidam retraherent manus audito qua illi comminatione feriantur, ad beneficentiam his verbis illos provocat : « Bonum faciendo ne deficiatis. » Itaque etiamsi otioso des, bonum fecisti.

IX. Id et in sequenti contextu manifestum fecit. Cum enim dixisset : « Si quis non audit sermones nostros per » epistolam, hunc indicate, et ne commisceamini illi[1] : » atque hoc modo hominem ejecisset ex Ecclesia, rursum alio modo eum reconciliat, reducens in gratiam cum eis a quibus ejectus fuerat : quapropter hæc verba subdit, « Non ut inimicum existimate, sed ut fratrem[2]. » Quemadmodum igitur cum dixisset, « Si quis non vult laborare, » ne edat[3], » illos certe, qui possunt, curam eorum habere jussit : ita etiam hic posteaquam dixit, « Ne commisceamini » illi, » non alienavit ab ejus cura auditores, sed jubet diligenter eum suscipere dicens : « Non ut inimicum existi- » mate, sed ut fratrem : » reliquisti ejus consuetudinem, sed ne relinquas de eo sollicitudinem : exclusisti eum a conventu, ne excludas a charitate. Etenim hoc ipsum affectu charitatis mandavi, ut hac separatione factus melior, ad reliquum corpus reverteretur : quandoquidem etiam patres domo sua filios expellunt, non ut perpetuo foris maneant, sed ut quod domo exciderint, modestiores facti, domum postliminio revertantur. Atque hæc sufficiant ad illos, qui pigritiam aliis objicere solent. Verum quoniam multi aliiis utuntur verbis quibus se excusent, quæ plena crudelitatis ac inhumanitatis sunt, necesse est ut illa quo-

[1] 2 Thess. III, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 10.

que redarguam, non ut excusationem eis adimam, sed quo persuadeam ut, omissa vana et inutili, ad veram et apud Christi tribunal profuturam defensionem operibus ipsis se exerceant. Quæ est igitur illa vulgarium hominum frigida ac inutilis defensio? Alendi sunt, inquit, liberi, rei familiaris gerenda est cura, uxorem alo, necessarios sumptus multos sustineo : quamobrem non suppetit, unde obvios sublevare possim. Quid ais ? filios alis, et ideo non est unde venientes ad te subleves ? Imo propter hoc ipsum sublevandi sunt egeni, ut exigua pecunia Dominum qui eos tibi dedit, propities, ut etiam post mortem tuam patronum illis relinquas, ut eis magnum favorem cœlitus concilies, dum illa pecunia sumptus Deo gratos facies. Annon vides, a multis homines præpotentes ac opulentos, nihil alioqui ad suum genus attinentes, in testamento suo insertos fuisse, et liberis suis cohæredes factos, nihil ob aliud quam ut securitatem filiis modica pecunia pararent? idque cum incertum esset quonam affectu post obitum ipsorum filios illos cohæredes essent prosecuturi. Tu vero cum scias humanitatem, bonitatem et æquitatem tui Domini, expertem eum tui testamenti facies ? non facies cum cohæredem liberorum tuorum ? Hoccine est amantissimi patris officium? Nam si prolis tuæ curam geris, relinque illis chartulam scriptam, in qua Deum debitorem habeas. Hæc maxima hæreditas, hoc decus est, hæc securitas. Induc eum in terrenam hanc hæreditatem, ut te una cum tuis liberis in cœlestem illam hæreditatem inducat. Hic hæres nobilis est, humanus, bonus, potens, dives ; quare nihil est cur ejus societatem suspectam habeas. Ideo etiam sementis vocatur eleemosyna ; quia res hæc non tam sumptus est, quam reditus. Tu autem quando seminandum est, non magni facis quod evacues fructuum veterum promptuaria, sed ad messis futuræ fructum spectas, idque

cum eventum nescias : nam et rubigo, et calamitas, et locusta, et aëris intemperies ac multa spes nostras frustrantur : cum vero in cœlum est semen jaciendum, ubi nulla aëris intemperies, nullus dolor, nullæ insidiæ, tergiversaris ac procrastinas? Et quam speras veniam qui in terram seminando confidenter et alacriter id facis; cum vero in manum Dei seminandum est, cessas et negligis? Nam si terra reddit quod sibi est creditum, multo magis Dei manus, quæcumque acceperit, magno cum fœnore est redditura.

X. Hæc igitur scientes non respiciamus sumptum, quando eleemosynam facimus, sed eum qui inde speratur proventum, imo etiam præsens lucrum : non solum enim regnum cœlorum eleemosyna procurat, sed in præsenti etiam vita securitatem affert et abundantiam. Quis hæc pollicetur? Ipse qui præstare potest Dominus. Dicit enim : « Qui sua pauperibus largitur, centuplum accipiet in hoc »sæculo, et vitæ æternæ hæreditatem habebit[1]. » Vides retributionem in utraque vita cum magno fœnore recipiendam? Ne igitur cessemus, neque procrastinemus, sed per singulos dies eleemosynæ fructum percipiamus, ut et in præsenti sæculo rebus secundis fruamur, et futuram vitam consequamur : quæ nobis omnibus contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri una cum Spiritu sancto gloria, honor imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. XIX, 29.

HOMILIA III.

De eisdem verbis: Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est[1], *et qua de causa rebus bonis omnes ex æquo fruantur, et de eleemosyna.*

I. Cum priore conventu et qui illum præcesserat, unum Apostoli dictum susceperimus exponendum, in ejus enarratione totum sermonem consumpsimus, et hodie quoque in eodem versari proposuimus: hoc autem data opera facimus, ad vestram utilitatem, non ad nostram ostentationem : non enim ut fœcundum me et multiscium ostendam, sed ut tum Pauli sapientiam vobis aperiam, tum vestram alacritatem excitem, ita eumdem verso sermonem : nam et illius intelligentiæ profunditas magis elucebit, si ex uno dicto tanta nobis sententiarum fluenta proferat, et vos, cum didiceritis ex uno Apostoli verbo ineffabiles sapientiæ divitias depromi posse, non oscitantes percurretis ejus Epistolas, sed hac spe inducti singulas earum sententias exquisita cura ac diligentia perscrutabimini. Si enim unum dictum triduo nobis disserendi materiam præbuit, quantum putatis thesaurum nobis profunderet una quæpiam pars diligenter tractata ac considerata? ne igitur delassemur priusquam totum quod superest decerpserimus. Si enim metallorum auri fossores, licet quantumvis divitiarum inde exhauserint, non prius tamen inde absistunt, quam totam aurum auferant : multo majorem nos alacritatem ac diligentiam in perscrutandis divinis eloquiis adhibere convenit. Nam et nos aurum effodimus, non

[1] 2 Cor. IV, 13.

sensibile, sed enim spirituale, non enim in metallis terræ, sed in spiritus metallis operamur. Paulinæ enim epistolæ metalla sunt spiritus et fontes : metalla quidem, quia quovis auro pretiosiores nobis præbent divitias : fontes vero, quia nunquam deficiant, sed quantum libet exhaurias, tantumdem ac multo amplius rursum affluit : et hoc evidenter declarare potest totum tempus quod præteriit. Siquidem ex quo Paulus vixit, quingenti jam elapsi sunt anni, totoque hoc tempore multi tum commentatores, tum doctores ac interpretes multa sæpe inde exhauserunt, nec tamen repositas inibi divitias evacuare valuerunt. Non est enim sensibilis hic thesaurus, et idcirco non consumitur a multis effodientium manibus, sed augetur et multiplicatur. Et quid dico de illis qui ante nos fuerunt ? quam multi post nos dicturi sunt, ac rursus post illos alii, nec tamen deficient fontis in modum scatentes divitiæ, neque metallorum hoc genus exhaurietur ? Spiritualia enim sunt, et suapte natura nunquam omnino absumi possunt. Quod est igitur illud dictum apostolicum ? « Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est, » Credidi, quapropter locutus sum. »

II. Nuper igitur quæsivimus quanam de causa dixerit, « Eumdem spiritum fidei, » et unam hactenus causam attulimus, erat autem hæc : ut ostenderet consonantiam Veteris ac Novi Testamenti. Cum enim invenitur idem fidei spiritus et Davidis linguam movisse, dicentem; « Credidi, propter quod locutus sum, » et in Pauli anima operatus esse, satis apparet magnam esse Prophetarum cum Apostolis cognationem, atque ita necessario sequitur magnam esse Veteris et Novi Testamenti consonantiam. Sed ne iterum eadem repetentes molesti vobis simus, age et alteram causam proferamus, ob quam dixit, « Eumdem. »

[1] Psal. cxv, 1.

Jam tum enim alteram hujus dicti causam promiseramus. Sed opus est ut excitemini : profundus enim est sensus quem Charitati Vestræ sum dicturus, et perspicaci animo opus habet, ingenioque peracuto : quapropter obtestor ut summa attentione quæ dicenda sunt auscultetis : vestrum est lucrum , noster vero labor , imo gratiæ spiritus sancti donum, quo revelante secreta, neque qui dicit, neque qui audit defatigatur : revelationem enim magna facilitas sequitur. Attendamus igitur cum diligentia : licet enim majorem partem auribus persequamini, si vel minimum dormitaveritis, interrupto semel contextu totum ignorabitis. Et quemadmodum iis, qui viam ignorant, et ductore opus habent, diu licet illum secuti, si per negligentiam vel paululum ex oculis eum amittant, nihil prodest hactenus secutos esse, sed consistunt ignari quanam sit progrediendum : ita etiam qui dicentem prosequuntur animo, etiam si attente doctrinam ejus hauserint, si paulisper tantum oscitanter audiant, tota serie amissa, non possunt amplius ad sententiarum finem pervenire : ne igitur idem vobis accidat, omnibus quæ dicturi sumus pari tenore intendite, donec ad finem perveniamus.

III. Dicturi igitur qua de causa dicat, « Habentes autem » eumdem spiritum fidei, » volens ostendere eamdem esse utriusque Testamenti fidem omnium bonorum matrem, paulo altius sermonem repetamus. Sic enim nobis causa evidentius apparebit. Quænam igitur est hæc causa? Magnum bellum circumsteterat fideles dum hæc dicebantur; bellum, inquam, grave et absque ullis induciis : nam et civitates integræ et populi undique in eos insurrexerant, et tyranni omnes insidiabantur, et reges contra eos bellum parabant ; arma movebantur, gladii acuebantur, exercitus adornabantur, et omnia genera pœnarum ac suppliciorum excogitabantur : inde facultatum rapinæ et confiscationes,

et carceres ac mortes quotidianæ, tormenta, vincula, ignis, ferrum, bestiæ, patibula, rotæ, barathra, præcipitia, et quidquid in perniciem fidelium excogitari poterat : ac ne intra hos quidem fines bellum se continuit. Non solum enim ab inimicis excitabatur, sed ipsa etiam natura contra se ipsam irritabatur. Etenim liberis insidiabantur patres, et filiæ exosas matres habebant, et amici amicos aversabantur, et in cognationes ac familias bellum hoc latenter sese insinuabat, magnusque tumultus erat per universum orbem habitabilem. Et sicut navis undis insurgentibus, nubibus concurrentibus, elisis tonitribus, caligine undique scapham cingente, mari furente, belluis sævientibus, piratis oppugnantibus, ipsis vectoribus inter se dissidentibus, haudquaquam evadere potest, nisi cœlestis dextera magna illa ac potens discusso periculo et sedata tempestate, in tranquillitatem reducat navigantes : ita etiam tunc inter initia prædicationis accidit. Non solum enim externa tempestate pulsabantur, sed intus etiam plerumque seditione laborabant. Quis hoc dicit? Paulus ipse sic scribens: « Foris pugnæ, intus timores[1]. » Et quod hoc verum sit, quodque doctores pariter ac discipuli innumeris septi fuerint malis, et per omnes ex æquo bellum hoc fuerit grassatum, eumdem Paulum iterum testem adduco. Vestræ autem partes sunt meminisse omnium horum quæ dico, ut cognitis periculis ac tentationibus, omnibusque adversitatibus, quas ejus temporis fideles perferebant, tanto majores gratias agatis Deo, qui omnibus illis calamitatibus finem imposuit, et averruncato bello, tranquillissimam pacem nobis confecit: ut nemo vel socordiæ pœnam effugiat, vel ob vitam recte actam extollatur.

IV. Neque enim perinde est, si undiquaque impugnatus et innumeris adversitatibus obrutus generose subsistas,

[1] 2 Cor. VII, 6.

ac si in portu nunc sedens, et in summa securitate eumdem animum præ te feras. Illorum enim conditio nihilo melior erat, quam eorum qui turbato mari jactantur : nos vero securius agimus quam qui in portum devecti incolumes jam per otium se reficiunt. Quapropter neque propter bonam vivendi rationem extollamur, neque tentationibus cedamus, neque securitate Ecclesiæ nostram ad segnitiem abutamur, quin potius sobrii simus ac vigilemus. Nam nobis quoque est lucta adversus innatas concupiscentias : non insurgunt contra nos homines, sed insurgunt carnales voluptates, non impugnant nos reges atque tyranni, sed impugnat ira, vanæ gloriæ cupido, invidia, æmulatio, atque id genus alii affectus innumeri. Quando igitur illas tentationes evasimus, ne ab his vincamur operam demus. Ideo enim vobis in memoriam revocavi illius temporis calamitates, ut nunc et qui affligitur, idoneam inde consequatur consolationem, et qui in securitate agit, utpote non exercitatus acre contra absurdas cogitationes certamen suscipiat. Propter nostram enim admonitionem et consolationem ac tolerantiam illa omnia sunt scripta : quæ quidem necesse habemus nunc apud vos eloqui, et docere quantis adversitatibus ejus temporis fideles obsessi fuerint, non doctores solum, verumetiam discipuli. Audi igitur quid dicat Paulus ad Hebræos scribens : « Memores estote priorum dierum, in quibus » illuminati multum certamen afflictionum sustinuistis[1]. » Non enim per breve tempus, sed mox ab ipso exordio prædicationis et doctrinæ insurrexerunt adversus eos tentationes, et mox a suscepto baptismo periculis erant obnoxii : At quomodo audi : « Opprobriis et tribulationibus » spectaculum facti. » Omnes enim despuebant eos, contumeliis afficiebant, deridebant, vituperabant, fatuos vo-

[1] Hebr. x, 32.

cabant ac insensatos, quod deserta patria vivendi formula, nova placita suscepissent. Quæ quidem non parum valent ad commovendam animam, ni fides profunde sit radicata : nihil enim æque animam mordet, ac improperium; nihil æque tabefacit mentem, ac dicteria et convicia : nam multi viri per convicia sunt sæpe subversi. Ilæc autem loquor nunc, ut cum fiducia fidem teneamus. Si enim illi totius orbis convicio non sunt subversi, multo magis nostra ætate fides magna confidentia retinenda est, quando totus orbis ad nostras partes accessit. Quod autem illi non intra calumnias tantum et opprobria conviciaque patientiam retinuerint, sed illa cum gaudio toleraverint, audi quæ sequuntur. « Nam et direptionem, inquit, facultatum » vestrarum cum gaudio pertulistis[1]. » Vides quod et bona eorum confiscabantur olim, et omnibus in prædam erant, qui eos lædere cuperent. Atque hæc quidem ad Hebræos scribit.

V. De Thessalonicensibus vero rursum aliud quiddam tale testatur. « Vos enim, inquit, imitatores facti estis » Domini ac nostri, qui suscepistis sermonem hunc in tri- » bulatione magna[2]. » Vide etiam hos affligi, neque id simpliciter, sed afflictione magna. Vehemens tentatio, continuum periculum, nec minimam quidem respirandi facultatem concedebat eis, qui tunc temporis in certamine erant. Attamen cum hæc tolerarent, non inique ferebant, neque animum despondebant, imo gaudebant etiam. Unde hoc apparet? Ex verbis ipsius Pauli. Ubi enim dixit : « In tribulatione magna, » addidit, « Cum gaudio » Spiritus sancti. » Scilicet tentatio pariebat afflictionem, gaudebant tamen reputantes quare tentarentur. Idonea enim erat consolatio, quod conscii essent propter Christum se hæc pati. Quapropter non tam demiror quod illo

[1] Hebr. x, 34. — [2] 1 Thess. 1, 6.

tempore affligerentur, quam quod affligi se propter Deum lætarentur. Hoc enim generosæ ac Deum amantis animæ officium est, nimirum afflictiones et adversitates ferre. Cæterum generose tolerare tentationem, atque insuper gratias agere ei, qui se tentari permittit, id demum summæ fortitudinis est, animæque vigilantis, et quæ omnibus humanis affectibus sit superior. Nec hic tantum, sed et alibi docens quanta mala paterentur ejus temporis fideles a familiaribus ac propinquis, hoc enim erat gravissimum, in hunc modum loquitur, « Vos imitatores fuistis Eccle» siarum, quæ sunt in Judæa. » Qua in re imitatores? « Quoniam et vos eadem estis perpessi a propriis contri» bulibus, sicut et illi a Judæis [1] : » Ecce bellum, sed bellum civile, quod majorem facit indignationem. « Si enim » inimicus exprobrasset mihi, inquit, sustinuissem utique. » Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus [2] ; » id quod tum in figura contingebat. Quapropter multa opus habebant consolatione. Quod quidem Paulus cum videret, eosque qui ad suam curam pertinebant laborare ac sudare animadverteret, quod magnis calamitatibus gravarentur, et alias super alias plagas ægre sustinerent, vide quam variis modis animos eorum excitet, nunc quidem his verbis. « Si quidem justum est apud Deum retribuere tribu» lantibus vos tribulationem, et vobis qui tribulamini, re» quiem nobiscum [3] : » nunc vero his : « Dominus prope est, » nihil solliciti estis [4]. » Ac rursum, « Nolite amittere con» fidentiam vestram : nam patientia opus habetis, ut Dei » voluntatem facientes, reportetis promissionem [5]. » Deinde ad patientiam eos confirmans subinfert : « Adhuc enim » modicum aliquantulum qui venturus est veniet, et non » tardabit. » Sicut puerulum plorantem, moleste ferentem,

[1] 1 Thess. II, 14. — [2] Psal. LIV, 13, 14. — [3] 2 Thess. I, 6. — [4] Hebr. X, 35. — [5] Philip. IV, 5.

matremque suam requirentem, assidens aliquis sic consolatur : Paulisper adhuc expecta, et omnino tua mater aderit : ita etiam Paulus, videns ægre ferentes, conquerentes, adventum Christi requirentes ejus temporis fideles propter intolerabilem malorum vim, consolaturus illos dicit : « Adhuc modicum aliquantulum qui venturus est » veniet, et non tardabit. »

VI. Itaque quod Discipuli affligerentur, et plurima mala paterentur, et sicut agni in medio luporum undique persecutionem sustinerent, per hæc satis apparet. Ut autem sciatis, etiam doctores non minora, imovero multo graviora sustinuisse : nam quo magis inimicos veritatis contristabant, eo magis et a pluribus infestabantur, hoc quoque ab eodem, qui superiora nos docuit, audiemus. Corinthiis enim scribens loquitur : « Nemini dantes ullam » occasionem, ut non vituperetur ministerium nostrum : » sed in omnibus exhibentes nosmetipsos, sicut Dei minis- » tros, in multa patientia, in afflictionibus, in necessitati- » bus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditioni- » bus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis[1]. » Vidisti-ne quot certamina enumeraverit, quam crebras tentationes? Rursum eisdem scribens, « Ministri Christi sunt, inquit, » ut minus sapiens dico, plus ego[2]. » Deinde volens nobis persuadere, multo præstantius esse propter Christum affligi quam prodigia facere, et probationem afferens apostolatus, ostendensque se præferendum esse aliis, non apostolis, sed pseudo-apostolis; non a miraculis per se editis argumentatur, sed a continuis periculis in quibus versabatur, in hunc modum scribens : « In laboribus co- » piosius, in verberibus supra modum, in carceribus » abundantius, in mortibus frequenter : a Judæis quin- » quies qurdragenas una minus accepi, ter virgis cæsus

[1] 2 Cor. vi, 3-5. — [2] 1 Cor. xi, 23.

» sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte » ac die in profundo egi : in itineribus sæpe, in periculis » fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, peri- » culis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in de- » serto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in » labore et molestia, in vigiliis sæpe, in fame et siti, in » frigore et nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt[1]. » Hi sunt veri apostolatus characteres. Prodigia siquidem et alii sæpe fecerunt, nec eis fecisse profuit, sed post omnia illa audiverunt, « Recedite, non novi vos qui operamini » iniquitatem[2]. » Nemo vero eorum qui eadem quæ Paulus commemorare possunt, vocem illam unquam est auditurus : verum cum magna fiducia cœlum conscendet, bonisque cœlestibus perfructur universis.

VII. Fortasse prolixior visus est vobis sermo noster. Sed ne sitis solliciti, non sum oblitus promissionis, sed statim ad illam revertar. Hæc autem non temere longiori oratione prosecuti sumus, sed ut prolixiori verborum apparatu certius ac clarius doctrinam nostram approbaremus, simulque afflictorum animas consolaremur, ut quotquot in periculis versantur et tentationibus, idoneam nacti consolationem discedant, scientes quod socii Pauli per has afflictiones efficiantur, imovero ipsius Christi Angelorum Domini. Qui autem afflictionum ejus particeps est in hoc sæculo, in illo particeps erit etiam gloriæ, ait enim : « Si quidem compatimur, ut et conglorificemur[3]; » ac rursum : « Si sustinemus, ut simul etiam regnemus[4]. » Omnino enim necesse est, ut fidelium genus afflictionibus prematur. « Omnes enim qui volunt pie in Christo vivere, » persecutionem patientur[5]; » ac rursum : « Fili, dum ac- » cedis ad serviendum Domino, præpara animam tuam

[1] 1 Cor. xi, 23-28. — [2] Matth. vii, 23. — [3] Rom. viii, 17. — [4] 2 Tim. ii, 12. — [5] Id. iii, 12.

» ad tentationem. Recte fac, et persevera[1]. » Bellæ promissiones, statim ab exordio in tentationes incidere? Egregia vero exhortatio et insignis consolatio ejus servitutis, pericula confestim degustare? Plane egregia simul et admiranda, et maximum lucrum afferens. Quodnam illud? Audi quæ sequuntur : « Sicut enim in igne probatur » aurum, sic homines accepti in fornace tentationis[2]. Quod autem dicit, sic accipe. Sicut aurum igne examinatum purius redditur, pari modo etiam anima, quæ inter afflictiones versatur ac pericula, hilarior ac splendidior per illa evadit, omnemque peccatorum maculam abstergit. Hinc est quod ad divitem illum dicebat Abraham : « Lazarus recepit mala sua : hic autem consolationem re- » cipit[3]. » Ac Paulus Corinthiis scribens dicit : « Propter » hoc inter vos multi imbecilles et invalidi, et dormiunt » multi. Etenim si nos ipsos dijudicaremus, non utique » judicaremur. At cum judicamur a Domino corripimur, » ne cum hoc mundo damnemur[4]. » Quin et fornicatorem illum hac de causa tradidit in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret, ostendens præsenti tentatione salutem perfici, et pericula iis, qui cum gratiarum actione subeunt illa, animæ purgationem esse maximam. Itaque quod afflictiones pertulerint fideles, et innumeras calamitates tam discipuli quam doctores, ac ne minimum quidem respiraverint, variis omnium generum bellis undique circumdati, satis hic noster sermo declaravit, et plura etiam de hoc e sacris Litteris studiosi colligere possunt.

VIII. Superest ut hæc ad propositum nostrum adducamus. Quid autem proposueramus dicere? Qua de causa Paulus dixerit, « Habentes eumdem spiritum fidei. » Cur igitur dixit? Turbabat hoc discipulos, quod gravia quidem

[1] Eccli. II, 1. — [2] Ibid. 5. — [3] Luc. XVI, 25. — [4] 1 Cor. V, 5, et XI, 30.

in re præsenti experiebantur, bona vero spe solum concipiebant, et illa quidem jam aderant, hæc longe distabant : illa jam contingebant, hæc adhuc sperabantur. Quid mirum si initio prædicationis quibusdam hoc usuveniebat, quandoquidem nunc post tantum temporis spatium, post prædicationem toto orbe propagatam, post tot certa promissionum argumenta, idem multis adhuc usuvenire solet? Nec hoc solum illos perterrebat, sed et aliud quiddam, idque non minus. Quodnam hoc? Cogitabant apud se, in Veteri Testamento non ad eum modum res hominum dispensatas fuisse, sed virtutis præmia confestim accepisse, quicumque justam ac temperatam vivendi rationem prætulissent. Non enim post corporum resurrectionem, neque in futura vita, sed hic in præsenti vita omnes eis promissiones implebantur, ait enim : « Si » dilexeris Dominum Deum tuum, bene tibi erit, et mul» tiplicabit Deus armenta boum tuorum, et greges peco» rum tuorum, non erit apud te infœcundum, neque ste» rile : non erit apud te languor neque ægritudo[1]. Emittet » Deus benedictionem in promptuaria cellarum tuarum : » aperiet cœlum, et dabit tibi pluviam matutinam et sero» tinam. Excipiet area vindemiam, et vindemia semen» tem[2]. » Aliaque multa simili modo eis promisit, quæ quidem omnia in præsenti vita eis reddidit. Si quis est acutior, jam prævidet solutionem. Quandoquidem igitur corporis sanitas, agrorum felicitas, liberorum bonitas atque copia, fausta senectus, anni partium temperies optima, annonæ bonitas, imbrium opportunitas, armentorum et gregum abundantia, omnia denique bona illis in hac vita repræsentabantur, nihilque post hanc vitam et in futurum sæculum sperandum proponebatur : hæc reputantes fideles, majoribus quidem suis omnia bona præ

[1] Deut. VII, 13. — [2] Levit. XXVI, 4.

pedibus fuisse sita, sibi vero in futuram vitam præmia et coronas reposita esse, et ex fide ipsorum promissiones pendere : delassabantur ac deficiebant, ut quibus universa vita inter tentationes necessario esset exigenda. Hæc igitur considerans Paulus, et malorum quæ eis impendebant magnitudinem, et quod his quidem post obitum laborum mercedem Deus esset pollicitus, patribus autem præsentem retributionem præstitisset : perspiciensque magnam in illis segnitiem e talibus cogitationibus suboriri, et volens eos excitare ac docere patrum quoque temporibus eamdem fuisse rerum dispensationem, multosque fide mercedem percepisse, non re, propheticum illis dictum in memoriam revocat dicens : « Habentes eumdem » spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi, propter » quod locutus sum : » tantum non dicens quod magnus etiam ille David, egregius et admirandus Propheta, fide retributionem perceperit, non experimento, alioqui nisi res ita se haberet, non dixisset : « Credidi, propter quod » locutus sum [1]. » Fides enim ad ea quæ sperantur refertur, non ad ea quæ videntur : quod enim videt quis, plane non sperat. Si igitur credidit, illis nimirum credidit, quæ sperabat. Quod si eis quæ sperabat credidit, quæ vero sperantur, non videntur, consequitur eum non recepisse ea quæ crediderat, propterea dicit, « Habentes eumdem spi- » ritum fidei. » Hoc est, eamdem fidem, quæ fuit in Veteri Testamento, etiam nos habemus. Quapropter et alibi de ejus temporis sanctis ad hunc modum loquitur : « Cir- » cuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, afflicti, » angustiati, quibus dignus non erat mundus [2]. » Deinde docens eos calamitates quidem pertulisse, mercedem vero nondum recepisse, subdit verba hæc : « In fide mortui sunt om- » nes hi ; nec promissiones receperunt, » sed a longe tantum

[1] Psal. CXV, 1. — [2] Hebr. XI, 37.

aspectas salutaverunt. Et quomodo viderunt eas, quæso, quæ nondum erant præsentes? Fidei nimirum oculis, qui cœlum penetrant, et quæ in eo sunt universa contemplantur.

IX. Tu vero considera mihi Dei sapientiam, quomodo illis præmia e longinquo ostenderit, quæ ideo suis non statim dedit, quo major esset eorum patientia : ostendit autem e longinquo ideo, ut hac spe refecti, ne sensum quidem præsentium laborum percipiant. Sed forsan aliquis ex his qui acrius attendunt, inter se pugnantia nos dicere putabit. Dicet enim : Si neque priscis illis statim oblata sunt bona et præmia, quid ita longum habuisti sermonem, enumerando anni partium temperiem, corporis sanitatem, liberorum bonitatem ac copiam, annonæ facilitatem, fructuum abundantiam, armenta, greges, et omnem vivendi felicitatem? Quid igitur ad hoc est respondendum? Aliter cum vulgo et imbecilliore populo, aliter cum generosis hominibus, et eam, quæ est Novi Testamenti, philosophiam jam tum meditantibus, se gessisse Deum illo tempore. Multitudini enim quæ humi repebat, nec magnum aliquid videre poterat, neque spem suam ad futurorum bonorum fruitionem extendere, præsentia bona exhibuit, imbecillitatem animæ eorum consolando, et per hoc ad virtutem exercendam ipsos deducendo, atque ad rerum honestarum desiderium. Eliam autem et Eliseum, et Jeremiam, et Esaïam et in summa universos Prophetas, et quotquot ad magnorum et sanctorum hominum chorum pertinebant, ad cœlos vocabat, ad eaque bona quæ electis sunt illic præparata. Quamobrem etiam Paulus non omnes simul enumeravit, sed amictos ovillis ac caprinis pellibus, in fornacem conjectos, vinculis constrictos, distentos, saxis lapidatos, fame et inopia laborantes, in solitudinibus, speluncis et cavernis terræ degentes, innu-

meraque mala sustinentes. At tum demum dixit omnes hos in spe mortuos, nec adhuc promissionem recepisse : subindicans nobis non vulgus judaïcum, sed homines ad Eliæ similitudinem accedentes. Quod si quis dicat : hi autem ipsi quamobrem ne nunc quidem debitas sibi coronas perceperunt : causam hujus rei discat a Paulo. Cum enim dixisset : « Fide sunt mortui omnes hi non acceptis pro-» missionibus, » subjunxit ; « Deo pro nobis melius aliquid » providente, ut non sine nobis consummarentur[1]. » Communis enim est celebritas hæc, inquit, quandoquidem major etiam est voluptas, dum omnes eadem opera coronamur. Idem fit et in olympiacis certaminibus : luctator, pugil, pancratiasta, diversis quidem temporibus certamen subeunt, sed uno temporis momento omnes a præcone victores pronuntiantur. Idem fit et in conviviis. Quoties enim convivarum alii venerunt maturius, alii adhuc cunctantur, convivatores in honorem absentium jubent præsentes paulisper manere, donec illi quoque veniant. Idem etiam Deus fecit : quoniam enim ex toto orbe diversis temporibus electos ad commune et spirituale convivium invitavit, jubet eos qui priores iverunt, expectare eos qui posteriores sunt venturi, ut hoc pacto omnibus una præsentibus, unus omnibus contingat honor et una voluptas.

X. Cogita enim quanta sit honoris accessio, Paulum et sui temporis homines, Abrahamum item atque ejus ætatis viros, ac rursum alios qui tot sæculis ante illum certaverunt et vicerunt, sedere nunc expectantes donec nos quoque probati simus. Quod enim Paulus nondum coronam receperit, neque eorum quisquam qui anquam ab initio Deo placuerunt, imo ne recepturi quidem sint donec omnes qui coronandi sunt convenerint, audi ipsum

[1] Hebr. xi, 13 et 40.

Paulum dicentem : « Bonum certamen certavi, cursum » consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi » corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex. » Quando? « In illa die. Non solum autem mihi, sed et om- » nibus qui diligunt adventum ejus[1]. » Et rursum alibi indicans bona illa universi simul ad fruendum concedenda esse, Thessalonicensibus sic scribit : « Siquidem justum » est apud Deum ut reddatur affligentibus vos afflictio, vo- » bis autem qui affligimini relaxatio una nobiscum[2] :» Ac rursum : « Quoniam nos qui vivimus, qui relinquimur » in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormie- » runt[3] : » per hæc omnia docens oportere nos simul omnes et in commune cœlestis honoris possessionem ac fructum accipere. Hoc ipsum etiam illis qui nos præcesserunt magnam affert voluptatem, quod una cum propriis membris sint ineffabilibus illis bonis perfruituri. Etenim pater mensam habens splendidam ac opiparam, tum demum majore cum voluptate ea fruetur, quando liberi sunt ejus voluptatis ac hilaritatis participes. Sic etiam Paulus ejusque similes, ita demum ampliorem sentient animi voluptatem, quando una cum propriis membris illa perfruentur : neque enim patribus tantus est erga liberos affectus, quantam illi sollicitudinem gerunt de eis qui eamdem virtutis viam sunt ingressi. Ut igitur etiam nos in eorum qui tunc honorabuntur numero simus, demus operam ut sanctos illos assequamur. Et quomodo assequi poterimus, inquies ? quis nobis viam, quæ ad illos ducit, indicabit? Ipse sanctorum illorum Dominus, qui non solum quomodo illos assequamur docet, verumetiam quomodo illorum omnium contubernales ac sodales fieri possimus : ait enim : « Facite vobis amicos de mammona » iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna

[1] 2 Tim. IV, 7, 8. — [2] 2 Thess. I, 6. — [3] 1 Thess. IV, 15.

» sua tabernacula [1]. » Recte dixit, « Æterna. » Nam in hoc sæculo etiamsi splendidam domum habeas, omnino vetustate est peritura : imo prius quam illa pereat, mors irruens ejiciet te ex magnifico isto domicilio : non raro quidem vel ante obitum infausta negotia, calumniatorum impetus ac insidiæ faciunt, ut inde ejiciaris. Illic autem non est quod tale quidquam verearis : non corruptionem, non mortem, non ruinam, non damnum a calumniatoribus, non aliud quidquam; sed immobile et immortale est domicilium. Quapropter æternum illud appellavit. « Facite » vobis amicos, inquit, de mammona iniquitatis. »

XI. Vide quanta sit Domini benignitas, quanta bonitas ac æquitas; neque enim temere hoc adjunxit, sed quoniam plerique divites ex rapinis ac fraude divitias sibi comparaverunt; male, inquit, factum, nec oportebat te ita pecunias colligere. Verumtamen quandoquidem jam collegisti, desiste a rapina et fraude, et utere pecunia ad ea, quibus opus habes. Non jubeo te esse ex rapto misericordem, sed a fraude temperantem, divitiis ad benignitatem et eleemosynam uti. Nisi enim a rapina desistas, ne eleemosyna quidem erit : sed etiamsi innumeras pecunias des in manus egenorum, a fraude et rapina interim non abstinens, in homicidarum numero a Deo computaberis. Quapropter oportet a fraude absistere, ac tum demum in egenos misericordem esse. Magna enim est eleemosynæ vis, de qua etiam in priore conventu apud vos disseruimus, ac nunc quoque disseremus. Sed nemo vestrum ita cogitet, hanc admonendi assiduitatem ad auditorum tendere accusationem. Nam et in certaminibus illi potissimum a spectatoribus excitantur, qui ad metam propius accedunt, et certiorem victoriæ spem habere videntur. Ergo quia magna alacritate video vos de elee-

[1] Luc. XVI, 9.

mosyna sermonem excipere, eo magis libet istam exhortationem continuare. Medici animarum nostrarum sunt pauperes, benefactores et protectores : neque enim tantum das, quantum accipis; das pecuniam, et accipis regnum cœlorum; sublevas egestatem, et reconcilias tibi Dominum. Vides imparem esse retributionem : hæc sunt terrena, illa cœlestia : hæc peritura, illa permanentia, hæc corrumpuntur, illa sunt extra corruptionis periculum. Hac de causa majores nostri pro foribus Ecclesiarum pauperes constituerunt, ut vel inhumanissimum et segnissimum quemque aspectus ipse egenorum ad eleemosynam excitet. Ubi enim stat chorus senum incurvorum, pannosorum, squallidorum, sordidatorum, baculos tenentium, atque his ægre se sustentantium, nonnunquam oculis orbatorum, totoque corpore male mulctatorum, quis tam saxeus est, quis tam adamantinus, qui ad eorum grandævitatem, imbecillitatem, cæcitatem, egestatem, habitus vilitatem, totque alia ad condolendum moventia, obdurare se et inflexibilis queat permanere? Hac de causa pro foribus nostris stant, et ipso aspectu, magis quam ullis verbis possunt, ad beneficentiam provocant eos qui introgrediuntur. Quemadmodum enim solemne est ut fontes præsto sint ante oratoria, ut adoraturi Deum manus prius lotas inter precandum attollant : ita pauperes fontium vice ante fores collocaverunt majores nostri : ut quemadmodum manus abluimus aqua, sic prius per beneficentiam abstersa anima, tum demum preces nostras offeramus.

XII. Non enim tam apta est aqua ad abluendas corporis maculas, quam eleemosyna ad abolendas sordes animæ. Quemadmodum igitur non audes illotis manibus ad precandum intrare, quamvis levius sit hoc crimen, ita nec absque eleemosyna ad precandum unquam accedas. Atqui

non raro etiam cum puras manus habeamus, non tendimus ad Deum nisi prius lotas : tantum valet consuetudo. Idipsum igitur in eleemosyna est faciendum, et licet nullius magni peccati nobis simus conscii, tamen eleemosyna data conscientiam nostram abstergere oportet. Multa in foro tibi contraxisti mala : inimicus irritavit, judex aliquid parum decorum facere compulit, verba sæpe effutivisti non bona, ne amicum offenderes peccatum aliquod admisisti : alias non paucas maculas contraxisti, ut solent homines qui in foro versantur, judicum consessui intersunt, rem populi administrant : pro his omnibus accedis Deum exoraturus, et veniam petiturus. Ergo da pecuniam in manus pauperum, et absterge illas maculas, ut cum fiducia invoces rogans illum qui potest hæc tibi peccata remittere. Si te assuefeceris nunquam sine eleemosyna sacra hæc vestibula intrare, nec sponte, nec invitus unquam ab hoc bono opere abstinebis : tantum valet consuetudo. Et sicut quomodocumque se res habeat, nunquam sustines illotis manibus precari, posteaquam semel consuetudinem hanc usurpasti, ita etiam in eleemosyna si hanc legem tibi præfixeris, volens nolens quotidie illam implebis, ipsa consuetudine ad hoc pertractus. Ignis est precatio, præcipue cum a vigilante et sobria mente proficiscitur : sed ignis iste opus habet oleo, ut ad ipsa cœli convexa perveniat. Cæterum oleum, quo ignis hic fovetur, non aliud est quam eleemosyna. Affunde igitur oleum hoc largiter, ut exhilaratus hoc tuo bono opere, cum majore alacritate precationem tuam absolvas. Sicut enim qui nullius bonæ rei sibi sunt conscii, nulla cum fiducia precari possunt : ita qui bene aliquid egerunt, et post ista opera ad precandum se conferunt, læti recordatione bene gestorum, majore cum alacritate supplicationem suam offerunt. Ut igitur hac quoque parte efficaciores sint preces

nostræ, nimirum mente per beneficentiæ memoriam excitata, cum eleemosyna ad precandum accedamus, et diligenter omnia quæ dicta sunt in memoria retineamus, et ante omnia illam pauperum imaginem, qua eos dixi pro foribus oratorii consistere, idipsum in animæ usum præstantes, quod in corporis usum fons exhibet. Si enim horum memores continue mentem abluerimus, poterimus et puras preces ad Dominum allegare, multam apud Deum fiduciam obtinere et cœleste regnum consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In hoc Apostoli dictum, Utinam sustineritis modicum quid insipientiæ meæ.

I. Omnes equidem amo sanctos, maxime vero beatum Paulum, vas electionis, tubam cœlestem, Christi pronubum. Id vero dixi, meumque erga illum amorem in medium protuli, ut ejusdem vos participes efficerem. Nam qui corporum amore flagrant, id, et jure quidem, erubescunt profiteri, utpote qui sic et sibi pudorem, et cæteris damnum inferant: qui vero spirituali ardent amore, id fateri nunquam cessent: etenim et sibi et auditoribus suis hac pulchra confessione proderunt. Ille namque amor crimen est, hic vero laudis argumentum: ille ut morbus animæ male audit, hic animi lætitia est, exultatio et ornatus optimus. Ille bellum in amantium mentem inducit, hic si quod sit bellum eliminat, in magnaque pace consti-

[1] 1 Cor. XI, 1.

tuit amatores. Hinc nulla provenit utilitas, sed multa pecuniarum jactura, sumptus insani, vitæ subversio, domorum extrema pernicies; hinc ingentes bonorum operum divitiæ, virtutis magna copia. Ad hæc vero formosorum corporum amatores, qui ad decoras facies inhiant, si turpes ipsi sint ac deformes, nihil ex earum cupidine ad deformitatem suam commutandam lucrantur; sed ex comparatione turpiores deformioresque esse videntur; contra vero accidit in hoc amore: nam qui sanctam, formosam, splendidam et decoram diligit animam, etsi deformis ille sit, etsi omnium mortalium turpissimus, in sanctorum amore perseverans, cito talis erit, qualis is qui amatur. Id enim est divinæ benignitatis opus, quod corpus deforme et mutilum nequeat emendari, anima vero turpis ac deformis, splendida decoraque possit effici. Ex pulchritudine enim illius nihil lucri provenit; ex pulchritudine autem animæ tot possunt excerpi bona, quot par est obtinere eum, qui Deum amatorem habeat. De hac pulchritudine David in Psalmis canens ait: « Audi filia, et »vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum »tuum, et domum patris tui: et concupiscet rex decorem »tuum[1]: » Decorem hic animæ dicit, qui virtute pietateque constituitur.

II. Cum ergo tantum sit lucrum iis, qui cum sanctis communione junguntur, amoris mei participes estote: hunc sanctum summo cum affectu diligamus. Nam si hic amor in animum ingrediatur nostrum, splendidamque flammam excitet; si quid spinosum, si quid saxosum vel asperum, vel stupidum in cogitationibus nostris offendat, tum id absumens, tum illud emolliens, animam nostram ceu pingue arvum divinæ sementi aptum efficiet. Nec mihi dicas, Paulus nec adest nunc: nec oculis conspicitur nos-

[1] Psal. XLIV, 12.

tris, quomodo possit amari is, quem non videmus? nihil enim huic amori est impedimento : etenim et absentem amare, et non conspectum diligere possumus, cum maxime tot et talia quotidie virtutis illius monumenta videamus, nempe Ecclesias ubique terrarum stabilitas, impietatis eversionem, improbæ vitæ in melius mutationem, erroris expulsionem, dirutas aras, occlusa templa, dæmonum silentium. Hæc quippe omnia Pauli efficax lingua, divina inspirante gratia, destruxit, ac splendidam ubique pietatis flammam accendit. Cum tot tantisque gestis ejus, adsunt quoque sacræ illius Epistolæ, quæ beatæ ejus animæ formam accurate nobis depingant. Ac si ergo cum ipso Paulo jam præsente et nobiscum versante disseremus; sic ejus scriptis studiose obtemperemus, intima et profunda explicemus, discamus quid illud sit quod hodie vociferabatur dicens : « Utinam sustineretis modicum quid » insipientiæ meæ; sed et supportate me : æmulor enim » vos Dei æmulatione [1]. » Quid ais, Paule? qui jubes discipulos in sapientia ambulare erga extraneos, qui dicis, « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut scia- » tis quomodo oporteat vos unicuique respondere [2]; » qui apprecaris omnibus, ut sapientia repleantur spirituali, ipse dicis, « Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ » meæ [3]. » Non satis erat tibi aliquod insipientiæ verbum emisisse, sed et discipulis illud effers; nec modo effers discipulis, sed in omnibus post futuris hominibus per Epistolam notum facis? Animadvertite quam non oporteat dicta temere prætercurrere, sed unum quodque accurate scrutari? Illud enim si simpliciter legatur circum emittitur auditoribus : sin vero examinetur, magnam ostendit Pauli sapientiam, magnam prudentiam, ineffabilem curam.

[1] 2 Cor. xi, 1. — [2] Coloss. iv, 5, 6. — [3] Id. i, 9.

III. Quid tandem illud est quod dicitur? Pseudo-apostoli multi erant apud Corinthios, qui ipsos corrumperent ac Paulum accusarent, ejus famam, qua apud discipulos suos valebat, subdole lædentes, dictoriis illum subsannantes, ut arrogantem insimulantes : hos plerumque in Epistola sua impetere deprehenditur : quemadmodum cum dicit, « Non sumus sicut cæteri, adulterantes verbum » Dei[1] ; » ac rursus cum dicit, « Sine onere me vobis ser- » vavi[2] : » ac pollicitus se hanc legem semper immotam servaturum esse : « Est enim, inquit, veritas Christi in » me : quoniam hæc gloriatio mea non infringetur in re- » gionibus Achaïæ[3]. » cum deinde causam subjunxit sceleratos illos subindicat dicens : « Quare? Quia non diligo » vos? Deus scit. Quod autem facio et faciam : ut ampu- » tem occasionem eorum, qui volunt occasionem[4]. » Et ante hæc discipulos cohortatur, ne ipsum inducant in necessitatem suam ipsis potestatem exhibendi, ita dicens : « Rogo autem vos ne præsens audeam, per eam confi- » dentiam qua existimor audere, in quosdam qui arbi- » trantur nos tanquam secundum carnem ambulemus[5]. » Hi enim ipsi, de quibus hæc ait, per ironiam ipsum incusantes hæc dicebant : Epistolas Pauli magnum præ se ferre tumorem et verborum arrogantiam, ipsum vero nihili esse, vilem et abjectum. Posteaquam autem huc advenerit, aiebant, nullus pretii dignus videbitur : quod ipsum declarans dicebat : « Ut autem non existimer tan- » quam terrere vos per Epistolas : quoniam quidem Epis- » tolæ, inquiunt, graves sunt et fortes : præsentia autem » corporis infirma, et sermo contemptibilis[6]. » Deinde Corinthios ipsos, qui persuasi fuerant accusans ait, « Num- » quid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exalte-

[1] 2 Cor. II, 16, 17. — [2] Id. XI, 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 11, 12. — [5] Id. X, 2. — [6] Ibid. 9, 10.

» mini[1] ? » Et hoc crimen diluens ait iterum, « Quia quales » sumus verbo per epistolas absentes, tales et præsentes » in facto[2]. » Quia igitur multi apud illos erant pseudo-apostoli, quos et operarios dolosos nominat, sic dixit : « Nam ejusmodi pseudo-apostoli operarii subdoli sunt, » transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum : » ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis : non » est ergo magnum si ministri ejus transfigurentur velut » ministri justitiæ[3]. » Cum igitur hi, innumeris excogitatis contra eum calumniis, discipulis nocerent, minus congruentem doctoris existimationem inducentes, cogitur ille demum in propriarum laudum commemorationem incidere, neque enim ultra silere tutum erat. Quia igitur sua nobis certamina enarraturus est, necnon eas, quas vidit, revelationes, laboresque quos subiit ; ut ostendat omnibus se ægre et invitum id agere ; ac licet id necessarium esse videat, insipientiam tamen id vocat, sic loquens, « Uti- » nam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ. » Rem stultam, inquit, aggressurus sum, ut me ipsum laudem et celebrem. At non ego in causa sum, sed ii potius, qui me in hanc necessitatem impulerunt. Quare rogo me sustineatis, illisque eam causam imputetis.

IV. At vide mihi Pauli prudentiam : cum dixisset, « Uti- » nam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed et » supportate me : æmulor enim vos Dei æmulatione, » non statim ad laudum narrationem venit, sed interpositis verbis, sic infert : « Iterum dico, ne quis me putet insipien- » tem esse : alioquin velut insipientem accipite me[4]. » Neque tamen sic ad enarrationem venit, sed iterum subjungit ac dicit : « Quod loquor, non loquor secundum Dominum, » sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ ; » nec

[1] 2 Cor. xi, 7. — [2] Id. x, 11. — [3] Id. xi, 13-15. — [4] Ibid. 16, et seqq.

etiam post hæc audet ingredi, sed rem differt ac dicit, « Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego glo- » riabor. Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi » sapientes. » Quinetiam postea refugit et cunctatur, ac quibusdam interjectis rursum infert : « In quo quis audet, » in insipientia dico, audeo et ego. » Ac tunc demum post tot præmissas excusationes, laudum commemorationem vix audet aggredi. Ac quemadmodum equus præcipitium et præruptum transilire parans, conatum intendit ut transeat, ut vero profunditatem intuetur, obstupescit contrahiturque : hinc ubi videt equitem acrius instare, rursus tentat, idipsumque quod antea, patitur, necessitatem vimque sibi illatam ostendens, stat diu hinniens ad oram prærupti, ut sibi animos faciens demum transilire audeat : sic et beatus Paulus, tanquam in præcipitium quoddam sese mox demissurus, nempe in propriarum laudum commemorationem, semel, iterum et tertio, imo pluries retrocedit sic dicens, « Utinam sustineritis modicum quid » insipientiæ meæ; » et iterum, « Ne quis me putet insi- » pientem esse : alioquin velut insipientem accipite me ; et, » Quod loquor, non loquor secundum Dominum, sed » quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ; » ac rursum, « Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et » ego gloriabor. Libenter enim suffertis insipientes, cum » sitis ipsi sapientes; » iterumque, « In quo quis audet, in » insipientia dico, audeo et ego. » Ac postquam sexcenties se stultum et insipientem appellavit, vix tandem audet in proprias laudes descendere : « Hebræi sunt ? et ego : Israë- » litæ sunt ? et ego : Semen Abrahæ sunt ? et ego : ministri » Christi sunt ? et ego. » At neque hic oblitus est sui, sed rursum correctionem apponit sic addens, « Ut minus sa- » piens dico, plus ego. » Neque hic gradum sistit, sed postquam omnes laudes suas enarraverat, sic loquitur : « Factus

» sum insipiens gloriando, vos me coëgistis [1]. » Ac si diceret : Eos ego nihili ducebam, si res vestræ bene se haberent, nisi eversi fuissetis, nisi vacillassetis. Nam etsi semper illi me maledictis impetiissent, nihil ex eorum maledictis mihi detrimenti accedebat. Quia vero gregem vidi pessumdari, discipulos resilientes, rem gravem et onerosam despexi, et insipiens fieri coactus sum, dum laudes meas propter vos vestramque salutem decanto.

V. Hic enim mos sanctorum est : si quid mali fecerint, illud evulgant, quotidie deplorant, omnibusque palam faciunt; si vero quid magni ac generosi, occultant et oblivioni tradunt. Hic itaque Sanctus peccata nemine cogente frequenter versabat et evulgabat, modo dicens, « Christus » Jesus venit in mundum, ut peccatores salvaret, quorum » primus sum ego : » modo autem, « Gratias ago ei, qui me » confortavit, Christo, quia fidelem me existimavit, po» nens in ministerio, qui prius blasphemus fui, et perse» cutor et contumeliosus : sed misericordiam consecutus » sum, quia ignorans feci in incredulitate [2]; » ac rursum, « Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et » mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum » dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ec» clesiam Dei [3] : » ac rursum, « Mihi omnium sanctorum » minimo data est hæc gratia. » Vides-ne quomodo non Apostolorum modo, sed etiam simpliciter fidelium omnium se minimum vocet, « Mihi minimo omnium sancto» rum, inquit, data est gratia hæc [4]. » Ita neque salute, quam consecutus est, se dignum esse dicit : cum enim dixerit, « Christus Jesus venit in mundum, ut peccatores » salvaret, quorum primus ego sum, » audi qua de causa id dicat : « Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in

[1] 2 Cor. XII, 11. — [2] 1 Tim. I, 15-17. — [3] 1 Cor. XV, 8. — [4] Ephes. III, 8.

» me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam » ad informationem eorum, qui crediturі sunt illi in vitam » æternam. » Horum autem sensus est, Non ob condignam vitæ mutationem misericordiam consecutus sum, cave id existimes, sed ut nemo eorum, qui in nequitia vixerunt, etiamsi Christo bellum fecerit, desperaret, dum extremum omnium, quo nullus unquam infestior Christo fuit, salutem consecutum videret. Siquidem Christus dicit, « Quoniam vas electionis est mihi, ut portet nomen meum » coram gentibus et regibus [1]. » Hic vero tot laudibus non intumescens, post tantam fiduciam, se miserum prædicare pergit, se primum peccatorum vocans, atque ideo misericordiam consecutum dicens, ut nemo vel eorum qui ad extremum nequitiæ devenerint, de propria salute desperaret, dum se sibique collatum beneficium respiceret.

VI. Peccata itaque sua, nulla coactus necessitate quotidie evulgat in omnibus Epistolis suis; illaque traducit et declarat non illius temporis hominibus tantum, sed etiam omnibus post futuris; laudes vero, etiam instante necessitate, narrare cunctatur et refugit. Id sane vel ex eo palam est, quod id sexcenties insipientiam vocet, palam item est ex tanto tempore, quo mirabilem illam et divinam revelationem tacuit : non enim tunc, vel ante duos tresve aut decem annos, sed ante multo plures illam viderat. Quamobrem ipsum tempus assignat his verbis : « Scio hominem » ante annos quatuordecim raptum ad tertium cœlum [2]. » Ut te disceres, ne tunc quidem ita locuturum fuisse, nisi magna urgente necessitate. Si namque voluisset laudes suas recensere, statim atque vidisset eam, declarasset, vel saltem primo, vel secundo aut tertio anno : at ille quatuordecim annis in silentio perseveravit, et nemini dixit, nisi Corinthiis tantum. Quandonam ? Cum pseudo-

[1] Act. IX, 15. — [2] 1 Cor. XII, 2.

apostolos vidit insurgentes, declarans se ne tunc quidem dicturum fuisse, nisi tantam vidisset corruptionem discipulos invadere. At nos non item : sed prorsus contrarium facimus. Peccatorum ne uno quidem die recordamur; sed si quospiam ea commemorare audiamus, indignamur, ægre ferimus, contumeliam id esse putamus, innumeris illos maledictis incessimus. Si quid autem boni præstemus, in ore frequenter versamus, id commemorantibus gratiam habemus, illosque nobis amicos existimamus : licet Christus contrarium præceperit, ut recte factorum quidem obliviscamur, peccatorum vero recordemur. Quod nobis declaravit dum sic discipulos cohortaretur : « Cum » omnia feceritis dicite : Quoniam servi inutiles sumus[1], » et in parabola Pharisæi, cui Publicanum præposuit. Quemadmodum enim hunc peccatorum commemoratio justificavit, sic et illum recte factorum memoria perdidit. Judæis quoque Deus eadem monita tradit, his verbis : « Ego sum ipse, qui deleo peccata tua, et non recorda- »bor, tu vero recordare[2]. »

VII. Hic mos erat Apostolorum, hic Prophetarum et justorum omnium. David enim peccati sui jugiter recordabatur[3], bonorum operum nusquam, nisi forte cogente necessitate. Cum ergo barbaricum illud bellum Judæam vexabat, omniaque periculis plena erant; cum ille juvenis adhuc esset et belli imperitus, relictis ovibus in aciem descendit, cumque omnes exterritos, formidantes ac trementes cerneret, nihil humanum passus est, neque cæteros abjectos videns formidolosus fuit, sed fide omnia, quæ conspicicbantur transcendens, ad regnum cœlorum respiciens, multam animo alacritatem concepit, et ad milites fratresque suos accessit, pollicens se ab instanti periculo ipsos liberaturum. Cum autem dictum irriderent

[1] Luc. XVII, 10. — [2] Isaï. XLIII, 25. — [3] 1 Reg. XVII.

fratres ejus, neque enim videbant Deum intus illum concitantem, neque noverant animum illum generosum, ad cœlum usque pertingentem, magnaque fiducia plenum : illis relictis, alios adiit. Ubi autem illum adduxissent ad regem, quem timore emortuum reperit : primo is illius animum erigit, his verbis, « Ne concidat cor domini mei » super ipso, quia servus tuus ibit et pugnabit cum hoc » alienigena. » Cum autem ille non fidem haberet ac diceret, « Non poteris ire; tu puer es, ille autem vir bellator » a juventute sua [1], » in ancipiti constitutus David cogitur proprias efferre laudes. Quod enim id nollet, ex prioribus arguitur, quandoquidem nec fratribus suis de rebus a se fortiter gestis quidpiam dixerat, ut neque militibus, imo ne ipsi regi, donec vidit eum non credere, contendere, et congressum suum contra adversarium impedire. Quid tunc faciendum restabat? an tacendæ laudes erant? At non sivisset egredi, et ab imminenti periculo liberare. Ideo cum tacuisset quando tacere oportebat, ubi vidit temporis rationem id postulare ut loqueretur, non ultra tacuit, sed sic cum allocutus est : « Pascens eram servus » tuus gregem patris mei, et cum veniret leo aut ursus, » et acciperet ovem de grege, egrediebar post eum, et » percutiebam eum, et extrahebam ab ore ejus, et appre- » hendebam guttur ejus, et occidebam eum : ac leonem » et ursum percussit servus tuus : et erit alienigena hic et » incircumcisus sicut unus ex eis [2]. » Vides quomodo declaravit qua de causa ab se fortiter gesta commemoraverit. Tum scilicet rex, assumpta fiducia, jussit abire. Abiit porro, pugnavit et vicit. At nisi laudes suas enarrasset, nequaquam rex illi monomachiam ejusmodi concessisset; si non credidisset, non sivisset eum in aciem descendere; si non sivisset, victoriam impedivisset : impedita autem

[1] 1 Reg. XVII, 32, 33. — [2] Ibid. 34-36.

victoria, neque Deus tunc glorificatus, neque civitas ab urgentibus malis liberata esset. Ne igitur tot absurda contingerent, neque tantæ dispensationis opus præpediretur, coactus est David proprias recensere victorias. Ut enim tacere sciunt, ubi nulla est loquendi necessitas, ita et loqui norunt, vi instante atque imminente.

VIII. Neque in hoc tantum, sed etiam in Samuële idipsum contigisse quis videat. Etenim ille cum tot annis judaïco populo præfuisset, idque ad Dei placitum, nec quidpiam magni de se unquam locutus fuisset, multa licet haberet dicenda, si voluisset, suam a primæva ætate educationem, in templo commorationem, prophetiæ donum ab incunabulis, post hæc bella, victorias, quas non armis, sed ex benevolentia Dei aciem instruens reportavit: horum tamen nihil superiori tempore dixerat. At ubi principatum abdicaturus, alterique imperium traditurus erat, tunc coactus est proprias laudes recensere, idque admodum parce. Evocatoque universo populo, præsente Saüle, ita locutus est: « Ecce audivi vocem vestram, et » constitui vobis regem: et ego ecce conversatus sum in » conspectu vestro a juventute mea, et usque ad diem » hanc, et senui. Respondete contra me in conspectu Do- » mini, et in conspectu Christi ejus; cujus vestrum vitu- » lum accepi? aut cujus asinum accepi? aut quem vestrum » oppressi? aut cui vestrum vim feci? aut ex cujus vestrum » manu accepi placationem aut calceum, et abscondi ocu- » los meos in illo? Dicite contra me, et restituam vobis[1]. » Ecqua necessitas hæc dicendi, inquies? Multa magnaque. Quoniam enim principem inducturus illis erat Saülem, ut in sui ipsius defensione doceret eum, quo pacto præesse oporteret, et curam gerere subditorum, ipsos subditos philosophiæ suæ testes adducit. Nec illud egit imperii sui

[1] 1 Reg. XII, 1-3.

tempore, ne quis diceret illos præ ipsius metu ac formidine quæ non erant testificatos esse. Verum jam soluta sua administratione, cum in alium præfectura translata esset, nullumque accusanti periculum instaret, tunc cum illis disceptat. Quanquam si alius fuisset, Judæis infensus futurus erat, nec voluisset principem successorem suum æquum moderatumque esse, idque non solum ex injuriæ acceptæ memoria, sed ut et ipse majorem consequeretur laudem.

IX. Illud enim morbi principum animis insidet, ut successores suos improbos sceleratosque esse peroptent. Nam si strenui generosique fuerint, illustriores se existimandos esse putant, si ii, qui imperium excipiunt, non sui similes sint: si autem perversi corruptique sint, successorum nequitiam apologiam sibi fore putant. Sed non talis erat beatus ille vir; optabat quippe votisque omnibus cupiebat, ut longe meliori imperio fruerentur, tanto scilicet amore tenebatur, usque adeo livoris expers erat, et a vana gloria alienus. Siquidem unum tantum expetebat, nempe hominum salutem. Ideo in defensione sua principis officia depingebat. Quia enim si regem compellasset ac dixisset, Esto æquus, mansuetus, muneribus impervius, nemini vim inferas, neminem lædas, vel defraudes, grave illud molestumque fuisset audienti; si tacuisset item, illud erat populum prodere: defensionis specie utrique remedium adhibuit: illum quippe docuit quem oporteret esse regem, talisque doctrinæ molestiam effugit. Et quidem videtur ille pro suis tantum rebus disceptare, docetque interim illum quo modo quave ratione subditorum curam gerere oporteat. Tu vero mihi perpende quomodo se diligenter omni munere purum esse demonstret. Non enim dixit, Num agros cujuspiam vestrum abstuli? num aurum? sed quod omnium vilissimum erat. Num calceum,

inquit? Deinde aliam eamque magnam virtutem suam patefecit. Quia enim multi principes, dum furantur, mansueti sunt et moderati, non suapte natura, sed cogente conscientia, quod scilicet illis admissum furtum fiduciam tollat : contra vero qui munera aversantur molesti onerosique sunt, nec ipsi suapte natura, sed ex quadam vana gloria, et quod muneribus vacui sint : utraque autem mala in uno concurrere non facile videas : cum ostendere vellet vir ille sanctus, se et muneribus et ira superiorem fuisse, ubi dixisset, « Num vitulum cujusdam vestrum accepi? » non tacuit, sed subjunxit, « Aut oppressi quempiam ves» trum? aut depressi, » id est, contrivi? Hujus porro dicti sensus est. Nemo illud dicere possit, quod non acceperim quidem, sed quia non acceperam, ideo gravis, molestus, crudelis et immanis fuerim : propterea dicebat : « Num op» pressi quempiam vestrum? » Quid igitur illi? « Non op» pressisti nos, neque vexasti, nec accepisti ex manu nos» tra quidpiam [2]. » Et ut discas illum ut regem erudiret hæc dixisse, subjunxit : « Testis Dominus, et testis Chris» tus ejus. » Hoc autem ostendens atque declarans, nempe testimonium non fuisse ad gratiam datum, ipsum advocavit testem, qui mentis arcana novit, quod est signum puræ conscientiæ. Nemo quippe, nemo, nisi mente captus ac furiosus sit, conscientiæ suæ testem advocaverit Deum, nisi admodum sibi ipsi fidat. Cum itaque illi dicta ipsius suo testimonio confirmarent, aliam ipse virtutem suam prædicat : ac commemoratis antiquis illis omnibus, qui in Ægypto fuerunt, necnon Dei patrocinio, bellisque quæ postea contigerunt, refert pugnam se duce commissam et victoriam inopinatam : ac cum dixisset quomodo sæpe ob peccata sua inimicis traditos, ipso precante Deus ab hostibus liberaverit, veteribus recentia adjungens, sic infert :

[2] 1 Reg. XII, 4.

« Misit Deus Jerobaal, Gedeon, Barac, Jephthe, et Sa-» muëlem, et eripuit vos in circuitu de manu inimicorum » vestrorum, et habitatis confidenter. »

X. Vides-ne quomodo in more sit sanctis non præclara sua gesta narrare nisi urgente necessitate? Ideo Paulus ad hos respiciens, et accurate institutus, molestum onerosumque esse, si quis de se ipso aliquid proferret, dicebat, « Utinam sustineretis modicum quid insi-» pientiæ meæ; non magnum, sed « Modicum quid. » Neque enim cogente necessitate copiosam laudum suarum narrationem effundere paratus erat, sed paucis illas percurrit: et hoc ipsum propter eos eorumque salutem. Quemadmodum enim sine aliqua necessitate sua recensere præclara gesta extremæ dementiæ est; sic instante necessitate et vi compellente, proditio esset illa tacere quæ probe fecerit. Attamen Paulus etiam cum urgeret necessitas, cunctabatur, remque illam insipientiam vocabat, ut discas ejus prudentiam et sapientiam, magnamque cautionem. Nam cum dixisset, « Quod loquor, non loquor » secundum Dominum, » adjecit, « In hac substantia glo-» riationis. » Ne putes, inquit, me generatim hoc dicere. Itaque ideo maxime virum laudo, admiror et sapientissimum voco, quod rem insipientem esse putaret se ipsum laudare et celebrare. Quod si ille, licet necessitatem instare videret, hoc stultitiam vocabat, qua venia, qua excusatione digni erunt ii, qui nulla necessitate de se ipsis magna jactant, aut alios jactare cogunt? Hæc cum comperta habeamus, ne illa, quæ dicta sunt, laudemus tantum, sed etiam imitemur et æmulemur, et recte factorum obliti peccata semper commemoremus, ut et moderate agere possimus, et ad ea quæ ante nos sunt contendentes, bravium supernæ vocationis accipiamus, gratia et benig-

[1] 1 Reg. XII, 11. — [2] 2 Cor. XI, 1. — [3] Ibid. 16.

nitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre, una cum sancto Spiritu, gloria, imperium, honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In eos qui male utuntur hoc Apostoli dicto: Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntiatur [1]; *et de humilitate.*

I. Cum nuper Pharisæi et Publicani mentionem faceremus, ac duos currus ex virtute et ex vitio jungeremus, utrumque ostendimus, quantum sit in humilitate lucri, et quantum in arrogantia damni. Hæc quippe etiam cum justitia, et cum jejuniis, atque decimarum solutione conjuncta, defecit tamen: illa vero etiam cum peccato copulata, Pharisæum prævertit, etsi improbum aurigam nacta. Quid enim pejus Publicano? Attamen quia animam suam contrivit, et se peccatorem declaravit, ut revera erat, Pharisæum superavit, jejunia et decimarum solutionem proferre poterat, eratque ab omni nequitia liber. Cur, et qua de causa? Quia etsi ab avaritia et a rapina esset alienus, omnium malorum matrem vanam gloriam et arrogantiam habuit in animo radicatam. Ideo Paulus hortatur et dicit: « Opus suum probet unusquisque: et » sic in semetipso gloriam habebit, et non in altero [2]. » Ille autem totius orbis accusator in medium prorupit, seque omnibus hominibus meliorem dixit. Atqui si denis, si quinis, si binis, imo si uni se ipsum prætulisset, ne id quidem ferendum erat, jamvero non se tantum toti orbi

[1] Philip. I, 18. — [2] Galat. VI, 4.

anteposuit, sed etiam omnes accusavit. Ideo in cursu defecit: et ceu navis, quæ innumeros fluctus pertransiit, et tempestates multas effugit, ac deinde in ipso portus ostio in aliquem scopulum impegit, omnem in se repositum thesaurum amittit; ita et hic Pharisæus, post jejunii cæterarumque omnium virtutum labores, quia linguam non cohibuit, in ipso portu naufragium fecit. Ex precibus enim, unde lucrum erat sperandum, cum tanto abire damno, nihil aliud erat, quam in portu naufragium facere.

II. Hæc cum sciamus, dilecti, etiamsi in ipsum virtutis fastigium pervenerimus, nos omnium postremos existimemus: cum didicerimus arrogantiam ex ipso cœlo posse eum, qui non sibi attendit, dejicere, et humilitatem eum, qui in peccatorum abyssum demersus sit, in altum reducere, si modeste agat. Hæc enim Pharisæo Publicanum præposuit; illa vero, nimirum arrogantia et superbia, ipsius diaboli incorporei vim superavit. Humilitas et propriorum peccatorum agnitio latronem ante Apostolos in paradisum induxit. Si autem ii, qui sua confitentur peccata, tantam sibi fiduciam conciliant: ii qui sibi bonorum multorum conscii animam tamen suam humiliant, quantas non coronas assequentur? Quando enim peccatum cum humilitate jugantur, tam expedite currit, ut justitiam cum arrogantia junctam superet atque prævertat. Si ergo illam cum justitia junxeris, quo non perveniet? quot cœlos non pertransibit? Stabit plane fiducia magna inter Angelos ante ipsum Dei thronum. Contra si arrogantia cum justitia copulata, nequitiæ suæ mole ac pondere ejus fiduciam detrahere potuit: si cum peccato jungatur, in quam gehennam non præcipitabit eum, qui illa detentus sit? Hæc dico non ut justitiam negligamus, sed ut fugiamus arrogantiam; non ut peccemus, sed ut modeste agamus. Philosophiæ quippe nostræ fundamentum est humilitas.

Etsi innumera sursum ædifices, etsi eleemosynam, preces, jejunium, omnesque virtutes congeras, nisi eam pro fundamento posueris, omnia frustra et incassum ædificasti, citoque corruent, perinde atque ædificium illud super arenam extructum. Nullum quippe opus bonum non illa eget, nullum sine illa stare poterit. Sed etiamsi continentiam dixeris, etiamsi virginitatem, etiamsi pecuniarum contemptum, etiamsi quidvis aliud, omnia immunda, execranda at abominanda absente humilitate sunt. Ubique igitur illam in verbis, in operibus, in cogitationibus assumamus, et cum illa hæc ædificemus.

III. Verum de humilitate hæc satis sunto, non pro dignitate rei; nemo quippe illam condigne celebrare possit; sed ad intelligentiam Vestræ Charitati dandam. Novi quippe vos ex paucis illis, quæ præfati sumus, illam multo studio suscepisse. Quia vero necesse est apostolicum dictum hodiernæ lectionis, quod multis videtur segnitiei occasionem præbere, planum facere, ut ne quidam inde frigida sumpta excusatione salutem suam negligant; age illo sermonem transferamus. Quodnam est dictum illud? « Sive » per occasionem, inquit, sive per veritatem Christus an» nuntiatur[1]. » Hoc multi simpliter et temere circumferunt, qui nec priora, nec sequentia legerunt; sed resecta reliquorum membrorum serie, in animarum suarum perniciem hæc segnioribus proponunt. Nam dum tentant eos a sana fide abducere : deindeque vident eos formidolosos ac tremulos, quasi id non vacet periculo, ut timorem eorum solvant, hoc apostolicum proferunt dicentes, Paulus hoc concessit, inquiens, « Sive per occa» sionem, sive per veritatem Christus annuntietur. » Sed hæc non ita se habent, non ita utique. Nam primo non dixit, Annuntietur, sed, « Annuntiatur, » quod multum

[1] Philipp. I, 18.

differt ab illo. Etenim dicere, « Annuntietur, » legem dantis est; « Annuntiatur » vero dicere, id quod contingit narrantis est. Quod vero Paulus non legem ferat ut sint hæreses, sed abducat omnes qui ipsi attenderent, audi quid dixerit : « Si quis vobis evangelizat præter id quod ac- » cepistis, anathema sit, etsi ego, etsi Angelus de cœ- » lis [1]. » Non autem et se et Angelum anathematizasset, si rem sine periculo esse scivisset. Ac rursum : « Æmulor » enim vos Dei æmulatione : despondi enim vos uni viro » virginem castam. Timeo autem ne sicut serpens Evam » decepit astutia sua, sic corrumpantur sensus vestri, a » simplicitate quæ est in Christum [2]. » Ecce et simplicitatem posuit, et veniam non dedit. Nam si venia esset, certe periculum non erat. Si periculum non erat, non utique timuisset Paulus; neque Christus zizania comburi jussisset, si res indifferens erat huic, illi vel alii attendere, omnibusque simpliciter.

IV. Quid sibi vult illud quod dictum est? Paulo altius vobis totam historiam repetam : sciendum quippe est quo in statu Paulus esset cum hæc scriberet. Quo in statu igitur erat? In carcere, et catenis, ingentibusque periculis. Undenam id liquet? Ex ea ipsa Epistola : nam antea dixerat : « Scire autem vos volo, fratres, quod ea, quæ » circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii; » ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in toto » prætorio et cæteris omnibus; et plures e fratribus in Do- » mino confidentes vinculis meis, abundantius auderent » sine timore verbum Dei loqui [3]. » Nero erat, qui illum in carcerem conjecerat. Quemadmodum enim prædo quidam cunctis dormientibus domum ingressus, dum omnia abripit, si quem videat lucernam accendere, lumen extinguit, et illum interimit, ut omnia libere possit auferre

[1] Galat I, 9. — [2] 2 Cor. XI, 2, ex Gen. III. — [3] Philip. I, 12-14.

et abripere; sic et tunc Nero Cæsar, ceu quidam prædo et compilator, dormientibus omnibus, profundoque sumno obrutis, omnium bona abripiebat, nuptias invadebat, domos subvertebat, omne genus nequitiæ exhibebat : cumque Paulum videret lucernam per totum orbem accendere, nempe doctrinæ verbum, ejusque nequitiam redarguere, prædicationem extinguere et doctorem occidere conatus est, ut omnia cum potestate sibi facere liceret : vinctumque sanctum illum conjecit in carcerem. Tunc igitur hæc beatus Paulus scripsit. Quis non stupeat? Quis non admiretur? imo quis, ut par est, stupeat et admiretur generosum illum et ad cœlos pertingentem animum, qui Romæ vinctus et incarceratus, ex tanto intervallo Philippensibus scriberet? Scitis quantum spatium Macedoniam inter et Romam. Sed neque itineris longitudo, neque diuturnitas temporis, neque rerum tumultus, neque pericula et frequentia mala, neque aliud quidpiam charitatem memoriamque discipulorum dejiciebat; sed omnes ille in mente servabat : neque ita catenis manus ligabantur, ut anima ejus amore discipulorum devincta affixaque erat : quod ipsum initio Epistolæ declarabat : « Eo quod habeam vos » in corde in vinculis meis, et in defensione et confirma» tione Evangelii [1]. » Et sicut rex mane in solium conscendens, in regalibus aulis sedens, innumeras statim undique recipit epistolas; sic et ille quemadmodum in regiis aulis in carcere sedens, multo plures accipiebat, atque mittebat epistolas, gentibus undique negotia sua omnia ad ejus sapientiam referentibus : tantoque plura ille negotia, quam ipse imperator, gerebat, quanto majus sibi commissum imperium habebat. Neque enim romanam tantum ditionem, sed etiam Barbaros omnes, terram et mare in manus ejus tradiderat Deus. Idque Romanis declarans

[1] Philip. I, 7.

dicebat : « Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe » proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc; » ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in cæ- » teris gentibus : Græcis et Barbaris, sapientibus et insi- pientibus debitor sum [1]. » Quotidie ergo sollicitus erat, quid Corinthii, quid Macedones agerent : quomodo Philippenses, quomodo Cappadoces, quomodo Galatæ, quomodo Athenienses, quomodo Pontum incolentes, quomodo omnes homines se haberent. Attamen, cum universus orbis ipsi concreditus esset, non tantum de gentibus omnibus erat sollicitus, sed etiam de uno quopiam homine. Et nunc propter Onesimum epistolam mittebat, nunc propter eum, qui apud Corinthios fornicatus erat. Neque enim hoc considerabat, quod unus esset is qui peccaverat, et patrocinio egeret, sed quod homo esset : homo, inquam, pretiosissimum Deo animal, et propter quem Pater Filio suo non pepercit.

V. Ne mihi dixeris quod ille fugitivus, quod latro, quod fur, et innumeris onustus vitiis; vel quod mendicus, abjectus, vilis et nullius pretii : sed cogita pro illo Christum mortuum esse, idque tibi satis est ad omnem suscipiendam curam. Cogita quem esse oporteat eum, quem Christus sic honoraverit, ut neque sanguini suo pepercerit. Neque enim si rex pro aliquo sese immolare vellet, aliud quæreremus argumentum, quod magnus ille esset, regique charissimus, ut ego quidem existimo : mors quippe satis esset ad declarandum ejus qui mortem susciperet erga illum affectum. Jamvero non homo, non Angelus, non Archangelus, sed ipse cœlorum Dominus, ipse Unigenitus Filius Dei, carne indutus se ipsum tradidit pro nobis. Annon igitur omnia faciemus, omnia tentabimus, ut homines tanto affecti honore nostra fruantur

[1] Rom. I, 13, 14.

cura et sollicitudine? Ecquam habebimus excusationem? quam veniam? Hoc ipsum Paulus indicans dicebat : « Ne » cibo tuo illum perdas, propter quem Christus mortuus » est[1]. » Eos enim qui fratres spernunt et tanquam infirmos despiciunt ut pudefaciat, et ad proximi curam studiumque inducat, vice omnium mortem Domini posuit. Ex tanto igitur intervallo in carcere sedens Philippensibus scripsit. Talis quippe est charitas erga Deum ; nullis rebus impeditur humanis, utpote quæ in cœlis radicem habeat et remunerationem. Et quid dicit? « Scire vos volo, fra- » tres [2]. » Vidisti-ne curam erga discipulos? Vidisti-ne magistri sollicitudinem? Audi et affectum discipulorum erga magistrum, ut scias ideo illos fortes invictosque fuisse, quod mutuo amore devincti essent. Nam si « Frater » qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma [3]. » multo magis tot homines charitatis vinculis constricti, omnes depellant maligni dæmonis insidias. Certe quod Paulus devinctus esset discipulis, non opus est demonstrare vel dicere, quando etiam vinculis constrictus illorum sollicitudinem gerebat, et quotidie pro illis moriebatur, incensus amore.

VI. Quod vero discipuli Paulo essent omni studio devincti, non viri solum, sed etiam mulieres, audi quid dicat de Phœbe: « Commendo vobis Phœben sororem, quæ in ministerio est » Ecclesiæ, quæ est in Cenchreis, ut eam suscipiatis in » Domino digne sanctis, et assistatis et in quocumque ne- » gotio vestri indiguerit, quæ astitit multis et mihi » ipsi[4]. » Verum hic circa patrocinium tantum ipsius studio testimonium dedit. Priscilla vero et Aquila usque ad mortem Pauli gratia processerunt. De illis autem hoc modo scribit: « Salutant vos Aquila et Priscilla, qui pro » anima mea cervicem suam supposuerunt, » ad mortem

[1] Rom. XIV, 15. — [2] Philip. I, 12. — [3] Prov. XVIII, 19. — [4] Rom. XVI, 1-3.

videlicet[1]. De alio quoque sic ad illos scribit ; « Usque ad » mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id, » quod ex vobis deerat erga me obsequium[2]. » Vides-ne quomodo magistrum diligerent, quomodo prius, quam animæ suæ, ejus tranquillitati prospicerent? quamobrem nemo tunc illos superabat. Hæc porro dico, non ut audiamus tantum, sed etiam ut imitemur : neque subditis tantum loquor, sed etiam magistratibus : ut discipuli multam erga magistros curam exhibeant, utque magistri eumdem quem Paulus erga subditos affectum habeant; nec solum præsentes, sed etiam procul positos. Siquidem Paulus ac si in toto orbe ceu una in domo habitaret, sic de omnium salute sollicitus erat, missisque vinculis suis, ærumnis, plagis, angustiis, considerabat et sciscitabatur quotidie, quomodo se haberent ea, quæ ad discipulos spectabant : sæpeque illa solum de causa mittebat, nunc Timotheum, nunc Tychicum : nam de hoc quidem ait : « Ut sciat quæ » ad vos spectant, et consoletur corda vestra[3] : » de Timotheo autem : « Misi eum ad vos non amplius sustinens, ne » forte tentaverit vos is qui tentat[4]. » Alibi vero Titum, alibi alium. Quia enim ipse uno detentus in loco illis adesse non poterat, qui viscera ejus erant, per discipulos suos ipsos conveniebat.

VII. Tunc ergo in vinculis cum esset, Philippensibus scripsit : « Scire autem vos volo, fratres[5]. » Discipulos vocat fratres : talis quippe charitas est ; inæqualitatem omnem abjicit, præeminentiam et dignitatem non novit; sed etiamsi quis sit omnibus sublimior, ad omnium humillimum descendit, quod et Paulus faciebat. Sed audiamus quid illos scire velit : « Quia quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Evangelii[6]. » Dic mihi, quomodo et

[1] Rom. xvi, 3. — [2] Philip. ii, 30. — [3] Ephes. vi, 22. — [4] 1 Thess. iii, 5. — [5] Philip. i, 12. — [6] Ibid.

qua ratione? Num a vinculis liberatus es? num catenam deposuisti, et cum libertate in urbe prædicas? Num in Ecclesiam ingressus longos multosque texuisti sermones circa fidem multosque adeptus discipulos abcessisti? num mortuos suscitasti, et admirationi fuisti? Num leprosos mundasti, et omnes stupefacti sunt? Num dæmones fugasti, et sublimis inde factus es? Nihil horum, inquit. Quomodo igitur profectus Evangelii fuit, dic quæso: « Ita ut, inquit, » vincula mea manifesta fierent in toto prætorio, et in cæ- » teris omnibus[1]. » Quid dicis? Hiccine profectus? hæc accessio? hoc augmentum prædicationis, quod omnes didicerint te vinctum esse? Etiam, inquit. Audi igitur ea, quæ sequuntur, ut discas, vincula non modo impedimentum non fuisse, sed etiam argumentum majoris fiduciæ. « Ita ut plures e fratribus in Domino, confidentes vinculis » meis, abundantius auderent sine timore verbum loqui[2]. » Quid dicis, Paule? Vincula non anxietatem, sed fiduciam indidere? non timorem, sed amorem? Non habent hæc dicta consequentiam. Scio et ego. Non enim secundum humanarum rerum morem hæc contigerunt, inquit: sed supra naturam sunt illa, et divinæ gratiæ gesta. Ideo quod aliis anxietatem parit, id apud illum fiduciam præbebat. Etenim si quis capto constrictoque duce id evulget, totum exercitum in fugam conjicit: et si quis pastorem ex ovili abduxerit, abigendi gregis libertatem præbet. Verum non sic in Paulo, sed contrarium eveniebat. Nam dux alligabatur, et alacriores milites erant, majorique animo adversarios adoriebantur: pastor constrictus erat, et oves non consumebantur, nec dispergebantur.

VIII. Quis vidit? quis audivit in magistrorum ærumnis plus solatii capere discipulos? Quomodo non timuerunt? Quî fieri potuit, ut Paulo non dicerent: « Medice, cura

[1] Philip. I, 13. — [2] Ibid. 14.

» te ipsum[1]. » erue te ipsum ab iis, quibus constringeris, malis, et tunc nobis innumera bona conciliabis. Cur hoc non dixerunt? quam ob rem? Quoniam edocti erant a gratia Spiritus, hæc non ex infirmitate, sed ex permissione Christi fieri, ut veritas magis effulgeret, per vincula, per carceres et ærumnas, angustiasque aucta, et majorem in modum evecta: sic virtus Christi in infirmitate perficitur[2]. Si enim vincula Paulum supplantassent, et timidiorem reddissent, sive illum, sive eos, qui ipsi hærebant, tunc formidandum erat; sin majorem fiduciam indiderunt, et ad ampliorem gloriam evexerunt, obstupescere ac mirari oportet, quomodo per rem ignominia plenam gloria discipulo conciliaretur: perque rem quæ metum incutere debebat, fiducia et consolatio illis omnibus pareretur. Quis enim non tum obstupescebat, virum cernens catena constrictum? Tunc maxime dæmones fugiebant, cum viderent eum in carcere degentem. Neque enim diadema regium caput perinde conspicuum facit, atque catenæ manus illius, non quidem suapte natura, sed per gratiam in ipsis efflorescentem. Hinc magna consolatio discipulis. Videbant enim corpus vinctum, linguam vero minime ligatam; manus ligatas, sed verbum solutum, quod velocius quam solaris radius, totum mundum percurreret. Eratque id illis consolationi, cum per opera ediscerent, nullam rerum præsentium esse gravem. Anima quippe, cum amore desiderioque divino vere corripitur, ad nullam rerum præsentium sese convertit; sed quemadmodum furiosi et ignem et ferrum, et feras et mare et omnia adire nihil dubitant; sic et hi pulcherrimo quodam et spirituali furore correpti, furore, inquam, qui a temperantia proficiscitur, visibilia omnia deridebant. Quapropter cum magistrum cernerent vinctum, magis

[1] Luc. IV, 23. — [2] 1 Cor. XII, 9.

exultabant et gaudebant, per ipsa opera adversariis declarantes, se undique invictos insuperabilesque esse.

IX. Tunc igitur, cum res ita se haberent, quidam Pauli inimici, cum vellent acrius bellum movere, et tyrannum ad majorem adversus illum inimicitiam inflammare, se prædicare simulabant, et revera prædicabant rectam sanamque fidem, ut doctrina augeretur. Illud vero faciebant, non ut fides disseminaretur : sed ut hoc comperto Nero, quod nempe prædicatio cresceret, et doctrina invalesceret, citius Paulum in barathrum conjiceret. Duo itaque magisteria erant, Pauli nempe discipulorum, ejusdemque inimicorum, illis ex veritate, his ex contentione et odio Pauli prædicantibus. Hæc porro declarans dicebat ille : « Quidam propter invidiam et contentionem Christum » prædicant[1], » proprios indicans adversarios; « Quidam » propter bonam voluntatem, » de suis loquens discipulis. Deinde rursum de illis, « Alii quidem ex contentione, » inimici nempe, non caste, non sincere, sed « Existimantes » se pressuram suscitare vinculis meis; alii vero ex cha- » ritate[2] ; » rursus hoc dicit de discipulis suis ; « Scientes » quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quid » enim ? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per ve- » ritatem Christus annuntietur[3]. » Itaque frustra et incassum hoc dictum de hæresibus accipitur. Nam qui tunc prædicabant, non corruptam doctrinam annuntiabant, sed fidem sanam et rectam. Etenim si corruptam doctrinam prædicassent, et alia, quam Paulus docuissent, neutiquam illis accidisset id quod volebant. Quid autem volebant ? Ut aucta fide, multisque additis Paulo discipulis, ad majus inferendum bellum Neronem excitarent. Si autem alia dogmata prædicassent, non multos fecissent Pauli discipulos. Si non fecissent, non exasperassent tyrannum. Non illud itaque

[1] Philip. I, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 18.

dicit, quod corrupta dogmata inducerent : sed quod causa propter quam prædicabant, vitiosa esset. Aliud quippe est prædicationis causam dicere, et aliud dicere prædicationem non sanam esse. Tunc enim doctrina non est sana, cum dogmata errore plena sunt. Occasio autem non est sana, cum doctrina quidem sana est, qui vero prædicant, non propter Deum prædicant, sed aut propter inimicitiam, vel ad aliorum gratiam.

X. Non itaque dicit eos hæreses induxisse, sed non recta occasione, nec pietatis causa id prædicasse, quod prædicabant. Id quippe non ideo agebant, ut Evangelium augerent, sed ut illud impugnarent, et in gravius periculum conjicerent. Ideo illos incusat. Et vide quam accurate illud proferat : « Existimantes, inquit, se pressuram inferre » vinculis meis. » Non dixit, inferentes ; sed, « Existiman- » tes se inferre ; » id est, arbitrantes : ostendens, etiamsi illi sic arbitrarentur, se tamen non ita affectum esse ; imo gaudere de prædicationis incremento. Adjecit ergo dicens : « Sed et in hoc gaudeo, et gaudebo. » Si autem error fuisset in dogmatibus, et illi hæreses induxissent, non potuisset gaudere Paulus. Quia vero sanum et non adulteratum dogma erat, ideo dicit, « Gaudeo et gaudebo. » Quid enim, si illi ex inimicitia id agentes, se in perniciem conjiciunt ? At mea vel inviti augebunt. Vides-ne quanta fuerit Pauli virtus ? quomodo nullis diaboli machinis captus sit ? Nec solum non captus est, sed etiam iisdem ipsum machinis cepit. Ingens profecto erat diaboli vafrities, et ministrorum ejus nequitia : nam se idem ipsum sentire simulantes, prædicationem extinguere volebant. Sed « Qui comprehen- » dit sapientes in astutia eorum [1], » id fieri non permittebat. Idipsum porro declarans Paulus dicebat : « Permanere » autem in carne magis necessarium est propter vos. Et

[1] 1 Cor. III, 19.

» hoc confidens scio quia manebo, et permanebo cum om-» nibus vobis[1]. » Illi siquidem ex præsenti vita ejicere me cupiunt, et ea de causa nihil non sustinent : Deus autem vestri causa id non permittet.

XI. Horum itaque omnium diligenter recordamini; ut eos qui temere et perfunctorie Scripturis utuntur in perniciem proximi, cum omni sapientia emendare valeatis, Poterimus autem et dictorum meminisse, et alios emendare, si ad orationes semper confugiamus, et Deum obsecremus, qui dat verbum sapientiæ, ut det auditus intelligentiam, atque accuratam et invictam spiritualis hujus depositi custodiam. Nam quæ non possumus sæpe proprio studio perficere, ea precum auxilio facile poterimus exequi, de precibus loquor assiduis. Semper enim et sine intermissione precandum est, sive quis in ærumnis, sive in tranquillitate ; sive in calamitatibus, sive in bonis versetur. Is qui in tranquillitate et bonis multis, ut hæc immota firmaque maneant, et nunquam excidant : qui in ærumnis et multis calamitatibus, ut benignam quamdam vicissitudinem videat, et in solatium tranquillitatis transferatur. In tranquillitate es? Roga igitur Deum, ut firma tibi maneat hæc tranquillitas. Tempestatem vides ingruentem? Deum obnixe precare, ut procellam avertat, et tranquillitatem ex tempestate faciat. Exauditus es? Gratias age quod exauditus sis. Non exauditus es? Persevera ut exaudiaris. Licet enim Deus donum aliquando differat, non ideo id facit quod odio habeat aut aversetur, sed ut procrastinando te diutius apud se detineat. Quemadmodum patres prolis amantes, qui dona differendo segniores filios solerter cogunt assidue penes se stare. Non tibi apud Deum patronis est opus, neque multa circumcursatione, ut aduleris aliis; sed etiamsi desertus patronoque destitutus sis, tute Deum

[1] Philip. I, 24.

precatus postulatum assequeris. Non ita solet annuere aliis pro nobis orantibus, ut nobis ipsis precantibus, etiamsi innumeris simus malis onusti. Nam si homines, quos innumeris læsimus offensis, cum matutino tempore, meridie, vespere adimus ipsos indignabundos, conspectus frequentia et assiduitate tandem facile placamus; multo magis id apud Deum contingat.

XII. Sed indignus es? assiduitate dignus evadas. Quod enim indignus possit assiduitate dignus evadere, et quod per nos magis, quam per alios rogatus Deus annuat; quodque donum sæpe differat, non ut dubios animi reddat, et vacuis manibus remittat; sed ut majorum nobis bonorum auctor sit: hæc, inquam, tria per parabolam hodie vobis lectam demonstrare satagam. Accessit ad Christum Chananæa rogans pro filia dæmonium habente, vehementerque clamans, « Miserere mei, Domine, filia mea male a dæmo» nio vexatur[1]. » En alienigena mulier et barbara, et indigna quæ optatum assequeretur? « Non est enim, inquit, bo» num accipere panem filiorum, et dare catellis[2]. » Attamen assiduitate digna evasit. Neque enim tantum illam in filiorum nobilitatem evexit, quæ canis erat; sed etiam multis cum laudibus dimisit, dicens: « O mulier! magna » est fides tua: fiat tibi sicut vis[3]. » Cum autem Christus dicat, « Magna est fides tua, » nullum aliud quæras circa magnanimitatem hujusce mulieris argumentum. Vidisti-ne quomodo ex assiduitate digna facta sit mulier, quæ indigna prius erat? Vis discere nos in precando per nosmetipsos plus perficere, quam per alios? Clamavit hæc, et accedentes Discipuli dixerunt: « Dimitte illam, quia clamat » post nos[4]: » et ad illos quidem respondit, « Non sum » missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israël[5]. »

[1] Matth. xv, 22. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid. 28. — [4] Ibid. 23. — [5] Ibid. 24.

Cum autem illa per se ipsam accedit, et clamando perseveravit dicens, « Etiam, Domine, nam et catelli edunt » de mensa dominorum suorum, » tunc gratiam contulit, et dixit, « Fiat tibi sicut vis. » Vidisti-ne quomodo, cum illi precarentur, repulit; cum autem illa munus clamando postulavit, annuit? Illis quippe dicit : « Non sum missus » nisi ad oves, qnæ perierunt, domus Israël; » huic vero, « Magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. » Et quidem initio petitionis nihil respondit : ubi autem semel, iterum et tertio accessit, tunc gratiam contulit; ex fine docens nos, se munus distulisse, non ut illam repelleret, sed ut nobis omnibus patientiam mulieris exhiberet. Nam si ut illam repelleret distulisset, neque in fine postulatum dedisset. Quia vero ut philosophiam ejus omnibus exhiberet expectabat, ideo tacebat. Nam si statim a principio beneficium contulisset, mulieris virtutem fortitudinemque non nossemus. « Dimitte illam, inquiunt, quia clamat post nos. » Quid vero Christus? Vos auditis vocem, ego mentem video : scio quid dictura sit. Nolo thesaurum in mente ejus reconditum latere : sed expecto et taceo, ut ipsum detectum in medium proferam, et omnibus manifestum faciam.

XIII. Hæc igitur omnia cum didicerimus, etiamsi in peccatis simus, et beneficiis indigni, ne desperemus, scientes nos ex animi assiduitate posse dignos postulatis evadere : licet sine patrocinio ac deserti simus, ne animum despondeamus, gnari magnum illud esse patrocinium, si quis magno cum studio per se ipsum ad Deum accedat. Si munus conferre differat et procrastinet, ne concidamus, scientes illam procrastinationem curæ atque benignitatis esse argumentum. Si id persuasum habeamus, et cum animo dolente et fervido, atque excitata voluntate, tali scilicet, qualem habuit accedens Chananæa,

et nos ipsum adierimus, etiamsi canes simus, etiamsi quidvis grave perpetraverimus, et nostra mala amoliemur, tantumque fiduciæ accipiemus, ut aliis quoque patrocinari valeamus : quemadmodum et Chananæa non solum ipsa fiduciam et multas laudes consecuta est, sed etiam filiam intolerabilibus molestiis eripere potuit. Nihil enim, nihil utique potentius est oratione ferventi atque sincera. Hæc et præsentia mala solvit, et a futuris illo tempore suppliciis eripit. Ut itaque et præsentem vitam facilius transigamus, et illuc cum fiducia abeamus, multo studio et alacritate precibus vacemus. Sic enim poterimus et præsentia consequi bona, et optima spe frui. Quæ nos omnes assequi contingat, gratia, benignitate et commiseratione Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre, unaque Spiritu sancto gloria, honor, imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In illud: Vidua eligatur non minus sexaginta annorum[1]; *et de liberorum educatione, ac de eleemosyna.*

I. Commodum divini Spiritus gratia disponente contigit, ut is vobis apostolicæ locus Epistolæ, quem hodierno die audivistis, legeretur. Habet enim cum iis quæ nuper diximus, cognationem et connexionem haud mediocrem, si minus in verbis, certe in sententiis. Hoc enim illud est, quod nuper legebatur, « De dormientibus autem nolo vos » ignorare, fratres [2] : » et de resurrectione multa tum a nobis sunt dicta, æquo animo ferenda esse mala ejus-

[1] 1 Tim. v, 9. — [2] 1 Thess. iv, 13.

modi, Deoque gratias agendas, qui propinquos nostros sibi assumeret : hodie vero lectum est istud : « Vidua eli- » gatur non minus sexaginta annorum [1]. » Quando igitur ex occasione mortis viduitas oritur, et hoc est, quod maxime dolorem auget, ac luctum excitat, memores eorum, quæ nuper a nobis dicta sunt ad eos qui lugent consolandos, eaque summo studio suscipientes, in vestræ mentis promptuariis illa recondite. Nam viduitas quidem calamitatis esse nomen videtur, sed tamen non est, verum dignitas, honor, et gloria maxima, non opprobrium, sed corona. Licet enim maritum non habeat, cum quo habitet, vidua : tamen Christum habet cum quo habitet, a quo universa, quæ ingruant, mala propulsentur. Sufficit enim dum injuriis vexatur vidua, ut introeat, genu flectat, acerbe ingemiscat, lacrymas fundat, et omnes insidias eorum, a quibus vexatur, repellat. Ejusmodi enim arma sunt viduæ, lacrymæ, gemitus, ac preces assiduæ : per hæc non humanas tantum injurias, sed dæmonum etiam incursus poterit propulsare. Vidua a sæcularibus negotiis immunis est, ad cœlum autem deinceps tendit : et quod erga virum studium et cultum exhibebat, eum in res spirituales potest impendere. Quod si dicas, olim rem istam calamitatem fuisse, tum illud subjiciam, mortem quoque maledictam fuisse : tamen in honorem ac dignitatem conversa est, his qui patienter tulerint invadentem. Sic nimirum et martyres coronantur, eademque ratione vidua summam ad dignitatem evehitur.

II. Vis tu intelligere, quanta res sit vidua? quam sit apud Deum honore digna, et amore utque summopere suo possit apud Deum patrocinio juvare, et cum primum apparuerit, jam damnatos, animum despondentes, hiscere non audentes, odiosos Deo, omni excusationis spe

[1] 1 Tim. v, 9.

spoliatos liberare, ac reconciliare, neque veniam tantum impetrare, et supplicio eximere, sed et multam fiduciam ac splendorem acquirere, et solis radiis puriores reddere, licet omnium sint mortalium sordidissimi? audi Deum ipsum Judæos sic alloquentem : « Cum extenderitis manus » vestras, avertam oculos meos a vobis : si multiplicaveri- » tis orationem, non exaudiam vos : manus enim vestræ » sanguine plenæ sunt [1]. » Attamen his sceleratis homicidis, pudore suffusis, ignominia notatis se reconciliatum iri pollicetur, si affectis injuria viduis auxilium ferant. Postquam enim dixit, Avertam oculos meos, et non exaudiam, inquit : « Judicate pupillo, et justificate viduam, et ve- » nite, et disputemus ; et si fuerint peccata vestra quasi » phœniceum, sicut nivem dealbabo [2]. » Vides quantam habeat vidua potestatem? ubi suum ostendat auxilium, non apud magistratum vel regem, qui dominantur in terris, sed apud ipsum cœlorum Regem? quantam possit iram sedare, ac Dominum illis, qui incurabili morbo infecti sunt, placare, intolerabili supplicio eripere, animam sordibus obrutam peccatorum ab ejusmodi labe purgare, atque ad summam puritatem perducere? Ne igitur mulierem viduam contemnamus, sed omnem in illam sollicitudinem exhibeamus. Patrona nostra est, quæ vere vidua. Sed operæ-pretium fuerit ut attente consideremus, de qua tandem vidua hoc loco verba fiant. Nam et illæ viduæ dicuntur, quæ cum in summam inciderint egestatem et in matriculam relatæ fuerint, ex ecclesiasticis pecuniis alun- tur, prout temporibus Apostolorum fiebat : « Factum est » enim, inquit, murmur inter Græcos, eo quod despice- » rentur in ministerio quotidiano viduæ eorum [3]. » Neque vero solum istæ viduæ dicuntur, sed et illæ, quæ nulla inopia pressæ, sed facultatibus abundantes, cum domui

[1] Isaï. I, 15. — [2] Ibid. 17. — [3] Act. VI, 1.

præsint, maritum tantum amiserunt. Videamus ergo de quanam vidua hoc loco verba faciat, dum ait, « Vidua eli-» gatur non minor annis sexaginta : » an de ea quæ auxilio indigeat, et quam opus sit ex ecclesiasticis pecuniis ali, an de ea quæ minime indiga sit, et opibus circumfluat? Haud dubium quin de ista. Nam de illa quidem cum loquitur, quæ fame conficitur, non tempus assignat, non probitatem morum requirit : Sed absolute, « Si quis fidelis, aut » si qua fidelis, inquit, viduas habet, subministret illis, » et non gravetur Ecclesia : » non dixit, cum sexaginta annorum fuerit; non dixit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit: ac merito sane. Ubi enim remedium fuerit adhibendum inopiæ, tempus non expectat. Quid enim, si cum annorum sit quinquaginta, fame conficiatur? Quid si in juvenili ætate corpore sit mutilato? num dormiet expectans donec sexagesimus annus appetat? at hoc extremæ foret immanitatis. Quam ob causam cum sedanda fames fuerit, non anxie in tempora et animæ virtutes inquirit : cum vero non inopiæ succurrendum est, sed honor est pro dignitate deferendus, merito hanc de moribus inquisitionem instituit.

III. Nam quemadmodum chori sunt virginum, sic et olim erant viduarum chori, neque passim licebat illis in numerum viduarum referri. Non igitur de illa sermo est, quæ premitur egestate, atque auxilio indiget, sed de ista, quæ viduitatem elegit. Cur autem in hac etiam tempus requirit? Sciebat pyram quamdam esse juventutem, et pelagus plenum fluctuum, ac multis tempestatibus infestum. Postquam igitur ætatis beneficio fuerint immunitatem consecutæ, et tanquam ad portum ad senectutem appulerint, jamque fuerint illis extinctæ libidines, confidenter eas in cœtum istum adlegit. Quid igitur? nonne

[1] 1 Tim. v, 16. — [2] Ibid. 10.

plurimæ, dicet aliquis, cum vel post annum vicesimum incœpissent, ad finem usque cum laude vixerunt, jugum tulerunt, et apostolicæ vitæ specimen ediderunt? an igitur quæso illas prohibebimus, et cum viduitatem servare velint, secundis nuptiis jungi cogemus? hoccine dignum est Apostoli consilio? Quid igitur hæc sibi volunt? attendite diligenter, dilectissimi, significationem dictionis. Non enim dixit, Vidua fiat non minor sexaginta annis, sed, « Vidua eligatur: » et rursus non dixit, viduæ juniores ne eligantur, sed, « Juniores viduas devita[1]: » sic enim ait ad Timotheum scribens. Nam quoniam detractionibus et maledictis multi facile sunt obnoxii, et linguas adversus Ecclesiæ præsules exacutas habent, volens rectorem a criminationum periculis vindicare, has leges præscribit, et ait: Tu devita, tu ne eligas. Si velit ipsa ultro ac sua sponte hæc amplecti, faciat: tu quidem ne adhuc admittas, ne forte dicant, ille talis juniorem coëgit, quæ nubere volebat, et domui præesse: propterea lapsa est, et supplantata. Tu illam ne eligas, ut si forte lapsa fuerit, tu a criminationibus sis immunis: si non fuerit lapsa, majori cum securitate convenienti tempore illam eligas. Quod si dicat: « Volo juniores viduas nubere, filios procreare[2], » audi quas juniores appellet, eas quæ cum luxuriatæ fuerint adversus Christum, nubere volunt, verbosas, curiosas, circumeuntes domos, loquentes quæ non oportet, quæ conversæ sunt post Satanam. Neque enim cum simpliciter dixisset, Volo juniores nubere, tacuit, sed et quales juniores dicit, et earum lapsus enuntiat: quos tandem lapsus: « Cum luxuriatæ fuerint, inquit, adversus Chris» tum, nubere volunt, et otiosæ discunt, et curiosæ, cir» cumeuntes domos, loquentes quæ non oportet, et con» versæ sunt, » post quem autem? « Post Satanam[3]. »

[1] 1 Tim. v, 11. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 11.

Quando igitur, postquam viduitatem sunt amplexæ, et omnem hanc ignominiam sustinere voluerunt, rursus nubere volunt, satius est priusquam peccato detineantur, et inita cum Christo pacta violent, ad hoc venire. Quod si qua talis non fuerit, necessitatem secundarum nuptiarum non imponit.

IV. Porro id verum esse, inde constat. Si enim hoc quasi lege sanxisset omnibus mulieribus, ut nuberent, et domui præessent, superflue illa requisivisset, « Si filios » educavit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subvenit, si omne opus bonum sectata est: » superflue quoque illud dicit, « Quæ fuerit unius viri uxor. » Si enim viduas omnes juniores nubere jubes, quomodo poterit aliqua unius viri uxor esse? Itaque illas ejus spectat oratio. Ita facit et dum loquitur de congressu conjugali. Cum enim dixisset, « Nolite fraudare invicem, nisi » forte ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio et orationi, et iterum revertamini in idipsum [1] : » ne legem esse ac præceptum existimes, causam adjicit, deinde dicens: « Ne tentet vos Satanas. » Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium, propter incontinentiam vestram. Quemadmodum igitur non omnibus illic ista loquitur, sed iis qui inter homines incontinentiores sunt, et facile capi possunt: sic etiam hoc loco mulieres expugnatu faciles, et quæ non ita facile perferre possunt exactam in viduitate vivendi rationem, hortatur, et consulit, ut alterum virum introducant. Est enim res quædam duplex viduitas. Quid hoc est tandem duplex? Bonorum operum specimen, et honoris summi fastigium. Ut igitur est etiam res quædam duplex magistratus: habet enim et opera et dignitatem, dignitas quidem magistratus est potestas, et cultus qui a vulgo exhibetur, et ipsum esse

[1] 1 Cor. VII, 5.

magistratum: opera vero magistratus sunt injuria affectis succurrere, inferentes injuriam compescere, urbibus præ esse, in communibus reipublicæ curis excubando pernoctare, et reliqua innumera: sic et viduitas et dignitas est et opus; maxima dignitas est viduam esse, ut ante demonstravimus: opus est secundum maritum sibi non asciscere, sed priori esse contentam, filios educare, hospitio recipere, pedes sanctorum lavare, tribulationem potientibus subministrare, omne opus bonum sectari. Itaque Paulus de illis loquens opera quidem omnia viduæ sinit illam perficere: ad dignitatem autem viduæ, ac cœtum, et ordinem illam provehi non sinit, donec sexagesimus annus præterierit, quasi dicat: opera quidem viduæ faciat, dignitatem vero tum obtineat, cum his omnibus perfectis securitatem beneficio temporis assecuta fuerit, et ex operibus demonstrationem ac testimonium externum. Nemo solis mulieribus arbitretur orationem convenire: nam et viris prodest, ut et ipsi defunctis uxoribus suis contenti sint, neque velint cum liberis suis leænas habitare, dum novercas introducunt, et suam omnem securitatem evertunt.

V. Hæc autem a nobis dicuntur, non ut secundas aversari nuptias præcipiamus, sed ut hortemur et consulamus, prioribus esse contentos: aliud est adhortari, aliud præcipere. Nam qui adhortatur et consulit, in arbitrio ac potestate relinquit auditoris, ut quod consulatur eligat: qui vero præcipit, hanc facultatem ejusmodi non permittit. At Ecclesia ista non præcipit, sed hortatur solum: siquidem secundas etiam nuptias permisit Paulus cum ita dixit: « Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus »vivit: quod si dormierit vir ejus, libera est, cui vult »nubat, tantum in Domino. Beatior est autem si sic per-

» manserit[1]. » Ut igitur bonum est conjugium, sed melior est virginitas; ita bonum quidem est secundum conjugium, sed melius est primum et solum. Non igitur conjugium secundum rejicimus, neque hæc præcipimus, sed cohortamur, ut si quis castitatem servare possit, sit priori contentus. Cohortamur autem et consulimus ad stabiliendam domus securitatem : sæpe namque secundæ nuptiæ quotidianarum et pugnarum et contentionum initium et occasionem attulerunt. Sane multoties evenit, ut assidens mensæ maritus prioris uxoris recordatus, leniter fleat : at illa confestim excandescit, et tanquam fera insilit, et sui in illam amoris ab eo pœnas exigit. Quod si voluerit laudare defunctam, tum contentionis et pugnæ occasio ex laudibus illius offertur. Ac defunctis quidem inimicis reconciliamur, eodemque fine vita illorum et nostrum in illos odium terminatur : in uxoribus autem contrarium penitus evenit. Quam enim non vidit, quam non audivit, a qua nihil est mali passa, hanc odio prosequitur et aversatur, ac ne mors quidem odium extinguit. Quis unquam vidit? quis audivit zelotypiam in pulverem, pugnam cum cinere susceptam?

VI. Sed non eo usque tantum progreditur malum : quinetiam sive ex secunda nati sint liberi, sive non sint nati, pugna rursus et contentio exoritur. Nam si nati non sint, majori mœrore conficitur, et hac de causa natos ex priori tanquam hostes, et a quibus maximis sit affecta injuriis, intuetur, dum ex illorum vita sterilitatis suæ sensum capit majorem. Si vero nati sint, rursus nihilominus malum est : siquidem maritus sæpenumero bene affectus erga defunctam hos amplectitur, et amore simul hac misericordia in illos propter orbitatem commovetur : at illa suos ubique præferri vult, ac nec fratrum illos haberi loco, sed

[1] 2 Cor. VII, 39.

abjectorum famulorum : quæ omnia domum possunt subvertere, ac vitam marito acerbam et infestam reddere. Propterea ad servandam castitatem adhortamur, si fieri possit, et ut priori conjugio contenti sitis, et neque mariti uxores, neque uxores maritos asciscant, ne domum suam omnem susquedeque vertant. Cur autem cum de viduitate dissereret, priori solo contentus non fuit, cum dixit, « Unus viri uxor ? » Ut intelligas id viduam non facere, si secundo marito solum utcumque non nubat, sed si bonis operibus, eleemosyna, benignitate, atque officiis erga peregrinos abundet. Nam si virginibus nihil profuit virginitas[1] : tametsi multo major est viduitate virginitas ; sed cum in lampadibus illarum ignis esset extinctus, ignominia affectæ recesserunt, quoniam benignitatis et eleemosynæ fructum exhibere minime valuerunt, multo magis viduæ. Certe cum illam parabolam audisset Paulus, et istarum causa timeret, exquisite admodum rem examinat, ne forte propter unicum matrimonium sibi confidentes reliquas virtutes negligerent. Propterea dicit, « In operibus bonis testimonium habens[2]. » Ut enim bonum est virginitas, absque cæteris autem infructuosa fit, et a conclavi sponsi excludit : sic et viduitas bonum est, sed sine virtutibus cæteris vana res est et superflua. Propterea Paulus dum cohortatur, non eo usque solum progreditur, ut non esse superinducendum secundum maritum suadeat, sed et alia plura et majora requirit a vidua. Et quemadmodum ii qui militum delectum habent, corporis bonam habitudinem requirunt : ita hic qui ad exercitum Christi hanc deligit, bonam animæ habitudinem requisivit, et fortitudinem, et in omnibus bonis operibus studium, ita dicens : « Si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus

[1] Matth. xxv, 1, et seqq. — [2] 1 Tim. v, 10.

» subministravit, si omne opus bonum sectata est. » Etenim unumquodque istorum nudum quidem esse nomen videtur, sed multam in se ipso vitam continet.

VII. Ac si videtur, primum excutiamus, quod ille primo loco posuit : « Si filios educavit; educationem enim non hanc simplicem, quam vulgus censet, dum fame confectos liberos non negligimus : hoc enim ne ipsa quidem naturæ necessitas unquam omitti permittet, quo fit ut neque mandatis hac de causa sit opus et legibus, ut suam prolem educent viduæ ; sed justitiæ curam educationem cum pietate hoc loco intelligit : quod alioquin eæ, quæ hoc pacto non educant, parricidæ potius sint, quam matres. Hoc non ad mulieres tantum a me dictum est, sed etiam ad viros : siquidem multi patres, ut bonus equus filio obveniret, et ut ædes magnificæ, ut prædium magni pretii, cuncta faciunt atque moliuntur ut autem anima ejus bona fiat, et pium propositum nullius pensi habent. Et hoc est quod totum mundum subvertit, quod nostros liberos non curemus, et possessionum opumque ipsorum curam geramus, sed ipsorum animam negligamus, et extremæ dementiæ facinus admittamus. Nam possessiones quidem sint licet multæ ac sumptuosæ, si probus non sit ac studiosus, qui cum virtute possit eas administrare, omnes cum ipso peribunt et evanescent, ac summum possessori damnum inferent : sin autem generosa fuerit et sapiens anima, licet nihil intus sit in promptuaris reconditum, omnium bona tuto poterit retinere. Illud igitur spectandum est, non quo pacto argento et auro et rebus ejusmodi locupletes eos reddamus, sed quo pacto pietate ac temperantia, virtutumque acquisitione ditissimi omnium fiant : quo pacto fiat, ut multis non indigeant, ut res sæculi hujus, et novas cupiditates non tanti faciant. Et ingressus eorum et egressus diligenter et curiose con-

siderandus est, quibuscum versentur, qui familiares illis sint, cum intelligamus, si hæc a nobis neglecta fuerint, nullam nos a Deo veniam impetraturos. Nam si cum aliorum curam non gesserimus, pœnæ a nobis exiguntur : « Nemo enim quod suum est, quærat, inquit Apostolus, » sed quod alterius [1]. » quanto magis si liberorum curam non gesserimus? Nonne ipsum in tuis ædibus ab initio collocavi, inquit? nonne te præceptorem, præfectum et curatorem et judicem illi te præfeci? omnem in illum potestatem in manus tuas transtuli? tenerum adhuc conformandum ac fingendum commisi : qua venia dignus eris si reluctantem illum neglexeris? Quid enim dicere poteris? refrenatu difficilem et asperum illum esse? at hæc ab initio prævideri oportuit, et quando freno cohiberi poterat, cum juvenis admodum esset, eum diligenter frenari, et officio suo fungi assuefieri, informari, morbis ejus animæ remedium adhiberi. Quando facilior erat agricolatio, tum resecari spinas oportuit, quando, cum tenera esset ætas, facilius evellebantur, neque passiones neglectæ et auctæ, expugnatu difficiles evasissent. Idcirco dicit : « Curva a pueritia cervicem ejus, quando facilius » potest erudiri [2]. » Neque vero præcipit tantum, sed et ipse tecum opus aggreditur. Quo tandem pacto? « Qui » maledicit patri vel matri, inquit, morte pereat [3]. » Vides quantum illis timorem incusserit? quantam formidinem objecerit? quam potenti imperio pollere te voluerit? quam nos igitur excusationem obtendere poterimus, cum ipse quidem, si nos afficiamur injuria, ne vitæ quidem parcat ipsorum : nos autem si ab illis Deo inferatur injuria, ne succensere quidem illis velimus? Ego nec occidere illum recuso, qui te affecit injuria : tu vero ne verbis quidem illum contristare dignaris, inquit, a quo leges

[1] 1 Cor. x, 24. — [2] Eccli. VII, 24. — [3] Exod. XXI, 17.

meæ violantur. Num hæc venia digna ? Vides affici contumelia Creatorem, nec indignaris, neque terres, nec reprehendis, præsertim cum intelligas hoc a Deo fuisse prohibitum, non quod ille quidpiam detrimenti patiatur, qui contumeliam accepit : neque enim Numen interitui est obnoxium ; sed propter salutem ipsius ? Qui enim inique se gerit in Deum et stolide, multo magis in patrem suum et in suam ipsius animam contumeliosus et insolens esse poterit.

VIII. Ne igitur contemnamus, cum sciamus fore, ut si erga Deum recte se gesserint, etiam in iis quæ ad hanc vitam pertinent celebres sint et illustres. Qui enim vitam cum virtute modestiaque traducit, eum omnes reverentur et colunt, sit licet omnium pauperrimus, sicut improbum ac depravatum aversantur et odio prosequuntur omnes, licet opibus multis circumfluat. Neque solum cæteris hominibus venerandus erit, sed tibi ejus parenti erit charior, cum præter naturam nihilo minorem habeat occasionem amoris, ipsam virtutem : neque vero solum charior, sed et utilior erit tibi dum colet, dum inserviet, dum in senectute sustentabit. Ut enim qui sunt in Deum injurii et ingrati, etiam parentes aspernantur : ita qui suum Conditorem colunt, ingentem genitoribus suis honorem deferunt. Ut igitur et apud Deum et apud homines bene audias, tibique vitam jucundam facias, ac futuris pœnis libereris, omni ipsum studio cole. Nam eos quidem qui liberorum curam non gesserint, tametsi cætero quin modesti fuerint atque moderati, ob istud peccatum pœnas gravissimas luituros, ex veteri constabit historia, quam narrabo. Sacerdos fuit quidam apud Judæos cæteroquin modestus, ac lenis, Heli nomine. Huic igitur Heli duo fuerunt liberi[1], qui ad summum improbitatis fastigium

[1] 1 Reg. II, 11.

pervenerant : illos autem non reprimebat ille, nec prohibebat : imovero reprimebat ille quidem, atque prohibebat, sed non tanta cum diligentia et vehementia, quanta opus fuit. Cum enim flagris cædere debuisset, domo paterna ejicere, omnem correctionis modum adhibere, cohortabatur solum et consulebat ita dicens : « Ne filii, ne »ita faciatis : quoniam non bona auditio, quam audio de »vobis[1]. » Quid ais? Deum injuria affecerunt, et filios appellas? conditorem ignorarunt, et tu propinquitatem illorum agnoscis? propterea dicit, eum non admonuisse illos : admonitio enim est si non utcumque consilium demus, sed vehementius et acrius, et si quantam vulneris requirit ulcus, tantam plagam infligamus. Non ergo sufficit si solum dicamus, sed et multum incutere timorem oportet, ut juventutis desidiam excutias. Quoniam igitur hortabatur ille quidem, sed non ut oportuit hortabatur hostibus illos exposuit, et exorto prælio ceciderunt in acie, cumque nuntium ferre non posset, cadens et ipse confractus est et interiit. Vides merito dictum a me fuisse, liberorum esse parricidas, qui negligentes liberos acriter non castigant, neque ab illis debitum Deo cultum exigunt? Sic nimirum Heli factus est parricida. Licet enim filios ejus hostes occiderint, ille tamen auctor cædis fuit, quod sua circa illos negligentia Dei auxilium ab illis averterit, et nudos ac desertos iis, qui necare vellent, objecerit. Neque vero solum illos, sed et se ipsum cum illis interemit.

IX. Idipsum nunc quoque plurimis patribus evenit : quia verberare noluerunt, nec verbis castigare, neque contristare liberos inordinate atque inique viventes, sæpenumero in gravissimis illos criminibus deprehensos, in judicium abreptos, a carnificibus capite truncari vide-

[1] 1 Reg. II, 23.

runt. Cum enim tu eos non castiges, cum tu non corrigas, et sceleratis ac perditis hominibus te ipsum admisceas, et in consortium nequitiæ cum illis venias, ex communibus legibus in eos agitur, et in omnium conspectu puniuntur : ac major cum calamitate fit ignominia, dum patrem illum digito monstrant omnes post illius obitum, et illi fori aditum intercludunt. Quibus enim oculis poterit occurrentes sibi post tantam infamiam et calamitatem filii contueri ? Quocirca precor et obsecro multam liberorum curam geramus, et ubique salutem illorum animæ quæramus. Magister et doctor es universæ domus tuæ, tibique uxorem et filios perpetuo docendos committit Deus. Et nunc quidem ait Paulus de uxoribus : « Si quid » autem volunt discere, domi viros suos interrogent[1] ; » nunc vero de liberis, « Educate illos in disciplina et cor» reptione Domini[2]. » Statuas aureas in ædibus habere te existima liberos; singulis diebus eos informa, et diligenter considera, omnique ratione illorum animam exorna et institue : imitare beatum Job, qui timens ob ea quæ ipsi mente peccassent[3], sacrificia pro ipsis offerebat, ac multum de illis erat sollicitus. Imitare Abraham ; nam et ille pecuniarum et possessionum haud studiosus erat, sed divinarum legum, ut illarum observationem posteris suis exacte commendaret. Quam ejus virtutem testimonio suo declarat Deus in hæc verba : « Scio enim, quia constituet » Abraham filiis suis judicia et justificationes[4]. » David quoque, dum moreretur, magnæ hæreditatis loco vocato filio suo mandabat, ac frequenter dicebat : Si volueris, fili, ex legum Dei præscripto vivere, nullum inopinatum malum te opprimet, sed omnia prospere tibi succedent, ac multa securitate potieris : sin autem ab illo auxilio

[1] 1 Cor. xiv, 35. — [2] Ephes. vi, 4. — [3] Job. i. — [4] Gen. xviii, 19.

excidas, nihil tibi regnum et multa hæc potentia proderit. Hæc et talia dicebat, etsi non istis plane verbis.

X. Hæc etiam nos et dum vivimus, et cum morituri sumus, liberis nostris dicamus, eisque persuadeamus magnas esse divitias et stabilem hæreditatem, thesaurumque nullis obnoxium damnis, timorem Dei; ac studeamus illis non pecunias quæ pereunt relinquere, sed pietatem quæ permanet, nec unquam absumitur. Si enim pietas non adsit, pereunt pecuniæ quæ suppetunt, cum periculo et ignominia summa: ea vero si adsit, etiam ea quæ non suppetunt, acquiruntur. Si tu filium tuum recte educaveris, ita suum filium ille, et alter suum; ac veluti catena quædam et series optimæ conversationis ad omnes usque perveniet, a te ducto initio et radice, unde tibi ob susceptam filiorum curam fructus nascentur. Si parentes liberos suos diligenter erudirent, non legibus, non judiciis opus foret, non pœnis ac suppliciis, et cædibus publicis: siquidem « Justo, inquit ille, lex non est posita [1]: » quoniam autem illorum curam non gerimus, idcirco majoribus illos malis involvimus, et carnificum illos manibus dedimus, atque in barathra frequenter impellimus. « Qui enim » refrigerat filium, inquit, colligabit vulnera ejus [2]. » Quid est qui refrigerat? qui miseretur, qui adulatur, qui blanditur ultra modum. Is enim severitate curaque indiget ac metu. Hæc autem non eo dico, ut nimis asperi liberis simus, sed ne despicatui ab illis habeamur. Si enim uxor virum suum metuere debet, multo magis filius patrem. Neque mihi dicas domari non posse juventutem. Nam si a muliere vidua curam ejusmodi requirit Paulus, multo magis a viris: si fieri id non posset, non imperasset. Verum omnis improbitas ex negligentia nostra oritur, et quod non a principio, neque a primæva ætate ad pietatem

[1] 1 Tim. I, 9. — [2] Eccli. XXX, 7.

ipsos informaverimus. Sed ut profanis quidem imbuantur disciplinis, et in castrorum numeros allegantur, operam damus, et pecunias numeramus, et amicos obsecramus: huc illuc frequenter discurrimus: ut autem apud Angelorum Regem in existimatione sint, non admodum laboramus. Atque ad spectacula quidem frequenter ascendere sinimus, ad Ecclesiam autem nunquam venire compellimus: sed si semel aut iterum puerulus huc adveniat, temere, frustra et incassum atque animi causa huc advenit. At non ita fieri oportuit : sed quemadmodum cum ad scholas mittimus, disciplinarum ab illis rationem exigimus : ita cum ad Ecclesiam mittimus, vel potius ducimus. Non enim aliis eos committere, a vobis ductos huc oportet intrare, et eorum quæ hic audiverint, et quæ didicerint, memoria reposcenda est. Sic enim fieret ut a nobis facile ac nullo negotio ad meliorem frugem liberi revocarentur. Nam si et domi perpetuo nos de philosophia loquentes audirent, et quod opus facto esset consulentes, et cum illis adjungerentur quæ hoc loco dicuntur, et quamprimum istorum seminum uberem nobis fructum producerent. At nos nihil horum præstamus, sed ea quæ nostra intersunt maxime, perfunctorie curamus : quod si de his cohortetur aliquis, statim irridetur; atque hinc fit, ut omnia susquedeque vertantur, quosque parentes non castigant, leges externæ castigent.

XI. Annon te pudet, quæso, nec erubescis, cum filium tuum judex punit, et temperantiorem reddit, quod ille correctione externa indigeat, qui tanto tempore in contubernio tuo vixit ? non te abscondis et occultas ? An vero tu omnino, dic quæso, pater illius audes vocari, qui filium ita prodideris, neque necessario illum præsidio munieris, sed ab omni siveris improbitate vitiari ? Ac si quempiam quidem fugitivum videas puerulo alapas impingen-

tem, indignaris, irasceris, et fera crudelius in faciem involas ejus, a quo percutitur : cum vero diabolum quotidie videas alapas illi impingere, dæmones ad peccata pellicere, dormis, neque indignaris, neque ex faucibus sævissimæ belluæ filium eripis. Rursus a dæmone si correptum videas, ad omnes sanctos curris, et eos qui cacumina montium incolunt interpellas, ut illum ejusmodi furore liberent : cum autem a peccato semper vexetur, quod dæmone quovis asperius est, nihil tamen te commovet? At a dæmone quidem vexari, nihil grave est : neque enim ullo modo potest dæmonium in gehennam præcipitem agere; sed si attenti simus ac vigiles, ubi cum gratiarum actione contumelias ejusmodi tulerimus, etiam coronas nobis insignes et illustres illa tentatio comparabit. Eum vero qui peccatis vivat addictus, impossibile est unquam salvum fieri, sed plane necesse est et hic ignominiosum esse, et defunctum rursus illic immortali supplicio puniri. Verumtamen licet hæc sciamus, multum quidem studii in ea quæ sunt minora conferimus : at cum de majoribus agitur, nolumus excitari : dumque correptum a dæmone cernimus, lugemus : dum autem peccantem cernimus, ne percipimus quidem, cum plangere oporteret ac deflere : vel potius non deflere solum, sed et cohibere ac refrenare, consulere, cohortari, timorem incutere, reprehendere, omni medelæ genere morbum illum abigere, ac viduam istam imitari, de qua Paulus ait, « Si filios educavit [1]. » Neque enim ad illam tantum, sed ad omnes quoque sermonem hunc dirigit, omnesque cohortatur dicens, « Educate filios in correptione Domini [2]. » Nam primum hoc quidem est, et maximum bonum, quod utique primum a vidua exegit. Deinde post istud ait : « Si » hospitio recepit. » Quid quæso dicis? a muliere vidua re-

[1] 1 Tim. v, 10. — [2] Ephes. vi, 4.

quiris, ut hospitio recipiat? Non hoc sufficit, ut liberos nutriat? Nequaquam, inquit, sed hoc quoque adjiciatur necesse est, et dum domesticis præest, etiam alienorum curam gerat, ac peregrinis domum aperiat. Vita functus est maritus, omnem operam quam olim in illum, in peregrinos impende. Quid ergo, si paupercula sit, dicet aliquis? Non est ulla pauperior illa vidua, quæ modico illo farinæ, atque olei lecytho magnum prophetam Eliam excepit. Nam illi erant liberi: sed neque rei familiaris egestas, nec violentia famis, neque mors imminens, neque liberorum cura, nec viduitas, nec aliud quidquam hospitali mulieri obstaculo fuit.

XII. Sic ubique non facultatum mensura, sed animi affectusque mensura quæritur. Qui magnanimus est et mente dives, licet pecunia sit omnium pauperrimus, et hospitalitate, et eleemosyna, et omni reliquo genere liberalitatis omnes poterit superare: qui vero parcus est ac mente pauper, atque humi serpit, sit licet omnium locupletissimus, omnium pauperrimus est et egentissimus, idcirco talia cuncta detrectat et refugit. Et quemadmodum in paupere nullum potest paupertas ad eleemosynam impedimentum afferre, propter mentis opulentiam : sic nec divitem possunt opes juvare ad liberalitatem exercendam præ nimia mentis egestate. Nec longe erunt exempla petenda : siquidem vidua modico farinæ Prophetam excepit : Achaab autem, qui tot divitias possidebat, etiam aliena concupivit [1]. Ita non pecuniarum divitiæ, sed mentis divitiæ facilitatem nobis ad eleemosynam præbent : quandoquidem illa etiam vidua duobus obolis innumeros divites superavit [2], nec paupertas impedimentum objecit. Imo hæc ipsa paupertas eleemosynam majorem effecit: quod utique Paulus his verbis expressit : « Altissima paupertas

[1] 3 Reg. xxi, 1. — [2] Luc. xxi, 2.

» abundavit in divitias simplicitatis eorum [1]. » Non enim hoc considerandum est duos illam obolos erogasse, sed quod cum hos solos haberet, illis minime pepercerit, sed totam substantiam suam contulerit, laudare illam oportet ac suspicere. Non igitur opibus, sed animi alacritate nobis est opus, quando excipiendi sunt hospites. Nam quemadmodum si hæc adsit, nihil nocere potest paupertas : sic si hæc absit, nihil proderit opulentia. Quid ais ? curam liberorum gerit vidua, et idcirco peregrinos fovere non potest? imovero hanc eamdem ob causam facilius id præstare poterit, cum in consortium officiorum exhibendorum filios possit asciscere, qui simul juvent, et cum illa præclarum illud opus exequantur. Itaque non impedimentum, sed auxilium hospitalitatis erit multitudo liberorum, et multorum manus operi admotæ magnam afferent ministerio facilitatem. Noli enim mihi sumptuosam mensam commemorare : si peregrinum tecto exceperit, si quæ suppetebant apposuerit, si multam humanitatem et comitatem exhibuerit, mercedem omnem hospitalitatis promeruit. Nam si solus aquæ frigidæ calix regnum cœlorum conciliat [2], suo tecto excipere, mensæ participem asciscere, ac reficere, quantum quæso fructum pariet? ac vide, quam accurate rem Paulus exponat. Non enim simpliciter hoc loco hospitalitatem exigit, sed eam quæ cum animi promptitudine, fervida mente, atque ardenti affectu exhibetur. Cum enim dixisset, « Si hospitio excepit, » adjecit ; « Si » sanctorum pedes lavit. » Non illam cum fastu sedentem oportet obsequium erga peregrinum ancillis demandare, sed ipsam operi manum admovere, fructumque sibi arripere, nec ulli præclarum illum thesaurum cedere. Sed quî fieri poterit istud, dicet aliquis? Si enim sit nobilis et illustris, ac celebris, et claris orta majoribus, an ipsa

[1] 2 Cor. VIII, 2. — [2] Matth. X, 42.

peregrini pedes lavabit? Nonne hoc turpe fuerit? Turpe sane fuerit si non lavet, mi homo. Quantumvis enim nobilitatem ipsius in cœlum efferas, et claritatem generis atque splendorem, ejusdem particeps est naturæ, cum eo qui abluitur, et conserva illius est et honore par illi cui defertur obsequium.

XIII. Cogita quis erat ille qui Discipulorum pedes lavit, ac de nobilitate verba facere desine : communis orbis terrarum Dominus. Rex Angelorum et lavit, et linteo se præcinxit, nec Discipulorum tantum, sed et proditoris ipsius. Vides quantum inter eum qui lavabat, et eos qui lavabantur esset intervallum? attamen toto hoc intervallo se demisit, et dominus servum lavit, ut serva conservum non erubescat. Idcirco etiam proditoris, ne forte dicere posses vilem et abjectum esse illum, cui cultus esset ille atque obsequium deferendum. Licet enim et vilis sit et abjectus, nondum tamen Judæ similis est, nec in te talia perpetravit, qualia in Dominum ille, qui acceptis innumeris beneficiis ad proditionem venit. Attamen his omnibus prævisis lavit, ac nobis legem constituit, ut licet sublimiores omnibus simus, licet omnibus clariores et illustriores simus, licet omnibus inferiores sint, qui apud nos diversaturi sunt, ne idcirco illis inservire recusemus, neque vilitatis nos pudeat. At tu, mulier, si quempiam videris in sæcularibus tibi negotiis opem ferre, vel in judicio succurrere, vel in alia quapiam re simili, et occurris, et multa cum benevolentia suscipis, manus deoscularis, pecunias erogas, et ancillarum munera obis : Christum autem introeuntem si videas, pigritaris, et cultum ac ministerium illi exhibere detrectas. Si non ut Christum suscipisperegrinum, ne suscipias : sin autem ut Christum suscipis, lavare Christi pedes non erubescas. Nonne vides, quam multi eorum, qui injuriis afficiuntur, ad statuarum

pedes confugiant? tametsi materia est sensu destituta, et æs animæ expers : sed quoniam imperatorum sunt illæ imagines, aliquam se a pedibus illis opem impetraturos confidunt. At tu quæ non sensu carentes pedes, neque materiam expertem animæ, sed imaginem intus apud se regem gestantem domum tuam ingredi videas; non accurris, quæso, nec pedes amplecteris, atque omni ratione colis? quis hoc facinus venia dignum judicet? quis non potius omni plectendum ignominiæ nota censeat? Cogita cui communices, dum inflaris et arroganter efferris, atque inservire peregrino erubescis : haud dubium quin diabolo. Illius enim morbus est superbia. Sin autem accurras; cogita quem imiteris : Dominum tuum, et opus Christi perficis. Quis ergo pudor, quæ ignominia, quæso, fieri Christi consortem? imovero pudor est, si istorum nos pudeat, et ignominiam id quod Christus fecerit, arbitremur. Multa possunt domum introeuntes sanctorum pedes : pavimentum ipsum sanctificant, innumerorum thesaurum bonorum invehunt : mutilatam naturam instaurant : famem pellunt, multas opes inducunt[1]. Ita quoque pedes Eliæ viduæ domum ingressi novum quemdam et admirabilem ubertatis annonæ modum intulerunt[2]. Viduæ domum in agrum convertit, et hydriam in aream : novum quoddam sementis ac messis genus tunc apparuit. In os Justi semen jactabat, et quæ sata fuerant multa cum ubertate ex hydria metebat : seminabat farinam, et farinam metebat; non indiguit bobus, et jugo, et aratro, et sulco, nec pluvia et aëre ac falce, nec area et manipulis, neque ventis qui paleas a granis discernerent, neque mola, quæ tereret : sed uno temporis momento in hydria finem omnium istorum invenit : ac duos fontes, unum farinæ, alterum olei vox Prophetæ perennes effudit.

[1] Matth. x, 11. — [2] 3 Reg. xvii, 1, et seqq.

XIV. Talia sunt dona sanctorum, et ubertatem et facilitatem ingentem in se continent. Nam ea quidem, quæ decerpuntur e terra, consumuntur : at illi fontes hausti quotidie, non exhauriebantur, sed cum illis, qui evacuabant, pari successu scaturigo pugnabat. Talia sunt, quæ sanctorum pedes largiuntur, vel potius his multo plura : ac nisi fieret prolixior oratio, multa ejusmodi dona numerando percenserem. Sed quemadmodum ii qui honorem illis deferunt, talia dona consequuntur : ita qui despiciunt, magnum sibi supplicium et inevitabilem ignem accersunt. Unde id constat? audi Christum ipsum dicentem Discipulis : « In quamcumque civitatem, aut domum intra» veritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete, » et intrantes dicite, Pax huic domui[1]. » Ut enim non dicas, Pecunias expendo, facultates assumo, dum peregrinis mensam appono, efficit, ut ille ipse, qui domum intrat, prior tibi dona hospitalia muneraque largiatur, quæ divitias omnes exsuperant. Quænam illa porro sunt? pacis largitatem. Nihil enim est quod cum illa conferri possit. Vides quanta cum opum affluentia sanctus domum introeat? Hoc verbum quidem nudum est, at infinitorum bonorum est occasio. Quid enim ea domo tutius reperiri possit, quæ pace fruatur? Porro illis a quibus excipiuntur, sancti pacem precantur, non cum invicem tantum, sed cum nobis ipsis. Sæpe namque fit, ut pugnam in nostris cogitationibus sentiamus, et nemine interpellante turbemur, atque in nos assidue pravæ cupiditates insurgant. Et hanc igitur pugnam verbum illud sanctorum sedat, ac multam intus tranquillitatem creat. Nam simul atque locutus est ille, diabolica cuncta cogitatio, pravumque consilium ex animo nostro exulat : itaque majora recipis, quam largiaris. « Et si quidem vos, inquit, receperint, ve-

[1] Matth. x, 11, 12.

» niat pax super illos : si vero non receperint, excutite » pulverem pedum vestrorum. Amen dico vobis, tolera- » bilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæ in die illa, » quam illi civitati[1]. » Vides quantum ignem despecti pedes sanctorum accumulent et attrahant? Propterea jubet, ut eos lavemus, ut cum eos nostro ministerio curaverimus, multam nobis apud Deum concilient gratiam : simulque nos illud hac admonitione docet, ut hospitalitatis opera per nos ipsi omnia exerceamus. Imitare Abrahamum, filia illius fias, qui trecentos decem et octo vernaculos cum haberet, ipse cum uxore fructum hospitalitatis partitus est, et ipse quidem vitulam afferebat, illa vero farinam pinsebat. Hos tu quoque æmulare : non enim solum pecunias erogare, sed etiam pauperibus ministrare multam mercedem obtinet. Propterea etiam Apostoli septem illos in quibus Stephanus[2], ejusmodi ministerio præfecerunt. Tametsi nihil illi de suo pauperibus erogabant, sed ab aliis data recte dispensabant : magnam tamen retulere mercedem, quod a cæteris collata recte diligenterque dispensarent.

XV. Esto tu quoque rerum tuarum bonus dispensator, ut duplicem fructum accipias, et quod eroges, et quod recte dispenses. Nec te pudeat manu tua pauperi inservire. Non erubescit Christus per pauperem manum extendere, atque accipere, tu vero manum extendere ac largiri pecuniam erubescis? Quis hoc extremæ dementiæ facinus esse non dicat? Unum solum est pudor et ignominia, nequitia nempe et crudelitas atque inhumanitas : comitas autem, eleemosyna, et humanitas, ac pauperibus ministrare clariores nos efficit. Quanto enim ditiores ac locupletior, tanto te magis omnes laudabunt, cum ad mendicos et viles te demiseris : neque solum homines, sed etiam Angeli,

[1] Matth. x, 13, 14. — [2] Act. VI.

et dominus Angelorum : nec laudabit solum, sed et duplici præmio remunerabitur. Non enim eleemosynæ tantum, sed humilitatis etiam multam tibi mercedem præparabit. Ne igitur in pauperes ministerii nos pudeat, neque peregrinorum lavare pedes recusemus, sanctificantur enim tali famulatu manus nostræ : quod si post ministerium illud ad orationem illas extenderis, illis aspectis facilius exoratur Deus, et postulata concedit. Nam pecunias quidem erogare possunt plurimi : per se vero pauperibus inservire, et cum animi alacritate, et charitate, ac fraterno amore id agere, magno indiget animo, et philosophia prædito. Atque hoc illud est, quod omnium maxime Paulus requirit, cum eis, qui tribulatione, paupertate et incommodis premuntur, compati jubet, quasi in malis eisdem versemur. « Vinctis, inquit, tanquam simul vincti[1]. » Quam ob causam non hic solum orationem terminavit, sed et aliud adjecit : « Si tribulationem patientibus subministravit, si » omne opus bonum sectata est[2]. » Quid est, « Si omne » opus bonum sectata est? » Ita ut etiam in carcerem introiret, ac vinctos inviseret, et ægrotos visitaret, et recrearet afflictos, et mœrentes consolaretur, et quocumque modo posset, cuncta suppeditaret, ac nihil omnino detrectaret eorum, quæ ad salutem ac solatium nostrorum fratrum pertinerent. Quod si a muliere vidua tam multa requirat bona opera, qua nos excusatione censeri dignos æquum erit, qui cum viri simus, ea non agamus, quæ mulieribus Paulus agenda præscripsit? Sed fortasse dicet aliquis: Quo tandem pacto a muliere vidua tantam diligentiam requirit, cum vero de virginitate scriberet, nihil tale locutus est? Ac majorem quidem his philosophiam ab ipsis exegit. Nam cum dicit : » Divisa est uxor et virgo : » et, quæ innupta est, sollicita est de iis, quæ sunt Domini,

[1] Hebr. XIII, 3. — [2] 1 Tim. V, 10.

» quomodo placeat Domino : et rursus : Hoc autem dico » propter id quod honestum est, et quod facultatem præ- » beat sine impedimento Dominum obsecrandi[1] : » nihil aliud per hæc significat, nisi virginem, quæ sæcularibus negotiis omnibus nuntium semel remiserit, totam animam consecrare Deo oportere, neque quidquam habere commune cum terra, nec aliquando his, aliquando illis vacare, sed cum in universum illis abrenuntiarit, totum in res spirituales debere studium suum impendere. Sane quidem ipsa quoque decem virginum parabola nobis hoc ipsum declaravit[2]. Hanc nimirum ob causam conclavi sponsi exclusæ sunt, quod oleum non haberent : oleum vero nihil aliud est, quam misericordia et eleemosyna, benignitas, et sublevatio eorum qui patiuntur injuriam, et eorum qui dolore premuntur consolatio : quod cum illis deesset, abierunt illæ, atque a thalamo exciderunt.

XVI. Hæc igitur omnia cum sciamus et uxores et viri, et virgines et matrimonio junctæ, et viduæ, multum ad eleemosynam studium conferamus, neque dicamus : Ille improbus est, et indignus, qui beneficium accipiat, ille vilis est, ille abjectus. Ne dignitatem spectes ejus, qui cultu et subsidio indiget, sed inopiam tantum. Quamvis enim vilis et abjectus sit, et despectus, ita tibi Christus mercedem imputat, ac si per eum ipse beneficium accepisset. Ne enim eorum, qui beneficiis afficiuntur, dignitatis rationem haberemus, audi quid dicat : « Esurien- » tem me vidistis, et aluistis. » Deinde cum illi dicerent, « Quando te vidimus esurientem, et aluimus? » adjecit dicens : « Quandiu fecistis uni ex his parvis, mihi fecis- » tis[3]. » Itaque nullus relictus est prætextus. Siquidem ne dicere possemus, ubi nunc Eliæ similem inveniemus? ubi similem Eliseo? Item, Da mihi tales viros, et summa

[1] 1 Cor. VII, 34, 35. — [2] Matth. XXV. — [3] Ibid. 35-40.

cum animi alacritate suscipiam illos, neque lavare pedes recusabo, et omni officiorum genere colam : ne hæc dicere-mus, quod multo majus est, ipse Eliæ et Elisei et Prophetarum omnium Dominus per pauperes ad nos se ingressurum promisit, cum dixit : « Quandiu fecistis uni » de his minimis, mihi fecistis. » Sed quod dictum est, né prætereas. Illud enim, « Esurientem me aluistis, » quatuor exhibet eleemosynæ necessitates : Quod fide dignus sit is qui petit : quod Dominus sit is qui petit : quod urgeat inopia, dum fames premit : quod facile sit largiri, cum alimenta postulet, et solum panem, non delicias petat : quod magna remuneratio expectetur, cum pro exiguis istis promissum sit regnum. Inhumanus, crudelis, et immisericors es ? reverere, inquit, dignitatem ejus qui postulat. At respectu dignitatis non exoraris ? calamitate saltem flectere. Sed neque calamitatis ratio te ad misericordiam inflectit ? ob petitionis facilitatem concede. Neque dignitas, neque inopiæ necessitas, neque largitionis facilitas commovere te potest ? saltem igitur ob eorum bonorum, quæ promissa sunt, magnitudinem, egeno præbe. Vides quatuor causas, quæ possent vel lapidem ipsum, et avarum, et excæcatum, et immisericordem hominem, et omnium stupidissimum excitare ? Quam igitur veniam sperare poterunt, qui post tantam cohortationem et consilium egenos despicient ? Dicam et aliud præterea quiddam : audiant qui mysteriis sunt initiati. Cum ali te opus fuerit, ne carni quidem suæ parcit ipse : cum tibi potum dari opus fuerit, ne sanguini quidem suo parcit, nec illum invidet : tu vero ne panem quidem impertis, nec calicem ? quam tandem veniam obtinebis, qui tot bonis tam pretiosis acceptis, tam vilibus parcas ? vide ne frequenter cum Christo largiri ad lucrum recusaveris, ad damnum diabolo largiaris. Cum enim pauperibus non de-

mus, impostoribus damus : fures plerumque vel malefici famuli abripientes abeunt, vel etiam aliquis alius rerum casus aufert. Et vero postquam hæc evitaremus omnia, mors interveniens nudum abducet. Ne igitur isthæc eveniant, prius Christo petenti largiamur, et in thesauro nullis prædonibus obnoxio reponamus, ut et de custodia et de proventu confidamus. Non enim solum quæ accepit, diligenter asservat, sed et majori tibi rursus cum accessione restituit. Ne igitur imminui nobis facultates arbitremur, cum eleemosynam erogamus. Non enim minuuntur, sed augentur; non absumuntur, sed multiplicantur, et negotiatio quædam res ista et sementis est : vel potius utroque istorum quæstuosius quiddam et tutius. Nam mercatura quidem ventis ac fluctibus multisque naufragiis est obnoxia, itemque semina siccitatibus aëris, imbribus, cæterisque injuriis et inæqualitatibus aëris : quæ vero in manus Christi conferuntur pecuniæ, ab insidiis omnibus sunt immunes. Nemo rapere potest de manu ejus, cum acceperit ea quæ semel ei sunt tradita : sed manent, multumque nobis et immensum fructum pariunt, et uberem in tempore messem proferunt. « Qui enim parce se»minat, inquit, parce et metet; et qui seminat in bene»dictionibus, de benedictionibus etiam metet. » Copiose itaque seminemus, ut ita quoque metamus, et vita fruamur æterna : quam nos omnes utinam consequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

Cum in præcedenti collecta in nova Ecclesia cum episcopo conventum celebrasset, hunc sermonem habuit in veteri Ecclesia in hunc locum Apostoli : Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti[1] : *Et ostendit ea quæ tum fiebant, non a contrariis studiis profecta esse, verum ex pacto convento et per dispensationem.*

I. Unum a vobis abfui diem, et perinde quasi anno integro separatus a vobis fuissem, ita tristis mœstusque permansi. Atque hæc vera esse, ex iis quæ vobis acciderunt, ipsi cognoscitis. Ut enim lactens puerulus a maternis avulsus uberibus, quocumque tandem abductus fuerit, crebro se huc illucque convertit, et matrem suam circumspicit : sic ego quoque procul a materno sinu translatus, crebro circumspiciebam, et undequaque sacrum vestrum hunc cœtum requirebam. Sed ea me res tamen satis consolabatur, quod dum amantissimo patri parerem, id mihi accideret, et conceptum ex separatione mœrorem obedientiæ præmium abstergebat. Est enim hoc mihi vel quovis diademate illustrius, et corona gloriosius, ubique cum genitore peregrinari : hoc mihi ornatus est, et securitas : ornatus quidem, quod sic eum manciparim, et ad amorem meum pellexerim, ut nusquam sine filio velit apparere : securitas autem, quod dum præsentem intuetur atque certantem, omnino suarum etiam precum auxilium nobis suppeditet. Et quem-

[1] Galat. II, 11. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 199-204.

admodum navem gubernatoris manus, clavus, et zephyri flatus ad portum secure deducunt : sic et hujus benevolentia, cum auxilio precum melius quam zephyrus et gubernator ullus aut gubernaculum, orationem nostram dirigit. Me vero præterea consolabatur etiam illud, quod vos opipara tum mensa frueremini, ac liberalem et sumptuosum convivatorem nacti essetis. Porro id non fando tantum audivimus, sed ipso nobis experimento compertum est. Fuere quippe, qui ea quæ dicebantur, cuncta referebant, et ex reliquiis de toto convivio conjecturam fecimus. Itaque convivatorem quidem laudavi, ejusque magnificentiam ac divitias commendavi : sed et vos propter hanc benevolentiam beatos prædicavi, et propter diligentiam, quod tam accurate quæ dicta sunt memoria teneatis, ut etiam ad alios transferre possitis. Propterea nos quoque apud Charitatem Vestram perlubenter disserimus. Nam qui sua committit huic loco semina, non ea secus viam projicit, nec in spinas effundit, neque supra petram seminat : ita pinguis et fertilis est ager vester, et omnia quæ suo sinu exceperit multiplicantur ab eo semina. Verumtamen si unquam summam alacritatem animi, summumque studium audiendo concionem exhibuistis; sicut semper exhibuistis, hanc et hodierno die mihi peto gratiam concedi. Neque enim de rebus vulgaribus nobis est agendum, sed de iis quæ magni sunt momenti. Quocirca mihi perspicacibus opus est oculis, excitata mente, ac sensibus erectis, attenta cogitatione, animo insomni ac vigilanti. Audivistis enim omnes apostolicam lectionem, et si quis diligenter attendit ad ea quæ lecta sunt, magna nobis certamina laboresque nobis hodierno die propositos esse cognovit. « Cum enim venisset, inquit, Petrus, Antiochiam in faciem ei restiti[1]. »

[1] Galat. II, 11.

II. Numquid unumquemque vestrum hoc conturbat, dum audit Petro restitisse Paulum : columnas scilicet Ecclesiæ inter se collidi, atque in se invicem incurrere? siquidem vere columnæ sunt isti, qui fidei tectum sustinent et gestant, et columnæ et propugnacula, et Ecclesiæ corporis oculi, et bonorum fontes ac thesauri, et portus, et quodcumque dixerit quispiam, necdum tamen eorum dignitatem æquabit : sed quanto majores erunt laudes, tanto majora nobis objecta erunt certamina. Attendite igitur : pro patribus enim nobis dicendum est, ut conjecta in eos a profanis, et a fidei hostibus crimina refellamus. « Cum » autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, » quia reprehensibilis erat[1]. » Deinde additur causa reprehensionis : « Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, » cum gentibus edebat : cum autem venissent, subtrahe- » bat, et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione » erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, » ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulatio- » nem. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad » veritatem Evangelii, dixi Petro coram omnibus[2] : » Et supra dicit, « In faciem, » et hoc loco, « Coram omnibus. » Notate istud quod dixit, « Coram omnibus. Si tu cum » Judæus sis, gentiliter vivis, et non judaïce, quomodo » gentes cogis judaïzare? » Fortasse Paulum ob loquendi libertatem laudastis, quod personæ dignitatem non reveritus, propter Evangelii veritatem præsentes non erubuerit. At licet ea sit laus Pauli, in nostrum dedecus illud cedit. Quid enim refert quod recte Paulus gesserit? at male gessit Petrus, siquidem non recte ambulabat. Quid ergo mihi prodest, quando alter ex biga equus claudicat? Neque enim mihi cum Paulo res est, sed cum profanis. Idcirco etiam obsecro, ut attendatis. Etenim accusationem augeo,

[1] Galat. II, 11. — [2] Ibid. 12-14.

gravioremque reddo, ut studium vestrum excitem. Qui enim in certamine versatur, vigilat, et qui pro patre metuit, est attentus : qui accusationem audit, optat excipere defensionem. Si ergo incipiam accusationem augere, ne ex animi mei sententia verba illa proferri censeatis. Profunde quippe mentem excavo, et altius in animo sulcos ago, ut profundius jactæ sententiæ tenacius hæreant, et fideli memoria teneantur. Sed et in laudem urbis vestræ cedunt, quæ dicentur. Illa quippe certamen excepit, illa pugnam : imovero non pugnam, sed quæ videbatur esse pugna, cæterum pace quavis utilior extitit. Non enim ita membra nostra nervorum amplexibus inter se junguntur, ut Apostoli charitatis erant inter se vinculis copulati.

III. Laudastis Paulum? audite ergo quo pacto ad accusationem tendant Pauli, quæ dicta sunt, nisi unum aliquem in verbis absconditum sensum observemus. Quid ais, o Paule? increpasti Petrum, cum illum videres ad veritatem Evangelii non recte incedere? Bene habet. Cur igitur in faciem? Cur coram omnibus? nonne remotis arbitris fieri reprehensionem oportuit? At tu quomodo publice judicium instituis, et multos accusationis testes reddis? Quis non dicet odio impellente hoc a te fieri, vel ex invidia vel studio contentionis? Nonne tu es ille, qui dicebas : « Factus sum infirmis ut » infirmus[1] ? » Quid porro est, « Infirmis ut infirmus? » Condescendens, et occultans illorum vulnera, inquit, neque permittens, ut in impudentiam prolaberentur. Ergo-ne qui erga discipulos adeo sollicitus fuisti et benignus, erga coapostolum crudelis evasisti? Non audiisti Christum dicentem, « Cum peccaverit frater tuus, vade, corripe » eum inter te et ipsum solum[2] ? » at tu et publice corripis, et re perpetrata gloriaris. « Cum enim venisset Petrus,

[1] 1 Cor. IX, 22. — [2] Matth. XVIII, 15.

» inquit, Antiochiam, in faciem ei restiti. » Neque publice tantum corripis, sed etiam velut in columna quadam litteris exaratis pugnam illam insculpis, ad memoriam facti sempiternam : ut non illi tantum qui aderant, sed et omnes qui orbem terrarum incolunt homines, ex Epistola rem illam cognoscant. Siccine tecum egerunt Apostoli Jerosolymis, cum post annos quatuordecim ascendisti, ut Evangelium cum illis conferres? Nonne tu dicis, « Post » annos quatuordecim ascendi, et contuli cum eis Evange- » lium, seorsum vero cum iis qui videbantur aliquid esse[1]? » Quid igitur? num seorsum conferre te volentem prohibuerunt, et in medium adduxerunt, atque omnibus prodiderunt? Dici non potest. Jam tu igitur seorsum confers, nec ullus contradicit : tu vero Apostolum palam traducis? An vero tantum illic benevolentiam illorum expertus es? ac non tum etiam, cum tot adessent millia Judæorum, nonne eadem erga te usi sunt sapientia? nonne te seorsim assumpto tibi dixerunt, « Vides, frater, quot millia sunt » Judæorum, qui convenerunt, et hi omnes æmulatores » sunt legis, et audierunt de te, quia discessionem doceas » a lege. Quid ergo est? fac quod tibi dicimus. Sunt inter » nos viri votum habentes super se : his assumptis radere » cum illis, et sanctifica te cum illis, ut discant, quia quæ » de te audierunt, falsa sunt[2]. » Vides ut existimationi tuæ parcant? ut te dispensationis illius sub larva occultent, et sacrificio ac sanctificationibus te obtegant? Cur non eamdem tu quoque sollicitudinem exhibes?

IV. Enimvero si vere pugna esset res ista et contentio, his accusationibus locus esset : jamvero certum est non esse pugnam, sed videri quidem, magnam vero Pauli et Petri sapientiam, et inter ipsos mutuam benevolentiam præ se ferre. Interim tamen hanc, quæ talis videtur esse,

[1] Galat. II, 2. — [2] Act. XXI, 20-24.

accusationem audiamus. « Cum autem venisset Petrus An- » tiochiam, in faciem ei restiti. » Quam ob causam? « Quia » reprehensibilis erat. » Quodnam autem genus est re- prehensionis? « Prius enim quam venirent quidam a Ja- » cobo, cum Gentibus edebat : cum autem venissent, » subtrahebat, et segregabat se, timens eos qui ex cir- » cumcisione erant. » Quid ais timidus Petrus, et parum strenuus? annon idcirco Petrus est appellatus, quod im- mobilem haberet fidem? Quid agis, mi homo? reverere nomen, quod Discipulo imposuit Dominus. Timidus Pe- trus et parum strenuus? et quis hoc ab ullo sinat affir- mari? Non hæc de illo testari potest Jerosolyma, primum- que illud theatrum et Ecclesia, in quam primus prosiliit, et beatam illam vocem primus emisit ac dixit : « Hunc Je- » sum Deus suscitavit solutis doloribus inferni. » Et rursus : « Non enim David ascendit in cœlum. Dicit autem ipse, » inquit: Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, » donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [1]. » An ergo timidus est iste ac parum strenuus, qui tanto metu, tantisque periculis impendentibus, tanta cum fi- ducia ad illos sanguine pastos canes, ardentes ira, cædem adhuc spirantes est ingressus, ac dixit eum, qui ab ipsis fuerat crucifixus, et resurrexisse a mortuis, et in cœlo versari, ad Patris dexteram sedere, ac malis innumeris inimicos suos obruere? Non tu illum potius, quæso, mi- raris, et in cœlum effers, quod os diducere, quod labra aperire, quod stare, quod comparere solus cum illis po- tuerit, qui eum crucifixerant? Quis enim sermo, quæ mens fiduciam quam illo die præ se tulit, ac loquendi libertatem exprimere poterit? Nulla omnino. Si enim ante passionem conspiraverant Judæi, ut si quis eum confite- retur esse Christum, extra synagogam fieret [2] : post pas-

[1] Act. II, 24 et 34. — [2] Joan. IX, 22.

sionem et sepulturam audientes eum, non qui Christum confiteretur solum, sed et totam simul dispensationem summa constantia prædicaret, quo pacto non dilacerarunt, et membratim concisum diviserunt eum omnes, qui primus ipsorum furori ausus fuerat resistere?

V. Hoc enim demum est eximium, non quod fuerit Christum confessus, sed quod ante cæteros omnes, cum illi furerent adhuc cæde tumefacti, confidenter confessus fuerit. Ut igitur in bello atque acie, cohorte communita, illum præcipue laudamus, qui ante cæteros prosiluerit, ejusque frontem perruperit; non enim hujus tantum rei, sed et omnium, quæ cæteri patrarint, præclarorum facinorum causam præbuisse dicetur, qui initii et ingressus auctor fuerit; sic nimirum et de Petro reputare oportet : cum primus ingressus sit, et frontem judaïcæ cohortis perruperit, ac prolixam illam concionem habuerit, pari ratione viam cæteris Apostolis aperuisse dicendus est. Quamvis Joannes, quamvis Jacobus, quamvis Paulus, quamvis alius quivis deinde facinus aliquod egregium ediderit, hic omnibus antecellit, qui viam cæteris sua fiducia stravit, et ingressum aperuit, illisque concessit, ut tanquam flumen, quod magno cum undarum impetu ferretur, confidenter intrarent, et eos qui adversarentur secum traherent, eorum vero qui benevole audirent, animas perpetuo rigarent. An igitur ille post crucem talis fuit? nonne ante crucem cunctis fuit ardentior? nonne os fuit Apostolorum? nonne silentibus cunctis ipse loquebatur? « Quem me dicunt homines esse filium hominis [1], » ait Christus? et alii quidem Eliam dicebant, alii vero Jeremiam, alii vero unum ex Prophetis. « Vos vero, quem » me esse dicitis, » inquit? tum respondens Petrus dixit : « Tu es Christus filius Dei vivi. Vos, » dixit, et pro omni-

[1] Matth. xvi, 14.

bus ipse locutus est. Nam quemadmodum pro toto corpore os loquitur, sic Apostolorum lingua erat Petrus, et pro omnibus ipse respondit. An igitur hic tantum fuit talis, alibi vero de hoc studio remittit? nequaquam : sed per omnia, et in omnibus eumdem ardorem ostendit. Cum enim Christus dixisset, « Tradent Filium hominis, et flagel- » labunt, et crucifigent, » ait ipse, « Propitius tibi esto, Do- » mine : non erit tibi hoc[1]. » Non enim hoc nobis expen- dendum est, inconsideratam hanc fuisse responsionem, sed ab eximio et ferventi amore profectam. Rursus ascen- dit in montem, et transfiguratus est : apparuit interim illic Elias et Moyses colloquens. Rursus illic quoque Pe- trus : « Si vis faciamus hic tria tabernacula[2]. »

VI. Vide quomodo magistrum amabat, ac diligentiam et prudentiam observa. Nam quia tum temporis cum temere respondisset, os illi occlusum est, hic magistri po- testati rem permittit, dicens, « Si vis. » Fieri posset, in- quit, et nunc quoque inconsiderate loquerer amore im- pulsus. Ne igitur eadem reprehensione feriatur; « Si vis, » inquit. Convivium illud rursus erat sanctum ac tremen- dum : tumque dicente Jesu, « Unus vestrum me traditu- » rus est[3] : » rursus Petrus ob illam quidem quæ præcesse- rat, increpationem, interrogare magistrum non ausus est : sed ob amorem, quo flagrabat, tacere non poterat : sed et discere nitebatur, et temerarius et inconsideratus non videri. Quo pacto igitur et cupiditatem explevit, et caute suæ securitati providit? Ne forte quod discere vellet, im- moderatum amorem ostenderet : quod autem hoc ipse per se non faceret, sed alterum objiceret, pietatem et mo- destiam omnem præ se ferret. Undique enim mihi angus- tiæ, inquit : de proditione Domini agitur, ingens est pe- riculum, præcipitium utrinque. Si tacuero, exedit

[1] Matth. XVI, 21. — [2] Id. XVII, 4. — [3] Id. XXVI, 21.

animam sollicitudo : si dixero, vereor ne forte rursus increpationem excipiam. Mediam itaque viam tenuit, et qui ubique prosiliebat ante cæteros, tum fiducia Joannis indigebat, ut id, de quo agebatur, cognosceret. Nihil enim aliud spirabat, et in animo perpetuo habebat, quam magistrum tantum. Propterea carceres et innumera deinde mortis genera subibat audacter, totamque vitam præsentem spernebat. Propter illum et cum verberibus cæsus esset, et tergum haberet vibicibus exaratum, sic eos a quibus cæsus verberibus fuerat, alloquebatur : « Non pos-» sumus nos, quæ vidimus et audivimus, non loqui[1]. » Vides indomitum animum? vides fiduciam invictam? vides animam cœlesti desiderio et amore redundantem? quomodo ergo dicere audes illum, quod metueret eos, qui ex circumcisione erant, se subtraxisse, ac segregasse? Multa quoque alia de Petro dici poterant, quæ ipsius ardorem, fortitudinem, amorem, quem habebat in Christum, ostenderent : sed ne longius sermonem et importune producamus, sufficient ea quæ dicta sunt. Neque enim de laudibus ejus orationem habere nobis propositum est, sed quæstionem solvere, quæ se videbatur offerre, atque ad finem perducere.

VII. Tu vero aliunde quoque perpende, quam parum probabilis sit accusatio. Nam tum quidem sub ipsum principium, quando dicebat, « Hunc Jesum, quem vos cruci-» fixistis, suscitavit Deus, solutis doloribus mortis[2], » cum inter inimicos erat, adhuc cædem anhelantes, adhuc ira ferventes, adhuc Discipulos volentes discerpere. Vigebat enim adhuc illorum perturbatio, et mens ira tumebat : nunc autem cum Paulus ista scriberet, decimus septimus agebatur annus, ex quo cœperat Evangelium prædicari. Cum enim dixisset, « Post annos tres ascendi

[1] Act. IV, 20. — [2] Id. II, 24.

» Jerosolymam, » ait rursus, « Post annos quatuordecim » ascendi Jerosolymam [1]. » Qui ergo in prædicationis exordiis non timuit, nunc post tantum elapsum tempus timet? qui non metuerat Jerosolymis, Antiochiæ metuebat? Qui cum ab hostibus circumsessus esset, tum non est territus; nunc cum nec ulli hostes adsunt, sed fideles ac discipuli, metu angitur et reformidat, nec recte ambulat? quis hoc rationi consentaneum arbitretur, dum succenditur rogus, et in altum exurgit, audacter in eum pergere, extinctum autem et redactum in cinerem reformidare et contremiscere? Si timidus fuisset et minime strenuus Petrus, initio prædicationis, in metropoli Judæorum, ubi hostes erant omnes, tunc reformidasset, non post tantum tempus in urbe christianissima, neque præsentibus amicis et familiaribus. Itaque nec tempus, nec locus, neque conditio personarum nos ita verbis illis finem sivit habere, ut dictum est, et Petrum timoris accusare. Laudastis quæ dicta sunt? atqui Paulum initio mirabamini, ejusque fiduciam obstupescebatis: at ecce accusationem invertit oratio. Sed ut initio dicebam nihil mihi prodesse, si Paulo recte faciente, Petrum constet non recte fecisse; manet enim crimen, et pudor in nos redundat, sive hic sive ille peccaverit: ita nunc etiam idem rursus dico, nihil mihi prodesse, si accusationem a se amoliente Petro, Paulum appareat audacter et inconsiderate coapostolum accusasse. Age igitur, hunc etiam crimine liberemus. Quid ergo? talis quidem erat Petrus, Paulus vero talis non erat? Et quid Paulo ardentius, qui propter Christum quotidie moriebatur? verumtamen non agitur nunc apud nos de fortitudine: quid enim hoc facit ad propositum? sed num odio quopiam prosequeretur Apostolum, vel num vanæ gloriæ causa vel contentionis esset illa pugna exorta. Sed ne hoc

[1] Galat. I, 13, et II, 1.

quidem dici potest: absit : neque Petri sanctorum illorum principis solum, sed et omnium in universum Apostolorum servus erat Paulus, idque cum omnes exantlandis laboribus superaret, attamen omnium sese ultimum reputabat. « Ego enim, inquit, snm minimus Apostolorum, » qui non sum dignus vocari Apostolus [1] : » non solum autem Apostolorum, sed et sanctorum plane omnium. « Mihi enim, inquit, omnium sanctorum minimo data est » gratia [2]. »

VIII. Vides animam humilem ? vides ut se omnium sanctorum infimum statuat, non Apostolorum tantum ? Porro qui sic erga omnes affectus erat, sciebat et quanta honoris prærogativa Petro deberetur, eumque præ cæteris omnibus colebat hominibus, et ut dignus erat, ita erga illum affectus erat. Atque hoc inde constat. In illum totius orbis terrarum oculi erant conversi, Ecclesiarum universæ terræ cura ab illius anima pendebat, de rebus innumeris quotidie sollicitus erat, undique illum circumsidebant procurationes, præfecturæ, correctiones, consilia, cohortationes, doctrinæ, mille negotiorum expeditiones ? et omnibus illis omissis Jerosolymam se contulit, nec illius suscepti itineris alia fuit occasio ulla, nisi ut Petrum videret, sicut ait ipse : « Ascendi Jerosolymam vi- » dere Petrum [3], » sic ipsum honorabat, et omnibus præferebat. Quid ergo ? cum ipsum vidisset, confestim recessit ? Nequaquam : sed apud ipsum diebus quindecim mansit. Si quem igitur Magistrum militum videas, dic, sodes, generosum et eximium, indicto jam bello, militum acie jam disposita, jam pugna commissa, cum innumera illum vocarent negotia, relicta acie ad visitandum quempiam amicum se alio conferre, num quam aliam majorem, quæso, demonstrationem quæreres ipsius erga hominem

[1] 1 Cor. xv, 9. — [2] Ephes. iii, 8. — [3] Galat. i, 18.

illum benevolentiæ? Non equidem arbitror. Hoc igitur et de Paulo Petroque existima: siquidem hic quoque bellum grave conflatum erat, et acies et pugna erat non adversus homines tantum, sed et adversus principes, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum sæculi hujus [1], et de salute hominum pugna. Sic tamen Petrum reverebatur, ut cum tanta immineret, urgeretque necessitas, ad illum excurreret Jerosolymam, et cum apud eum quindecim dies mansisset, tum demum rediret. Cognovistis fortitudinem Petri, didicistis comitatem Pauli erga omnes Apostolos, erga ipsum Petrum: jam necesse est ad ipsam quæstionis solutionem veniamus. Si enim et hic Petrum amabat, et ille timidus aut parum strenuus non erat, et contentio ac contradictio illa ex animo suscepta non erat, quid sibi vult ista narratio? aut qua de causa hæc dispensatio fiebat?

IX. Hoc loco advertite, animosque vestros erigite, ac diligenter attendite, ut manifestam defensionem intelligatis. Quippe absurdum esset me, qui terram effodio, tantum laborem exantlare; vos autem, qui nullo negotio visuri estis aurum, præ nimia socordia tantum lucrum prætermittere. Necesse est autem, ut orationis initium altius repetamus, ut clariorem vobis doctrinam reddamus. Postquam enim in cœlos Jesus reversus est, expleta quam nostra causa susceperat dispensatione, verbum doctrinæ suis reliquit Apostolis, ut ait Paulus. « Et posuit in nobis » verbum reconciliationis. » Et rursus: « Pro Christo le» gatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos [2], » hoc est vice Christi. Tunc igitur cum per universum orbem terrarum isti prædicabant, nulla erat hæresis; sed natura omnis humana duo habebat hæc dogmata, unum rectum et sanum, alterum corruptum et pravum. Aut

[1] Ephes. VI, 12. — [2] 1 Cor. V, 19, 20.

enim Gentiles omnes erant orbis incolæ, aut Judæi : neque Manichæus, neque Marcion, neque Valentinus, nec alius ullus omnino erat : quid enim attinet omnes hæreses enumerare ? siquidem post triticum tunc proseminata sunt zizania, varia nimirum hæresum corruptela. Ac Judæos quidem Petro commisit, Gentilibus autem Paulum præfecit Christus. Et hoc a me ipso non dico, sed ipsius Pauli verba licet audire : « Qui enim operatus est Petro in apos» tolatum circumcisionis, operatus est et mihi, inquit, » inter Gentes [1] : » circumcisionem hoc loco ipsam nationem appellans. Unde vero id constat ? ex eo quod additur. Cum enim dixerit, Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est mihi, inquit, inter Gentes, hoc nimirum indicavit, ad distinctionem Gentium circumcisionem positam esse. Ad distinctionem vero Gentium non circumcisio, sed Judæi sunt, quos per circumcisionem subindicavit : quasi diceret, « Qui operatus est » Petro in apostolatum Judæorum, operatus est et mihi in» ter Gentes. » Ut enim rex sapiens, qui idoneos quosque probe noverit, alteri quidem in equites, alteri vero in pedites committit imperium : sic nimirum et Christus cum in has duas partes suum exercitum divisisset, Judæos quidem Petro, Gentiles autem Paulo commisit. Ac licet diversi sint exercitus, Rex tamen est unus. Ut enim illic discrimen exercituum in armorum apparatu, non in hominum natura consistit : sic nimirum et hic differentia in exigua quadam carnis figura, non in substantiæ diversitate cernitur.

X. Ac nisi forte prolixior videtur oratio, si defessi non estis, alteram etiam vobis causam proferam, ob quam isti Judæi, illi vero Gentiles sunt crediti. Siquidem quæstione non indigna res est, quam tandem ob causam, qui

[1] Galat. II, 8.

tam exacte patriam legem didicerat, qui ad pedes Gamalielis diu vixerat, qui secundum justitiam, quæ in lege est [1], sine querela conversatus erat, non illi Judæorum cura demandatur, sed Gentilium, piscatori autem et illitterato Petro, qui nihil tale noverat, Judæorum est credita præfectura. Confert enim quidpiam nobis ad solutionem quod dicitur, si recte illud possimus effari. Neque enim hoc causari licet, eum cum cunctantem ac detrectantem vidisset Paulum cognatorum suorum præfecturam defugere, noluisse illi vim facere, et eum cogere. Imovero contrarium præ se tulerat. Non enim tantum Judæorum præfecturam non defugit, sed et se primus obtulit, et cum Christus præciperet ut ad gentes abiret, ipse petit ut sibi Judæorum cura committatur: et innumera cum ab eis illata mala pertulisset, eique Gentes docendi provincia esset credita, pro illis deprecari non cessat, dicens, nunc quidem, « Optabam esse anathema pro fratribus meis, » cognatis meis secundum carnem: » nunc autem, « Fra- » tres, voluntas mea, et obsecratio ad Deum pro illis est » in salutem [2]. » Cur igitur cum vellet ipse, ac percuperet illos docere, non permisit ut ipsis prædicaret, sed loco illorum doctorem ipsum Gentibus misit? Audiamus Christum ipsum dicentem, et Paulum rem omnem narrantem: « Factum est mihi, inquit, oranti fieri me in stupore » mentis, et videre Christum dicentem mihi: Festina, et » exi velociter, quoniam non recipient testimonium tuum » de me [3]. » Et causam dixit profectionis, Odio habebunt te, inquit, et aversabuntur: propterea te docentem non ferent. Atqui hoc ipsum idoneum erat ad fidem illi apud eos docenti conciliandam, et ad persuadendum illis illam mutationem humanam non fuisse. Neque enim adeo furentem et ira succensum, ac cædem spirantem, neque

[1] Galat. III, 21. — [2] Rom. IX, 3, et Id. X, 1. — [3] Act. XXII, 17.

miracula facienti Christo credentem, neque Apostolis ejus mortuos suscitantibus, potuisset homo unquam in medio ipso furore mutare, atque illum ita flectere, ut vehementem illum affectum, quem adversus prædicationem verbi præ se ferebat, totum atque adeo majorem pro confessione Christi præ se ferret : sed vere divinæ virtutis opus extitit illa conversio ac mutatio.

XI. Atque hoc ipsum etiam Paulus, cum cuperet illorum præfecturam sibi deferri, Christum alloquens objiciebat : « Domine, ipsi sciunt, quia ego eram concludens » in carcerem, et cædens eos qui credebant in nomen » tuum [1] : » Et cum funderetur sanguis Stephani martyris tui, ego consentiebam cædi ejus. Et ingens illa insania tam subito factam mutationem non esse ostendit humanam, sed divinam, et a cœlis originem ducere. Quid ergo Christus ? « Vade, quoniam ad Gentes longe te mittam. » Nonne igitur, inquit, hæc sufficiunt ad quosvis etiam plane stupidos commovendos, ut humanam esse prædicationem istam non arbitrentur, sed humanæ naturæ vires hæc omnia excedere, Deumque vere mutationis fuisse et conversionis auctorem ? Sufficiunt illa quidem, o beate Paule, si ipsam rerum naturam examines ; sed Judæi omnium sunt iniquissimi : neque rerum naturam examinant, non quod æquum et rationi consentaneum commodumve considerant, sed id unum spectant, ut contentionis desiderium suum expleant. Ac tu quidem ad rerum ordinem respicis, Deus autem mentis eorum novit arcana. Idcirco dicit : « Vade, quoniam ad Gentes longe te mit- » tam, » ut etiam odium distantia mitigetur. Propterea cum ad alios quidem omnes scribit, nomen suum epistolarum exordio præfigit : ad Hebræos autem mittens litteras, nihil tale fecit, sed simpliciter, non exprimens quis

[1] Act. XXII, 19.

esset, vel ad quos scriberet, ut mos illius erat, ita demum incœpit : « Multifariam multisque modis olim Deus loquens » patribus nostris [1]. » Et vero Pauli sapientiæ hoc fuit. Ne enim in consortium odii litteræ venirent, tanquam larva quadam nominis suppressione se ipsum occultans, ita clam cohortationis ipsis adhibet medicinam. Cum enim odio prosequimur quempiam, quamvis aliquid rectum dicat, non propenso animo neque cum voluptate quæ ab eo dicuntur excipimus : quod ipsum ne tum quoque accideret, suum nomen ex Epistola sustulit, ut nullum Epistolæ objiceretur impedimentum, quominus posset audiri. Neque enim Judæi tantum qui erant increduli, sed et illi qui crediderant, oderant eum, et aversabantur. Cum igitur ascendisset Jerosolymam, audi quid illi Jacobus dicat, et alii omnes. « Vides, frater, quot millia sunt Ju» dæorum, qui convenerunt, et hi omnes æmulatores sunt » Legis, et audierunt de te, quia discessionem doceas a » Lege [2]. » Idcirco illum oderant et aversabantur.

XII. Hæc igitur causa est propter quam non Judæi fidei ejus crediti sunt, sed Gentiles. Cum vero crediti fuissent ipsi, non jam pari ratione neque eadem via deducebat illos ad fidem, sed alia. Cum autem aliam audis, ne discrimen in prædicatione esse arbitreris. Eadem quippe uterque Judæis et Gentilibus prædicabat : exempli causa, Deum esse Christum, crucifixum fuisse ac sepultum, et resurrexisse, atque in dextera Patris sedere, tum judicaturum vivos et mortuos, et quæcumque talia pariter Paulus et Petrus prædicabant. In quo igitur discrimen fuit? In observatione ciborum, in circumcisione, in aliis judaïcis ritibus. Nam Petrus quidem discipulis suis palam et aperte dicere non audebat ab his penitus abstinendum esse. Metuebat enim ne forte, si consuetudinem istam ante tempus vellet evellere, simul etiam cum illis Christi

[1] Hebr. I, 1. — [2] Act. XXI, 21.

fidem evelleret, cum nondum mens Judæorum ob diuturnam anticipatam opinionem circa legem hæc verba posset audire. Propterea sinebat eos beatus Petrus judaïzare. Et quemadmodum optimus agricola cum juxta veterem arborem teneram plantam conseverit, non audet veterem evellere arborem, metuens ne radicibus illis avulsis nova planta simul avellatur : sed expectat prius illam recte defigi, et in terræ visceribus radices agere : tum deinde veterem confidenter evellit, neque jam de planta novella quidquam timet : sic nimirum et beatus Petrus agebat : recens plantatam fidem recte defigi in auditorum mentibus sinebat, ut cum altas radices egisset, confidenter deinde judaïcam omnem anticipatam opinionem extirparet. Sed non ita Paulus, qui omni ejusmodi necessitate liberatus erat, dum Gentilibus prædicaret, qui Legis necdum participes facti erant, neque judaïcas observationes audiverant. Non enim illos hæc egisse, quod sibi invicem essent contrarii, sed quod discipulorum imbecillitati se attemperarent, ex eo colligere licet, quod Paulum ista non aliter ac Petrum permittere videamus, neque permittere tantum, sed etiam ipsum cooperari, ac Petrum rursus eamdem libertatem sancire, quam Paulus omnibus gentibus prædicabat. Sed ubi tandem, inquit, istum utrumque licet videre ? In ipsis Jerosolymis. Hic enim et caput rasit, et sacrificavit, et sanctificationem perfecit Gentium doctor. Hoc nimirum tempus exigebat, et quod multi adessent Judæi: « Vides enim, inquit, frater, quot » millia sunt Judæorum qui convenerunt, et audierunt de » te, quia discessionem doces a Lege ? »

XIII. Ille itaque cum condescendere cogeretur, judaïzabat : sed non jam ex animi sui sententia, sed secundum dispensationem id agebat. Petrus rursus Judæorum doctor, et qui circumcisionem ubique ac judaïcas observationes permittebat, propter discipulorum infirmitatem, quo-

niam tempus videbat se ab hac necessitate liberasse, neque tutum erat tandiu illi condescensioni indulgere, sed dogmatum tempus erat et legum : audi quid dixerit. Nam quoniam ascenderant ex Antiochia Paulus et Barnabas, ut quid certum esset ediscerent : cum multa esset orta quæstio, surgens Petrus dixit : « Viri fratres, vos scitis, » quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os » meum audire gentes verbum Evangelii, et credere[1].» Deinde cum alia interjecta dixisset, adjunxit : « Quid ergo » tentatis Deum imponere jugum super cervices gentium, » quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? » sed per fidem Jesu Christi credimus salvari, quemadmo- » dum et illi[2]. » Vides tum quidem cum tempus esset indulgentiæ, et Paulum judaïzasse, cum vero tempus condescensionis non esset, verum dogmata spargenda essent, et sancienda mandata, Petrum ab illa condescensione liberatum sincera puraque dogmata tradidisse? Atque hæc cum dicerentur, Paulus intererat, et audiebat, et acceptam Epistolam quovis gentium deferebat, neque dici potest eum Apostoli mentem ignorasse. Cur igitur nunc eum reprehendit, dicens eum timuisse illos qui ex circumcisione erant?

XIV. Ut autem eorum quæ dicuntur historiam cognoscatis, paulo altius illam exorsus narrabo. Sed attendite, quæso : jam enim ad penitissimas partes pervenimus quæstionis. Jacobus frater Domini tum initio Ecclesiæ Jerosolymitanæ erat episcopus, et Judæis præerat omnibus qui crediderant. Accidit autem, ut essent Antiochiæ quoque Judæi, qui cum Christo credidissent, eo quod procul abessent ab Jerosolyma, viderentque multos qui crediderant ex Gentibus, confidenter et absque judaïcis observationibus vivere, sensim ac paulatim inducerentur, ut a judaïca consuetudine abstinerent, et puram minimeque

[1] Act. xv, 7. — [2] Ibid. 10, 11.

adulteratam fidei doctrinam retinerent. Cum ergo descendisset Petrus, et nullam esse condescensionis necessitatem videret, gentiliter deinceps vivebat. Hoc autem appellat gentiliter vivere Paulus, absque judaïca vivere observatione, nihil ex illis legis ritibus custodire, exempli causa, circumsionem, sabbatum, vel quidpiam ejusmodi. Cum igitur Petrus ita viveret, descenderunt quidam a Jacobo Judæi, hoc est, ex Jerosolyma, qui quod in metropoli semper versati essent, neque quemquam vidissent ita viventem, adhuc anticipatam illam judaïcam opinionem retinebant, multasque ex observationibus illis secum trahebant. Hos cum vidisset Petrus, qui a Jacobo et Jerosolyma descenderant, qui adhuc infirmi erant, timeretque ne scandalum passi a fide resilirent, mutatus est rursus, et omissa gentili vitæ ratione, ad priorem rediit indulgentiam, et ciborum observationes custodivit. Illum ergo Judæi cum vidissent, qui Antiochiæ versabantur, id agentem, neque mentem ejus perspectam haberent, qua id agebat, abducti sunt et ipsi, ac propter magistrum judaïzare cogebantur. Atque hoc est, quod reprehendit Paulus. Ut autem clarius fiat quod dicimus, ipsa vobis apostolica verba recitabo : « Cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei » restiti, qui a reprehensibilis erat. Prius enim quam veni» rent quidam a Jacobo, » hoc est, Jerosolymis, « Cum Gen» tibus edebat, » hoc est cum iis qui erant Antiochiæ; « Cum » autem venissent quidam Jerosolymis, periti Legis, sub» trahebat, et segregabat se Petrus timens eos qui ex cir» cumcisione erant. » Quosnam? eos qui a Jacobo descenderant. « Et abducebantur cum eo cæteri Judæi. » Quinam Judæi? qui, priusquam Jerosolymitani descendissent, Antiochiæ degebant; nec ullam observationem judaïcam custodiebant. « Ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simula» tionem. » Atque hæc quidem est quæ apparet reprehensio.

XV. Porro si lubet, excogitatas etiam ab aliis defensiones ubi primo loco posuero, tum meam quoque sententiam conabor expromere, vobisque faciam optionem, ut ex iis, quæ dicta fuerint, quod potissimum placeat, eligatis. Quo igitur pacto nonnulli hanc quæstionem solverunt? Non erat hic Petrus, inquiunt, ille primus Apostolorum, cui fuerunt oves a Christo creditæ, sed alius quispiam vilis et abjectus, et unus e vulgo. Unde id constat? Cum cæteros Judæos abductos fuisse cum illo dixisset, adjecit, inquiunt, « Ita ut Barnabas duceretur cum eis in illam » simulationem. » Quod autem dixit, ita ut Barnabas, indicat multo fuisse mirabilius illud, quam Petrum abductum esse. Sic enim locutus est, ut majorem illum censere videatur, non modo Petrus, inquiens, sed et Barnabas, atqui Barnabas Petro illo major non erat. Verumtamen non ita se res habet, plane ita se non habet. Neque enim eo quod Barnabas major esset, ideo miratur magis : sed quam ob causam? quod nimirum ille quidem in circumcisionem missus esset, at Barnabas cum Paulo Gentibus prædicare, et ubique cum Paulo copularetur. Quemadmodum igitur alibi dicit, « Aut ego solus et » Barnabas non habemus potestatem non operandi[1]; » et rursus, « Ascendi Jerosolymam cum Barnaba[2] : » et ubique vides illum cum Paulo docere. Non ergo quod Petro major esset, idcirco eum quoque abductum esse miratur : sed quod is qui secum semper prædicabat, cuique nihil erat commune cum Judæis, verum inter Gentes docebat, ipse quoque esset abductus : cæterum Petrum illum esse de quo hæc omnia dicit, cum ex iis quæ præcesserunt, tum ex iis quæ sequuntur, manifestum est. Quod enim se in faciem restitisse illi dicit, ac pro magno illud habet, nihil aliud indicat, nisi se dignitatem minime reveritum

[1] 1 Cor. IX, 6. — [2] Galat. II, 1.

esse personæ: porro de altero quopiam si dixisset, se in faciem illi restitisse, nequaquam hoc pro magno habuisset. Præterea si quispiam alius Petrus fuisset, non tantum valuisset ejus mutatio, ut cæteros etiam Judæos attraheret. Neque enim adhortatus est, neque consuluit, sed tantum subtrahebat, et segregabat se: atque illa subtractio et segregatio cæteros omnes discipulos attrahere potuit propter personæ dignitatem.

XVI. Itaque Petrum fuisse satis ex his constat: cæterum aliam solutionem, si velitis, dicemus. Quænam igitur est altera? Recte Petrum reprehendebat Paulus, quod ultra modum indulgentia uteretur. Nam qua ratione ipse, cum esset Jerosolymis, condescendebat Judæis, eadem quoque illum oportuit, cum Antiochiam venisset, non ad Judæos respicere, sed ad eos qui crediderant ex Gentibus. Ut enim cum omnes erant Judæi, etiam Paulus judaïzare coactus est: ita cum plures erant ex Gentibus, nec ullam civitas necessitatem indulgentiæ afferebat, non oportebat propter paucos Judæos scandalo esse tot Gentilibus. At enim hoc non jam solutio est, sed amplificatio quæstionis. Quod enim in exordio dixi orationis, non id nobis propositum est, ut ostendamus recte reprehendisse Paulum; sic enim adhuc restabit quæstio? Petrus enim obnoxius criminationi videbitur; sed id potissimum quærimus, quo pacto et hunc, et illum reprehensione liberemus. Quonam igitur pacto id fiet? si qua mente unus increparit, et alter fuerit increpatus, discamus, et sententiam illam explicemus. Quæ tandem igitur est illa sententia? Vehementer optabat Petrus, eos qui descenderant Jerosolyma a Jacobo profecti, judaïca observatione liberare. Quod si hanc ipse sententiam introduxisset, et in medium progressus dixisset: Judaïcis ritibus uti desinite, quasi contraria sibi ipsi, et iis omnibus, quæ ab ipso fuerant ante patrata,

prædicaret, discipulis suis scandalum attulisset. Rursus si hanc ad illos Paulus orationem direxisset, nequaquam acquievissent, neque audire potuissent. Nam qui alioquin oderant illum, et aversabantur ob similem sparsum rumorem, multo magis, si etiam ista consulentem audissent, plane abhorruissent. Quid ergo factum est? Judæos quidem, qui erant a Jacobo, nullus illorum increpabat, sed increpationem excipit Petrus a Paulo reprehensus, ut cum a coapostolo correctus fuerit, justa cum fiducia deinde possit discipulos objurgare. Hoc etiam in contractibus fit sæcularibus. Nam si quando nonnulli civilium tributorum reliqua debeant, ac deinde illi qui exacturi sunt illa, non audeant, sed erubescant vehementius illos urgere, ut majorem captent occasionem ac facultatem illis vehementius instandi, a commilitonibus spoliari se curant, et conviciis affici, atque aliis innumeris vexari malis in conspectu illorum, ut dum ista fiunt, nequaquam ex se, aut sua sponte, sed imposita a cæteris necessitate videantur illos urgere: et illata a cæteris contumelia apud alios ipsis obnoxios excusationis ansam suppeditat.

XVII. Hoc et in Paulo ac Petro accidit. Debebant enim reliqua nonnulla Judæi. Quænam illa porro? nimirum ut a judaïsmo penitus abstinerent. Hæc reliqua Petrus vehementer repetere cupiebat, et puram ab illis fidem exigere. Cum igitur majorem facultatem et occasionem exactionis ejusmodi nancisci vellet, a Paulo se vehementer increpari et objurgari curavit, ut hæc simulata increpatio justam ipsi adversus illos ansam et occasionem præberet. Idcirco etiam in ipso initio, « In faciem, inquit, ipsi resistiti, » et hic rursus, « Dixi Petro coram omnibus. » Nam si quidem Petrum corrigere voluisset, privatim id egisset, sed quoniam non id erat, quod studiose expetebat; noverat enim qua mente cuncta illa faceret; sed eos, qui diu

claudicaverant, stabilire cupiebat, idcirco in conspectu omnium adhibet increpationem. At Petrus sustinet, et tacet, neque contradicit. Sciebat quippe quo animo Paulus increparet, et totum Petrus tacendo perficiebat. Ejus quippe silentium Judæos docebat non amplius legis ritibus adhærendum esse. Neque enim magister ipse tacuisset, inquiebant, nisi sibi conscius esset, merito se a Paulo fuisse reprehensum. Sed, si placet, ipsam reprehensionem audiamus. « Dixi Petro coram omnibus, inquit, Si tu, » cum Judæus sis, gentiliter vivis. » Animadverte prudentiam. Non dixit illi : Male agis, dum judaïce vivis : sed priorem ejus arguit conversationem, ut non jam ex sententia Pauli admonitio et consilium, sed ex Petri judicio jam expresso videatur inferri. Nam si quidem dixisset, Male agis, dum legem observas, reprehendissent Petri discipuli : jamvero cum audiunt, non esse ex mente Pauli admonitionem illam, vel correctionem, sed ipsum Petrum ita vivere solitum, et hæc dogmata in animo habuisse, vellent nollent, quiescere debuerunt. Propterea neque Petrus illam sententiam introducit, verum ab altero se coargui, hoc est a Paulo permittit, et silet, ut doctrina facilius possit admitti.

XVIII. Neque vero tantum inde Pauli prudentiam spectare licet, sed ex iis etiam, quæ deinde sunt dicta. Non enim dixit, Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivebas, et non judaïce, sed vivis : itaque nunc etiam eamdem sententiam sequeris : quodque multam sapit prudentiam, mox adjicitur. Cum enim dixisset : Gentiliter vivis, cum Judæus sis, non adjunxit, Cur Judæos cogis judaïzare? sed quid? « Cur gentes, inquit, cogis judaïzare? » ut dum sibi discipulos suos videtur vindicare, Judæis suadeat, ut ab antiqua consuetudine recedant. Nam simulatam esse reprehensionem, ex iis ipsis quæ dicta sunt, liquet. Cum enim

paulo ante dixisset, « Abducebantur cum eo cæteri Judæi, » hoc loco ait, « Cur Gentes cogis judaïzare? » Atqui dicendum erat, Cur Judæos cogis judaïzare? Qui enim simul abducti fuerant, non ex Gentibus erant, sed Judæi. Verumtamen si hoc dixisset, paulo asperior visa esset oratio, nec ullo modo ei conveniens, quippe qui Gentium doctor esset : jamvero per speciem defensionis et curæ suorum discipulorum, immunem ac liberam objurgationem suam reddit. Atque ut intelligatis orationem illam non jam reprehensionem Petri fuisse, sed admonitionem, ac doctrinam Judæis per speciem reprehensionis Petri adhibitam, audi quæ sequuntur : « Nos natura Judæi, et non ex Gentibus peccatores. » Hæc enim jam sunt verba docentis, neque ad Petrum cuncta referuntur, sed orationem reddit communem. Si enim tanquam docens ab initio hæc introduxisset, non tulissent Judæi. Jamvero cum initio a reprehensione ducto, et quod videatur merito Petrum reprehendere, ut qui conversos ex Gentibus ad Legis rituum observationem allicere videretur, transit deinde confidenter ad admonitionem et consilium, quasi ab ipsa serie tractuque sermonis eo delatus fuisset. Ne enim quispiam forte cum audiisset, « Gentes cogis judaïzare, » solis illis putaret judaïzare non esse permissum, sed Judæis licere, orationem redigit ad ipsos doctores. « Quid ego de Gentibus, inquit, aut reliquis Judæis loquor? imo etiam doctores nos et Apostoli. » Neque hoc solum causæ firmamentum affert, sed etiam quod nos ex posteris Judæi penitus a Lege discesserimus. Quæ nobis igitur dari venia poterit, si cæteros ad hoc pertrahamus? vides ut Judæos occulte carpat, et doctrinam perfectam constituat? Cum enim dixisset, « Nos natura Judæi, et non ex Gentibus peccatores : » et causam affert rationi consentaneam ob quam a judaïsmo desciverant : « Scientes, quod non justificatur

» homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi : » nos quoque in Christum Jesum credidimus, ut justifice- » mur ex fide Christi, et non ex operibus Legis, eo quod » non justificetur homo ex operibus Legis, nisi per fidem » Jesu Christi [1]. »

XIX. Vides ut frequenter infirmitatis Legis faciat mentionem, et justitiæ quæ est ex fide. Et crebro inculcat ea nomina, quod non est reprehendentis, sed docentis et consulentis. Verum, ut dicebam, si quidem, ut in Judæos inveheretur, hæc diceret, actum esset, ac res esset plane deplorata, quod illi hujus doctrinam minime ferrent : quoniam autem ad Petrum orationem convertit, illi clam utilitatem percipiebant, dum reprehenderetur ac taceret Petrus, ejusque sententia omnis detegeretur non ab ipso, sed a coapostolo, et prior ejus conversatio in medium proferretur. Deinde vero ne apud se dicerent; Itaque licet Petrus et Paulus perperam egerint : justas et indubitatas affert causas, ob quas judaïcis ritibus adhærendum non est. Eæ vero sunt, quod justificare Lex minime possit, sed fides tantum. Atque hic quidem leni ac moderata utitur oratione : progressus autem paululum vehementiorem adhibet et acriorem. « Quod si quærentes justificari in Christo » inventi sumus et ipsi peccatores, num Christus peccati » minister est [2] ? » Quod autem dicit talem sententiam habet : Fides justificat, et a ritibus judaïcis jubet discedere, ut qui jam cessarint : quod si adhuc Lex imperat atque dominatur, et qui eam deseruerit, prævaricationis est reus, Christus, qui nobis, ut illam desereremus, imperavit, nobis prævaricationis auctor fuisse reperietur, neque solum nos peccato non liberasse, sed et in peccatum impulisse. Si enim ob fidem Legem deseruimus, porro a Lege discessisse peccatum est, fides ob quam Legem deseruimus, ipsa nobis

[1] Galat. II, 16. — [2] Ibid. 17.

facta est causa peccati. Quando autem ad absurdum jam sermonem redegit, neque ulla demonstratione indiguit ad refutandum, sed contentus fuit dicere, Absit, quod absurditas in confesso esset : « Si enim, inquit, quæ destruxi, » iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo : » in contrarium convertit orationem, et ostendit, non transgredi Legem, sed Legem non deserere, hoc prævaricatorem reddere; et per speciem propriæ personæ rursus Petrum designat. In quo enim Petrus ciborum observationem violavit, qui gentiliter statuerat vivere? Cum igitur ad Judæos iterum redierit, et cum illis vivat, reperietur ædificare quæ destruxerat.

XX. Vides quo pacto ubique in condemnatione Petri hæreat, et priorem ipsius conversationem manifestet : ut non a lingua Pauli, sed a mente Petri, quam rebus ipsis ostenderat, Judæi admonitionem accipere videantur? Propterea dicit : « Timens eos qui ex circumcisione erant, » et quia reprehensus erat; et quod non recte ambularet » ad veritatem Evangelii[2]. » Non quod ita se haberet : absit, hoc enim pluribus demonstravimus : sed quemadmodum tum temporis reprehendebat Paulus, et hæc audiens Petrus tacebat, ne Pauli dispensationem everteret, et contentus erat quasi non recte ageret, objurgationem admittere, ut illud sibi apud discipulos excusationi esset : ita nimirum nunc iste eodem consilio quo Petrum arguebat, hæc scribit, quæ tum scribebat ad Galatas. Nam si tum objurgari Petrum, et tacere, utile Judæis erat, multo magis nunc etiam ista de ipso prædicari, utile iis erat ex Galatis, qui fuerant depravati. Ut enim qui tum Antiochiæ degebant, cum acriter reprehensum cernerent Petrum, et tacentem, magistri accusatione corrigebantur, ac silentio : sic et nunc Galatæ, qui eodem morbo judaïcæ

[1] Galat. II, 18. — [2] Ibid. 12 et 14.

observationis laborant, et dum Paulum audiunt hæc de ipso dicentem, utpote quia reprehensus erat, et non recte ambulabat ad veritatem Evangelii : cumque propter hæc objurgatus siluisset, maximam inde percipiebant doctrinam, ut non amplius judaïcis ritibus adhærerent. Idcirco etiam Paulus et tunc increpavit, et nunc illius temporis objurgationis mentionem facit : neque minus idcirco Petrum laudari convenit, quod omnibus iis, quæ dicta sunt, assensum præbuerit. Ille enim fuit, qui omnia præstitit, qui accusari se passus est, et conticuit. Hic dispensationis est fructus. Ita nos utrumque Apostolorum crimine liberavimus, utrique vero laudes debentur innumeræ, quod ad aliorum salutem omnia audire studuerint simul, ac dicere. Nos autem deinceps Petri et Pauli Deum rogemus, ut qui mutuis illos concordiæ vinculis inter se devinxit, nos quoque mutuo vehementiori charitate constringat : quo tandem mutuam inter nos secundum Deum concordiam foventes, sanctorum illorum conspectu dignemur, et in æternis eorum possimus tabernaculis inveniri, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem, et cum quo Patri et Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, et adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In apostolicum dictum : Hoc autem scitote, quod in novissimis diebus erunt tempora gravia[1].

I. Infirmus quidem sum et egenus, atque ad docendum imperitus; sed cum vestrum cœtum intueor, infirmitatis obliviscor, paupertatem ignoro, imperitiam non novi : tanta nempe est charitatis vestræ tyrannis. Quapropter alacrius quam ii, qui facultatibus abundant, egestatis meæ mensam vobis appono. Magnanimitatis porro hujus vos auctores mihi estis, dum lapsos erigitis, quia ad audiendum proni estis, atque ab ore nostro pendetis. Sic et pulli hirundinum, cum vident advolantem matrem, e nido sese efferentes et pronum obtendentes collum, ita cibum ab illa accipiunt. Eodem modo et vos cum ingenti alacritate concionantem intuentes, ex lingua mea profectam doctrinam excipitis, et antequam verba ex ore exiliant, ea studio magno omnia abripitis. Quis non et vos et nos super his beatos prædicet, quia nempe loquimur « Ad aures audientium[2]. » Communis labor, communis et corona ; commune lacrum, communis etiam et merces. Ideo Christus beatos prædicavit Discipulos dicens : « Vestri autem beati oculi, quia » vident, et aures vestræ, quia audiunt[3]. » Concedite mihi, ut his etiam verbis vos alloquar, quandoquidem tantam exhibetis alacritatem : « Vestri autem beati oculi, quia vi» dent, et aures vestræ, quia audiunt. » Verum quod aures quidem vestræ audiant palam est : quod oculi vero vestri

[1] 2 Tim. III, 1. — [2] Isaï. XXXII, 3. — [3] Matth. XIII, 16.

videant, sicut Discipuli tunc videbant, id demonstrare conabor, ut beatitudo vestra non dimidia, sed omnino perfecta sit. Quid ergo tunc videbant Discipuli? Mortuos suscitatos, cæcos visum recipientes, leprosos mundatos, pulsos dæmonas, claudos ambulantes, naturæ vitium omne correctum. Hæc et nunc vos videtis, etiamsi non corporis, sed fidei oculis. Hujusmodi namque sunt fidei oculi, quæ non apparent vident, et quæ nondum facta sunt intelligunt. Undenam hoc demonstratur, nempe fidem esse aspectum et argumentum non apparentium? Audi Paulum dicentem : « Est autem fides sperandarum substantia re» rum, argumentum non apparentium [1]. » Et quod mirabile est, hi carnales oculi quæ sub aspectum cadunt, vident, quæ autem sub aspectum non cadunt, non vident : at fidei oculi omnino contra, quæ sub aspectum cadunt non vident ; quæ vero sub aspectum non cadunt, vident. Quod autem quæ videntur non videant, et quæ non videntur videant, Paulus declaravit his verbis : « Nam momen» taneum et leve tribulationis supra modum in sublimitate » æternum gloriæ pondus operatur in nobis ; non conside» rantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur [2]. » Et quomodo quispiam ea quæ non videntur viderit? Quo alio modo, nisi fidei oculis? Sic et alibi ait : « Fide intel» ligimus aptata esse sæcula. » Quomodo? non enim videmus ; « Ut ex invisibilibus visibilia fierent [3]. » Vultis aliud proferam testimonium, quod fidei oculi ea videant quæ non videntur? Galatis aliquando scribens Paulus dicebat : « Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in » vobis crucifixus [4]. »

II. Quid dicis, o beate Paule? In Galatia-ne viderunt eum Galatæ crucifixum? Nonne confitemur omnes in Pa-

[1] Hebr. xi, 1. — [2] 2 Cor. iv, 17, 18. — [3] Hebr. xi, 3. — [4] Galat. iii, 1.

læstina in media Judæa Christum esse passum? Quomodo ergo ipsum Galatæ crucifixum viderunt? Fidei, non carnis, oculis. Vidisti-ne quomodo fidei oculi ea quæ non apparent videant? A tanto enim intervallo, et post tantum tempus Christum viderunt crucifixum. Sic et vos videtis mortuos resurgentes : sic hodie cernitis leprosum mundatum : sic paralyticum vidistis erectum, et magis vidistis, quam Judæi, qui tunc aderant. Illi namque præsentes non admisere miraculum ; vos autem absentes fidem admisistis. Itaque jure dixi vobis, « Beati vestri oculi quia » vident [1]. » Quod si aliunde quoque discere volueris, fidei oculos ea, quæ non videntur, videre, et ea quæ videntur prætercurrere : neque enim alio modo viderint ea quæ non videntur, nisi supra dicta despexerint : audi Paulum de Abrahamo disserentem, quod nempe fidei oculis viderit filium suum Isaac nasciturum, et sic acceperit promissionem. Quid enim ait? « Et non infirmatus est fide, » nec consideravit corpus suum emortuum [2]. » Magna vis fidei. Quemadmodum enim cogitationes hominum timidæ sunt et infirmæ [3]; sic fides fortis potensque est. « Non con- » sideravit corpus suum emortuum. » Vides-ne quomodo visibilia dimiserit? quomodo non respexerit in senectutem? Etiamsi hæc præ oculis erat, sed fidei oculis videbat, non oculis corporis. Ideo non respexit ad senectutem, neque « Ad emortuam vulvam Sarræ ; » hic sterilitatem nobis subindicat. Duplex enim infirmitas erat; alia a senectute, alia ab infirmitate naturæ. Neque enim tantum corpus ob ætatem ad liberorum procreationem ineptum erat; sed vulva quoque ejus et naturæ officina erat emortua, etiam ante senectutem, nempe ob sterilitatem. Vides-ne quanta impedimenta? Senectus viri, senectus uxoris. Sterilitas major obex, quam senectus : nam illud est maximum

[1] Matth. XIII, 16. — [2] Rom. IV, 19. — [3] Sap. IX, 14.

ad liberorum procreationem impedimentum. Verumtamen hæc omnia prætercurrit, atque oculis fidei in cœlum usque surrexit, magnum habens promissorum argumentum, ejus nempe qui promiserat potestatem. « Ideo » in promissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide [1]. » Etenim ceu baculus quidam firmus, tutusque portus fides est, quæ a ratiociniorum errore liberat, animumque in tranquillitate magna constituit. « Vestri » autem beati oculi, quia vident [2]; » nam hoc dictum denuo repetendum est. Atqui etiam Judæi tunc eadem ipsa videbant. Verum non hoc externum videndi genus beatum prædicat : hoc quippe per se ipsum miracula non videt ; sed internum conspicit. Illi cæcum videbant dicebantque, « Hic est, non est hic, vocemus ejus parentes [3]. » Audis ambigentes? Vides-ne non sufficere corporis aspectum ad miraculi spectaculum? Qui præsentes et spectantes erant dicebant, « Hic est, non est hic ; » nos vero qui præsentes non sumus, non dicimus, « Hic est, non est hic; sed, ipse » est. » Didicisti nihil absentiam nocere, cum fidei adsunt oculi; nihilque utilitatis ex præsentia percipi, cum fidei oculi non adsunt? Quid enim illis profuit videre ? Nihil. Nos enim clarius quam illi videmus. Quoniam igitur oculi vestri vident eo videndi, et aures vestræ audiunt eo audiendi genere, quod Christus beatum prædicavit, agedum vobis Scripturæ gemmas apponamus. Quemadmodum enim Judæis quæstiones non solvit Christus, imo auxit obscuritatem, quia non attendebant ; sic et vobis quia attento estis animo, occulta in medium adducere par est. Etenim accesserunt Discipuli, et mirabantur dicentes : « Cur in parabolis ipsis loqueris? » Ille vero respondit ; « Quia videntes non vident. » Quia igitur vos non videntes videtis, par est vobis sine parabola loqui ; et « Quia au-

[1] Rom. IV, 20. — [2] Matth. XIII, 16. — [3] Joan. IX, 8.

» dientes non audiunt[1]. » Quia igitur vos qui tunc non audivistis, nunc non minus auditis, quam tunc audivissetis, consentaneum est vos non hac privare mensa. Etenim Christus hos non minus beatos prædicavit, quam illos. « Vidisti namque, ait, et credidisti; beati qui non vide- » runt, et crediderunt[2]. » Ne igitur ideo segnes ad virtutem estote, quod illis temporibus non fueritis, sed hoc tempore vivatis : nam si volueris, nihil hinc detrimenti percipies, quemadmodum multi eorum, qui tunc fuerunt, quia noluerunt, nihil hinc utilitatis percepere.

III. Quidnam igitur hodie lectum est? « Hoc autem sci- » tote, quod in novissimis diebus erunt tempora gravia[3]. » Timotheo rursum scribit Paulus. Terribilis comminatio. Sed animum erigamus : hæc quippe tempora nobis subindicat Scriptura, necnon post futura, etiamque ea quæ consummationem spectant. « Hoc autem scitote, quod in » novissimis diebus erunt tempora gravia. » Breve dictum etma gna virtus. Quemadmodum enim aromata, non copia et mole, sed natura fragrantiam emittunt, sic et divinæ Scripturæ non multitudine verborum, sed insita virtute, totam nobis præbent utilitatem. Sic incensi natura per se ipsam suavem emittit odorem; si autem injicias in ignem, tunc omnimodam suam exhibet voluptatem. Ita etiam divina Scriptura, per se ipsam suavissima est; cum autem animam nostram occupaverit, ac si in thuribulum inciderit, totam domum suavi implet odore. « Hoc autem » scitote, quod in novissimis temporibus erunt tempora » dura[4]. » De consummatione loquitur. Quid hoc ad te, beate Paule? Quid ad Timotheum? Quid ad illos qui tunc audiebant? Brevi postea tempore morituri erant, a futuris illis calamitatibus et a pravis hominibus eripiendi. Verum non præsentia tantum respicio, inquit, sed futura prævideo.

[1] Matth. XIII, 10 et 13. — [2] Joan. XX, 29. — [3] 2 Tim. III, 1. — [4] Ibid.

Non præsens tantum grex mihi sollicitudini est ; sed etiam pro futuro grege angor et timeo. Nos vix iis qui nobiscum versantur hominibus prospicimus ; ille vero pro iis qui nondum nati erant, multam gerit sollicitudinem. Sic est pastor optimus, non cum viderit lupos irruentes in gregem, jam prope oves accessisse, tunc id prædicit tantum ; sed etiam procul adhuc versantes indicat. Ita quoque Paulus, sicut pastor optimus, in excelso loco, in prophetiæ nempe dignitate sedens, ac propheticis oculis rursum positus, invasuras feras prævidens, illas in ipsa consummatione in gregem impetum facturas et invasuras esse prædicit et præsignificat ; ut eos etiam, qui nondum nati erant, ab vigilandum induceret, et prophetia totum muniret gregem. Etenim pater prolis amans, qui ædes exædificat, sæpe filiis suis illas splendidas et amplas construit : non modo ut illis tantum utiles commodæque sint ; sed etiam nepotibus et posteris. Ita quoque rex adamatam urbem mœnibus circummunit ; iisque firmis tutisque, quæ non ætate sua modo, sed etiam subsequentibus et posteris omnibus sint tutamini, nec adversus machinas tantum illius temporis, sed adversus futuras invasiones et obsidiones stare possint. Sic etiam Paulus fecit. Quoniam apostolica scripta mœnia sunt Ecclesiarum ; non præsentes tantum ; sed etiam posteros per illa munit. Atque ita firmum et inconcussum septum hujusmodi construxit, et cum tanta cautela illo totum orbem circummunivit, ut eos qui tum vivebant, et qui illos excepere, et eos qui nunc sunt, et posteros usque ad Christi adventum, contra omnem inimicorum obsidionem tutos conservet. Tales sunt sanctorum animæ, fratrum amantes, de illis sollicitæ, amore paternam superantes benevolentiam, et dilectionem materni partus : hic namque spiritus et divinæ gratiæ est.

IV. Vultis ut aliunde etiam vobis demonstrem, sanctos non quæ ad suum tempus spectant solum curare, neque pro præsentibus solum metuere, sed etiam pro iis qui postea futuri sunt? Accesserunt, inquit, ad eum in monte sedentem Discipuli, homines propemodum senes, qui post modicum tempus ex hac vita discessuri erant. Quid ergo quærunt? de quo anguntur? Quid timent? Quibus de causis Magistrum percontantur? Num de rebus, quæ ipsis viventibus, aut circa illa tempora eventuræ erant? Minime. Sed iis prætermissis omnibus quid dicunt? « Quod » signum adventus tui, et consummationis sæculi [1]? » Vides-ne illos etiam de consummatione sæculi interrogare, et de futuris hominibus esse sollicitos? Non enim sua vident Apostoli, sed quæ aliorum sunt, et simul omnes et seorsim singuli. Petrus itaque chori illius coryphæus, os Apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Ecclesiæ, ardens Christi amator; nam « Ait, Petre, diligis me plus his. » Ideo ejus laudes profero, ut discatis eum vere Christum dilexisse : certe ejus erga Dominum amoris argumentum maximum erat, sollicitudo famulorum ejus. Non ego hæc dico, sed ipse dilectus Dominus : « Si amas me, inquit, pasce oves » meas [2]. » Videamus ergo num vere pastoris præfecturam obtineat, num vere oves diligat, num vere gregis amans sit, ut discamus eum etiam pastorem dilexisse : illud enim hujus esse argumentum dixit. Ilic itaque Petrus, postquam omnia sua abjecerat, rete nempe et quæcumque in navicula erant; relictis mari, arte et domo. Ne porro attendamus, hæc pauca fuisse, sed hæc omnia bona sua extitisse, ejusque alacritatem laudemus. Nam ea quæ duos denarios conjecerat, non magnam pecuniarum molem deposuit, sed ingentes studii sui divitias ostendit, quemad-

[1] Matth. xxiv, 3. — [2] Joan. xxi, 16.

modum et hic in magna paupertate ingentem alacritatis copiam præbuit. Quod enim alteri erant prædia, servi, ædes, aurum; hoc illi erant retia, mare, ars, navicula. Ne itaque hoc attendamus an pauca reliquerit, sed an omnia reliquerit. Nam id quod quæritur est, non an magna an parva deponere; sed an nihil minus inferret, quam inferre posset. Omnibus itaque relictis, patria, domo, amicis, cognatis; imo ipsa securitate : nam hoc modo populum judaïcum sibi inimicum reddidit. « Jam enim, inquit, » conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse » Christum, extra synagogam fieret[1]. » Unde palam fit eum nec dubitasse, nec timuisse circa regnum cœlorum; sed de illo admodum persuasum fuisse, atque ex ipsa rerum demonstratione, imo ante rerum demonstrationem ex Salvatoris voce credidisse, se ipsum omnino possessurum esse. Cum dixisset enim, « Nos reliquimus omnia et » secuti sumus te, quid erit nobis? » Respondit eis Christus : « Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duo- » decim tribus Israël[2]. » Hæc porro præmisi, ut cum ipsum pro conservis anxium ostendero, ne dicas ipsum sibi timuisse. Quomodo enim timuisset, postquam is qui ipsum coronaturus erat, sententiam tulerat de corona et de præmiis sibi conferendis? Hic itaque Petrus, qui omnia reliquerat, qui confidebat de regno cœlorum, accedente aliquando divite quodam, ac dicente ipsi Christo, « Quid » faciam ut vitam æternam hæreditate consequar[3]? » cum respondisset ei Christus : « Si vis perfectus esse, vade, » vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, se- » quere me[4]. » Deinde ubi, illo tristitia affecto, Christus Discipulis dixerat. « Videte quam difficile divites ingre- » diantur in regnum cœlorum. Amen, amen dico vobis, » facilius est camelum per foramen acus ingredi, quam

[1] Joan. IX, 22. — [2] Matth. XIX, 27, 28. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 21.

» divitem in regnum Dei[1] ; » Petrus bonorum possessione vacuus, qui de regno confidebat, qui de sua salute non timebat; certior factus de honore sibi illic reposito, his auditis dicebat. « Quis poterit salvus esse[2] ? » Quid times, o beate Petre? Quid trepidas? Omnia abjecisti, omnia dimisisti, de divitibus est sermo, quod dicitur illorum est accusatio. Tu vero in paupertate et inopia vitam agis. Verum, inquit ille, non ea quæ ad me spectant attendo; sed aliorum utilitatem quæro. Ideo de suis rebus fiducia plenus, de aliorum salute sciscitabatur dicens, « Quis po- » test salvus esse? »

V. Vidisti-ne Apostolorum sollicitudinem, quomodo unum sint corpus? Vidisti-ne quo pacto et pro præsentibus et pro futuris timeret Petrus? Sic etiam Paulus. Quapropter dicebat : « Scitote quod in novissimis diebus erunt » tempora gravia[3]. » Idipsum agit et alibi. Quando enim ex Asia discessurus erat, et Romam deportandus, indeque in cœlum transferendus : mors quippe sanctorum, mors non est, sed translatio a terra in cœlum, a deterioribus ad meliora, a conservis ad Dominum, ab hominibus ad Angelos. Quia igitur abiturus erat ad omnium Dominum Deum, omnia quæ ad ipsum pertinebant probe dispensavit. Etenim quanto tempore cum Discipulis fuit, cum omni diligentia doctrinam ipsis impertivit, ac dixit: « Mun- » dus sum a sanguine omnium[4]. » Nihilque prætermisi, inquit, eorum quæ ad salutem administranda erant. Quid igitur? Postquam sua in tuto collocaverat; cum accusari a Domino non posset, circa ea quæ ad vitæ suæ tempus pertinebant, an neglexit animas post futuras? Nequaquam : sed quasi de illis etiam rationem daturus; sic et illa cum omni accuratione dixit eis, et hæc, quæ jam legemus,

[1] Matth. xix, 23. — [2] Ibid. 25. — [3] 2 Tim. iii, 1. — [4] Act. xx, 26.

verba : « Attendite, inquit, vobis ipsis et universo gregi[1]. » Vidisti-ne quantum illorum sollicitudine devinctus esset? Nam singuli nostrum quæ sua sunt curant : ille vero præpositus, quæ ad omnes spectabant. Quamobrem de doctoribus ait : « Qui vigilant super animas vestras quasi ra» tionem reddituri[2]. » Formidabile revera judicium, cum pro tam ingenti populo rationes sunt reddendæ. Sed ut dicebam, ipsis accitis ait : « Attendite vobis ipsis et » universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit pasto» res et episcopos[3]. » Quid factum est? cur hortaris? An quid grave prævides? An quid durum prospicis? An quod periculum imminet? an quæ calamitas? an bellum? Dic, quæso : nam altior nobis es : nec præsentia modo vides, sed etiam futura prævides. Dic igitur cur hæc præcipias et horteris. « Scio, inquit, quod post discessionem meam intra» bunt in gregem lupi graves[4]. » Vides-ne quod dicebam, quomodo non de iis solum qui suo tempore erant anxius esset et timeret, sed etiam de iis qui post discessionem ipsius futuri erant. Intrabunt enim lupi, inquit, neque simpliciter lupi, sed etiam « Lupi graves, non parcentes » gregi. » Duplex bellum : Pauli absentia, et incursio luporum : doctor non aderit, et corruptores imminebunt. Ac perpende ferarum vafritiem, et improborum hominum versutiam : absentiam doctoris observarunt, et tunc gregem invaserunt. Quid igitur? nos sine duce et patrocinio deseris, tantumque calamitates prædicis, neque ullam excogitas consolationem? verum si hoc facias timorem auges, et animos dejicis, nervos dissolvis, atque manus audientium. Ideo non prius illis Spiritum commemoravit : « In » quo vos Spiritus sanctus posuit pastores et episcopos[5]. » Etiamsi Paulus habeat, inquit, at Paraclitus adest. Vides-

[1] Act. xx, 28. — [2] Hebr. xiii, 17. — [3] Act. xx, 28. — [4] Ibid. 29. — [5] Ibid. 28.

ne quomodo eorum erexit animum, divinum commemorans doctorem, cujus ope et ipse dum præsens esset valebat? Cur ergo timorem injecit? Ut desidiam eliminaret. Utrumque enim præstare debet is qui dat consilium, nec permittere ut auditor confidat, ne segnior evadat; neque perterrefacere tantum, ne in nimium metum incidat. Cum ergo Spiritum commemoravit, timorem ejecit; cum lupos addit, segnitiem depulit. « Lupi graves, non par» centes gregi. Attendite vobis. Nihil subtraxi, inquit. » Memores estote mei. » Sufficit enim Pauli memoria ad fiduciam indendam. Non memoriam sui tangit solum, sed etiam memoriam gestorum. Quod enim non simpliciter memoriam sui postulet; sed ut recordati ejus, ipsum imitarentur, audituro cuivis subjicit : « Recordamini mei, » quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum » lacrymis et gemitibus illis omnibus monens unumquem» que vestrum[1]. » Non solum mei recordari vos cupio; sed etiam temporis, admonitionis, curæ, lacrymarum et gemituum illorum omnium. Quemadmodum enim ægrotorum cognati, cum vident illos dictis suis multisque monitis non cedere, nec admittere alimenta et pharmaca ægris competentia, lacrymantur, ut illos facilius flectant; sic et Paulus erga discipulos se gerebat; cum videbat doctrinæ sermonem ad suadendum infirmum esse, lacrymarum medelam inducebat.

VI. Quis autem non reveritus esset, Paulum lacrymantem cernens ac gementem, etiamsi sensu magis destitutus fuisset, quam lapides? Vidisti-ne quomodo etiam illic futura prædixerit? Hic etiam idipsum agit dicens : « Hoc autem scitote, quoniam in novissimis diebus erunt » tempora gravia[2]. » Cur autem id Timotheo ait, nec dicit : Sciant ii qui post futuri sunt, fore tempora gravia. Sed,

[1] Act. xx, 31. — [2] 2 Tim. III, 1.

scito tu, ut discas discipulum perinde atque magistrum, illa etiam quæ futura sunt curare? si enim non curasset, non parem illi sollicitudinem imposuisset. Ita fecit et Christus : quia enim accesserant Discipuli, quod vellent ea quæ ad consummationem spectabant ediscere, ait illis : « Audituri estis prælia [1]. » Atqui non illi audituri erant. Unum namque est corpus fidelium. Ac quemadmodum ii qui tunc erant, de postfuturis audiebant; sic et nos de illis qui tunc fuere discimus. Ut enim dixi, Unum corpus cum illis sumus, arcto mutuo conjuncti, etiamsi extremam membrorum partem occupamus : corpusque hoc nec tempus separat; nec locus. Mutuo enim colligati sumus; non nervorum circuitibus, sed charitatis vinculis undique constricti. Ideo et illos circa nos alloquitur, et nos quæ ad illos spectant audiamus. Operæ-pretium est et illud quærere, cur ubique tristia versus præsentis vitæ finem accessura dicat. Etenim alibi dicit : « In novissimis » diebus discedent quidam a fide [2]; » et hic rursum ait : « In novissimis diebus erunt tempora gravia [3]. » Christus quoque his consona prænuntians aiebat : « Nam in con- » summatione audituri estis prælia et opiniones præliorum, » et fames et pestes [4]. » Cur ergo in consummatione tot et tantæ simul calamitates? Quidam dicunt fatiscentem et infirmantem naturam; sicut corpus quoddam senio confectum multos attrahit morbos, sic eam consenescentem multas attrahere calamitates. At corpus quidem ob corporis infirmitatem secundum legem ad senium venit : pestilentiæ autem, bella, et terræ motus, non ob naturæ senectutem accidunt. Neque enim ideo accidunt hi morbi, quod creaturæ consenescant. « Fames nempe, pestilentiæ, » et terræ motus per loca; » sed quia hominum animos corrumpi futurum est : hæc quippe omnia sunt ultiones

[1] Matth. XXIV, 6. — [2] 1 Tim. IV, 1. — [3] 2 Tim. III, 1. — [4] Matth. XXIV, 6.

peccatorum, et ægritudinibus humanis remedia. Nam ægritudines humanæ tunc augentur. Et quare tunc augentur? inquies. Quoniam, ut mihi videtur, judicium et pœnæ in diuturnum tempus differuntur, ac nondum advenit Judex, qui rationem reddituri sunt, segniores evadunt. Id quod etiam Christus de servo nequam dicit, ipsum ideo negligentiorem fuisse. Moras trahit Dominus meus, inquit ille servus; ideoque conservos verberabat, et heriles facultates pessumdabat. Idcirco Christus accedentibus Discipulis, et quærentibus ediscere diem consummationis, non indicavit; ut futurorum incertos nos assidue in timore servet, et singuli semper futurum expectantes, et in spe Christi adventus versantes, diligentiores essent. Ideo admonet quispiam dicens : « Ne differas » converti ad Dominum, neque expectes de die in diem, » ne forte dum tardas, conteraris [2]. » Incerta mors est, inquit, et ideo incerta, ut semper sollicitus sis. Quapropter sicut fur noctu, sic dies Domini veniet : non ut furetur, sed ut nos cautiores reddat. Nam qui venturum furem prævidet, in vigiliis agit, et accensa lucerna semper vigilat. Sic et vos itaque accensa fidei et recti vitæ instituti luce, splendidas habetote lucernas, in assiduis vigiliis. Quia enim nescimus quandonam sponsus venturus sit, semper paratos esse oportet, ut, cum venerit, nos vigilantes inveniat.

VII. Plura dicere vellem, sed hæc proferre infirmitas corporis vix permisit, qua a vobis longo tempore avulsus sum. Longum mihi tempus fuit, non numero dierum, sed secundum mensuram affectus animi. Amantibus enim, etsi breve absentiæ tempus, multum tamen ingensque videtur. Ideo Paulus cum a Thessalonicensibus modico tempore abfuisset, dicebat : « Nos, fratres, privati vobis

[2] Eccli. v, 8.

» ad tempus horæ, vultu, non corde, abundantius festina-» vimus faciem vestram videre. » Si Paulus qui omnium maxime philosophari sciebat, ne ad tempus quidem horæ tulit, quomodo nos tot diebus sustinebimus ? Sed ille quidem [ne ad horam quidem tulit; ego vero tot dierum absentiam] non ultra ferens, manentibus adhuc morbi reliquiis, ad vos cucurri, maximum me putans remedium adhibere, charitatis vestræ consortium. Id enim mihi ipsa medicorum opera utilius, et omni quod inde mutuari possim solatio commodius est, vestra scilicet frui charitate, qua utinam diutius gaudere liceat, precibus et intercessionibus omnium Sanctorum, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, honor, imperium, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. P. N.

JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

SYNOPSIS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QUASI COMMONITORII MORE.

CONSPECTUS OPERIS.

Novum Testamentum dicitur et a tempore et a natura rerum quas complectitur. Quoniam omnia renovata sunt: primoque homo propter quem omnia sunt condita. Ne quis autem dicat : Atqui cœlum idem est, terra eadem, et homo quoque, res omnium dignissima ; nova lex data est, nova præcepta, nova gratia per lavacrum : novus homo, novæ promissiones. Non enim ultra agitur de terra et de terrenis ; sed de cœlo et de cœlestibus. Nova mysteria : non ultra locum habent illa corporea, ovis, sanguis, nidor, fumus ; sed rationabilis ille virtutequo ornatus cultus : nova præcepta. Lignum nos ad cœlum ducit, sublimesque efficit. Scopus autem in utroque Testamento unus est, hominum nempe emendatio. Ecquid mirum de Scriptura, quando natura tota ad ejus usum est condita? Etenim magnum propter illum cœlum condidit, terram latam, mare majus, quam necessitas postulare videbatur; ut a magnitudine opificiorum opificem mirantes, ad Dei cognitionem venirent. Hæc itaque propter illum facta sunt. Quoniam igitur Veteris et Novi Testamenti scopus unus est; necessarium etiam putavit Moyses historias ve-

teres describere : non secundum externorum morem ; qui historias scribunt ea mente tantum ut rerum narrationes texant, et bella pugnasque in medium agant, atque ex scriptis gloriam sibi parent. At legislator non sic : sed semper historias scribit illustrium virorum qui res præclaras gesserunt ; ut vitæ illorum narratio posteris sit optimæ doctrinæ argumentum. Ideoque non modo eos qui se probe gesserunt in medium adducit ; sed etiam peccatores ; ut illos æmulemur, hos autem fugiamus, et utrinque virtutem diligentiamque majorem adipiscamur. Ne quis ergo existimet extra legislatoris officium esse historias veteres narrare, et leges perscribere. Etenim quam vim habet lex, eamdem obtinet sanctorum vitæ narratio. Est itaque in veteri lege aliud historicum, ut Octateuchus (1) ; nempe Genesis, quæ creationem enarrat, necnon vitam eorum qui Deo accepti fuere ; Exodus, quæ Judæos exhibet ex Ægypto mirabiliter eductos et liberatos, atque in deserto diu morantes, legemque latam ; Leviticus, in quo de sacrificiis et sacerdotio : nam tribus Levi sacerdotium sortita est : et ex tribus nomine nuncupatus liber est. Deinde Numeri ; post egressum enim ex Ægypto jussit Deus numerari populum judaïcum, erantque sexcenties mille, ab uno homine Abrahamo orti. Postea Deuteronomium : legem enim secundo interpretatus est illis Moyses. Deinde Jesus filius Nave : hic enim post Moysem illorum dux constitutus, in terram promissionis introduxit illos, terramque per sortes duodecim tribubus divisit. Post hunc Judices : nam Jesu mortuo, respublica Judæorum in aristocratiam versa est, et tribus imperium moderabantur. Deinde Ruth, liber exiguus, historiam complectens mulieris alienigenæ, quæ Judæo cuidam nupsit. Post hunc Regnorum libri quatuor : in quibus gesta Saülis, Davidis, Salomonis, Eliæ, Elisei, et

reliqua usque ad captivitatem Babylonicam. Post Regnorum libros Esdras. Postquam enim in Babylonem ob peccata sua abducti fuerant, ibique septuaginta annis in servitute manserant; demum Deus placatus, id providit ut Cyrus tunc rex Persarum; Cyrus, inquam, cujus puerilem institutionem descripsit Xenophon, captivos dimitteret. Dimissi vero redierunt ducibus Esdra, Neemia et Zorobabele. Hunc reditum describit Esdras, et quomodo reversi templum denuo construxerint, urbemque reædificaverint. Centum deinde annis elapsis, rursus illos bellum, Macedonicum nempe, invasit. Deinde Antiochi Epiphanis gesta sequuntur, quando tribus annis et dimidio obsessi, maleque affecti, a calamitatibus rursum erepti sunt. Post hæc modico elapso tempore (2), Christus advenit, et Vetus Testamentum desinit. Ut autem discatur judaïcæ gentis origo, quædam hic enarranda sunt. Post Adam fuit Seth, deinde Enoch, postea alii usque ad multas generationes, demum Noë, cujus tempore, cum homines essent malitia corrupti, diluvium accidit. Cessante diluvio, egressus ex arca solus cum tribus filiis, terram omnem prole sua replevit, multis successione quadam prognatis. Cum ergo plurimi essent, deliberarunt ædificare turrim, quæ ad cœlum usque pertingeret. Eorum consilium improbans Deus, linguas ipsorum confudit, unamque in multas divisit. Quare cum non sese mutuo audirent, simul habitare non potuerunt: quæ causa fuit ut per totum orbem dispergerentur. Dicitur autem in illa confusione linguarum, Heberum Judæorum progenitorem noluisse tentati operis esse participem, solumque mansisse qui linguam servaret (3), hoc optimi consilii præmium adeptum. Ex nepotibus ejus fuit Abraham. Ideoque Judæorum lingua, hebraïca vocatur ab Hebero. Abrahæ filius fuit Isaac, hujus Jaçob. Hic genuit duode-

cim patriarchas, Ruben, Simeon, Levi, Judam, Isachar, Zabulon, Nepthalim, Gad, Dan, Aser, Joseph, Benjamin. Undecim horum patriarcharum nomen accepere tribus ab illis ortæ. Unusquisque enim tribum proseminavit, et proles ab eis denominabatur. Verum Josephi non una tribus, sed duæ fuerunt. Noluit enim Josephi pater unam tribum ab eo denominari. Quid ergo factum est? Quia unus erat ille, ut duplex fieret Patriarcha, Ephraïm et Manasses duos ejus filios, duabus tribubus nomina sua dare jussit. Unde contigit ut tredecim tribus essent; nempe undecim aliorum, et duæ Josephi per ejus filios. Tribus Levi hinc extrahitur, ordinique sacerdotali deputatur; neque enim necessarium erat aliud quidpiam ipsi tradere; sicque manet duodecim tribuum numerus non imminutus. Duodecim ergo tribus alia omnia gerebant. Levi autem tribui uni sacerdotalia munia concredita erant. Ex hac tribu Moyses erat. Hi ergo duodecim Patriarchæ, in Ægyptum profecti, impleta Dei promissione Abrahamo facta, qua dicebatur, « Faciam semen tuum » sicut stellas cœli, » sexcentorum millium fuere progenitores. Hinc Judæorum genus constitutum est, quod nomen accepit a tribu Juda omnium præcipua et regia, unde reges exorti sunt. Veteris igitur Testamenti aliud quidem historicum est; hoc nempe quod jam recensuimus. Quæ ad consilia moralia pertinet, sunt Proverbia, Sapientia Sirach, Ecclesiastes, Cantica canticorum. Propheticum vero sunt sexdecim Prophetæ, Ruth (4), et David. Hæ vero species divisæ, etiam permixtim aliæ in aliis reperiuntur. Exempli causa, in historiis prophetiam invenire est : et Prophetas historica multa recensere audimus, atque in horum utroque consilia et monita deprehendimus, nempe in prophetia et in historia. Hæc omnia, ut dixi, ad unum respiciunt, nempe ad audientium emendationem;

ita ut et ex prius gestorum narratione, ex consilio admonitioneque, et ex prophetia ad id quod decorum est nos concinnemus. Prophetiæ vero illud maxime opus erat, ut futura prænuntiaret, seu bona seu mala essent; ut alios attraherent, alios metu a nequitia coërcerent. Est et aliud prophetiæ genus, nempe ea quæ ad Christum pertinent vaticinari: ubi accurate tractatur, non de adventu modo, sed et de iis quæ post adventum facturus erat, de partu, de natalibus, de cruce, de miraculis, de Discipulorum electione, de Novo Testamento, de cessatione judaïcorum rituum, de destructione gentilitiorum, de nobilitate Ecclesiæ, deque aliis omnibus subsequentibus rebus. Hæc omnia clarissime ante multum tempus prædixerant Prophetæ; alia figuris, alia verbis. Etenim duo sunt prophetiæ genera, et operibus et verbis futura prænuntiare. Verbis quidem, ut cum crucem significare volentes, dicunt: « Sicut ovis ad cædem ductus est, et sicut agnus » coram se tondente sine voce [1]. » Hoc itaque verbis ipsis vaticinari noluerunt; operibus vero, cum Abraham exhibetur filium offerens, et arietem jugulans. Hic enim rebus ipsis crucis imaginem præsignificat, atque cædem pro orbe futuram. Multas certe invenire est in Veteri Testamento hujusmodi figuras, prophetiasque per res exhibitas. Prophetiæ vero munus est, non modo futura dicere, sed etiam præterita, quod maxime apud Moysem deprehenditur. Quando enim de cœlo et de terra loquitur, res quidem dicit præteritas et tempore obscuratas, sed prophetia hæc enuntiat. Quemadmodum enim prophetiæ est res nondum gestas, quæque adhuc occultæ sunt annuntiare; sic et res gestas quidem, sed ob tempus occultas revelare et in medium adducere, parem gratiam postulat. Ad prophetiam quoque pertinet res præsentes annuntiare,

[1] Isaï. LIII, 7.

quando quidpiam efficitur, sed occultum est; ut accidit circa Ananiam et Sapphiram. Illic enim neque præteritum, neque futurum, sed res præsens, occulta tamen. Petrus ergo hæc per prophetiam revelans, in medium adducit. Sane quæ ad Vetus Testamentum pertinent, ut quis confertim dicat, ejusmodi sunt. In Novo autem ea, quæ in Veteri ænigmatice dicta sunt, exhibentur: de prophetiis loquor, quibus testimonium perhibent ipsa opera, nempe vitæ institutum ad cœlum usque pertingens, arcana futurorum bona, « Quæ nec oculus vidit, nec auris audi» vit, nec in cor hominis ascenderunt[1]. » Novum quippe Testamentum hominem per Vetus acceptum, moderate et sensim a nequitia ad Angelorum institutum adducit. Itaque Veteris quidem Testamenti opus erat hominem facere; Novi autem hominem efficere Angelum. Quandoquidem enim nequitia id effecit ut illud perderent quo homines erant, ipsosque in brutorum ignobilitatem dejecit, ac ferinos reddidit; lex quidem illos a tali malitia liberabat; gratia vero ipsis hanc angelicam virtutem addit. Sunt autem Novi Testamenti libri, Epistolæ quatuordecim Pauli (5), quatuor Evangelia, duo Discipulorum Christi, Joannis et Matthæi, duo autem Lucæ et Marci: quorum alius Petri, alius Pauli discipulus fuit. Illi enim ipsis oculis Christum viderant, ac cum illo versati fuerant; hi vero ea quæ ex ipsis acceperant, aliis tradiderunt; itemque liber Actuum, qui etiam Lucæ est, narrantis ea quæ gesta sunt; et ex catholicis tres Epistolæ.

SYNOPSIS GENESIS.

Mundi creatio; hominisque formatio. Mandatum accipit

[1] 1 Cor. II, 9.

Adam, et formatur mulier ex costa ejus, quæ a serpente decepta, virum decipit, atque una cum illo maledicta ejicitur ex paradiso. Serpens quoque maledictum accipit, ut super pectus gradiatur. Caïn occidit fratrem, quia laudabilius se gesserat, datque ille pœnas: posteaque liberos suscipit. Eva Sethum parit. Catalogus eorum qui ab Adamo et a Setho orti sunt usque ad Noë : hominumque criminatio ob indecora connubia, ac cæteras iniquitates. Filios Dei hic vocat eos qui a Setho genus ducebant; dicitur enim : « Ego dixi : Dii estis, et filii Altissimi omnes[1]. » Filias vero hominum vocat eas quæ a Caïno ortæ erant. Prædicit Deus Noæ futuram hominum perniciem per diluvium, et jubet arcam construere, trecentorum cubitorum longitudine, quinquaginta cubitorum latitudine, et triginta cubitorum altitudine. Ut autem ingressus est in arcam, advenit diluvium quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Obtinuit aqua centum quinquaginta diebus. Apparuerunt autem cacumina montium primo die decimi mensis. Et post quadraginta dies emisit corvum, qui non reversus est : et post septem dies emisit columbam, quæ reversa est ramum olivæ gestans. Jubetur a Deo Noë egredi ex arca : et egressus Deo sacrificavit, et benedictus est cum filiis suis. Accepitque promissionem a Deo, non ultra futuram hujusmodi perniciem hominum per diluvium. Postea vero Semo quidem et Japheto benedicit, maledicit autem Chanaanum, quia pater ejus Cham revelaverat nuditatem patris. Maledictio autem illa eventum habuit in Gabaonitis ; imo potius specie quidem maledictio erat ; sed revera prophetia. Hinc sequuntur qui ex Noë orti sunt usque ad Phalec, qui hoc nomen sortitus est, quia ejus tempore divisa fuit terra. Tunc enim turrim ædificarunt ; unde locus Babylon est appellatus, quod « Confusionem »

[1] Gen. VI, 2, et Psal. LXXXI, 6.

significat, quia illic confusæ sunt linguæ eorum. Pater autem Phaleci Heber dicitur non consensisse cum cæteris circa ædificationem turris ; ideoque ipsi loquelam non mutatam fuisse, sed mansisse illum cum integra sua dialecto, quæ ab illo denominationem sortita sit. Nam cum ille Heber vocaretur, hæc hebraïca appellata est: quod signum est maximum hebraïcam esse omnium linguarum antiquissimam. Antequam enim confunderentur linguæ, hac omnes utebantur. Est autem hic Heber inter majores Abrahæ. Assumit Thara Pater Abrahæ, filios suos Abraham et Nachor (6) et nepotem suum Lot, et venit in Charran, in animo habens inde proficisci in terram Chananæorum. Illoque mortuo in Charran, jubetur a Deo Abraham transmigrare ex Charran, et venit in Sychem in terra Chanaan. Et dixit ei Deus, semini ejus se daturum terram illam. Et ædificavit Abraham altare Deo, et fixit tabernaculum suum versus mare. Cum fames autem esset, descendens in Ægyptum præcepit uxori suæ ut diceret se sororem ejus esse. Cum porro sustulisset eam Pharao, et Dei ultionem expertus esset, reddidit illam Abrahæ. Litigantibus invicem pastoribus Abrahæ et Loti, ipsi habitatione separati sunt. Lot accepit Sodomitarum terram : Abraham vero ad quercum Mambre habitavit. Promissionesque rursum a Deo accepit, ejus semen multitudine propagandum esse, et illam terram possessurum. Chodollagomor, quia ab ipso defecerant quinque reges sodomiticæ terræ, qui ipsi prius servierant, assumptis secum tribus aliis regibus, bellum ipsis intulit, eosque in fugam versos captivos abduxit; in quibus erat etiam Lot. His auditis Abraham, cum vernaculis suis trecentis octodecim, illos insecutus, eripuit fratris filium cum equitatu et mulieribus. Et Melchisedecho se benedicenti et afferenti panem et vinum, decimas dedit. Ideo ait Paulus in Epis-

tola ad Hebræos : « Et Levi qui decimas accepit, decima-» tus est [1]. » Regi Sodomorum roganti ut equitatum acciperet non annuit : « Ne dicas, inquit : Ego ditavi Abra-» ham [2]. » Tunc Deo ipsi dicente, « Merces tua magna erit [3], » filiorum orbitatem deplorat : rursumque audit, eum qui ex illo egressurus erat, ejus hæreditatem accepturum esse, et semen ejus futurum sicut stellas cœli. Hic jacet illud : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justi-» tiam [4]. » Sectiones facit, et discit peregrinum futurum esse semen suum, et postea liberandum fore postquam de-pressum fuerit per quadringentos annos. Sara autem quia sterilis erat dat Agarem Abrahamo, ut liberos susciperet ex illa. Cum autem hæc uterum gestaret, contra heram suam sese extulit : traditque illam Sarræ Abraham, ut contumeliam ulcisceretur. Illa vero ab hera sua male accepta, a domo aufugit : ab Angeloque jubetur ad domi-nam suam redire. Promissionemque accipit semen ipsius multiplicandum esse : pueroque antequam nasceretur nomen imponit Angelus, Ismaël ipsum appellans. Pepe-rit Agar Ismaëlem, et Abraham, cum nonaginta-no-vem annorum esset, nomen mutavit. Non enim ultra Abram, sed Abraham vocatus est. Præcepit illi Deus ut circumcidatur cum tota domo : nomenque Saræ mutatur, vocaturque illa Sarra. Accipit Abraham promissionem circa Isaacum. Apparet Abrahamo Filius Dei cum duobus Angelis, et ait illi : « Revertar ad te tempore isto ad ho-» ras : et habebit filium Sarra uxor tua [5]. » Abraham ob-secrat Deum pro Sodomis. Duo Angeli veniunt ad Lot. Instantes Sodomitæ perquirunt eos, et percutiuntur cæci-tate. Abducto autem Loto, Angeli egrediuntur domo : et ipse quidem cum filiabus salvus confugit in Segor : uxor

[1] Hebr. VII, 9. — [2] Gen. XIV, 23. — [3] Id. XV, 1. — [4] Ibid. 6. — [5] Id. XVIII, 10.

autem ejus facta est columna salis, quia retro respexit. Ut vero Sodomitarum regio incensa est, et Lot in montem se contulit, conceperunt ex illo duæ filiæ ejus, et major peperit Moab, junior vero Ammon. Coïtum vero cum patre per ebrietatis fraudem consecuti sunt. Putabant enim genus humanum defecisse. Peregrinatus est in Geraris Abraham, et Abimelech rex Gerarorum Sarram accepit: Deo autem minas in ipsum intentante, sese purgabat ille dicens putasse mulierem illam sororem ejus esse: sic enim ipsa dixerat. Reddidit vero illam Abrahæ cum donis. Tunc postquam reddita fuerat, peperit Isaacum. Ejicit autem domo ancillam cum filio ejus Ismaële. Abimelech porro pepigit cum Abrahamo fœdus, ut nihil injuriæ inter eos intercederet: et accipit ille septem agnas ab Abrahamo, in testimonium putei Juramenti, ut palam esset illum Abrahæ esse. Jubetur Abraham filium offerre in holocaustum, et offert, immolaturque aries pro eo. Hæc porro figura erant œconomiæ quam pro nobis dispensaturus erat Christus. Moritur Sarra, et empto loco Abraham ab Ephrone Chettæo, illic uxorem sepelit. Mittitque servum, ut uxorem ducat Isaaco ex Mesopotomia, præcipiens ne filium suum illo ducat, si noluerit mulier venire. Ut autem venit servus in urbem Nachoris, et signum petiit, quo virginem agniturus erat: signum autem illud erat, si præberet illa sibi et camelis suis aquam ad bibendum: exit Rebecca filia Bathuelis filii Nachoris: Nachor vero frater erat Abrahæ. Cum dedisset autem ipsa illi et camelis suis potum, et dixisset cujus esset filia, introducit virum et hospitio accipit. Ubi dixit ille cujus rei causa venisset, et petiisset ut sibi traderetur puella, id virginis arbitrio parentes reliquerunt. Illam annuentem assumens servus abscessit: fuitque illa uxor Isaaci. Sarra defuncta, ducit Abraham uxorem Chet-

turam, et filios, quos ex illa susceperat, separavit ab Isaaco, muneribus affectos: opum vero suarum hæredem fecit Isaacum, et mortuus est. Hic recensentur nomina filiorum Ismaëlis, qui habitavit ab Evilat usque ad Sur. Cum Rebecca sterilis esset, obsecrabat Isaac Deum ut illa conciperet: atque ut gestavit uterum, dixit illi Deus: « Duæ gentes in utero tuo sunt, populusque populum su»perabit [1]: prædicens ea quæ Judæos et nos Christianos spectabant. Ut autem pueri nati sunt et creverunt, tradit venditque primogenita sua Jacobo Esaü pro coctione lentis. Cum vellet Isaac in Ægyptum descendere, quia fames prævalebat, cohibuit illum Deus, hortatus ut illic maneret, ubi tunc erat, pollicitus se cum ipso futurum, ac benedicturum semen ipsius, ipsumque multiplicaturum. Cum didicisset autem Abimelech rex Gerarorum Rebeccam uxorem esse Isaaci; suspicabatur enim sororem ejus esse; mortem indixit iis qui ipsi contumeliam inferrent. Tunc semina sparsit Isaac, et centies multiplicatum hordeum invenit. Cum autem ex benedictione Dei magnis auctus esset divitiis, invidebant ei Philisthiim, et Abimelech inde eum expulit. Ille vero non obstitit, sed recessit, et puteos fodit, pro quibus lites fuerunt. Ille vero non ultus eos, alios fodit puteos, donec illi molestiam inferre desierunt. Et benedixit illum Deus. Isaac autem se adeuntem Abimelechum benigne suscepit convivioque excepit, injuriarum immemor. Duxit Esaü Chananæas mulieres, quæ litigabant cum Rebecca. Senuit Isaacus et caligaverunt oculi ejus, præcepitque Esaü filio suo, ut venaretur et pararet sibi cibaria, ut benediceret eum. Jacob autem de matris consilio et opera Esaü fratrem prævenit: nam coctis illa hœdis duobus, et pellibus eorum filio circumpositis, ut filii lenitatem obtegeret, cibaria ipsi tradidit,

[1] Gen. xxv, 23.

et emisit eum. Ille vero ingressus benedictiones accepit. Ubi autem accessit Esaü, et quod gestum erat edidicit, lamentabatur, lugebat, petebatque et ipse benedictionem sibi dari: et perseverantia sua aliquid effecit; nihil tamen tantum, quantum sperabat: impetravit tamen. Parva itaque loco majoris benedictione donatus, irascebatur contra fratrem, injuriæ memor, expectabatque patris mortem, ut tunc sine metu insidias ipsi pararet. Hæc Jacobo indicat mater, hortaturque ut fuga salutem sibi paret: cumque dixisset Isaaco non vitalem sibi fore vitam, si Jacob etiam ex Chananæis uxorem duceret, illud efficit ut Isaac Jacobum mittat in Mesopotamiam ad fratrem ipsius Labanum, ut ex filiabus ejus uxorem ducat. Post Jacobi profectum duxit Esaü filiam Ismaëlis sibi uxorem. Ismaël autem filius erat Abrahæ ex Agare. Videt scalam Jacob, cippum erigit, promittitque se bonorum suorum decimas Deo daturum, si incolumis reverteretur. Venit in Mesopotamiam, vidit Rachelem, ipsam osculatus est, reversa puella id renuntiavit patri suo Labano. Ille veniens agnovit Jacobum, induxit illum domum: Jacob servivit illi, in mercedem filiam ipsius accepturus: ille vero majorem natu dedit. Ægre ferenti Jacobo ob fallaciam, proponit ut septem alios annos sibi serviat, si velit et juniorem ducere. Ille vero id quoque passus est, et duxit etiam juniorem. Erat autem major natu Lia lippis oculis; junior autem Rachel formosa. Hæ vero figuræ sunt, nempe major natu Synagogæ Judæorum, junior autem Ecclesiæ Christi. Concepit Lia, et peperit Ruben, Symeonem, Levi, et Judam. Rachel autem quia non pariebat, dat Jacobo uxorem secundam, ancillam nempe suam Balam, et peperit illa Dan et Nephthalim. Dedit etiam Lia Zelpham ancillam suam Jacobo uxorem: hæc vero peperit Gad et Aser. Peperit deinde etiam Lia Isachar et Zabulon. Tunc

peperit quoque Rachel Josephum. Cum autem vellet Jacob reverti in terram suam, dat ipsi mercedem Laban, quam ipse Jacob determinavit, omne fuscum in agnis, et omne album in capris: illa autem quam plurima oriebantur: ponebat enim Jacob virgas in canalibus; et concipiebant oves, et pariebant alba et varia, et cineritio colore sparsa. Illud vero totum Dei erat opus, ut ipse Jacob ait. Invidebant ei filii Laban, et ille clam acceptis uxoribus suis cum facultatibus abscessit. Laban vero insecutus eum est, ac priusquam cum illo congrederetur, interminatus est illi Deus, si aspere Jacobum adoriretur. Ille vero ut advenit, primo incusabat, et causam quærebat, cur furtim abscessisset. Ut autem Jacob respondit se id ideo fecisse, quod sibi invideretur, et veritum ne filias suas retineret; deos suos repetebat Laban, quos furata erat Rachel. Cum autem non invenisset, instat vehementer Jacob incusans. Demum postquam comederant et biberant, in viam quisque suam recesserunt, tumulum illic lapidum statuentes, quem collem Testimonii vocarunt. Tunc occurrere Jacobo Angeli Dei. Mittit vero Jacob ad Esaü, qui annuntiarent adventum suum: ut vero redierunt ii qui missi fuerant; et nuntiaverunt venire Esaü cum quadringentis viris, formidine captus rogat Deum, ut se ab imminenti periculo liberet, mittitque dona Esaü fratri. Ut autem ingressus est Jacob in torrentem, benedictionemque accepit, ac mutatum fuit nomen ejus, videt Esaü venientem, ac divisa turma sua, ancillas cum filiis suis primas constituit, Liam secundam cum filiis, et Rachelem cum Joseph postremam venire jussit: ille vero primus incedebat. Ut autem placide vidit illum Esaü, et dona ab illo accepit, rogabat se viæ comitem acciperet: Jacob autem renuit. Confecto itinere moratus est in Salem Sicimorum urbe, ubi Sichem filius Emmor regis,

amore Dinæ filiæ Jacobi captus est, illaque vitiata, rogabat illam ducere uxorem sibi liceret. Responderunt Symeon et Levi se libenter daturos, si ipsi circumciderentur cum populo suo. Ut vero se circumciderunt, cum adhuc in dolore versarentur, illos interfecere Symeon et Levi. Metuebat deinceps Jacob ne in se irruerent vicini Chananæi : Deoque jubente ascendit in Bæthel. Mortuaque est nutrix Rebeccæ. Ut autem benedixit Jacobo Deus, profectus ex Bæthel habitavit ultra turrim Gader. Tunc infeliciter peperit Rachel et mortua est, sepultaque est in via Ephrata : hæc est Bethlehem. Qui natus autem est, Benjamin erat. Tunc dormivit Ruben cum Balla concubina patris sui. Illo tempore mortuus est Isaac ; et sepelierunt eum Esaü et Jacob. Genealogia ducitur progenici Esaü, inter quos Job reperitur (7), qui Jobab hic vocatur. Josepho invident fratres somniorum causa, et quod magis a patre diligeretur. Illumque solum nacti occidere volebant : consulens autem Ruben, ut in lacum injiceretur, volebat illum saltem a morte eripere. Cum injecissent, vendiderunt demum Madianitis, Juda consulente. Tunicam autem ejus sanguine tinctam ostenderunt patri. Ille vero putans illum a fera devoratum, graviter lugebat. Judæ autem nati sunt, Er, Aunan, et Selon. Mortuo autem Er, uxorem ejus Thamarem duxit frater ejus Aunan : qui nolebat semen suscitare fratri suo. Ut vero hic quoque mortuus est : non ultra volebat Judas Seloni tertio filio Thamarem uxorem dare, Thamar vero ornata ut meretrix secus viam sedit. Illam autem vere meretricem putans Judas ; nam vultum obtegerat, ingressus est ad eam, pignusque dedit illi, torquem et annulum et virgam. Ut vero renuntiatum postea est Thamarem uterum gestare, jussit socer ejus Judas eam comburi. Illa vero misit dicens ex illo viro se concepisse, cujus esset annulus.

Tunc ait Judas, « Justior est Thamar, quam ego [1]. » Cum autem peperit, emisit manum Zara, et postea retraxit, et egressus est Phares, et postea Zara. Hæc porro sic allegorice explicantur. Protulit, inquiunt, primus populus, nempe justi qui ante legem fuerunt, manum, id est, vitam virtute ornatam et angelicam. Deinde in medium inducta est lex; postea vero revocata rursum est illa prior vita, per Christi institutum ad perfectiorem statum provecta. Emit Josephum princeps coquorum Pharaonis, Pentephres : ipsique commisit curam omnium quæ in domo sua erant. Non cessit ille heræ ad peccandum hortanti. Calumnia impetitus est, conjectus in carcerem fuit: etiam illic dominium obtinebat; principi pincernarum, et principi pistorum interpretatus est somnia. Evenit sicut ipse dixerat : ille quippe occisus, hic in pristinum honorem reductus est. Vidit Pharao somnia boum et spicarum; quibus significabatur abundantia, et quæ illam subsecuta est fames. Eductus ex carcere est Joseph, ut illa interpretaretur; nam cum indicaverat princeps pincernarum. Interpretatus ille est, deditque consilium, quo fami remedium adhibebatur. Statuitur post Pharaonem primus, et multo collecto in septem annis ubertatis frumento; quando fames institit, volentibus vendebat. Venerunt etiam fratres ejus ad emendum. Ubi autem non cum illis vidit Benjaminum, metuens ne illum quoque perdidissent, incusat eos ut exploratores terræ, nec criminis aliam fore solutionem dicit, nisi fratrem juniorem Benjaminum in Ægyptum adducentes, ostendere possent. Arepto autem et vincto Symeone, cæteros dimisit, et frumento et argento dato. Ubi autem viderunt argentum, cum aperirent saccos, de re tam inopinata turbati sunt, et Benjaminum a patre postulabant, cui omnia quæ gesta erant

[1] Gen. XXXVIII, 26.

enarrarunt. Ille vero renuebat puerum emittere. Ut autem fames invaluit, cum instaret Judas Benjaminum volens abducere, se sanum et incolumem reducturum pollicitus, dedit Jacob duplicatum argentum, jubens alia quoque dona afferre. Ut autem ad Josephum pervenerunt, ab eo perhumaniter excepti sunt; de patre ille interrogavit, et lauto illos convivio excepit. Cum porro de reditu ageretur, jussit poculum aureum injici in saccum Benjamini, illis ignorantibus. Ut autem injectum fuit poculum, dum illi abirent, jubet Joseph præpositum domus suæ viros insequi. Insecutus ille, incusabat quod beneficum malis remunerarent. Illis vero turbatis, et morte dignum definientibus eum qui in furto deprehensus foret, seque servituti obnoxios, inventum fuit poculum in Benjamini sacco. Tunc ingressus Judas, longoque habito sermone de patre, de Josepho, et de Benjamino; cum se ille pro puero ad servitutem offerret, in tantam commiserationem Josephum injecit, ut tota illa scena proderetur. Omnibus enim exclusis, ut sibi cum libertate flere liceret, sese fratribus cognoscendum exhibuit, misitque ad patrem cum donis et plaustris : id quod etiam Pharaoni placitum erat. Ut audivit Jacob ea quæ ad Josephum spectabant : gaudio perfusus est, et jubente Deo descendit in Ægyptum. Videt Josephum pater : hæc renuntiantur Pharaoni, qui habitare eos jussit in Ramesse. Ut autem exhaustum fuit argentum terræ, jumenta dantes illi homines, frumentum accipiebant : his quoque deficientibus, nec fame desinente, se ipsos cum terra dederunt : ac servi Pharaonis constituti seminabant, et quintam partem ipsi referebant, quatuor sibi partes reservantes. Morti proximus Jacob, juramentum exigit a Josepho, ne se in Ægypto sepeliret, sed in sepulcro patrum suorum. Filiosque Josephi Ephraïm et Manasse non in nepotum,

sed in filiorum ordinem accenset. Caligabatque oculis Jacob : ut autem osculatus est eos, cum benedicturus illos esset, Joseph a sinistris Jacobi posuit Ephraïm, et Manassem a dextris. Jacob autem dexteram manum imposuit super juniorem qui a sinistris stabat; sinistram vero super eum qui a dextris, et benedixit. Putantem Josephum id patrem per ignorantiam facere, et monentem, non tulit Jacob, seque gnarum, non ignorantem id facere dixit. Tunc dedit Josepho Jacob Sicimam jure præcipuo, quam Symeon et Levi ceperant. Et benedicit filios suos. Hic de Christo vaticinatur : « Non deficiet, inquit, » princeps ex Juda, nec dux de femoribus ejus, donec » veniat is cui repositum est[1]. » Ut autem mortuus est Jacob, luxit eum Joseph, et efferens sepelivit in spelunca Abrahæ. Dixerunt itaque fratres ejus : « Ne forte injuriæ » memoriam retineat, et referat nobis mala, quæ intulimus » ei[2], » Et rogabant eum dicentes : « Ecce nos servi tui » sumus[3]. » Flevitque Joseph, et dixit eis : « Ne timeatis : » nam Dei sum ego : vos mala consilia cepistis, Deus » autem bona retribuit mihi. Ego nutriam vos et domos » vestras[4]. » Vixit ergo Joseph centum annos (8), et vidit filios Ephraïm usque ad tertiam generationem. Dixit porro fratribus suis : « Visitatione visitabit vos Deus, et inducet » vos in terram promissionis, quam juravit patribus nostris » se daturum eis. Et simul vobiscum feretis ossa mea[5]. » Cum vixisset centum annis, sepultus est in loculo in Ægypto[6].

SYNOPSIS EXODI.

Exurgens in Ægypto rex qui Josephum non noverat,

[1] Gen. XLIX, 10. — [2] Id. L, 15. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid. 19. — [5] Ibid. 24. — [6] Ibid. 25.

Israëlitas afflixit in luto et latere. Præcepit etiam obstetricibus, ut occiderent masculos Israëlitarum; ut autem illæ non paruerunt, illud facinus populo commisit. Tunc nascitur Moyses ex tribu Levi, et exposuerunt eum parentes in arcula. Descendens vero filia Pharaonis, eductum infantem nutriendum tradidit. Cum in virum crevisset Moyses, egressus est ad filios Israël. Ut autem laborem eorum considerabat, vidit Ægyptium, qui Hebræum verberabat, cumque hinc inde respexisset, neminem vidit; percussoque Ægyptio, abscondit illum in arena. Egressus die sequenti, vidit Hebræos duos sese mutuo verberantes, alterique dixit : Cur verberas proximum? infit ille : « Quis te constituit principem et judicem nostrum? an » occidere me vis, ut heri Ægyptium [1]? » Timuit ergo Moyses, Pharaoque rem gestam audivit, ac quærebat interficere Moysem. Metuens Moyses secessit in Madiam : juvitque Jothoris filias ad aquandum. Illæ rem gestam patri nuntiaverunt, ad eumque adduxere Moysem. Jothor dedit illi filiam suam in uxorem : et peperit illa Moysi Gersem et Eliezer. Ipsi greges pascenti loquitur Deus; cum accessit, vidit in rubo miraculum illud, cum urceretur et non combureretur. Et mittit illum Deus in Ægyptum dicens : Dic [de me,] « Ego sum qui sum [2]. » Jubetur congregare seniorum cœtum, et sic intrare ad Pharaonem. Præcipereque populo, ut cum aufugerent, vasa argentea et aurea mutuarentur a vicinis. Datque illi talia signa ut fides ei haberetur, virgam quæ versa est in serpentem, mutationem manus suæ; facta quippe est alba sicut nix (ex lepra), et rursum restituta est in pristinum colorem; aquam item fluminis. Effundes enim, inquit, ex ea in aridam, et sanguis erit. Reluctante Moyse, iratus Deus adjunxit ipsi Aaronem. Annuntiavit Moyses Jothori socero

[1] Exod. II, 14. — [2] Id. III, 14.

suo, se in Ægyptum esse profecturum. Mortuoque rege, qui ipsum interficere quærebat, ait illi Deus: Ingredere in Ægyptum. Ille vero assumptis filiis cum uxore, sic profectus est. Ideo Angelus ipsi apparet exterrens eum (9). Non enim propter circumcisionem: si enim circumcisionis causa, oportebat non ante discedere Angelum, quam alterum mater circumcidisset: sed ideo apparuit, ut non uxorem duceret in Ægyptum. Non enim eo mittebatur, ut illic habitaret, sed ut educeret Israëlem: quod et ille intelligens, remisit uxorem. At unde palam est quod remiserit? Post discessum ex Ægypto occurrit illi cum uxore ipsius Jothor socer ejus. Venit Aaron ad Moysem, et ambo congregarunt seniores Israëlis, et ipsis renuntiarunt Dei mandata: illi autem gavisi sunt. Ubi vero ad Pharaonem accesserunt, jusseruntque eum dimittere populum, non modo non annuit rex; sed etiam Israëlitas vehementius afflixit, jubens ne daretur eis palea; sed ut ipsi eam sibi reperirent. Cum autem scribæ verberarentur, quod opus non impleretur, Pharaonem adierunt, nihilque impetrarunt. Tunc occlamarunt contra Moysem: rursumque mittitur ille ad Israëlitas, exitum illis annuntians. Illi vero ne audierunt quidem Moysem, tam dejecto erant animo. Hic scribitur Moysis genealogia, et ait illi Deus: « Dedi te » Deum Pharaoni[1]: » mittitque illum ad Pharaonem, jubens ostendere signum, si rex peteret, virgæ in serpentem conversæ. Ut autem virga in serpentem mutata est, nec tamen rex cessit; vertitur aqua fluminis in sanguinem, impletur terra ranis: deinde scyniphes exierunt, mox cynomyia, postea mors jumentorum, postea pustulæ, hinc grando et ignis, postea locustæ, et tenebræ palpabiles. Cum autem inducenda esset mors primogenitorum, jubentur immolare agnum immaculatum, et inungere postes

[1] Exod. VII, 1.

sanguine : neque enim morituros esse eos qui essent in ea domo, in qua sanguis agni esset. Tunc illis lege statuit septem dies azymorum : et si ingressi fuerint in terram promissionis, jubet hunc servare cultum. « Et si interro- » gaverint vos, inquit, filii vestri, dicetis : Sacrificium » Pascha hoc est Domino[1]. » Cum autem media nocte periissent omnia primogenita Ægyptiorum, abegerunt Israëlitas ex Ægypto. Illi vero egressi sunt, cum accepissent vasa argentea et aurea, multumque populum secum promiscuum, et oves, et boves, et jumenta. Habitatio autem filiorum Israël, qua habitarunt ipsi et Patres eorum in terra Ægypti et in terra Chanaan, fuit annorum quadringentorum et triginta (10). Et ait Deus : « Consecra et sanc- » tifica mihi omne primogenitum ab homine usque ad pe- » cus[2], » quia occidit primogenita Ægyptiorum. Non duxit autem eos per Philisthiim, ne pœniteret eos bellum videntes, neu reverterentur in Ægyptum ; sed per mare Rubrum. Quinta autem generatione ascenderunt filii Israël ex Ægypto : et accepit Moyses ossa Josephi. Ducebat autem Deus Israëlem ductu ignis per noctem, et ductu nubis per diem. Ut autem insecutus est Pharao mutata sententia, virga percussit Moyses mare, et divisum est : cum autem pertransissent Israëlitæ, mare conjunctum est contra Ægyptios, et demersit eos. Et cecinit Moyses canticum, cecinit et Maria cum mulieribus. Venerunt in Marrhas, ubi amara erat aqua, et dulcem reddidit illam Moyses per lignum. Venerunt in locum ubi erant duodecim fontes, et septuaginta palmæ : locus autem vocabatur Elim. Inde venerunt in desertum inter Elim et Sina. Tunc murmuraverunt in deserto Israëlitæ, carnes postulantes. Tunc pluit illis manna. Deinde intulit coturnicem. Hic circa manna, quod cum multum erat, non redundabat; cum

[1] Exod. XII, 26. — [2] Id. XIII, 1.

parvum, non deficiebat, jussit nihil relinqui in crastinum. Illi vero non paruerunt, et quod residuum fuit, vermibus scatebat. Dixit, Ne egrediamini ad colligendum sabbato. Illi vero neque in hoc obsecuti sunt, et cum egressi essent, nihil invenerunt. Jubet Moyses in vase aureo reponi ex manna in futuras generationes. Manna vero comederunt quadraginta annis. Tunc murmuraverunt ob sitim. Et percussit Moyses petram, exiitque aqua. Venit Amalec bellatum contra Israëlem : et in fugam illum vertit Jesus filius Nave : ac quandiu erant manus Moysis erectæ, superabat Israël; quando autem demittebat eas, superabatur. Illud vero signum erat crucis. Stabant quippe Aaron et Or qui sustinerent manus Moysi. Dixit autem Dominus ad Moysem: « Scribe hoc in monumentum in libro [1]. » Accedit Jothor socer Moysis cum uxore ejus : generum autem illum præter usum vocat Scriptura, et Moysi et populo. Enarrat mirabilia Moyses socero : ille vero miratus est. Ut autem vidit totum populum Moysi astantem, illum vero non posse erga omnes judicium exercere, auctor est illi socer, ut deligat viros potentes, religiosos, justos, odientes superbiam, et constituat eos, millenarios, centenarios, quinquagenarios, decuriones. Obtemperavit ei Moyses, et ascendit in montem. Præcepitque ei Deus ut populo diceret, eos futuros Dei regale sacerdotium, gentem sanctam, si obedierint. Illi vero dixerunt : « Omnia quæcumque dixit » Deus, faciemus et audiemus [2]. » Tunc præcipit populo, ut purificetur usque ad tertium diem, et lavet vestimenta sua. Hic dictum est illud quod habetur apud Apostolum in Epistola ad Hebræos : « Si tetigerit montem, lapidabi» tur [3]. » Tunc mons fumigabat, voces tubarum sonabant. Tunc præcepta Legis accipit Moyses, nempe Decalogum, et reliqua jura. Illud autem, « Diis non maledices, » non

[1] Exod. xvii, 14. — [2] Id. xix, 8. — [3] Hebr. xii, 20.

de idolis dictum est, sed de principibus : subdit enim : « Principi populi tui non maledices[1]. » Pollicetur multa ipsis bona, si obedierint, quod gentes sint superaturi, terram possessuri; pollicetur item aquam eorum benedictum iri, et panem, omni morbo liberandos illos esse, non futuram sterilem esse in illis, neque orbum, neque immaturam mortem, terminos eorum se positurum esse a mari Rubro usque ad Philisthinorum terram; a deserto, usque ad Euphratem. Tunc immolavit Moyses, et dimidium sanguinis effudit ad altare : accipiensque sanguinem aspersit populum. Horum meminit Paulus in Epistola ad Hebræos, dicens : « Neque primum Testamentum sine sanguine reno» vatum est[2]. » Jubetur Moyses ascendere et accipere tabulas. Et erat ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. Audivit autem dispositionem tabernaculi, et eorum quæ in ipso continebantur, et sacerdotalis amictus, et unctionis sacerdotum, et redemptionum. Hæc vero erant ut singuli dimidiam didrachmi partem darent, id est, obolos decem. Et de compositione olei præcipit, et de observatione sabbati. Conveniunt Israëlitæ contra Aaronem et in idololatriam incidunt. Tunc ait Deus Moysi : « Sine me, » et delebo eos, et faciam te in gentem magnam[3]. » Ut autem descendens Moyses vidit vitulum et populum ludentem projecit et contrivit tabulas, increpavit Aaronem, præcepit filiis Levi venientibus : Dixit : « Si quis ad Domi» num, veniat ad me, ut occidat unusquisque fratrem suum » et proximum suum[4], » et ceciderunt tres mille viri. Tunc ascendens Moyses dixit Deo : « Siquidem dimittis illis pec» catum, dimitte; sin minus, dele me de libro, quem » scripsisti[5]. » Tunc flevit populus, et jussus est deponere ornatum suum. Hic dictum fuit, « Et locutus est Dominus

[1] Exod. xxii, 28. — [2] Hebr. ix, 18. — [3] Exod. xxxii, 10. — [4] Ibid. 26. [5] Ibid. 31.

» ad Moysem, quasi si quis loquatur ad amicum suum[1]. » Jesus autem filius Nave non egrediebatur ex tabernaculo. Tunc rogat Moyses Deum, ut non derelinquat populum, et dolatis duabus tabulis accipit Decalogum, transactis rursum quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. Præcipitur autem ipsi iterum de Pascha, de Sabbato, de exterminandis gentium diis, de primogenitis ipsi sanctificandis. Hic legitur Moysem cum velo locutum populo esse; quod ad Corinthios secunda ait Paulus[2]. » Tunc illis præceptum est de Sabbato, de materia ad tabernaculi constructionem adhibenda; hoc est, de auro, de ære, de capillis, deque reliqua materia. Et illi quidem cum magna afferebant alacritate, ita ut redundaret; operatus autem est Beseleel de tribu Juda, et Eliab de tribu Dan omnia ad apparatum necessaria, et tabernaculum stetit, nubesque operuit illud. Quod autem impensum fuit ad opera, auri quidem viginti novem talenta et sicli septingenti, argenti talenta centum, sicli septingenti septuaginta duo æris talenta septuaginta, et bis mille quingenti sicli.

SYNOPSIS LEVITICI.

Leviticus vocatur hic liber, quia proprie et peculiariter totam levitici ministerii formam continet, et quo pacto Aaron et filii ejus ex tribu Levi in sacerdotes electi utique fuerint, et quidquid discriminis est inter sacrificia et oblationes, et qualis sit universus sacrorum cultus sacerdotaleque ministerium. Deinde cujusque sacrificii legem exponit; tum ejus quod pro salute, tum ejus quod pro delicto, sive spontaneo sive involuntario, et quo pacto singula dividenda sint et referenda. Enarratur etiam in hoc

[1] Exod. xxxiii, 11. — [2] 2 Cor. iii, 13.

libro summi sacerdotis, aliorumque sacerdotum unctio : ad hæc, judicium et cognitio indiciorum, quibus tam hominum, quam indumentorum, parietumque domorum lepra deprehendi possit ; et qui sit eorum expiandorum ritus. Præterea quæ sit lex et distinctio connubiorum legitimorum, et quænam pro illegitimis sint habenda. Item quid discriminis sit inter munda et immunda animalia, interque volucres et pisces ac reptilia cujusvis generis, et quibusnam vesci, a quibusnam abstinere debeant Hebræi. Declarat etiam qui si tubarum dies in neomenia mensis septimi : magni quoque jejunii præceptum, quod eodem septimo mense, decima mensis custodiendum sit, quam Sabbata Sabbatorum, et peccati remissionem vocat. Festum etiam Tabernaculorum decima quinta ejusdem mensis celebrari jubet. Agit quoque de festis, et quæ in illis offerenda sint præcipit. Item de manumittendis Hebræis, qui in servitutem venditi sunt, et de debitorum remissione: de quiete septimo quoque anno terræ concedenda. Ad hæc de legalibus præceptis ac testimoniis admonet. Porro servantibus illa, bona pollicetur; transgredientibus vere gravissima mala minatur. Inter cibos autem mundos et immundos distinctionem hujusmodi ponit. In brutis animantibus hæc munda dicit esse, quæ ungulam dividunt, et geminas ungulas habent, ac ruminationem regerunt; qualia sunt vitulus, ovis, capra, cervus, bubalus, caprea, oryx, pygargus, tragelaphus, Camelopardalis et similia. Si vero quidpiam eorum defuerit, pro immundo habebitur, ut sunt camelus, lepus, chœrogryllus : hæc enim ruminant quidem, sed ungulam non findunt; et sus quoque : nam hic ungulas habet ac dividit; sed non ruminat. De volatilibus vero quæ edi vetat, hæc sunt; Aquila, gryphes, haliaëtus, vultur, milvus, corvus, et his similia, accipiter et similia, nycticorax et similia, cataractes, ibis, porphyrio,

pelicanus, cycnus, crodius, charadrius, et his similia, upupa et vespertilio. Repentia volatilia, omnia dicit esse immunda. Quæ quatuor pedibus gradiuntur, quæque crura pedibus sublimiora habent; ita ut in illis a terra saliant qualia sunt, bruchus, pittachus, attagus, locusta et similia, et lacerta. Quæ vero in aquis, sive in mari, sive in fluminibus, ac torrentibus nata, hæc dicit esse munda, illa videlicet quæ pinnas et squamas habent; ut sunt trigla, scarus, glaucus, cestreus, et quæ his sunt similia. Quæ autem aliquo eorum carent, immunda nec edenda; videlicet sepia, quæ pinnas habet, squamis autem caret. Ex illis autem quæ supra terram repunt, hæc immunda esse dicit, mustellam, crocodilum terrestrem, mygalen, chamæleontem, stellionem, sauram et talpam. De serpente autem, et quæ ipsi sunt similia, superfluum esset admonere: hoc namque animantium genus liquet omnibus esse abominandum ac detestandum. Similiterque in Deuteronomio horum meminit. Item agit de morticinis ut prohibitis, de sanguine similiter, de mulieribus parientibus. Si quis semen emiserit, immundus erit diebus septem. De circumcisione pueri octavo die facienda. De muliere menstruata, et de differentia purgationis earum quæ vel masculum vel fœminam pepererint. Lex de lepra et de ejus purgatione, de seminifluis et de menstruis. De reverentia, de capro emissario et de jejunio. De cohibendo illegitimo coïtu: de connubiis legitimis et illegitimis, et quod non debeat sacerdos viduam aut repudiatam ducere, sed virginem. De filia sacerdotis fornicante. Quod sacerdos inculpatus esse debeat. De donis oblatis. De Sabbatis, de festis, et de festo Paschatis, de Scenopegia, deque festo Tubarum. De oleo, de lumine, de panibus propositionis et de anno remissionis. Deinceps de servis judæis et gentilibus: de repudiatione idolorum sic loquitur: « Ego enim

» sum Deus vester ; non facietis vobis ipsis simulacra, nec » statuam erigetis vobis, neque lapidem in scopum ponetis » in terra ut adoretis illum[1]. » Ad hæc minas effert in prævaricatores his verbis : « Ego Dominus Deus vester, qui » eduxi vos de terra Ægypti cum essetis servi, et contrivi » vinculum jugi vestri, ac duxi vos cum fiducia. Si autem » non audieritis me, neque feceritis præcepta mea hæc, » sed ipsis repugnaveritis, et si judiciis meis adversetur » anima vestra, ita ut non faciatis omnia præcepta mea, ut » dissipetis testamentum meum, inducam in vos angustiam, » scabiem, et ardorem consumentem oculos vestros : et » seminabitis frustra sementem vestram et hæc comedent » hostes vestri[2]. » Ista continet hic liber, cum aliis mandatis et præceptis, in hisque terminatur.

SYNOPSIS NUMERORUM.

Jubetur Moyses numerare populum a vigesimo anno et supra, erantque sexcenta tria millia hominum, et sexcenti quinquaginta, præter Levitas. Genealogia Levitarum, qui numerantur, erantque viginti duo mille trecenti a natis uno mense et supra. Quia vero primogeniti Israëlis erant viginti duo mille ducenti septuaginta tres, pro iis, qui numerum excedebant, redemptiones accepit Moyses deditque Aaroni. Redemptiones autem erant mille trecenti sexaginta quinque sicli pro quolibet. Præcipit quinam rem sacram obire debeat, quosnam esse oporteat Levitas. Non enim omnes eodem honore dignabantur. Aliis pretiosiora vasa tabernaculi, aliis minora concredebantur. Fuerunt autem Levitæ a vigesimo anno et supra, qui ministrabant, usque ad quinquagesimum annum, octo mille quingenti octoginta tres.

[1] Levit. xxvi, 1. — [2] Ibid. 15-16.

Tunc jubet omnem immundum emittere ex castris, et de sacrificio pro delicto loquitur, legemque zelotypiæ statuit; ut neque calumnia impeteretur mulier circa adulterium, neque adultera latere posset : de precatione sanctificationis statuitur, et quomodo oporteat sacerdotem benedicere filios Israël. Ubi autem stetit tabernaculum, attulerunt principes dona multa magnaque. Jubetur Moyses sanctificare Levitas, auditque a vigesimo anno et supra oportere ipsos ministrare, a quinquagesimo autem anno a ministerio cessare. Præcepit ipsis Deus per Moysem ut Pascha faciant. Dic, » inquit, et faciant filii Israël Pascha [1]. » Erat enim primus mensis secundi anni. Accesserunt autem immundi ad Moysem, et obtulit pro illis Deo. Præcepitque Deus, eum qui non posset in primo mense immolare Pascha, vel quod immundus esset, vel quod in longo itinere, in secundo mense facere, decima tertia die. Si quis vero, mundus cum sit, nec in longo itinere, nolit Pascha facere in primo mense, sub peccato erit. Lex, inquit, una sit advenæ et indigenæ. Cum ascenderet nubes, castra movebant Israëlitæ, et ubi nubes stabat, illic castra metabantur. Jubetur Moyses facere tubas argenteas; ita ut per illas significaretur populo, quandonam proficisci oporteret, quando congregare populum in bellis, in sacrificiis, utendumque esse dicitur his tubis, in festis, in neomeniis, in holocaustis. Ut autem profecti sunt filii Israël, rogabat Moyses Jobab filium Raguel, qui et Jothor dicebatur, ut sibi et viæ et promissorum bonorum consors esset, et cum arca eveheretur, dixit Moyses : « Exurge, Domine, dissipentur » inimici tui, fugiant omnes qui te oderunt [2]. » Et murmuravit populus, et combusta est pars castrorum; et vocatus est locus, Incendium. Precatusque est Moyses, et cessavit ultio. Petebantque carnes, et dicebant: « Recordamur

[1] Num. ix, 2. — [2] Id. x, 35.

» piscium, quos comedebamus in Ægypto, cucumerum, et » peponum, et porrorum et ceparum et alliorum. Nunc » autem anima nostra arida, nihil præter manna respiciunt » oculi nostri[1]. » Ut autem seditionem eorum graviter ferebat et Deo supplicavit : addidit ei septuaginta seniores, qui partem vituperii cum illo ferrent. Tunc Jesu Filio Nave dicente : Prohibe filium Eldad et Modad ne prophetent, ait Moyses : « Num æmularis tu pro me? Et quis de- » derit ut totus populus Domini Prophetæ sint[2] ? » Tunc ascendit coturnix a Domino, et comederunt. Et carnes erant in dentibus eorum, priusquam deficerent. Hoc in Psalmo etiam dictum est : « Adhuc esca eorum erat in ore » ipsorum, et ira Dei ascendit super eos : et occidit in plu- » ribus eorum [3]. » Vocatus autem est hic locus, Sepulcra concupiscentiæ. Tunc locuta est contra Moysem Maria dicens : « Num ipsi soli locutus est Deus[4] ? » Cum dixisset vero Deus, se ipsi soli Prophetarum ita locutum esse, immisit lepram in Mariam, Moyseque rogante pro illa, non tulit eam prius mundari, quam septem dies extra castra mansisset. Mittit ergo quosdam ex populo exploratum terram Chananæorum, Qua explorata, uvam inde gestarunt, terramque admodum laudabant. Sed timebant populum : quod bellatores illic viri essent. Chaleb autem filius Jephone, et Jesus filius Nave, qui et ipsi ex numero exploratorum erant, populo animos addebant : illi autem venerunt lapidatum eos. Rursusque Deum irritaverunt. Tum dixit Deus non ascensuros esse eos qui murmuraverant in terram promissionis, nisi tantum filios eorum, et Chaleb filium Jephone, et Jesum. Quadraginta autem annis, inquit, erunt in deserto, donec filii creverint, secundum numerum dierum, quibus visitaverunt terram. Tunc exploratores omnes mortui sunt, exceptis Chaleb et

[1] Num. xi, 5. — [2] Ibid. 29. — [3] Psal. lxxvii, 31. — [4] Num. xii, 2.

Jesu filio Nave : flevitque populus. Ascenderunt contra Amalec præter Dei placitum, et arca mansit in castris cum Moyse. Exivitque Amalec et percussit eos. Præcipitur de holocaustis, de primitiis, de sacrificiis pro delicto. Deprehensus est quispiam ligna colligens in Sabbato, et lapidatus est. Præcipiuntur fimbrias in oris facere. De Core, Dathan et Abiron : tumultus eorum et pœnæ quas dederunt. His peractis, reliqui de populo non ad meliorem se frugem receperunt : sed rursus insurrexerunt contra Moysem, moriunturque quatuordecim mille septingenti. Tunc floruit virga Aaronis. Dicit et statuit quid accipere debeant Levitæ et sacerdos magnus : et legem dat de cinere vitulæ, ex qua aspersionis aqua fiebat. Hanc porro vitulam visum est quibusdam esse figuram passionis Domini nostri Jesu Christi. Per cinerem autem vitulæ mundabatur is qui immundus erat a mortuo. Venit autem populus in Cades, ibique mortua sepultaque est Maria. Deficiente aqua rursum murmurant Judæi : Moyses vero et Aaron jubentur aquam de petra educere. Percussit illam Moyses dicens : « Numquid ex hac petra educemus » vobis aquam[1] ? » Et egressa est aqua. Dixitque Dominus ad Moysem et Aaron : « Quia non credidistis mihi, ut » sanctificaretis me coram filiis Israël, ideo non inducetis » vos hunc cœtum in terram, quam dedi eis[2]. » Per legatos agit Moyses cum rege Edom, ut eos transire sineret : ille vero non permisit : et declinaverunt ab eo filii Israël. Ut autem pervenerunt in montem Or, jussu Dei assumptis Moyses Aarone et Eleazaro filio ejus, adduxit eos in montem : et induit Eleazarum vestibus ejus. Aaron autem mortus est in monte. Flevitque populus triginta diebus. Chananæum vicerunt et anathemate ferierunt. Profecti autem ad mare Rubrum, circuierunt terram Edom, et animo de-

[1] Num. xx, 10. — [2] Ibid. 12.

fecerunt, murmuraveruntque contra Moysem : immisitque in eos Deus serpentes qui illos occiderent. Precatusque est Moyses, et jubente Deo fecit serpentem æneum : qui vero mordebatur, cum respiceret in serpentem, vivebat. De hoc serpente dictum est in Evangelio : « Sicut » exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita oportet exal» tari filium hominis[1]. » Legatos mittit Moyses ad Seon regem Amorrhæorum. Hic autem Seon cum bellum ante movisset contra regem Moab, cepit terram ejus. Ut vero etiam contra Israëlitas prælium commisit, profligatus ab illis est : urbesque ejus ceperunt Israëlitæ. Congressi etiam cum Og rege Basan, iisdem ipsum malis affecerunt, quibus Seon affecerant, ac terram urbesque ejus omnes ceperunt. Mittit rex Balac ad Balaam vatem, ut malediceret populum. Deus autem initio quidem prohibebat. Ut autem instabat ille apud vatem, concessit quidem ut iret, sed non ut malediceret. Sed convertit maledictiones in benedictionem. Non quod quidpiam possent maledictiones vatis; sed quia miseriis affectus erat populus, crediturus erat illius maledictionibus, illicque propter infirmitatem suam damnandus erat. Hic de Christo vaticinatur dicens : « Orie» tur stella ex Jacob, et surget homo ex Israël[2]. » Spiritus enim Dei fuit in vate. Ut vero abiit Balaam, fornicantur filii Israël cum filiabus Moab, et initiantur Beelphegor. Tunc præcipit Moyses, ut unusquisque fratrem suum idolis servientem interficiat. Tunc Phinees filius Eleazari confodit Zambrin Israëlitam, et Chasbi Madianitidem cum illo : « Et reputatum est illi ad justitiam. » Tunc numerantur filii Israël a vigesimo anno et supra, et inventi sunt sexcenti et tres mille et triginta viri. Levitæ autem tres et viginti mille a mense et supra. Hic census in Araboth Moab factus est trans Jordanem. Neque in illis erat

[1] Joan. III, 14. — [2] Num. XXIV, 17.

quispiam ex iis quos enumeraverat prius Moyses in deserto Sina, exceptis Jesu filio Nave, et Chalebo filio Jephonæ. Accedunt quædam filiæ Salpaad ex tribu Manasse rogantes, cum pater eorum filiis masculis orbus mortuus esset, ut ad se hæreditas veniret atque possessio. Præcepit Deus ut illas acciperent, et si quis sine filio obiret, mandavit ut filia esset hæres; si nec filiam haberet, frater; si fratrem non haberet, patris frater. Ostendit Deus Moysi ex monte Navo terram promissionis, et in ejus locum dux constituitur Jesus filius Nave. Tunc præcipitur filiis Israël de holocaustis, de sacrificiis quotidianis, de illis quæ in Sabbato, de illis quæ in neomeniis, de iis quæ in Pascha, de iis quæ in die hebdomadarum, de iis quæ septimo mense. Præcipit etiam de votis; id est, de iis quæ quispiam offerenda constituerit. Tunc armantur duodecim mille viri ex Israëlitis contra Madianitas, et Phinees cum illis, interficiuntque eos et quinque reges Madiam et Balaam vatem. Et primitias obtulerunt Deo de spoliis, cæteraque inter se diviserunt. Accedentes tribus Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, petebant a Moyse regionem, quæ est trans Jordanem. Ille vero dedit, cum prius illi promisissent se cum reliquis Israëlitis pugnaturos esse, Jordanemque cum armis transituros, ut bellarent pro fratribus suis. Hic narrationem texit Moyses itineris ab Ægypto, donec venerunt e regione Jericho. Jubentur illi exterminare omnia idola gentium. Loquitur etiam illis de terminis terræ, ubi incipiant et ubi desinant. Præcipit etiam circa terram, quam Levitas accipere oportebat, et de sex urbibus refugii; ita ut is qui præter voluntatem occidisset, illuc confugeret, et sine periculo esset ibi manens, donec moreretur sacerdos magnus. Si autem extra terminos urbis caperetur, et occideret eum cognatus occisi, hic non daret pœnas. Et pauca loquitur de legibus circa

cædes. Accedunt principes tribus Manassæ dicentes Moysi: Quoniam visum est ut filiæ Salpaad acciperent hæreditatem : si contigerit eas nubere viro ex altera tribu, quid fiet? sors enim tribus nostræ exibit in illam tribum. Tunc præcepit Moyses, ut vir quisque ex sua tribu uxorem acciperet, ne transferrentur hæreditates a tribu in tribum.

SYNOPSIS DEUTERONOMII.

Quasi summatim priora omnia narrat Moyses, ut illis in memoriam revocet et Dei beneficia, et nequitiam ipsorum. Adhortatio ne idola colerent. Hic jacet illud: « Non » adorabis stellas, quas dispensavit Dominus Deus tuus » omnibus gentibus quæ sub cœlo sunt[1]. » Illud vero, « Dispensavit » intellige; non quod ipse jusserit : absit, sed quemadmodum ait Beatus Paulus : « Tradidit illos Deus in » reprobum sensum[2], » non quod tradiderit ; sed quod illos, qui ita vellent et sine spe conversionis essent dimiserit. Sic et hoc loco, « Dispensavit illis, » id est, cum errorem delegissent, resipiscere nolentes, dimisit. Hic paulum progressus ait, « Testor vobis cœlum et terram, vos » perituros esse, si abscesseritis a Deo[3]. » Deinde ostendit Deum nulli tanta præstitisse bona quanta illis. Et determinat tres urbes ad Jordanem pro refugio. Adhuc eos de pristinis admonet : aitque : « Liga ea in manibus tuis, et » in postibus scribes et docebis filium tuum[4]. » Ubi dixit autem quæ mala iis eventura sint, si non obsequantur, ipsis fiduciam indit, ne hostes metuant. Rursus priora in memoriam revocat. Hic jacet illud: « Attende tibi[5], » quod ip-

[1] Deut. IV, 19. — [2] Rom. I, 28. — [3] Deut. IV, 26. — [4] Id. VI, 8. — [5] Ibid. 12.

sis frequenter in sequentibus repetit: monetque ne victorias propriæ virtuti ascribant, sed Dei gratiæ. Hic jacet illud: « Deus ignis consumens est[1], quod Paulus in Epistola ad Hebræos posuit. Hortatur autem in hoc ipso loco Moyses ne se extollant. « Non enim propter justitiam tuam, inquit, » Israël, exterminabuntur gentes, sed propter ipsorum » impietatem[2]. » In memoriam autem ipsis revocat conflatum vitulum. Hic legitur illud: « Circumcidite duritiam » cordis vestri, et cervicem vestram ne induraveritis[3]. » Laudat terram promissionis. Hic jacet illud: « Cum co- » mederis et biberis et saturatus fueris, attende tibi: » prædicitque mala non obsequentibus, et bona si obedierint. Præcipit ut in monte Garizin detur benedictio, et in monte Gebal maledictio. Jubet destrui idola et eorum loca. Præcipit ne ubique sacrificia Deo offerant, sed in loco quem ipse elegerit. Ne æmulentur gentes, nec cuipiam obtemperent suadenti ut idola colant, etiamsi signa fecerit, non amico, non alii cuipiam, sed ut lapidibus obruant hortantem, sive frater fuerit, sive etiam urbs idola coluerit, eam internecione deleant. Monet quæ comedenda, quæ respuenda sint. Legem dat de remissione debitorum, de remissione et libertate servorum, de primogenitis, de Paschate. Hic jacet illud: « Non poteris Pascha facere in » ulla civitate, quam Dominus Deus tuus dat tibi; sed in » loco, quem elegerit Dominus Deus tuus[4]. » De hebdomadibus, de scenopegiis, de judicibus, de regibus; si quando vellent sibi regem aliquem constituere. De Levitis, deque iis quæ accipere debent. Quod non oporteat illis uti, qui catharistæ, seu mundatores vocantur, non incantatoribus, non divinationibus, non hominibus, aut similibus. Hic jacet illud: « Prophetam vobis suscitabit Deus, ut ego sum[5]. »

[1] Deut. IV, 24, et Hebr. XII, 19 — [2] Id IX, 5. — [3] Id. X, 16. — [4] Id. XVI, 5. — [5] Id. XVIII, 15, et Joan. I, 45.

Deque urbibus refugii præcipitur. Hic legitur illud : « In » ore duorum testium vel trium statuetur omne verbum[1], » et de falsis testibus : quid illi pati debeant. Instante bello dicit quem emittere oporteat, nec ferre ut cum ipsis pugnet. Hortatur ne interficiant hostes in eorum manus cadentes, exceptis septem gentibus. Et urbes quidem omnes, inquit, cum ceperitis, diripite, masculosque tantum occidite. Ex his vero, quorum terram possidetis, neminem vivere concedite. Fructiferas arbores ne cædite, inquit, ad figindum vallum in obsidione. Si quis occisus reperiatur, nec appareat is qui interfecit, quid faciendum sit lege statuit. Si quis duas habens uxores, aliam oderit, aliam dilexerit, contigeritque ut perosæ filius sit primogenitus ; ne illi præferatur, is qui ex dilecta natus est. De filio inobsequente. Hic jacet illud (11) : « Maledictus omnis qui » pendet in ligno[2]. » Quia ergo maledictio prolata erat in eos qui non servarent Legem, « Maledictus omnis qui » non manet in omnibus scriptis in hoc libro[3] ; de Lege loquitur Moyses, nec poterat Christus in hanc incurrere maledictionem ; implevit namque Legem, maledictionem maledictione commutavit, suspensus in ligno. Quod non oporteat etiam inimici jumenta despicere. Alia quoque constituit, et de nuptialibus legibus edisserit, pœnasque constituit contra violatores virginum. Quos prohibeat ab ingressu in Ecclesiam, de aliis quoque leges fert, deque non accipiendo fœnore. Non cunctandum esse ad reddenda vota ; sed quod quis voverit, statim solvat. De muliere quæ accepit libellum repudii, de pignoribus, de furto, de mercede mercenarii, de pupillo, de vidua, de relinquendis spicis et uvis pro pauperibus. Hic jacet, quod non debeat pro iniquitate aliqua plusquam quadraginta plagas quis accipere. De non alligando ore bovis triturantis, de suscitando se-

[1] Deut. XIX, 15. — [2] Id. XXI, 24. — [3] Galat. III, 13, et Deut. XXVII, 26.

mine fratri qui defunctus, ab eo qui superstes est: et quid passurus sit qui noluerit suscitare. De ponderibus, de mensuris. De exterminando Amaleco, de primitiis, de humanitate erga viduas et pupillos. Hinc demum incipiunt maledictiones et benedictiones; illæ inobedientibus, hæ obtemperantibus. Longumque texit sermonem de malis ipsos invasuris. Hoc contigit sub Assyriis et Babyloniis. Illud autem, quod filii quoque sint comedendi, in obsidionibus contigit. De ipso quoque Christo hic meminit. « Erit, » inquit, vita tua pendens ante oculos tuos[1]. » Hic jacet illud: « Ne qua radix amaritudinis[2], » quod Paulus commemorat in Epistola ad Hebræos. Hic legitur illud: « Oc- » culta Domino Deo: manifesta vero vobis et filiis vestris, » quia mandatum ejus, inquit, non erit sublime. Non in » cœlo, ut dicas: Quis ascendet in cœlum; neque ultra » mare, sed prope te verbum est, in ore tuo[3]. » Hæc de legali mandato dicta, ad fidem in Christum traxit Paulus. « Testes voco vobis, inquit, cœlum et terram, ut diligatis » Deum[4]. » Tunc vocat Jesum filium Nave, et jubet ducere populum, nec hostes formidare, cum Deum habeant auxiliatorem. Præcipitque ut in scenopegiis toti populo lex legatur. Prædicit Moysi Deus, post ejus mortem populum idolis serviturum, et puniendum fore. Esto, inquit, hoc canticum, quod contra ipsos testimonium ferat. Non enim unquam ejus obliviscentur. Et scripsit Moyses canticum, et prædixit eis quod inique sint acturi. Hic legitur: « Ipsi » me ad æmulationem provocaverunt in eo qui non erat » Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis; et ego ad æmu- » lationem provocabo eos in non gente[5]. » Jubetur Moyses ascendere in montem Abarim, qui etiam Nabus vocabatur, et videre terram promissionis, et postquam singulas tri-

[1] Deut. xxviii, 66. — [2] Id. xxix, 18. — [3] Id. xxx, 12; Rom. x, 6, et xii, 15 et 29. — [4] Deut xxx, 19. — [5] Id. xxxii, 21.

bus benedixisset, mortuus est: nemoque novit sepulcrum ejus ad hanc usque diem. Huc desinunt quinque libri Moysis, quos solos acceperunt admiseruntque Samaritæ.

SYNOPSIS LIBRI JESU FILII NAVE.

Jubetur Jesus præcipere populo, ut legi Dei attendat. Mittit exploratores, qui intrant in Jericho. Cum id audisset rex urbis, misit qui viros requirerent a Raab meretrice, quæ ipsos susceperat. Illa vero exploratores occultavit. Proque illa gratia petiit pro domo sua salutem, cum urbs capta foret. Illi annuerunt. Et cum discessissent, quæ gesta erant renuntiarunt. Præcipit populo ut Jordanem transeat, et sicco pede transierunt, lapidesque duodecim in castris statuerunt. Hoc audito reges Amorrhæorum qui trans Jordanem erant, et reges Phœnices, eos sicco pede transivisse Jordanem, exterriti, perculsique sunt. Tunc Jesus jussus cultris lapideis circumcidit Judæos. Quia quadraginta annis versatus fuerat Israël in deserto, ideoque multi eorum bellatorum qui obierant, incircumcisi erant; pro illis substituit Deus filios eorum, quos Jesus circumcidit, quod ipsi incircumcisi mansissent in via. Tunc fecit Pascha. Et a die qua comederunt azyma ex frumento terræ illius, defecit manna. Jubetur Jesus solvere calceamentum suum, et circuire Jericho cum tubis et arca septem diebus. Quo peracto, per se muri ceciderunt. Manifestum itaque est jam tunc cœptum esse solvi sabbatum: undecumque enim initium quis ducat, necesse est sabbatum incidere in septem illos dies. Tunc servatur quidem Raab cum cognatione sua, et habitat in Israël; incenditur autem urbs, et anathemate percutitur: maledixitque Jesus ei qui illam reædificaret. Furatus est

ex anathemate Achar, et vincitur populus aggressus aliam urbem. Deum precatur Jesus : Jubet Deus tolli anathema : deprehensus est Achar, furtum detectum, lapidatur Achar cum filis et filiabus. Pugnavit Jesus certamine et cepit Gazam, incenditque : ac ceciderunt in illa duodecim millia, regemque urbis suspenderunt in ligno. Conveniunt ad debellandum Israëlem reges Amorrhæorum et Chananæorum ac reliqui. Ædificat Jesus altare ex lapidibus integris, illic Deuteronomium scribit : dimidiaque pars populi stat prope montem Gebal, dimidia autem prope montem Garizin. Dehinc quæ gesta sunt circa Gabaonitas. Ili enim ex Israëlitarum fama perterrefacti, auditis iis quæ jam in bellis præclare gesserant, ipsos adeunt vetustis induti vestimentis, panes aridos ferentes, sandaliaque vetera, populoque dicunt se ex terra longinqua venire ; signumque procul remotarum sedium, esse vestimenta, panes et sandalia : nam in longa via hæc detrita fuisse dicebant : venire autem se ad pacta pacemque cum ipsis ineunda. Illi autem Deo non consulto, fœdera inierunt. Ut vero cognoverunt se deceptos fuisse, illosque non procul, sed prope habitare : cum non possent illos oppugnare contra juramenta, servos ipsos constituerunt lignarios, et aquæ bajulos. Hic exitum habet prædictio Noæ, quam dixit : « Chanaan puer servus[1] : » ex illo namque hi orti fuere. Audivit Adonibezec rex Jerusalem captam fuisse Jericho et Gazam, Gabaonitasque transfugisse, ac bellum ipsis intulit aliis sibi adjunctis regibus. Illi vero ad auxilium sibi ferendum Jesum vocarunt. Venit autem ille, prælioque commisso, in fugam illos vertit : ac de cœlo in illos grando decidit : pluresque grando occidit, quam filii Israël gladio. Tunc stetit sol contra Gabaon et luna contra convallem Elom ; totumque inimicorum po-

[1] Gen. IX, 25.

pulum interfecit Jesus, necnon quinque reges. Cepit autem Macelam et Lobnam, Lachis, Odolam, Chebronem et Dabir, et montes et planitiem. Convenerunt alii reges multi cum exercitibus magnis : et hos quoque occidit Jesus. Horum hic nomina recensentur, et urbes, numerusque. Jubetur Jesus terram tradere Israëlitis : ac describitur quæ tribus sortes acceperint, et quid Levitis datum fuerit. Remittit Jesus tribum Ruben et Gad, dimidiamque tribum Manasse in sortes suas, quas acceperant adhuc vivente Moyse. Qui autem abierunt, aram ad Jordanem ædificarunt. Hoc alias tribus perturbavit. Putabant enim illos hoc defectionis causa fecisse. Miserunt qui ipsos reprehenderent : illi vero sese purgantes dixerunt se non defectionis causa aram ædificasse ; sed ne posteri vestri, inquiunt, filios nostros alienos habeant a sua cognatione, eo quod Jordanis inter medium eorum fluat; sed ut sit ara in testimonium, nec possint dicere filii vestri nepotibus nostris : Non est vobis portio Domini ; sicque persuaserunt reliquis tribubus ne sibi bellum inferrent. Tunc convocat Israëlitas Jesus, ipsisque in memoriam revocat Dei beneficia, hortatur ut legem observent, prædicitque mala quæ illos exceptura sunt, nisi illam custodierint, et mortuus est. Moritur et Eleazar sacerdos, et in locum ejus sacerdotium obtinet Phinees filius ejus. Et filii Israël idola coluerunt, traditique sunt in manus Æglom, regis Moab, qui in illos imperium obtinuit annis octodecim.

SYNOPSIS JUDICUM.

Hic narratur quas urbes ceperint, quasque sibi tributarias fecerint Israëlitæ. Nam circa belli labores emolliti, transgressi sunt mandatum Dei, quo jubebantur omnes

internecione delere. Venit Angelus a Domino ad Israëlitas, qui illorum prævaricationem redarguit. Cum enim oportuisset illos delere, inquit, vos fœdera cum ipsis iniistis. Ideo non exterminabit Deus reliquas gentes. His auditis illi fleverunt unanimiter, locusque vocatus est, Fletus. Et prævaricati sunt, ac tradebantur hostibus, et a servitute liberabantur, rursumque iisdem in malis perseverabant. Traditi sunt Chusab Sathon regi Syriæ annis octo, et eripuit eos Dominus per Gothoniel judicem. Et traditi sunt Æglom, regi Moab, et clamaverunt ad Dominum, et suscitavit illis Aod, qui dolo occidit Æglom et Moabitas. Post hunc populi judex fuit Somegar, et postea Debora mulier prophetissa. Cum autem regi Chanaan servirent Israëlitæ, Baracum jubet Debora se ducem belli præbere. Ille noluit, nisi et illa cum ipso exiret : exivitque mulier. Commisso prælio, fugerunt hostes : duxque Jabisi Sisara accedens ad quamdam mulierem Jaëlem dictam, petebat ab illa potum : illa pro aqua lac illi dedit. Ut autem post potum obdormivit, arreptum vectem mulier per tempora ejus transfixit. Sic mortuus est Sisara : ingressusque Barac vidit illum mortuum. Tunc canticum triumphale cecinit Debora. Rursus traduntur Israëlitæ in manus Madiam, nam frequenter Deum irritabant. Tunc Gedeoni visus est Angelus, qui illum ad bellum concitavit. Dehinc præcipit illi Dominus ut immolaret vitulum saginatum patris sui, et offerret holocaustum, Baalisque aram destrueret. Paruit ille et obtulit holocaustum Deo. Signumque petit Gedeon qui et Jerobaal vocatus est, in vellere editum. Jubeturque totum dimittere exercitum, trecentosque tantum retinere. Id quod ille fecit, et congressus cum lampadibus et tubis, hostes profligavit. Tunc occisi sunt Oreb et Zeb principes Madiam, et Zebee et Salmana reges. Gedeon moriens reliquit filios septuaginta, et ex concubina unum

Abimelechum. Hic occisis septuaginta fratribus, regnum obtinuit : nec multo elapso tempore fratricidii pœnas dedit. Cum enim in prælio accessisset ad quamdam urbem, fragmento molæ caput ejus a muliere confractum est, illeque vitam amisit. Post Abimelech judicavit Thola, post Tholam Jaïr. Et irritaverunt Deum filii Israël, et traditi sunt in manus Ammon. Tunc Jepthe meretricis filium et a domo paterna per fratres ejectum, ducem belli contra filios Ammon esse rogant principes populi, ipsique imperium tradunt. Ille obtemperavit, ac legatis ad regem filiorum Ammon missis, cum nihil suasisset, vovet se Deo immolaturum eum qui primus ipsi occurreret, si rediret ex bello : commisso prælio, cum vicisset hostes, filiam suam immolat : ipsa enim prior occurrit illi. Rursus irritaverunt Deum filii Israël, et traditi sunt in manus alienigenarum. Tunc nascitur Samson, et visa muliere in Thamnatha, ejus amore captus est, ipsamque uxorem ducere volebat. Parentes autem primo impediebant : quod illa alienigena esset. Ut autem viderunt ipsum instantem, non ultra prohibuerunt. Cum abiret autem de illa collocuturus, occurrit illi leo, quem manibus suis occidit. Cum autem nuptiæ celebrandæ essent, rursum profectus, videt favum mellis in ore leonis, quem occiderat, et acceptum comedit, deditque parentibus et concivibus suis : atque ænigma proposuit ipsis dicens : « Ex ore comedentis egres-» sus est cibus, » id est, ex ore leonis; « Et ex austero pro » amaritudine dulcedo. » Promisitque se daturum ei qui id interpretaretur triginta sindonas, et triginta stolas; sin non possent, sibi tantumdem darent. Ut autem illi hærebant, et explicationem non reperiebant, uxori ejus comminati sunt mortem, nisi ab illo explicationem ænigmatis edisceret; cum didicisset illa, ipsis annuntiavit : et cum illam explicationem dixissent, pignora acceperunt. Indig-

natus est Samson. Pater autem sponsæ metuens, illam pronubo suo dedit : id quod magis Samsonem contristavit, et arreptis vulpibus trecentis, lampadibusque a tergo eorum accensis, emisit in campos alienigenarum : ut autem campestres eorum messes incendit, illi sponsæ domum cum ipsa sponsa et patre ejus combusserunt. Neque hoc facto sedavit iram Samson, sed adhuc oppugnabat eos. Illi vero instructa contra Israëlem acie, Samsonem petebant, illum vero vinctum hostibus tradiderunt Israëlitæ. Fractis ille vinculis, cum invenisset maxillam asini, mille cum illa viros occidit. Cumque siti affligeretur precatus est Deum, et exivit aqua ex maxilla et bibit. Inde venit ad meretricem mulierem in Gazam, ipsumque hostes circumdederunt : ille vero media nocte eductas urbis portas imponens humeris suis, abiit. Adamavit post hæc mulierem quamdam Samson Dalidam nomine, et accepit eam in uxorem. Huic promiserunt Satrapæ Alienigenarum mille et centum argenteos, si ab ipso edisceret, quo pacto expugnatu facilis foret. Cum autem illa id ediscere conaretur, primo quidem illam decipiebat : demum cum importune illa insisteret, veritatem ipi enuntiavit, nempe se, si quis sibi capillos auferret, infirmum evasurum. Illa evocatis Satrapis, cum illum ad somnum inductum tonderi curasset, infirmum reddidit. Ipsum vero captum Alienigenæ excæcarunt, et injecerunt in carcerem. Illi vero lætabantur, et eduxerunt eum ex carcere, ut ipsi illuderent. Samson autem acerbe ingemiscens, cum Dominum rogasset ut sibi vires inderet, arreptis columnis domus, iisque concussis, domum decussit in Satrapas, in se ipsum et in alium populum multum, pluresque tunc mortui sunt, quam ipse vivens occiderat. Deinde bellum movent qui ex tribu Dan erant, Laïsamque capiunt et ipsi nomen indiderunt : statueruntque ibi sculptile colendum. Vir Levita,

cum concubina ejus irata abscessisset in domum patris sui, profectus est ut illam secum reduceret; cum accepta illa rediret, iterque ageret, divertit in Gabaa Benjamin, apud senem quemdam. Qui in Gabaa erant circumdantes domum, petebant hospitem, ut contumeliam ipsi inferrent. Senex paratus erat ipsis tradere filiam suam virginem. Illi accepta concubina, illuserunt ei per totam noctem. Appetente luce, illa dimissa abierunt. Illa vero ex inducta sibi molestia, cum ad domum, quo diverterat vir ejus, pervenisset, expiravit. Ille egressus cum mortuam invenisset, cadaver in duodecim partes divisit, misitque duodecim tribubus. Factum indigne tulerunt Israëlitæ, et armati petebant eos qui mulieri contumeliam fecerant. Ut autem Benjamitæ illos tradere renuerunt, bellum moverunt. Et primo victi sunt, secundo similiter. In tertio autem congressu totam tribum Benjamin percusserunt, præter sexcentos, qui aufugerant. Cum autem periculum esset ne tota tribus periret: neque enim illi mulieres habebant, filiique Israël juraverant se filias suas non ipsis in uxores daturos esse; occisis illis qui cum ipsis bellum non gesserant contra Benjamitas, illorum filias virgines quadringentas ipsis dederunt: cum autem residui essent qui non haberent uxores, dum festum celebraretur, permiserunt eis ut virgines raperent, insciis parentibus.

SYNOPSIS LIBRI RUTH.

Noëmmin, viro suo filiisque mortuis, cessante fame ob quam in Moabitidem transmigraverat, venit in Judæam, ejusque altera nurus, ipsa suadente, mansit in Moabitide; altera vero, cui nomen Ruth, ipsi multis hortanti ut maneret, non obtemperavit, sed secuta est illam. Nupsitque

Boozo, qui affinis erat Noëmmin, et peperit Obed, Obed autem Jessæ, Jessæ David regem.

SYNOPSIS QUATUOR LIBRORUM REGNORUM.

Elcana uxores habens duas, ex altera non suceperat liberos. Ut autem ascendit sacrificatum in Selom, precatur illa mulier, et parit Samuëlem, ipsumque dedit ad domum Domini perpetuo, ut voverat antequam illum conciperet. Tunc autem sacerdos erat Eli. Filii autem Eli Ophni et Phinees, scelerati et improbi juvenes erant, qui de victimis sartes sumebant antequam offerrentur Deo. Eli autem benedixit Annam, quæ tres adhuc filios habuit, et duas filias, Samuëlque in virtute proficiebat. Eli porro auditis filiorum facinoribus, mœchabantur enim, increpavit eos verbo; illi vero non obtemperarunt. Prædicitur Eli pernicies domus suæ et filiorum ob peccatum juvenum. Samuëli quoque denuntiatur inexpiabilis ira Dei, id ipsi Samuël denuntiat. Pugnant Alienigenæ cum Israële, quem cæsum in fugam vertunt. Ut autem arcam eduxerunt filii Eli, ipsi cadunt in bello cum aliis multis, arcam vero capiunt hostes. Venit quispiam qui hæc renuntiaret Eli. Ille vero ex sella delapsus, attritus est et obiit. Mortua quoque est ejus nurus cum hæc audivit. Intulerunt Alienigenæ arcam in domum Dagonis, qui delapsus est bis et confractus fuit. Percussi sunt etiam viri in podicibus. Hi porro erant Azotii, et mures protulit illorum ager. Mittunt arcam in Geth; hi quoque plagis affecti sunt. Mittunt quoque illam Ascalonem : et illic quoque mors grassatur. Consulentibus autem illorum vatibus, podices aureos, muresque aureos conflant, et plaustro impositos cum arca vaccas jugant, quarum vitulos in domuncula concludunt. Illæ

vero recta via processerunt in Bethsamys. Excipiunt illam viri illius loci, et Deo sacrificant, videntibus Alienigenarum Satrapis. Cum vero non placide exciperent; id est, non una lætarentur filii Jechoniæ, plaga magna populum invadit: ac metuentes ii, qui Bethsamyn incolebant, mittunt arcam in domum Aminadab. Tunc conversi sunt ad Deum Israëlitæ, et Alienigenas sibi bellum inferentes profligant, Samuële pro ipsis orante, et ceperunt urbes, quas sibi abstulerant. Cum vero consenuisset Samuël, filiique ejus non ambularent in via ipsius, congregati Judæi regem petunt. Dolore hac de re affectus est Samuël, aitque illi Deus: « Non te contempserunt, sed me. Hoc itaque testi» ficor ipsis, jus regis[1]: » id est, quantum ab ipsis ministerium accipere rex debeat. Samuël testificatus est. Illi vero petentes instabant. Deperditæ erant asinæ Kis patris Saül: misit illum pater, qui illas perquireret. Cum autem non inveniret, consulente famulo suo, adit Samuëlem, sciscitaturus de re illa. Ipsum indicat Deus Samuëli dicens: Hunc inunge regem. Accessit Saül Samuëlem interrogans, ubi esset Videns; sic enim Prophetas vocabant. Ille vero respondit se ipsum esse, et adductum illum in Bama, ubi sacrificium apud populum erat, convivio excepit, et illucescente aurora, quando cum illo descendebat, effudit in illum lenticulam olei, ipsumque osculans sic affatus est: Imperabis populo, et signis quibusdam datis, emisit illum, et prophetavit Saül. Interrogat Saülem ejus propinquus, quonam abiisset, qui respondit, Ad perquisitionem asinarum. Congregatur populus in Massepha: rex constituitur Saül. Bellum movet rex Ammanitarum contra Galaaditas[2]: illi legatos mittunt ad Saül: qui motis castris prælium cum illis commisit, et hostes omnino profligavit. Convivium celebrant in Galgalis[3]. Concienatur populo

[1] 1 Reg. VIII, 7. — [2] Id. XI. — [3] Id. XII.

Samuël. Tunc dixit, An vitulum cujuspiam, an asinum cujuspiam accepi? Hortatus illos ut Deo obsequerentur, precatur, et pluvia in die messis delabitur. Timuit populus, confessusque est se peccasse petendo regem. Samuël autem rursus hortatur, ut Dei præcepta sequantur. Alienigenas cædit Saül[1]. Illi autem indignati, bellum redintegrant cum majoribus copiis. Fugiunt Israëlitæ, solus relinquitur Saül. Offert holocaustum Deo, non expectato Samuële, qui ut se expectaret præceperat. Venit Samuël, indigne fert id quod gestum erat, minatur ipsi regni dissolutionem; in alterum quippe transferendum esse; Davidem dicebat. Cum sederet Saül in colle cum sexcentis viris[2], clam Jonathan filius ejus cum famulo suo irruens in hostes, quosdam occidit. Id cum videret Saül, jam turbatos adortus vincit, et cum juramento edixit ne quispiam usque ad vesperam aliquid gustaret. Jonathan cum id non audisset, de melle gustavit. Accedit Saül interrogaturus Deum, num oporteret hostes insequi. Non respondet ipsi Deus. Intellexitque ille peccatum in populo factum esse. Ut autem deprehensus est Jonathan, paratus erat ad occidendum illum. Sed populus exemit eum de manibus ejus. Præcipit Samuël Saüli, ut debellet Amalecitas[3], omnia perdat, et nemini parcat. Ille vero non paruit, servavitque Agag regem eorum, et greges, et armenta. Veniens Samuël vidit, iratus est, et ait: « Non tam vult Deus » holocausta et sacrificia, quam ut audiatur vox ejus: ecce » enim obedientia melior est, quam victima[4]. » Minatur etiam tunc auferendum ab illo esse regnum. Saül autem vim inferebat ipsi ut secum veniret. Ille vero noluit. Demum vi coactus ascendit. Posteaque ipse Samuël, cum jussisset adduci ad ipsum Agag, suis manibus ipsum occidit. Ex illo autem tempore non vidit Saülem usque ad diem

[1] 1 Reg. xiii. — [2] Id. xiv. — [3] Id. xv. — [4] Ibid. 22.

mortis ejus, sed lugebat ipsum. Deinde mittitur Samuël a Deo, ut inungeret Davidem, et cum venisset inunxit[1]. Tunc corripuit Saülem spiritus malus, et adducunt ei Davidem, qui psalleret, et sedaret spiritum malum. Ut autem bellum intulit Goliath[2], cum omnes metu perculsi essent, mittitur David visitatum fratres suos: utque venit ad castra, percontatur quid muneris futurum sit ei qui occidisset hunc Alienigenam. Illi vero dicebant: Filia regis dabitur ei in uxorem. Adiit ille Saülem, se interfecturum illum pollicitus est. Ille vero non credebat. Demum dimisit armis nudatum, eo quod non posset arma gestare. David emisso lapide in frontem ejus, prostravit ipsum, et ipsius gladio caput ejus amputans, splendidus ex prælio rediit. Illo conspecto Jonathan animo ipsi colligatus est, admodumque illum diligebat, donaque ipsi obtulit. Saül vero invidebat ei, eo quod choreas agitantes puellæ dixissent: « Percussit Saül in millibus, et David in decem mil» libus[3]. » Extulit Saül hastam contra Davidem, ut occideret eum: ille vero aufugit. Cum autem David clarus omnibusque probatus esset, magis mordebatur Saül; cumque ipsum perdere vellet, pollicitus est ei filiam suam, si ex hostibus centum occideret: cum autem occidisset, gener regis efficitur. Alioque instante bello rursum præclare se gessit: Saül vero multo magis exasperabatur in illum, dicitque filio suo Jonathan se illum interficere velle[4]. Ille vero Davidi rem aperuit, præcepitque ut lateret. Ubi vero patrem placaverat, Davidem ad ipsum adducit. Bello autem rursus instante, strenue se gessit David, rursumque a Saüle aufugit volente eum lancea confodere. Uxoris consilio illinc aufugit. Mittit Saül qui illum comprehenderent; respondet illa ægrotum esse. Saül illum aufugisse gnarus, filiam redarguit: atque cum comperisset ubinam esset Da-

[1] 1 Reg. XVI. — [2] Id. XVII. — [3] Id. XVIII, 7. — [4] Id. XIX.

vid, mittit qui illum captum adducerent. Cum autem ii qui missi fuerant non redirent, sed manentes prophetarent, ipse quoque abiit. Ad Jonathan adiit David, et renuntiat ei Saülem suam machinari necem[1]. Quod si velis, inquit, in crastina die ediscere, tempore prandii abero. Si pater tuus absentiæ causam petat, dic me cum sacrificium esset in urbe, abeundi licentiam petiisse. Id si ille placide tulerit, nihil mali suspicor: sin ægre tulerit, planum est mihi ultionem et insidias parari. Hoc facit Jonathan; Saül autem usque adeo iratus est, ut conatus sit filium suum occidere. Ille vero de mensa resiliens, in campum exivit, et sagittas emisit; erat enim hoc constitutum signum; et accurrens post servum suum, dum David eo in loco latebat, ait: Cito propera, ne cuncteris, quia sagitta illic est procul a te. Intellexit David quid hæc significarent, et cum servus recessisset, ruit in amplexum Jonathan et flevit: ille vero fugere jussit et pactorum recordari. Hæc porro erant, ne unquam misericordiam amoveret ex domo Jonathan, sive viventis, sive mortui. Venit David ad Abimelech sacerdotem[2]. Tunc panes propositionis comedit: accepit quoque gladium Goliathi dicens se a rege aliquo missum cum diligentia. Et venit inde ad Anchus, deinde in Odolam[3], et commendat regi Moab domum suam. Cum autem Saül conquereretur apud servos suos, quod nemo ejus vicem doleret, nec Davidem sibi traderet: Doëc Idumæus, qui præsens erat quando David ad sacerdotem venit, annuntiavit illi quod factum erat. Ille accitis sacerdotibus, cum ii qui præsentes erant nollent illos occidere, Doëcum id jubet, qui occidit trecentos quinquaginta viros portantes ephud, et Noba eorum urbem delevit. Hæc Davidi renuntiavit unus ex filiis sacerdotis, qui carnificinam evaserat. Ille vero dolens, superstitem illum

[1] 1 Reg. xx. — [2] Id. xxi. — [3] Id. xxii.

apud se servavit, et Cilam oppugnatam liberavit. Cum audisset autem Saülem ad se venire, exiit inde in desertum Ziph[1]. Quod cum audisset Saül, ad illum perrexit. Dum autem illum insequeretur, audito hostium incursu, recedit. Deinde cum ex hostibus rediisset, illum denuo perquirebat[2], et ingressus est in speluncam, in qua David sedebat, et cum illo viri interius positi. Cumque omnes hortarentur eum ut occideret Saülem, non obtemperavit, neque volentibus id concessit. Ut autem exivit ille ex spelunca, hic etiam secutus est, et clamans ad illum, ipsius nequitiam et justitiam suam Saülem docuit. Ille vero lacrymatus est. Tunc mortuus est Samuël. Mittit qui a Nabale dona peterent pro custodia qua servaverat greges ipsius[3]. Ille vero non modo non dedit, sed etiam contumelia ipsum affecit per legatos suos. Ille armatus incedebat ut perderet eum. Hæc didicit Abigaïa uxor illius, et acceptis muneribus occurrit Davidi, multaque precata, impetum ejus cohibuit. Mortuoque Nabale, Abigaïa ejus uxor efficitur. Cum audisset Saül quo in loco esset David, venit rursus ad eum[4]. Dormiente autem Saüle cum toto exercitu suo, advenit David cum Abessa: cumque hic juberet confodere inimicum, non cessit ille; sed accepto scypho qui ad caput ejus erat, et hasta, longius processit, et clamans excitavit ejus ducem, et de socordia incusabat, quod non custodiret regem. Ostenditque hastam et scyphum, et incusat Saülem, quod eum qui se nihil læserat insequeretur. Tunc fugit David ad regem Anchus: neque enim tutum esse putabat versari prope Saülem[5]. Accipit David ab Anchus Seceiac: et incursus faciebat in hostes, accipiebatque pecunias et oves multas. Tunc congregantur Alienigenæ contra Israëlem, et Saül interrogat

[1] 1 Reg. XXIII. — [2] Id. XXIV. — [3] Id. XXV. — [4] Id. XXVI. — [5] Id. XXVII.

engastrimytham[1]. Reversus David ab exercitu; non enim sinebant ipsum Satrapæ Alienigenarum secum in prælium procedere, suspicantes ne exercitum suum proderet; invenit Seceiac incensam, sublatasque mulieres, captivæ namque abductæ fuerant[2]. » Interrogato autem Deo an insequi deberet; illoque respondente debere, insecutus illos est. Et cum didicisset a puero Ægyptio, ubinam castrametarentur : segniter agentes invadens percussit illos, et spolia accepit, et æquali sorte divisit illis qui pugnaverant, et illis qui in vasis manserant[3]. Cum commissum autem prælium fuisset inter Israëlem et Alienigenas; cecidere Saül et Jonathan, et duo alii filii ejus : et captum ipsum hostes suspenderunt in muro Bithsan, quæ est Scythopolis. Venientes autem viri de Jabes, acceperunt eum et Jonathan, et sepelierunt.

REGNORUM LIBER II.

Venit quispiam annuntians Davidi se Saülem occidisse: et interfecit illum David. Luxitque Saülem et Jonathan, et inunctus est in regem[4]. Mittit ad habitatores Jabes Galaad, laudans illos quod sepelissent Saülem. Et Abenner dux Saülis regem Israëlis constituit Memphibosthe (12) filium Saülis. David vero regnavit in Judam. Ut autem occurrerunt sibi Joab Davidis, et Abenner Saülis duces, et commissum est prælium a juventute, persecutus est Asaël frater Joab Abenner : quo sæpe jubente ut recederet, noluit ille. Tunc occidit eum Abenner, et vocato Joabo hortatur ut præliandi finem faciat. Bellumque erat inter domum Saülis et domum David[5]. Et ille quidem

[1] 1 Reg. XXVIII. — [2] Id. XXIX et XXX. — [3] Id. XXXI. — [4] 2 Reg. I et II. — [5] Id. III.

deficiebat, hic vere confirmabatur. Concubinam Saülis sibi sumit Abenner : objurgavit Memphibosthe. Iratus Abenner mittit ad Davidem, promittens se totum illi populum daturum. Venientem ad se convivio excepit David. Ut autem id audivit, cum e bello reversus est Joab, evocatum Abennerum dolo occidit, ut sanguinem fratris sui ulcisceretur. Re comperta David maledicit Joabo, et luget Abennerum, ac cum honore multo sepelit. Ichaab et Banaas clam occiso Memphibosthe venerunt ad David, ac si cædem hanc præclare gessissent. Ille vero hos interfecit[1]. Tunc totius populi rex efficitur David, et venit Jerusalem ad Jebusæum, impediuntque illum claudi ne intraret, cœpit arcem, et ædificavit sibi domum. Cum illo quoque fœdus habebat Chyram rex Tyri. Bellum moverunt Alienigenæ, et egressus fudit eos David. Ut autem rursus invaserunt, a Deo prohibetur, ne in occursum illorum eat. Sed « Cum audieris, inquit Deus, vocem » tremoris fletus[2], » tunc prælium committe. Tunc enim tradentur tibi. Amovet arcam David, et moritur Oza, quia extendit manum suam ad arcam[3]. Cum autem duceretur arca saltabat David, et despexit eum Melchol. Tunc cum vellet David ædificare templum, prohibetur a Nathan propheta, et precatur gratias agens Deo[4]; gratias, inquam, de promissionibus quas audivit. Percussit David Alienigenas et Moabum et Syros, et arma aurea, quæ accepit, attulit Jerosolymam, quæ demum abstulit Susacim rex Ægypti[5]. Multaque anathemata consecravit David. Memphibaalum (13) filium Jonathæ dignatur mensa regia, et omnia quæ ad Saülem pertinebant dat ipsi[6]. Jubetque Sibam, qui erat servus paternus, Memphibaali servire cum filiis suis. Mittit autem ad regem filiorum Ammon,

[1] 2 Reg. IV et V. — [2] Ibid. 24. — [3] Id. VI. — [4] Id. VII. — [5] Id. VIII. — [6] Id. IX.

qui consolarentur eum, quia mortuus erat pater ejus[1]. Ille vero suadentibus optimatibus ejus, dedecore afficit eos qui a Davide missi erant ad illum consolandum. Hinc oritur bellum : et primo quidem mittit Joabum : deinde venit ipse David, et inimicos fugat. Hinc ea quæ ad Uriam et ad Bersabee pertinent, et ad infantem qui mortuus est. Posteaque nascitur Salomon[2]. Oppugnat Joab Ravath, et postquam urbem occupavit, mittit ad David, volens victoriam ipsi ascribi. Amat filius David Amnon sororem suam Thamar, et simulato morbo[3], venientem illam ad se visitandum contumelia afficit. Qua re audita frater ejus Abessalom, invitat postea regem ad convivium : cumque rex non veniret, rogat fratres ut veniant. Cum autem venissent, illo jubente servi ipsius inter prandendum occiderunt Amnonem. Ut vero rex audivit, multum luxit, et iratus fuit in Abessalom. Ille autem aufugit; et post tres annos, cum sedata esset ira regis, astute providet Joab per mulierem Thecoïtidem, suadetque regi ut Abessalom revocet[4]. Redeuntem noluit pater statim videre. Sed duobus annis manebat in Jerusalem extra conspectum regis. Tunc vocat Joabum; ille vero non obtemperavit. Deinde illius agrum incendit, et sic coactus venit ad Abessalom : et ab illo missus ad regem, ipsum cum patre reconciliavit, et ad illum adduxit. Fecit autem Abessalom sibi currus et equites et eos qui ad judicium accedebant cum multo excipiebat honore, et laudabat quasi qui justa dicere possent[5]; miserabatur autem, quasi nemo esset qui posset illos defendere, ac dicebat : « Quis me consti-» tuet judicem super terram[6]? » Et sic populum sibi conciliavit. Insurgit Abessalom contra Davidem; qua re comperta ille fugit ex Jerusalem, dimissis in urbe concu-

[1] 2 Reg. x.— [2] Id. xi et xii. — [3] Id. xiii. — [4] Id. xiv. — [5] Id. xv. — [6] Ibid. xv, 4.

binis suis. Ethi volentem secum abire primo cohibet, deinde ubi instantem vidit, id permisit. Ubi autem torrentem trajecerunt, imperat sacerdotibus ut reducant arcam in urbem. Ipse vero se expectaturum eos dicit in loco Olivarum, si quid habeant arcanorum regis dicendum. Occurrit Davidi Chusi[1]. Ille vero misit eum ut Achitopheli obsisteret, qui erat ipsi Abessalom a consiliis. Ut autem abscessit ille, venit Siba, qui accusato hero suo Memphibaal, quasi regnare vellet, totum accipit a Davide. Tunc Semeï maledicit Davidi, Abessam volentem illum occidere cohibuit. Venit Chusi ad Abessalom, persuadetque illi se benevolum ipsi accedere. Cumque consilium agitaretur de rebus gerendis; hortatur Abessalom Achitophel, ut cum concubinis patris sui coëat. Id ille fecit in solario domus, ut omnes viderent. Addit aliud consilium; ut sibi liceat cum mille viris Davidem aggredi et necare[2]. Ut autem vocatus est Chusi, ut consilium et ipse daret, is Achitophelis sententiam evertit, suadens ut interim supersederet; sed postea cum magno apparatu Davidem adoriretur. Illaque sententia magis placuit, Deo scilicet ita dispensante. Tunc misit Chusi, et per filios sacerdotum hæc Davidi nuntiavit. Achitophel autem, cujus sententia despecta fuerat, sese strangulavit. Feruntur Davidi multa dona. Instructum autem exercitum, emisit dicens: Parcite puerulo meo Abessalom[3]. Ipsum enim in bellum exire non permittebant. Prælium committitur, multisque cadentibus occiditur etiam Abessalom, a coma arbori cuidam alligatus. Illo occiso, cessat bellum. Mittit Chusi Joab qui Davidi victoriam nuntiet. Quo ille audito lugebat propter filium; donec ingressus Joab illum mutavit, ipsique suasit, ut læto hilarique vultu exercitum exciperet[4]. Fugientem Israëlem rex advocabat; Abessa autem illos, jam

[1] 2 Reg. XVI. — [2] Id. XVII. — [3] Id. XVIII. — [4] Id. XIX.

id in proposito habentes, eo adduxit ut se Davidi subjicerent. Cum pertransiret Jordanem, venit Semeï, suum confitens peccatum. Volebat autem Abessa illum interficere, id prohibuit David. Venit etiam Memphibaal squallidus, sordidis indutus vestibus, densum habens mystacem, ungues ostendens longos, quæ omnia doloris signa erant, ob bellum contra Davidem motum. Interrogabat Rex cur non venisset secum. Respondit ille se rogasse Sibam famulum suum, ut se jumento imponeret, claudus quippe erat Memphibaal : illum vero noluisse. Tunc jubet rex illum cum Siba agrum dividere. Berzelli porro, qui belli tempore multa ipsi ministraverat, secum adducere volebat. Ille vero recusavit ob senectutem : et secum accepit rex filium ipsius loco. Tunc scinditur exercitus, parsque Sabeæ se dedit. Mittitque David Amessam qui debellet eum : Joab vero Amessam dolo occidit; urbemque in quam confugerat Sabee obsedit[1]. Qui in civitate erant, suadente muliere, abscissum caput Sabee Joabo ex muro projecerunt : at pue ita bello liberati sunt. Fames in terra advenit : ad quam profligandam necesse erat quospiam ex Saülis progenie tradi Gabaonitis[2]. Tunc Memphibaalum conservat David, ob juramentum Jonathano præstitum. Tradit autem Saülis filios et nepotes, sepelitque Saülem et Jonathanum in sepulcro Cis. Bella moventur. Davidem cohibent sui ne exeat, ne forte periclitetur. Tunc dicit decimum septimum Psalmum. Recensentur fortia præclaraque gesta ducum Davidis. Jubetur Joab populum enumerare, enumeratque : et erant Israëlis nonginta millia, et Judæ quadringenta millia hominum, omnium bellatorum[3]. Tunc venit Gad propheta optionem illi dans ex tribus ultionibus quam subire mallet; an tres annos famis : an trium dierum fugam instantibus hostibus : an tres dies

[1] 2 Reg. xx. — [2] Id. xxi. — [3] Id. xxii-xxiv.

mortiferi morbi. Ille vero tres dies mortiferi morbi præoptavit, mortuique sunt a matutino usque ad prandii tempus septuaginta mille homines. Tunc David dixit : « Ecce ego » peccavi, et ego pastor inique egi : hi qui grex sunt, » quid fecerunt? Fiat manus tua in me et in domum patris » mei[1]. » Cessavit punitio. Et jubetur David aram erigere in area Orniæ, et ibi sacrificare, id quod ille fecit. Ornia filius David convivio excipit Joabum et Abiatharem, quasi regnaturus. Ingreditur Bersabee, secundum consilium Nathan prophetæ, et id annuntiat Davidi, loquente illa ingressus est Nathan; id moliebantur scilicet ut Salomon regnaret. Egressi sunt imposito supra regiam mulam Salomone. Tunc Nathan propheta et Sadduc sacerdos abierunt in Gion, unxeruntque illum ac dixerunt : « Vivat » Rex[2]. » Venit Jonathan filius Abiatharis, et epulanti Orniæ hæc nuntiavit. Et alii quidem fugerunt, Ornias vero confugit ad aram, metuens Salomonem. Tunc educit illum inde, et veniens Ornias adoravit regem. Moriturus David, hortatur Salomonem, ut custodiat legem Dei : sic enim illum promissiones esse consecuturum. Præcipit etiam circa Joab et Semeï, ut illos ulciscatur, et circa filios Berzelli, ut illos in honore habeat, et mensæ regiæ consortes faciat. Moriturque postquam annos quadraginta regnaverat.

REGNORUM LIBER III.

Occidit Orniam Salomon, quia Abisacam petierat, et Abiatharem ejecit ex sacerdotio. Impletaque est comminatio contra Eli data; ex illo namque genus ducebat Abiathar. Occidit autem Joabum; Sadduc autem constituit

[1] 2 Reg. XXIV, 17. — [2] 3 Reg. I. — [3] Id. II.

sacerdotem pro Abiathare. Præceptum dat Semeï Salomon, ut semper in urbe maneat : si autem exeat unquam, id non impune futurum, sed morte mulctandum esse. Cum servos perdidisset ille, mandati oblitus, egressus est ut quæreret, quo comperto Salomon interfecit eum. De sapientia Salomonis enarratio, de pace quæ ejus tempore fuit, de magnificentia prandii, de curribus[2], de equis, de omni genere divitiarum. Petit Salomon sapientiam a Deo. Tunc judicat de duabus mulieribus quæ illum circa infantem adierant. Rursum de sapientia Salomonis loquitur, de lautitia mensæ ejus : et quinam hujusmodi officio fungerentur. Mittit ad Chiram regem Tyri, lignarios petens conductitios : ille vero præbuit[1]. Hic agitur de operarum numero, et de materiæ copia ad extructionem templi parata : sequitur deinde templi constructio. Precatur Salomon in templo, et immolat, domumque dedicat. Promittit illi bona Deus, si custodierit mandata ipsius, et contrarium minatur, si prævaricatus fuerit. Erat autem illi navis quæ aurum vehebat. Historia reginæ Austri, quæ venit, ut audiret sapientiam ejus. De ingentibus ejus divitiis, de armis aureis quæ ipse fecit; de regni ejus limitibus. Hinc de idololatria ejus, et de offensione, qua Deum offendit. Hinc minæ adversus illum intentatæ, regnique ejus solutio, paxque sublata. Rebellat enim contra illum Ader Idumæus, et Esdrom[3]. Rebellat etiam contra illum Jeroboam servus ejus. Venit ad Jeroboam Achia propheta, datque illi scindendum vestimentum in lacinias decem, præsignificans illi quod decem sceptra habiturus esset. Cum porro vellet Salomon illum occidere, fugit in Ægyptum. Redit ab Ægypto Jeroboam, mortuo Salomone. Populus autem adiens Roboam filium Salomonis, rogabat leviore frui imperio, quam sub Salomone; ille vero ex

[1] 3 Reg. III. — [2] Id. IV et V. — [3] Id. VI-XI.

consilio juvenum quorumdam, qui cum ipso educati fuerant, minatus est se graviore usurum imperio [1]. Inde divisæ sunt decem tribus, et regem sibi constituerunt Jeroboam. Roboam vero volentem contra illum movere bellum Deus cohibuit. Cum autem ægrotaret filius Jeroboam, mittit uxorem suam ad Achiam prophetam, de morbo sciscitaturam : ille vero dixit esse moriturum, et mortuus est. Statuit Jeroboam vitulas aureas, alteram in Bæthel, alteram in Dan, ne populus ascenderet in Jerusalem. Cum autem immolaret ibi, ecce homo Dei veniens prophetat de Josia rege [2]. Et exaruit regis manus, et rupta est ara. Propheta autem Deum precante, rex sanus factus est. Et rogabat Prophetam ut epularetur apud se. Ille vero nolebat, Dei præceptum servans, quod cum postea transgressus esset, occisus est a leone. Jeroboam autem adhuc manebat in impietate sua, et Roboam idola coluit omnibus vitæ suæ annis. Veniens Susacim accepit thesauros. Post hunc regnat Abias filius ejus, et post hunc Asa filius Abia. Post Jeroboam regnat filius ejus Adab : quem cum occidisset Basa, regnavit et bellabat contra Asa. Hic auxilio usus Ader Syri superior fuit [3]. Quia vero improbus erat Basa, minatur ipsi Deus mala ingentia [4]. Illo mortuo regnavit Ela filius ejus, quem cum occidisset Zambri unus principum, regnavit ipse, et delevit domum Basæ. Ut autem Zambri quoque mortuus est, cum se ipsum incendisset, regnat Ambri. Cum autem hic etiam mortuus esset, regnat Achaab filius ejus. Regnat Josaphat filius Asæ. Minatur Elias propheta Achaabo siccitatem, quæ per tres annos et sex menses duravit [5]. Tunc per corvos alitur Propheta. Hic sunt ea quæ pertinent ad viduam Sarephthanam, quæ ad lecythum olei, et quæ ad hydriam farinæ,

[1] 3 Reg. xii. — [2] Id. xiii. — [3] Id. xiv et xv. — [4] Id. xvi. — [5] Id. xvii.

ad mortem pueri, et ad suscitationem ex morte. Mittitur ad Achaab Elias, et hostiam offert[1], demittit ignem de cœlo, et consumit illam. Tunc arreptos sacerdotes Baalis jugulavit. Achaabo pluviam prænuntiat. Et conscenso Carmelo precatus est Elias, et sacrificium offert : ecce pluvia minatur Eliæ mortem Jezabel uxor Achaabi[2]. Ille autem venit in desertum, et cum dormivisset excitatusque esset ab Angelo Dei, invenit subcineritium panem ex olyra, quem cum comedisset roboratus est : cum illo cibo quadraginta diebus venit in Choreb. Tunc ait : Domine, aras tuas suffoderunt. Jugis boum dimissis Eliseus sequitur Eliam. Hinc historia vineæ Nabuthæ : et minæ contra Jezabelem et Achaabum[3] : compunctio Achaabi. Irruptionem fecit in Israëlem Syrus Ader cum triginta duobus regibus. Achaab vero devicit eos[4]. Cum secundo Ader bellum intulisset, cæsus admodumque profligatus est. Ut autem se vidit in periculo versari, miserabili indutus veste Achaabum adiit, servum se vocans, et salutem consequi peroptans. Ille vero cum in curru suo conscendere jussit, et honore affectum in terram suam remisit. Venit Propheta regem super his objurgans, necemque minitans. Consultat Achaab an debeat Syris bellum inferre[5] : et ex consilio Josaphat regis Judæ, accersitur Michæas propheta, qui interrogatus calamitates prædicit si bellum inferatur. Irascitur Achaab : Michæam percutit Sedecias pseudopropheta. Jubet Achaab servari Michæam pseudoprophetam, donec belli finis esset. Exit ad pugnam, et Josaphato dixit : Mutemus habitum et vestimenta, accipiam ego tua, et mea tibi trado. His peractis, cum præcepisset rex Syriæ militibus suis, ut missis omnibus unum regem Israëlis in bello adorirentur; illi videntes Josaphat regem Juda, et putan-

[1] 3 Reg. XVIII. — [2] Id. XIX. — [3] Id. XXI, inverso ordine. — [4] Id. XX, inverso ordine. — [5] Id. XXII.

tes esse regem Israël, nam vestis ipsos decepit, circumsistebant illum, ut occiderent. Ille vero clamans a periculo eximitur. Alius autem sagittarius feriit Achaabum, et sanguis manabat, quem abluerunt in fonte, et meretrices se abluerunt in sanguine ejus, canesque linxerunt eum. Regnavit post Achaabum Ochozias filius ejus. Quia autem Josaphat amicus ejus fuit, pœnas dedit; ita ut opera ejus interpellarentur.

REGNORUM LIBER IV.

Ægrotans Ochozias, misit consultum Baalem, utrum surrecturus esset [1] : et nuntiis occurrens Elias propheta, jussit regressos nuntiare ipsum non surrecturum esse. Cum didicisset autem Ochozias esse Eliam, misit quinquagenarium primo et secundo; cum autem uterque cum quinquaginta suis igne consumptus fuisset, cum tertio jubetur Elias descendere, et regem adiens dixit illum esse moriturum. Post hunc regnat frater ejus Joram : non enim erat illi filius. Hinc assumptio Eliæ in cœlum [2]. Videntes filii prophetarum Eliseum sicco pede Jordanem prætereuntem, dixerunt quievisse spiritum Eliæ super ipsum, rogantque mitti qui Eliam perquirerent : ille prohibebat, demumque annuit, sed qui missi fuerant, non invenerunt. Aquas in Jericho sanas reddit Eliseus; cum veniret in Bæthel puerulos se irridentes maledicit, illique ab ursis interficiuntur. Rex Moab solitum pendere tributum abnuit. Bellum ipsi infert Joram rex Juda assumpto secum Ochozia rege Israël, et rege Edom [3]. Cum autem non invenirent aquam in deserto et de vita periclitarentur, consulente Ochozia veniunt ad Eliseum. Ille vero irascitur

[1] 4 Reg. I. — [2] Id. II. — [3] Id III.

contra regem Israël, nec se illum respicere velle dixit, nisi in gratiam regis Judæ. Neque tantum aquarum copiam prædicit, sed etiam victoriam contra Moabitidem, id quod etiam evenit : in tantamque deductus est calamitatem rex Moabitarum, ut etiam filium mactaret supra murum. Hic agitur de muliere, cujus oleum superabundavit, et de Sumanitide, cui filium salvum reddidit Eliseus, et mortuum suscitavit[1]. Fame superveniente amaritudinem abstulit a lebete, et in nomine Dei centum viros enutrivit ex viginti panibus hordeaceis. Lepra affectus est Neeman dux regis Syriæ, qui accedens ad regem Israël medelam petebat; ille vero anxius scidit vestimenta sua [2]. Ipsum accersit Eliseus, jubetque immergi in Jordanem septies. Ille vero primo quidem neglexit, nec medelam inde speravit. Demum servis suis hortantibus, immergitur et curatur : donaque offerebat Eliseo, qui illa respuit. Abscedentem illum insecutus Giezi servus Elisei, quasi ab Eliseo missus, a Neeman accipit duo talenta argentea, et duo vestimenta. Ad Eliseum vero reversus, gestum occultare tentabat. Ille autem servum redarguit, et in pœnam immisit lepram. Veniunt filii Prophetarum cæsum ligna ad ædificandum : ut vero ferrum unius ex capulo excidit, exsectum lignum immisit Eliseus, et ferrum supra aquam sublatum est[3]. Rex Syriæ bellum movebat in Israëlem, ut prædixerat Eliseus. Re comperta hostis, mittit turmam militum in Eliseum. Deum rogante Propheta, cæcitate percutiuntur ii qui venerunt, et inducit eos in medios inimicos, regemque ipsos perimere volentem cohibet Eliseus, sed jubet alimentis datis remitti. Tanta superveniente fame, ut caput asini quinquaginta siclis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque siclis venderetur, accedit ad regem mulier alteram mulierem incu-

[1] 4 Reg. IV. — [2] Id. V. — [3] Id. VI.

sans, quod cum filium suum secum comedisset, promisis setque se etiam filium suum in cibum præbituram esse, promissis non stetisset. Tunc scidit rex vestimenta sua, misitque virum qui caput Elisei amputaret. Prædicit Propheta ei qui se convenerat, die crastina fore solutionem famis : cum autem ille non crederet, vaticinatur ei mortem[1]. Leprosi quatuor ob famem in desperationem adducti, sese hostibus dedere decernunt, et ad castra venientes, illa quidem hominibus vacua, tentoria vero divitiis plena invenerunt. Ac cum diripuissent quanta gestare poterant, id regi nuntiatum venerunt. Et primo quidem rex dolum subesse suspicabatur : missis autem equitibus, cum rem certo comperisset, emisit populum ad diripienda castra : cessavitque fames. Qui vero non crediderat Eliseo, a turba populi conculcatus interiit. Prædicit Eliseus mulieri, cujus filium a morte suscitaverat, septem annorum famem[2] : hortaturque illam ut a regione transmigret. Postquam autem transmigraverat, famesque cessavit, reversa est, regemque adiens rogavit ut prædia sua sibi restituerentur. Rex Syriæ mittit ad Elisæum rogatum an e morbo surrecturus esset. Ille autem nuntio dixit non surrecturum esse, ipsique etiam prædixit Israëlitarum perniciem. Cum autem ille obiisset, regnavit in ejus locum Azaël. Mortuo item Joramo rege Juda, illi succedit filius ejus Ochozias. Missum Eliseus unum ex filiis Prophetarum, jubet ungere Jehu, qui cum regnum occupasset Joramum occidit, et projicit eum in vineam Nabuthe, quam usurpaverat pater Jorami[3]. Cum occidisset etiam Ochoziam, intravit in civitatem Israël. Jezabel autem ornata respiciebat e turri; rex eunuchis præcepit ut illam præcipitarent. Dejecta illa mortua est. Occidit etiam Jehu septuaginta filios Achaabi, itemque fratres Ochoziæ, sacerdotes

[1] 4 Reg. VII. — [2] Id. VIII. — [3] Id. IX.

quoque Baalis, et Baalem contrivit[1]. Tunc Azaël concidit Jesraëlem. Mortuo Jehu regnat Joachaz filius ejus. Historia eorum quæ spectant ad Joasum regem Juda, ad sacerdotem Jodaë, et ad Gotholiam. Israël hostibus traditur, rursumque Deus misertus est eorum [2]. Mortuo autem Joachazo, regnavit in Israëlem Joas filius ejus, qui veniens ad Eliseum flebat. Ille præcepit ei ut arreptis quinque sagittis jacularetur in terram. Cum autem tribus emissis cessaret, dixit ei : Ter percuties Syriam : si quinquies jaculatus esses, usque ad consummationem percussisses eam. Mortuus Eliseus sepelitur, et projectus mortuus quispiam in sepulcrum ejus, surrexit. Mortuo Azaële, regnavit filius Ader in ejus locum. Joas ter Syros percussit et mortuus est, regnatque Jeroboam filius ejus. Mortuo item Joaso rege Juda, regnavit Amesias filius ejus : qui cum percussisset Edom, congressus est cum Joaso rege Israëlis[3]. Hic autem vicit eum, et ingressus est Jerosolymam. Mortuo Jeroboamo regnavit in Israëlem Zacharias filius ejus. Defuncto item Amesia rege Juda, regnavit Azarias, qui et Ozias[4]. Hoc regnante prophetare cœpit Osee. Zacharia occiso Selus regnavit in Israëlem. Hic usus est commilitio Phuæ regis Assyriorum mille talentis ipsi datis. Illo mortuo Manaïm regnavit in ejus locum. Post Oziam regnavit in Judam Jotham filius ejus. Quo mortuo regnavit Achaz filius Jotham[5]. Illo regnante Raasin Syrus et Phaces filius Romeliæ ascenderunt. Achaz autem misit ad Theglaphassar Assyrium, ad commilitium evocans. Ille autem veniens, cepit Damascum, et Raasin occidit. Ascendit autem et Salmanasar Assyrius ad Osee filium Ela, qui fuit illi servus[6]. Ut novit autem Assyrius illum defectionem cogitare : miserat quippe legatos ad Æthiopem,

[1] 4 Reg. x. — [2] Id. xii-xiii. — [3] Id. xiv. — [4] Id. xv. — [5] Id. xvi. — [6] Id. xvii.

obsedit eum et vinxit eum : captaque Samaria aliisque urbibus, populos transtulit in Assyrios. Hic accusatio habetur Israëlis et Judæ. Qui adducti fuerant ex Babylone in Samariam, ut habitarent ibi, quia non timebant Deum, interficiebantur a leonibus. Tunc mittitur sacerdos inde, qui docet illos legem Dei : et illi Deum timebant, idolaque colebant. Historia Ezechiæ et Assyriorum, quæ etiam in Esaïa habentur. Historia Manassis et impietatis cædiumque ejus. Ut autem mortuus est, regnavit filius ejus Amon. Quo mortuo, regnavit Josias filius ejus : de quo Propheta prædixit Jeroboamo servo Salomonis, quando manus regis arida facta est [1]. Hic expurgavit Jerusalem, locaque omnia, effodit loca sepulcrorum in quibus sacerdotes idolorum, contrivit idola. De illo dictum est similem ei non fuisse antea regem, qui conversus fuerit ad Dominum in toto cordo suo, et in tota anima sua. Hoc regnante prophetare cœpit Jeremias : hujusque tempore erat Olda prophetissa. Cum autem occidisset eum Pharao Necao, regnavit Joachas filius ejus pro eo. Pharao autem hoc dejecto, et in Ægyptum abducto, ubi etiam mortuus est, constituit regem Josiæ filium Eliacim, qui et Joachim, et terræ tributum imposuit. Joachim primus in potestatem Nabuchodonosoris redactus, extra muros dejectus est [2]. De illo ait Jeremias : « Erit morticinum ejus projectum in æstum » diei, et in frigus noctis : et tunc sepultura asini sepelie» tur [3]. » Nam postquam dissolutus et corruptus erat, tunc sepultus est. Mortuo Eliacim sive Joachim filio Josiæ, regnat Joachim filius ejus nepos Josiæ. Hic porro Joachim, etiam Jechonias appellabatur. Neque ultra rex Ægypti exivit de terra sua. Cum venisset autem Nabuchodonosor et obsideret urbem, quia venit ad eum cum matre sua Joa-

[1] 4 Reg. XVIII-XXIII. — [2] Id. XXIV. — [3] Jerem. XXXVI, 30, et XXII, 19.

chim qui et Jechonias, abduxit eum in Babylonem, et constituit fratrem patris ejus filium Josiæ regem in Jerusalem. Hic autem erat Matthanias, qui et Sedecias. Ut autem ille prævaricatus est contra regem Babylonis, venit Nabuchodonosor, et obsedit Jerusalem : qua capta et incensa, Sedeciam excæcatum et vinctum abduxit in Babylonem [1]. Godoliam vero constituit super eos qui relicti fuerant in Jerusalem. Postquam autem illum occidit Ismaël, profecti illi residui ingressi sunt in Ægyptum. Postea vero Joachimum in Babylone multo dignatus est honore Evilad Marodac rex Babylonis.

Regnum itaque Samariæ, ut jam dictum est, desiit in Oseam filium Ela, qui occiderat Phaceam filium Romeliæ. Jerosolymæ vero regnum desiit in Sedeciam : qui abductus in Babylonem, oculis orbatus, in vinculis fuit per annos viginti septem. Joachimum vero postea extulit rex Babylonis, dedit ipsi thronum supra reges qui istic erant, et comedebat potabatque cum illo omnibus diebus vitæ suæ. Huc autem desinit liber, cum scilicet capta urbe populus in captivitatem abductus est.

Jamvero restat ut nomina regum Judææ et Israël, quæ singulorum fuerint gesta, qui finis, quot annis regnaverint ex hisce libris recenseamus, hoc pacto :

Post perniciem Saülis qui regnaverat annis quadraginta, regnat David in omnem Israëlem et Judam annis quadraginta; scilicet in Chebron annis septem; in toto autem Israël et Juda annis triginta et tribus. Et fecit rectum in perfecto corde. Sub hoc erant prophetæ Nathan et Gad. Salomon filius David regnavit supra omnem populum et ipse annis quadraginta : et fecit malum. Sub hoc etiam erant prophetæ Nathan et Gad. Roboam filius ejus regnavit annis septemdecim, et fecit malum. Sub hoc discis-

[1] 4 Reg. xxv.

sum est regnum, et manserunt cum eo in Jerusalem duæ tribus, Juda et Benjamin. In Samaria autem tribus decem. Sub hoc erant prophetæ Achias Silonites et Addo. Abia filius ejus regnavit annis tribus. Neque erat cor ejus ut David. Sed ambulavit in peccato patris sui. Sub hoc etiam erat Addo propheta. Asa filius ejus annis quadraginta et uno. Et fecit rectum. Sed adhuc erant excelsa. Sub hoc erant Azarias filius Oded, et Anami prophetæ. Josaphat filius ejus annos vigiuti et quinque. Et fecit rectum; sed excelsa adhuc erant. Postea vero in reprehensionem iniquitatis incurrit, quia amicus erat Ochoziæ regis Israël, et in negotiis plurimum cum illo communicabat. Sub hoc erant prophetæ Helias, Eliseus, Michæas et Jehu filius Anemi, et Oziel filius Zachariæ, et Eliadad filius Adiæ ex Marissa. Joram filius ejus annis octo. Et fecit malum. Habuit enim uxorem filiam Achaab. Sub hoc erant Elias et Eliseus. Ochozias filius ejus anno uno. Et fecit malum. Post eum mater ejus Gotholia annos septem. Joas filius Ochoziæ annos quadraginta. Hic occidit Zachariam, et fecit rectum in toto corde suo, donec Jodaë vir prudens viveret, et institueret ipsum. Hunc occiderunt servi ipsius in domo Maëloth. Sub hoc prophetavit Zacharias filius Jodaë. Amesias filius ejus annis undeviginti. Et fecit rectum in principio; sed non sicut David. Adhuc enim populus immolabat in excelsis, et lucos non abstulit. Sub hoc etiam prophetaverunt prophetæ, quorum nomina scripta non sunt. Posteaquam vero eos, qui in Seïr habitabant, percussit, in superbiam elatus est, idola habitantium in Seïr coluit, et in manus hostium traditus, percussus est. Azarias, qui et Ozias annos quinquaginta duos, et initio quod rectum erat fecit, sicut pater ejus. Cæterum excelsa non abstulit. Cum prospere rem ageret, elatus est animo, et voluit ipse adolere in templo,

quod solis sacerdotibus licebat. Ideo lepra percussus est, postquam audisset, « Non tuum est, Ozia, adolere Do-» mino, id quod solis sacerdotibus licet [1]. » Sub hoc erat Isaïas propheta. Jotham filius ejus annos sedecim regnavit. Et fecit rectum sicut pater ipsius : cæterum excelsa non abstulit. Sub hoc erat Esaïas. Achaz filius ejus annos sexdecim. Et fecit malum. Sub hoc erant Esaïas et Oded prophetæ. Ezekias filius ejus regnavit annis viginti novem, et fecit quod rectum erat sicut David perfecte. Hic abstulit serpentem æneum, quem suspenderat Moses. Sub hoc Sennacherib et Rabsaces Assyrii, quod blasphemassent, percussi sunt, posteaque una nocte egressus Angelus centum octoginta quinque millia hominum occidit. Moriturus Ezechias ad prorogationem vitæ annos quindecim accepit. Manasses filius ejus annos quinquaginta quinque, fecitque malum. Quæcumque demolitus fuerat Ezechias, ipse restituit, et factus est Judæ alter Jeroboam ; ita ut ejus causa idem passa sit Jerusalem, quod Samaria. De illo dictum est, « Qui peccare fecit Judam. » Ideo captivus abductus est in Babylonem. Sed in captivitate, ut in Paralipomenis scriptum est, pœnitentem reduxit Deus in Jerusalem, regnumque recuperavit. Pœnitentiam itaque agens, populumque, ut Deo serviret docens, obiit. In civitate tamen David non est sepultus, sed in horto suo, in horto Oza. Amos filius ejus regnavit annos duos, et fecit malum sicut pater ejus Manasses, et occiderunt ipsum servi ejus, sepultusque est in horto Oza, in quo sepultus est et pater ipsius. Josias filius ejus regnavit annis triginta et uno. Hunc populus regem creavit, cum esset annorum octo, fecitque rectum, et ambulavit in omni via David, nec declinavit ad dexteram vel ad sinistram. Etenim et lucos succidit, et omnia simulacra sustu-

[1] 2 Par. xxvi, 18.

lit. Cum annorum esset sedecim, legem quæsivit, et cum ante neglectam invenisset, legi jussit : ac pascha prædicavit celebravitque, sicut scriptum est. Hunc occidit Pharao Nechao ad Euphratem, cum contentio inter illos orta esset. Hujus tempore fuerunt prophetæ Jeremias, et Sophonias, et Olda prophetissa uxor Selle. Joachaz filius ejus regnavit menses tres, et fecit malum, et transtulit eum Pharao Nechao. Sub hoc quoque vixit Jeremias. Eliakim alter filius Josiæ, qui et Joachim mutato nomine dictus est, regnavit annis undecim. Et fecit quod malum erat. Joakim qui et Jechonias filius ejus, regnavit menses tres, et fecit quod malum erat, translatusque est in Babylonem. Matthan filius ejus. Hunc Nabuchodonosor constituit regem, et mutato nomine Sedeciam appellavit, regnavitque annis duodecim, et fecit malum. Sub hoc quoque erat Jeremias. Huc usque duravit regnum Juda, tuncque subversum est, sicut et regnum Samariæ. Urbs namque capta est, et universi in Babylonem captivi, cum vasis abducti sunt. Suntque reges viginti et unus. Non annumerata Gotholia.

Nomina regum qui fuerunt in Samaria, et quæ gesta, qui finis, cujusque fuerit, et quot annis singuli regnaverint his accipe. Jeroboam filius Nabath annis viginti quatuor. Hic discisso regno ascendens ex Ægypto primus regnavit in Samaria, et fecit malum, ita ut nullum similem habuerit : veritus ne regnum ipsi eriperetur, aureas buculas duas fecit, et populum seduxit dicens : « Hi sunt dii, qui » eduxerunt nos ex terra Ægypti. » Instituit enim festa et sacerdotes : « Et hic peccare fecit Israël. » Ipsum namque omnes postea reges imitati sunt. Hujus tempore prophetæ erant Achias Silonites, et qui contra ipsum super altare vociferatus est. Nabath filius ejus regnavit annos duos : et fecit malum, neque alius ex genere ejus regnavit. Zambri Iterius generis annos duodecim. Baasa regnavit annos

viginti quatuor, et fecit quod malum erat. Sub hoc Prophetæ erant Elias, Eliseus, Michæas, et qui Achaabo de Syria et de filio Ader prophetavit, et qui proprio jussu vulneratus, Achaabum redarguit: ac præterea seorsum multi Prophetarum filii. Ochozias filius ejus annis duobus, et fecit quod malum erat. Sub hoc erant Elias et Eliseus: nam ejus quinquagenarios igne percussit Elias in verbo Domini. Joram filius Achaab annis duodecim: et fecit malum, neque ultra alius ex genere ipsius regnavit. Sub hoc Elias assumptus est: Eliseus vero mansit usque ad Jeroboam filium Joas regem Israël. Sub hoc erant filii Prophetarum. Jehu de alia stirpe, filius Namesse, annis viginti duobus. Hic sustulit genus Achaabi, et prophetas Baal per insidias occidit, statuamque illius contrivit. Et cum in hisce fecisset quod rectum erat, promissionem accepit, quod ipsius filii ad quartam usque generationem sessuri essent super thronum. Joachaz filius ejus annos septemdecim, fecitque quod malum erat. Jerusalem expugnavit, aurum et vasa abstulit. Jeroboam filius ejus annis quadraginta et uno, fecitque malum. Zacharias filius ejus mensibus sex: fecitque malum. Hactenus genus Jehu usque ad quartam generationem duravit. Sellum, ex alia stirpe, filius Jabis regnavit dies triginta, et fecit quod malum erat. Manaëm, ex alio genere, filius Gadde annos viginti, et fecit quod malum erat. Hujus tempore prophetarunt Esaïas et Osee. Phacee, de alia stirpe, filius Romeliæ annos viginti. Hic occidit Phakeiam, et fecit malum. Sub hoc erant Esaïas et Osee prophetæ. Osee, ex alia stirpe, annos novem. Hic occidit regem Phacee et fecit malum: verum non sicut decessores ejus. Osee ultimus fuit rex Samariæ: in illum enim desierunt reges. Et periit Samaria, quam deinceps inhabitarunt Assyrii. Ex quibus orti sunt hæretici

Samaritæ, qui et Saducæi vocantur. In hæc desinit totus scopus librorum Regum.

PARALIPOMENA, LIBER PRIMUS.

Paralipomena vocantur, quia multa in libris Regnorum prætermissa in hisce libris continentur. Habetur autem in primo hoc libro omnium tribuum genealogia ab Adam usque ad reges secundum tribus et populos et familias et domos. Quos ex Levitis instituerit David ad canendum Deo, et quos instituerit ad templi opera. Ipse namque prior regnum fundare incœpit. Alia quoque minutatim de regibus et generationibus edisserit. Quibus hoc subjungendum est, annos omnes eorum qui in Jerusalem regnarunt a Davide, esse quadringentos septuaginta quatuor. Reges autem omnes fuerunt ex una stirpe Davidis : et qui quod rectum erat fecerunt, novem sunt : qui vero malum, duodecim, excepta Gotholia. Eorum autem, qui in Samaria regnarunt, omnes anni sunt ducenti sexaginta novem et triginta dies : duodecimque reges ex octo diversis stirpibus fuerunt. Omnes autem fecerunt malum secundum peccatum Jeroboami.

PARALIPOMENA, LIBER SECUNDUS.

In secundo libro Paralipomenon recensentur gesta regum. Qui autem illa descripserunt, Prophetæ illi fuerunt qui diversis fuere temporibus. Ut autem singulatim sciatur quinam hæc scripserint, observandum est hic gesta haberi omnium regum Israël et Juda ; ea scilicet quæ prætermissa sunt in historia regum. Qui porro omnia ipsorum

gesta descripserunt hi sunt: Davidis gesta scripserunt Samuël, Nathan et Gad prophetæ : Salomonis, Nathan et Achias prophetæ : Jeroboami, Semeas et Addo prophetæ : Abiæ, Addo propheta. Asæ gesta habentur in libro Sermonum de regibus Juda : Josaphati, Jehu propheta filius Aname, qui scripsit librum Sermonum regum Israël. Quæ Joas gessit relata sunt in scripturam Regnorum : Quæ Amasias, in libro Regum Juda et Israël. Quæ Ozias, scripsit Esaïas propheta. Quæ Joatham, in libro Regum Juda et Israël. Quæ Achaz, in libro Regum Juda et Israël, Quæ Ezechias, Esaïas filius Amos propheta. Quæ Manasses, in libro Videntium. Quæ Josias, in libro Regum Juda et Israël. Quæ Joachim, in libro Regum Juda et Israël. Hæc sic disposita inveniuntur in Paralipomenis regum.

ESDRAS LIBER PRIMUS.

Esdras vocatur hic liber, quia ipse Esdras, sacerdos cum esset et lector, enarrat ac describit reditum filiorum Israël ex Perside in Jerusalem. Fuit autem reditus primo quidem jussu Cyri et Darii regum in manu Jesu filii Josedec et Esdræ atque Zorobabelis, qui circa quæstionem quamdam contendebant, facta promissione, ut qui vinceret, a rege quidquid vellet peteret. Cum unus ergo dixisset fortius esse vinum; alter fortiorem esse regem, Zorobabel contendit fortiores esse mulieres, veritatemque super omnia excellere. Hæc quia locutus Zorobabel, victor evasit: cum jussus esset petere quod vellet, petiit ut captivitas solveretur, et Jerusalem ædificaretur. Atque ita ut petiit factum est, dimissaque est captivitas. Tunc enim temporis adimpleti erant septuaginta iræ anni. Sunt itaque illi qui de captivitate ascenderunt de Juda et Benjamin, ac

Levitæ, numero quadraginta duo millia, equi trecenti triginta, muli ducenti quadraginta quinque, cameli quadringenti triginta quinque, servi eorum et ancillæ septem millia trecenti triginta quatuor, cantores ducenti, asini sex mille septingenti et viginti. Qui ædificabant autem, erant Zorobabel et Jesus filius Josedec et Neemias. Esdras vero, cum esset in lege peritus, legem protulit atque legit, constituitque cuncta ad templum et ad Levitas pertinentia. Ipse legem ostendit; curavit alienigenas uxores abjici ab iis qui eas tempore captivitatis duxerant. Abjecerunt autem omnes, et mundati sunt, et celebravit Pascha secundum legem, ut scriptum est, necnon jejunium, et sic absolvitur primus Esdras liber.

SECUNDUS LIBER ESDRÆ.

In hoc libro eadem ipsa quæ in primo dicit Esdras de réditu, iis exceptis, quæ problematum more dicta fuerant. Plura vero de Neemia Eunucho narrat, quod ipse templi ædificationem petierit; et quomodo Esdras quidem legeret, Jesus vero et Baneas et Sarabias populum erudirent. Et Esdras quidem legens distinxit in scientia Domini: populus autem intellexit lectionem et celebravit Pascha, et septimo mense fecit jejunium et scenopegiam, ut scriptum est: « Non fecerunt ad hunc modum a diebus Jesu filii » Nave. » Esdras vero cum vidisset Azotias mulieres Hebræis conjugio junctas, omnibus persuasit ut promitterent se legem Dei servaturos. Et ejecit illas mulieres, tanquam illegitimas, et jurarunt universi se legem servaturos. Atque ita sanctificati et mundati, lætati sunt, et abierunt singuli in domum suam. Narratur autem et hoc de Esdra, quod cum libri per incuriam populi et diutur-

nam captivitatem periissent, ipse illos, cum vir esset honesti studiosus, industrius et lector, apud se omnia custodierit, ac protulerit, ac rursum ediderit; atque sic libros servaverit.

LIBER ESTHER.

Hic liber Esther vocatur, quia per Hesteram Deus mox funditus perituros Judæos servavit; Aman vero, qui insidias machinabatur, percussit. Artaxerxes enim rex Persarum, repudiata uxore sua, aliam in regno suo, quæ omnium esset pulcherrima et formosissima, sibi quæsivit uxorem; et inventa est Hesther, natione Judæa. Illi cognatus erat nomine Mardochæus ex captivitate quæ sub Sedecia facta fuerat in eadem regione. Rex itaque cum extulisset suorum quemdam Amanum nomine, jusserat illum ab omnibus adorari. Sed cum Mardochæus religione erga Deum motus, hominem non adoraret, rem indigne tulit Aman; cumque didicisset ipsum esse Judæum, regi Artaxerxi persuadet ut scripto jubeat universos in regno suo Judæos uno die mensis duodecimi penitus et funditus deleri. Re comperta Mardochæus, luxit et jejunavit, atque Hestheræ misit rogans ut opem ferret. Hesther itaque præmissis jejunio et precationibus ad Deum, muliebri se mundo ornavit: nec vocata (neque enim erat licitum non vocatis adire regem;) attamen intravit ad regem, non expectata temporis opportunitate, sperans precationem opportunitatis loco futuram. Cum autem rex insolentiam facti miraretur, illa in terram præ metu collapsa est. At regis iracundiam Deus in suavem affectum et mansuetudinem mutavit; ita ut surgens prostratam illam erigeret, et metum ponere hortaretur, imo optionem daret petendi quidquid vellet. Illa

ut rex cum Amano ad convivium suum venire dignaretur; non semel, sed secundo quoque petiit. Aman præ gaudio effusus ac gestiens, quod dignus haberetur a regina vocari, adhuc amplius adversus Mardochæum erigebatur: curavitque lignum sublime excidi, volens in eo sequente die suspendere Mardochæum. Rex vero bona quadam providentia, noctem illam duxit insomnem, et cum dormire nequiret, jussit sibi commentarios actorum suorum legi. Cumque legerentur, ventum est ad eum locum, in quo scriptum erat beneficium regi a Mardochæo collatum. Duos enim eunuchos regi insidiantes, regi prodiderat et convicerat. Hic rex ob Mardochæi officium grato affectus animo, quærebat quonam illum honore pro hoc beneficio donaret. Cum autem mane ad eum ingrederetur Aman, quærit ab illo rex, quonam et quali honore dignus sit, is qui regem beneficio affecisset. Ad hoc Aman, cum se arbitraretur eum esse, de quo rex quærebat, dignum esse dixit qui secundus rex vocaretur. Rex igitur Mardochæum illo honore celebrari, et Aman ante illum procedere jussit. Hesther vero opportunitatem nacta pro Judæis oravit. Deinde cum rex mœrore affectus propter indignum contra Judæos edictum, et adversus Amanum iratus esset, ipse Aman, rege absente, Hestheræ supplicavit, ad genua illius procumbens atque adorans. Rex, cum ingressus videret Amanum genua reginæ contingere, suspicatus quod turpitudinis causa id faceret, jussit Aman in ligno quod Mardochæo paraverat, suspendi. Scripsit autem ut Judæi quidem omnes incolumitate fruerentur, hostes vero eorum ab illis interimerentur. Numerus autem eorum qui a Judæis occisi sunt, fuit quindecim millium: ideoque festi illis dies fuere dies quartus decimus, et quintus decimus mensis duodecimi, qui vocatur Adar. Vocatur autem illa dies ipsorum lingua Phura. Quapropter illa die Judæi Amanum

comburunt, et festum diem agunt salutis ipsorum memorialem. In hisque terminatur liber.

LIBER TOBIT.

Tobit vocatur hic liber, quia ipsius Tobit historiam continet. Erat autem Tobit de tribu Nephthalim; fuitque in captivitatem abductus, et degebat in civitate Ninive, misericors ac religiosus. Etenim cum in captivitate esset, communem panem ex Gentibus non comedit, sed se ipsum custodivit. Erat autem annonæ præfectus apud regem Enemasarum, et deposuit in Media decem talenta apud Gabaëlem. Isti porro Tobit studium erat sepeliendi mortuos ex Judæis. Hujus rei gratia delatus ad regem Achirelem, fuga sibi consuluit. Regressusque e fuga, cum mortuorum aliquem sepelisset, extra muros obdormivit, et cum pro more suo apertos haberet inter dormiendum oculos, passeribus superne in oculos ejus stercus emittentibus, albuginem contraxit, neque ultra videbat. Erat autem Ecbatanis filia Raguelis cognati ipsius Sarra nomine. Hanc dæmon Asmodæus non permittebat ut quisquam uxorem duceret: jam enim septem occiderat, qui illam sponsam acceperant. Propter hanc causam cum vehementer contristata esset, oravit; misitque illi Deus auxiliatorem Raphaëlem archangelum. Tobit igitur, cum filio suo Tobiæ præciperet ne sibi aliunde uxorem, quam ex tribu et cognatione sua duceret: dat illi chirographum decem talentorum, præcipitque ut abeat et repetat illa. Filius autem, cum nec viam nosset, nec hominem ad quem erat proficiscendum, egressus est ut viæ sibi socium quæreret, et Dei providentia incidit in Raphaëlem, qui hominis forma foris stabat, pretioque illum conduxit, eo quod

se viæ hujus gnarum esse diceret. Comitatus itaque est illum Archangelus in specie hominis, qui Azarias diceretur. Cum autem ad Tigridem usque fluvium pervenissent, volebat Tobias in illum lavandi gratia descendere, et mox piscis ingens insiluit in puerum. Angelus vero præcepit, ut piscem hunc apprehenderet et in frusta secaret, atque illius hepar, cor et bilem desumeret et servaret. Rogante postea puero, in quem usum illa forent, respondit: Hepar et cor incensa dæmonem fugabunt: bilis vero oculorum albuginem repurgabit. Hujus ope et consilio Tobias filiam Raguelis Sarram uxorem duxit, cum illo suffitu dæmonem fugasset, qui in superioribus Ægypti partibus ab Angelo ligatus est. Dum autem cum uxore maneret Tobias, Azariam tanquam hominem in Mediam misit: cumque per illum decem talenta recepisset, ad patrem una cum illo et uxore sua reversus est. Reversus vero oculos patris felle piscis oblinit, et decidunt squamæ, et mox visum recepit senex. Tobit porro cum excæcatus est, annorum erat quinquaginta et octo. Cum autem visum recepit annorum sexaginta et sex. Tum demum cum Tobit videret, Angelus sese manifestavit, quod homo non esset, sed a Deo missus, ut ipsis et Sarræ opem ferret. Ubi vero senex factus esset Tobit, præcepit filio suo Tobiæ, ut in Mediam abiret, quod futurum esset ut Ninive secundum verbum Jonæ prophetæ subverteretur; et deficiens mortuus est annorum centum quinquaginta et octo. Filius vero ejus Tobias in Mediam migravit, ubi tandem sepultis socero et socru, et de Ninivæ excidio percepta fama, mortuus est annorum centum et septem. Et in hæc desinit liber.

LIBER JUDITH.

Hic liber Judith vocatur, quia filios Israël ab Holo-

pherne impugnatos et obsessos, Deus ejus opera liberavit; Holophernemque percussit. Historia autem hoc se habet modo. Nabuchodonosor rex Assyriorum, cum bellum gereret adversus Arphaxad regem Medorum, ab omnibus gentibus usque ad Ægyptum auxilia petierat. Cum autem nemo auxilium misisset, sed renuissent omnes, posteaquam vicisset, et Arphaxadum bello superasset, bellum intulit iis qui nihil auxilii miserant : misitque Holophernem adversus eos cum magno exercitu. Hic alias quidem omnes gentes bello cepit, et idola ipsarum confregit. Israëlitæ autem sese communierunt, nec Holopherni obsecuti, neque minis illius perterriti sunt. Scripsit itaque sacerdos Joakim civibus Betyluæ, ut viam Holopherni obstruerent, isthac enim iter facturus erat. Holophernes igitur aciem instruxit ad pugnam. Achior autem princeps Ammonitarum, auctor erat Holopherni, ne genti Hebræorum bellum inferret, eo quod illi a Deo protegerentur. Indignatus Holophernes misit eum Betulam; interitum illi comminatus si quando Hebræos vinceret. Achior itaque in Betula quiescebat. Holophernes vere civitatem obsidebat, et jam aquas illius occupaverat. Cum siti jam affligeretur populus, et principes civitatem tradituri essent; Judith, depositis viduitatis vestibus, maritum enim mortuum lugebat et quotidie jejunabat, se ipsam instar sponsæ ornavit, et multis adhortata primores civitatis, ne civitatem ad usque quinque dies hosti traderent, ad Holophernem egressa est, et cum sua illum sapientia decepisset, tertia die, ignorantibus ejus militibus, ipsum capite truncavit. Et sic demum cives, suspenso Holopherni capite, ipsum ejus tribunis ostenderunt. Hinc Assyrii fugerunt; Israëlitæ vero undequaque concurrentes Assyrios trucidarunt. Liberati itaque, direptisque hostium castris, quæ ad Holophernem pertinuerant omnia Judithæ dederunt. Ipsa vero Judith Jero-

solymam profecta, omnia Domino obtulit, domumque reversa, in eodem pietatis exercitio perseveravit, ac vidua ad mortem usque mansit : nemoque illi nuptias persuadere potuit. Mortua est autem, postquam in viduitate honeste vixisset, annos emensa centum et quinque. Et in hæc desinit liber.

LIBER JOB.

Job inscriptus est hic liber, quia ejus historiam complectitur, nempe quæ perpessus sit tentatus a diabolo, et quomodo vicerit, illatasque plagas pie toleraverit, demumque omnia duplicia receperit, illustriorque, quam antea, factus sit. Passus autem est, cum esset annorum septuaginta, vixit vero post plagas annis centum et septuaginta, ita ut omnes vitæ ejus anni sint ducenti quadraginta. Fuit autem Job ante Moysem, erat enim quintus ab Abrahamo ex posteris Esaü. Ob plagarum calamitatem, venerunt ad illum consolandi gratia amici. Atque ita contentiose et sine commiseratione cum illo verbis egerunt, ut illud in peccatum ipsis reputatum fuerit. Job vero Deum pro illis precatus est, et remissum ipsis est peccatum. Sunt dialogi Job, quos cum amicis habuit, octo : Eliphaz vero ad Job, tres, Sophar duo, Baldad tres. Et Eliuz quoque filii Barachiel Buzitæ, unus est dialogus. Demum Dominus Jobum alloquitur per turbinem et nubem. Respondet vero Domino, et bis ipsum alloquitur. Sicque terminatur liber.

Scopus autem ejus totus est, ad patientiam hortari eos qui in calamitates incidunt, etiamsi magnum pietatis testimonium præ se ferant; ut hoc ipsum illis offendiculo non sit; sed hæc proferant : « Dominus dedit, Dominus

» abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen » Domini benedictum ex hoc nunc et usque in sæculum. » Insuperque illud : « Nudus egressus sum de utero matris » meæ, et nudus revertar illuc; » Atque hinc demum ediscant quanta sit patientiæ utilitas : etenim inde mercedem accepturi sunt sicut Job. Ut etiam ostendat Deum intentatorem malorum esse, neminemque tentare; sed Deo permittente tentationes hominibus per dæmonas excitari, ad singulorum probationem perfectionemque. Narratur Salomonem hunc adornavisse librum, nisi forte ipsius Moysis sit opus. Hæc continentur in hoc libro, cujus capita sic resumi possunt. In exordio narratur, quod Job habitaret in terra Ausitide : deinde sequitur testimonium Scripturæ de probo ejus vitæ instituto; quod filios haberet septem, filiasque sex. De numero pecorum ejus. Quod filii ejus una convenientes, convivium quotidie celebrarent cum tribus sororibus suis : et quod mitteret Job et mundaret filios suos, offerens pro illis sacrificium Domino. Primum testimonium Domini diabolum alloquentis circa Jobum : primum invidia plenum diaboli colloquium cum Domino circa Jobum. Dedit Dominus potestatem diabolo in omnia quæ ad Jobum pertinerent, ipso Jobo tantum excepto. Primo nuntiari curat diabolus Jobo, equos et asinos ejus captos, servosque percussos fuisse : de secundo nuntio, qui Jobo dixit : Igne consumptæ sunt oves tuæ cum pastoribus. De tertio nuntio, qui narravit Jobo captos camelos, et cæsos custodes fuisse. Quartus nuntius Jobum adit, narratque corruisse domum, et oppressos omnes filios ejus fuisse. In omnibus hisce calamitatibus non peccavit Job erga Dominum. Secundum testimonium Domini diabolum alloquentis, quo Jobi virtus celebratur; et secundum invidia plenum diaboli colloquium cum Domino circa Jobum. Quomodo

tradiderit et Dominus Jobum, una tantum servata anima seu vita. Egressus diabolus Jobum percutit a pedibus usque ad caput; sedensque Job in stercore radebat saniem. Suadet Jobo uxor ejus, ut loquatur contra Dominum, et moriatur : illamque Job reprehendit. Audierunt tres amici Jobi, Eliphaz Thæmanitarum rex, Baldad Sacheorum tyrannus, et Sophar Menæorum rex cuncta quæ ipsi acciderant. Et accesserunt ad illum singuli ex regione sua, ut viserent illum : illoque conspecto sciderunt singuli vestem suam ob tantam calamitatem. Post plagam autem Job primus aperuit os suum, et maledixit diei ac nocti in qua natus erat. Hinc illud : « Sicut servus qui timet » Dominum, sic data est lux iis, qui in amaritudine ver- » santur, qui desiderant mortem, nec obtinent. Mors enim » viro requies. » Excipiens illum primus Eliphaz Thæmanites dicit Jobo : « In memoriam revoca, quis mundus perierit, » aut quandonam veraces funditus perditi sint. Ferocia » draconum extincta est : myrmecoleon autem periit, eo » quod non haberet escam : catuli leonum sese invicem » separarunt. Sic non est mortalis mundus in conspectu » Domini, neque ex operibus suis inculpatus vir. Stulti, » inquit, licet radicem ponant, statim devorabitur victus » eorum; quoniam quod illi congregarunt, justi comedent. » Homo, inquit, nascitur ad laborem, pulli autem vultu- » rum alte volant. Comprehendit autem Dominus sapientes » in prudentia eorum, consilium autem versipellium dis- » sipat. Innocentem ex necessitatibus eripiet Dominus, et » in septimo non tanget eum malum. Tu vero tecum reputa » an quid perpetraveris. »

Prima Jobi ad Eliphaz responsio : « Si vero quis appen- » dens appenderet iram meam, et dolores meos tolleret in » statera pariter, utique arena maris gravior erit. » Item illud : « Num frustra clamavit onager, nisi escas requi-

» rens? Numquid et erumpet in vocem bos, cum habeat in » præsepe cibos? Numquid fortitudo lapidum, fortitudo » mea, aut carnes meæ sunt æneæ? Quasi tentatio est » vita hominis super terram : aut sicut quotidiani merce- » narii vita ejus. Si ego peccavi, quid potero facere? qui » scis mentem hominum, quare posuisti me ut loquerer » adversum te. »

Post Eliphaz secundus excipiens Baldad Saucheotes Jobum sic alloquitur : « Usquequo loqueris? spiritus mul- » tiloquus in ore tuo. Numquid Dominus injuste aget ju- » dicans? aut qui omnia facit, non exhibebit id quod » justum est? » Item illud : « Sicut non viret papyrus sine » aqua, nec crescit prati herba sine potu; nam adhuc in » sua radice consistit, nec demetetur, et antequam cadat » herba, siccabitur : sic erunt novissima omnia eorum, qui » obliviscuntur Dei. »

Prima responsio Jobi ad Baldadum : « Vere scio quod » ita sit : quomodo enim erit justus homo apud Dominum? » Etiamque illud, « Qui extendit cœlum solus, et ambulat » super mare tanquam super pavimentum, qui fecit Pleiada » et Hesperum. Quis judicio Dei resistet? Quod si etiam » fuero justus, os meum impia loquetur : etiamsi fuero sine » crimine, pravus evadam. » Circa illud, « Vita mea levior » est cursore. Numquid navibus est vestigium viæ, aut » aquilæ volantis, quærentis escam? Memento quod lutum » finxisti me, et in terram me iterum convertes. Nonne » sicut lac mulsisti me, etc. Essem tanquam non fuissem. » Cur de utero in monumentum non sum translatus? »

Post Eliphaz Baldad, et post Baldad Sophar Menæus, secundum sibi proprium ordinem; ita ut unusquisque eorem speraret se meliora dicturum Jobo. « Qui multa » dicit, vicissim audiet. » Item illud : « Fulgebit facies tua » tanquam aqua pura. Exues autem sordem, et non ti-

» mebis, et laborem oblivisceris tanquam fluctum qui » præterit. Oratio enim tua tanquam lucifer erit. »

Prima Jobi ad Sopharem responsio. « Vos ergo soli estis » homines; aut vobiscum morietur sapientia? Et mihi qui- » dem cor juxta vos erit. » Circa illud : « Quis non cogno- » vit in omnibus his, quod manus Domini fecit hæc. Quia » in manu ejus est anima omnium viventium, et spiritus » omnis hominis. Si prohibuerit aquam, siccabit terram, » et si dimiserit, perdidit evertens eam. » Circa illud : « Quis » erit mundus a sorde? at nemo, etsi unus dies sit vita ejus » super terram. Est arboris spes. Si enim excisa fuerit, » adhuc pullulabit, et germen ejus non deficiet. Vir vero » cum mortuus fuerit, abiit : et mortalis cum ceciderit, » non ultra est. »

Initium secundum : Eliphaz Jobum alloquitur : « Num- » quid sapiens responsionem dabit scientiæ spiritus. Arguat » te os tuum, et non ego. » Illud item, « Quis enim cum sit » homo, erit inculpatus? an erit justus natus de muliere? »

Secunda responsio Jobi ad Eliphaz. « Audivi talia multa : » consolatores malorum omnes. Ecce in cœlis est testis » meus, et conscius meus in excelsis. Sit autem redargutio » viro coram Domino. » Illud item, « Noctem posuit in » diem. Nam si sustinuero, infernus erit mihi domus. Mor- » tem appellavi patrem, matrem autem meam et sororem, » tabem. »

Secundo rursus excipiens Baldad ait ad Jobum. « Quous- » que non cessabis? Quid enim, si tu mortuus fueris, inha- » bitabilis-ne erit ea quæ sub cœlo est? » Respondet se- cundo Job Baldado : « Usquequo molestiam facietis animæ » meæ, occidetis me ratiociniis? Loquimini contra me sine » pudore? » Hinc illud, « Gloriam meam a me abstulit, » coronam sustulit de capite meo, et excidit tanquam ar- » borem spem meam. » Item illud : « A me fratres mei re-

» cesserunt, alienos agnoverunt magis quam me : amici » vero mei immisericordes facti sunt. Servum meum vo- » cavi, et non respondit : et rogabam uxorem meam, et » non attendit. Invocabam autem filios concubinarum mea- » rum, illi vero me in sæculum aversati sunt. Miseremini » mei, miseremini, o amici. Quare me persequimini sicut » Dominus? Quis enim det ut scribantur verba mea? A » Domino mihi hæc consummata sunt. Oculus enim meus » vidit, et non alius. Radicem sermonis inveniemus in eo : » cavete etiam vos a tegmine. »

Secundo rursus excipiens Sophar, Jobo dicit : « Non sic » putabam te contra responsurum. » Hinc illud : « Lætitia » impiorum ruina insignis : gaudium vero iniquorum est » perditio. Cum autem visus fuerit jam firmatus esse, tunc » in finem peribit. » Illud etiam : « Ossa ejus impleta sunt » juventute ejus. Si dulcuerit in ore ejus malignitas, abs- » condet eam sub lingua sua. Sicut fel aspidis in ventre ejus, » sic divitiæ inique congregatæ evomentur. In vanum et » frustra laboravit, colligens divitias ex quibus non gusta- » bit. Multorum enim impotentium domos contrivit. Vul- » neret eum arcus æreus, et pertranseat per corpus ejus » jaculum. Astra autem in tabernaculis ejus ambulabunt. » Hæc enim est portio viri impii a Domino. »

Secunda responsio Jobi ad Sophar : « Audite, audite » verba mea, ut sit mihi consolatio non a vobis. Quid » enim? Numquid cum homine est redargutio mea? Quare » impii vivunt, senueruntque in divitiis et prosperitate? » Salva evasit prægnans apud illos. Ubi dicit impius Do- » mino : Recede a me, vias tuas scire nolo? Quid est ille » potens, quia serviemus ei? Annon Dominus est, qui do- » cet intellectum et scientiam? ipse vero labores dijudicat. » Itaque scio vos audacter mihi insistere. » Item illud, « Ubi

» est domus principum? In diem perditionis sublevatur » malignus : et post illum omnis homo abibit. »

Tertio iterum excipiens Eliphaz ait : « Nonne Dominus » est, qui docet intellectum et scientiam? Quid enim cu- » rat Dominus si tu fuisti in operibus inculpatus? » Hic Jobo dicit Eliphaz : « Viduas dimisisti vacuas, pupillos au- » tem afflixisti. Et dixisti : Quid novit fortis? Qui dicunt, » Quid faciet nobis Dominus? et quid inducet nobis Omni- » potens? Item illud : « Purum te reddet Dominus sicut » argentum igne probatum. Respice in cœlum hilariter : » cum precatus autem fueris eum, exaudiet te, et serva- » beris munditia manuum tuarum. »

Tertia Jobi ad Eliphaz responsio. « Et quidem scio quia » eleemosyna de manu mea est : et manus ejus gravis facta est super gemitum meum. Si in multa virtute superve- » niant mihi tenebræ! Impii terminum transgressi sunt, » et nudos multos dormire fecerunt sine vestimentis. Ap- » pareant plantæ eorum de terra aridæ : fasciculum enim » pupillorum rapuerunt. »

Tertio excipiens Baldad dicit : « Qui facit universitatem » in altissimo. Ne quis suspicetur esse moram piratis. Quo- » modo enim erit justus homo coram Domino? Si vero, » homo putredo, et filius hominis vermis? »

Tertia Jobi ad Baldad responsio. « Quem adjuturus es? » et quem sequeris? Nonne cum cui maxima potestas? Nu- » dus enim est infernus coram eo, qui suspendit terram in » nihilum, ligans aquam in nubibus suis. Præcepto autem » peremit draconem desertorem. »

Cum Sophar tertio loqui non aggrederetur; imo et alii duo priores tacerent, utpote qui non haberent, quid am- plius dicerent, eo quod Job se justum esse poneret. Sub- nectit secundo Job eadem de re proœmium. Illi vero cum silentio ipsum audiunt, nec sine utilitate. « Vivit, inquit,

» Dominus, qui sic me judicavit, et Omnipotens, qui affe-
» cit amaritudine animam meam : cum adhuc halitus meus
» immanet, spiritusque divinus superest in naribus meis.
» Labia mea non loquentur iniqua. Annuntiabo vobis quid
» sit in manu Domini. Ecce omnes nostis, quia vana vanis
» insidiose adjicitis. Hæc portio est hominis impii a Do-
» mino. Quod si multi fuerint filii ejus, in occisionem
» erunt : viduis autem eorum nemo miserebitur. Si colle-
» gerit impius ut terram argentum ; locus unde fit, quis
» est, quis locus auri unde percolatur? Ferrum quidem de
» terra fit, æs autem ut lapis cæditur. Omne pretiosum,
» inquit, vidit oculus meus. Sapientia autem ejus unde in-
» venta est? Abyssus dixit, Non est in me, et mare dixit,
» Non est meum. Attrahe sapientiam super ea quæ maxime
» intima sunt. Non æquabitur ei topazium Æthiopiæ, et
» auro puro non conferetur. Dominus bene constituit viam
» ejus. Ipse enim omne quod sub cœlo est perspicit, nota
» habens omnia quæ in terra, ventorum libramentum,
» aquarum mensuras. » Dixit homini : « Ecce cultus Dei est
» sapientia. »

Illis autem tribus tacentibus adjiciens Job in proœmio dicit : « Quis me ponat in mense priorem dierum, quibus
» me Deus custodiebat : cum splendebat lucerna ejus super
» caput meum? exibam matutinus in civitate, in plateis
» autem ponebatur mihi sella. Servavi enim pauperem de
» manu potentium. Benedictio pereuntium super me ve-
» niat. Oculus fui cæcorum, et pes claudorum, pater
» autem impotentium. Confregi molas iniquorum : de me-
» dio dentium eorum rapinam eripui. Sicut terra sitiens
» suscipiens pluviam, sic hi meum sermonem. Habitabam
» quasi rex in accinctis. Stultorum filii, nomineque igno-
» biles : nunc autem cithara illorum ego sum, et me fabu-
» lam habent. Nec in faciem meam pepercerunt spuere.

» Reputasti autem me sicut lutum : in terra et cinere portio » mea : manu autem potenti me flagellasti. Frater, inquit, » fui Sirenum, sociusque struthionum. Si secutum est cor » meum uxorem viri alterius, placeat quoque uxor mea al- » teri. Furor enim viri indomitus, commaculare illis uxo- » rem. Si despexi nudum pereuntem, et non operui eum, » et de tonsura agnorum meorum non calefacti sunt hu- » meri eorum, discedat humerus meus a junctura. Quod » si gavisus sum de ruina inimicorum meorum, et dixit » cor meum, Euge ; audiat auris mea maledictionem » meam : et, si non scindens eam reddidi, nihil accipiens » a debitore : si super me unquam terra gemuit, pro fru- » mento germinet mihi urtica. »

De Eliuzo filio Barachiel Buzita, quomodo iratus fuerit in Jobum, quod se diceret justum coram Domino. Excipiens Eliuz filius Barachiel Buzites, dixit : « Junior quidem » sum ætate : quare quievi timens annuntiare vobis scientiam » meam. » Exurgens Eliuz impudenter contra Jobum loquitur, tribus illis tacentibus. « Rursus loquar, plenus enim » sum verbis. » Dixit Eliuz ad Job : « Spiritus divinus est » qui me fecit : spiratio autem Omnipotentis quæ me do- » cet. Si poteris, da mihi responsionem. Avertat hominem » ab iniquitate. Pepercit autem animæ ejus a morte, » et ne cadat ille in bello. Coarguit autem illum in lan- » guore super cubili. Renovabit autem ejus corpus sicut » tectorium in paricte, et ossa ejus implebit medulla. Tunc, » inquit, accusabit homo se ipsum dicens : Qualia efficie- » bam ? non dignam peccatis meis castigationem intulit. » Adhuc locutus est Eliuz ad Jobum. « Auribus percipe, Job, » et audi me : obmutesce, et loquar. Si est tibi sermo, res- » ponde mihi. Volo enim examinari a te justitiam sermo- » nis mei. » Adhuc adjiciens Eliuz tertio dicit : « Audite me, » sapientes, bonum est ut qui scientiam habent, auribus

» percipiant : quia auris sermones probat. » Adhuc dixit Eliuz : « Quis vir ut Job, bibens subsannationem sicut » aquam? qui neque peccavit, neque impie egit. [Absit a » me] coram Omnipotente turbare justitiam : sed reddat » homini cuique secundum opera ejus. Impius est qui dicit » regi, Inique agis. » Et, « Qui non est veritus faciem in » conspectu meo. Dominus omnia inspicit, qui compre- » hendit non vestigabilia, gloriosa et magnifica, quorum » non est numerus. Vir sapiens audivit verbum meum : Job » autem non prudenter locutus est. » Quarto adjiciens Eliuz dicit. « Quare hoc existimasti in judicio? Tu quis es, » quia dixisti, Justus sum in conspectu Domini? » Quintum adjicit Eliuz orationi suæ, et atque Job neque tres amici accusant eum ut atheum. Manifestum ergo hinc est, tres illos resipuisse. Dicitque ad Job : « Sustine me pau- » lulum adhuc, ut te doceam; adhuc enim est in me vis » loquendi. » Ait Eliuz, « Auribus hæc percipe, Job. Sta, » disce virtutem Domini. Numquid liber aut scriba astitit » tibi; aut ab Aquilone nubes coloris aurei? »

Deus sese exhibens Jobum justum declarat, docensque mysterium Christi, ait ad Jobum : « Quis est hic, qui ce- » lat me consilium, continetque sermones in corde? » Dialogus Domini : « Sepivi mare portis. Dixi autem illi, » Huc usque venies, et non præteribis; sed in te ipso com- » minuentur fluctus tui. » Sermo Domini : « An tu sumens » lutum formasti animal? Aperiuntur tibi metu portæ mor- » tis : aut ostiarii inferni videntes te timuerunt? Num ve- » nisti ad thesauros nivis, aut thesauros grandinis vidisti? » Unde autem procedit pruina? Quis præparavit fluxum » pluviæ vehementi? Insuperque quis est pluviæ pater? Ex » cujus utero procedet glacies? Pruinam in cœlo et glebas » roris quis peperit? Vocabis autem nubem voce, et tre- » more aquæ validæ obediet tibi? Mittes fulmina et ibunt?

» Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam? Quis præpara-
» vit corvo escam? Pulli enim ejus clamaverunt ad Dominum
» errantes, cibaria quærentes. Penna volans procedet, si
» conceperit asida et nessa. Relinquet in terra ova sua, cum
» tacere fecit ei Deus sapientiam, irridebit equum. Ex
» scientia tua stetit accipiter, vultur autem super nidum
» suum sedens moratur. »

Adhuc locutus est Dominus Jobo : « Num judicium cum
» Omnipotente judicabis? et qui arguit Dominum, respon-
» debit ipsi? » Locutus est Job Domino : « Ego judicor
» commonitus, et arguens Dominum cum audio talia. »
Locutus est Dominus ad Job de nube secundo apparens
ei : « Accinge sicut vir lumbum tuum. Interrogabo autem
» te, tu vero mihi responde. Confitebor quod possit dex-
» tera tua salvare. Verum utique bestiæ apud te fœnum
» sicut boves comedunt : virtus autem ejus super umbilico
» ventris. Erexit caudam sicut cupressum. Costæ ejus,
» costæ æneæ : spina autem ejus ferrum fusile. Sub omni
» genere arborum dormit. Duces autem, inquit, leonem
» hamo, et circumpones capistrum circa nasum ejus.
» Omne autem navigans conveniens non ferent pellem
» unam caudæ ejus. Putat quidem ferrum paleas, æs au-
» tem sicut signum putridum. Non vulnerabit eum arcus
» æneus. »

His cessavit loqui Job : « Novi quod omnia potes, et nihil
» tibi impossibile est. Quis enim est qui te celat consilium?
» Putavi autem me terram et cinerem. » Coarguit Dominus
Eliphaz Thæmanitem, quia peccavit ipse et duo amici
ejus, quia non locutus est coram Deo verum. Hic expiatio
fit trium annorum per Job sacerdotem Dei. Quod auxerit
Dominus Jobum, et precante illo pro amicis suis, Domi-
nus condonaverit eis peccatum. Ut audierunt omnes, qui
ex genere Jobi erant, accesserunt ad eum, et comede-

runt ac biberunt apud eum, illumque admirati dederunt et singuli agnum unum, et tetradrachmum aureum. Scriptum est eum resurrecturum esse cum iis quos resuscitabit Dominus. In his continetur vis omnis libri Job.

SAPIENTIA SALOMONIS.

Sapientia Salomonis vocatur hic liber : nam etiam hunc a Salomone scriptum esse dicunt. Continet autem doctrinam justitiæ, et qua ratione cognoscendi sunt tunc improbi, tunc probi viri : ad hæc prophetiam de Christo. Docet etiam multo esse opus labore et desiderio ad comparandam sapientiam. Ad hæc de quibusdam naturæ partibus disputatur, itemque contra idola, et illorum sculptores, et contra eos qui spem in illis ponunt, ipsaque colunt. Præterea hymnus cum confessione mirabilium operationum, quæ Israëlitis coram ipsorum inimicis a Deo factæ sunt. Hæc itaque complectitur hic liber. Recapitulatio autem sic habet. In proœmiis adhortatio justi ad pietatem, et reprehensio impii blasphemi. Nam, « Ne æmu- »leris, inquit, Antichristos, qui sunt ipsa mors. » Unde factum sit, quod impii eo devenerint, ut Dominum gloriæ crucifigerent, dum præsens sæculum illi anteferrent. Quod etiam ipsi Apostolos persecuti sint et occiderint. Quod futuri sint quidam qui Legem Domini contemnant, quidam vero alii sint illi obtemperaturi.

Quod Deus multitudini eorum qui in Christum impie agunt, non sit parciturus. Unius enim justi Christo credentis cura est Deo, etiamsi in adolescentia moriatur, « Senectus enim venerabilis est, non diuturna. » Etsi impius mortem ejus, qui Christo credit, contemnit, et illi eliguntur in Christo. Impii ignominiosæ ruinæ tradentur,

et magno judicio ac condemnationi subjicientur ii, qui Christi servos persequuntur, videntes gloriam ejus et ipsorum, seque ad supplicium rapi. Quod divitiæ cum arrogantia nobis accedant. Quæ sit ira Dei in eos qui impie egerunt in Christum. Adhortatio, imo potius denuntiatio principibus Israël, ut Christo credant; imo potius denuntiatio principibus catholicæ Ecclesiæ, quomodo regere debeant post illius abscessum. Quæ sit sapientia, nempe Filius Dei. Et quomodo Verbum caro factum sit, inque nobis habitaverit. « Quia ego, inquit, eadem quæ vos passus » sum, homo cum sim, ex jussu Dei disciplinæ subditus. » De Christo : « Ex sapientia Dei, inquit, omnium cognitio- » nem habeo : in manu enim illius, et nos sumus, et ser- » mones nostri. Quæ sit sapientia, et quomodo in homines » venerit. Cum enim unica sit, omnia potest, et cum in » se ipsa maneat, omnia tamen innovat. Sapientiam, in- » quit, a juventute amavi, et omnia bona ex illa accepi, » carnalia et spiritualia. Cognita enim magnitudine sapientiæ, postulavi a Domino ut daretur mihi Spiritus sanctus, qui me de illa illuminaret, ut mecum laboraret. « Cogita- » tiones namque mortalium timidæ sunt. » De operibus sapientiæ. Quomodo primum hominem custodierit, ex quantis malis Deus credentes sibi servet, et quanta illis bona præstet; ut videre est, in Abraham, Lot, Jacob, Joseph, et in Israëlitis, quos ex manu Ægyptiorum eripuit per Moysem, et aqua ex prærupta petra potavit. Quomodo septem gentibus vespas miserit, et lenitate misericordiaque usus, illis postea per illa populum erudiens, ut benignus esset et humanus. Contra adoratores elementorum, ranarum, sciniphum, murium, locustarum, vesparum, serpentum. Contra adoratores idolorum ex auro, argento, ligno, lapidibus. Quod per lignum salus sit credentibus. De sculptoribus vel pictoribus idolorum; de

omnibus idololatriæ malis. De impia religione, et quot illi insint mala. De figulo et fictilibus idolis. De omnibus idolis, quæ a gentibus coluntur, inimicissimarum bestiarum, serpentum, catorum et similium. Quod Israëli Deus beneficium contulerit, pro ranis coturnicem mittens. Quod contra morsum serpentum per æneum serpentem in cruce suspensum salus populo facta sit; inimici vero ipsorum per locustas et mures occisi sint. Quod populum Angelorum cibo aluerit, quamcumque voluptatem habente, et ad quemcumque gustum accommodato. Quod grandinem cum igne ad corrumpendas fruges in Ægyptios miserit. Quod palpabiles tenebras in Ægyptios miserit, et quæ in ea re inerant mala: sanctis vero suis lucem in Ægypto, et columnam ignis in solitudine: et quod propter occidi jussos Israëlitarum infantes, Ægyptiorum primogenitos mors, et ipsos Ægyptios submersio sustulerit: ut pro morte primogenitorum salus Israëli per sanguinem agni concessa sit. Et pro morte justorum in solitudine, Aaron Dominum precibus et incenso placarit: pro morte vero Ægyptiorum in mari Rubro: fuerit ira Dei absque misericordia, et iter populi insolens. Quod propter inhumanitatem erga advenas mala ista passi sint Ægyptii, quemadmodum et Sodomitæ. Quod elementa divino Christi judicio subsint, ad illius imperium parata sicut chordæ citharæ citharam pulsanti. In his comprehenditur vis omnis sapientiæ Salomonis quæ Panaretos vocatur.

PAROEMIÆ SIVE PROVERBIA SALOMONIS.

Parœmiæ seu Proverbia Salomonis vocatur hic liber, quia illa Salomon et dixit, et scripsit. Hic vero cum regnum David patris suscepisset, precatus est Deum ut sapientiam acciperet potius, quam divitias et hostium ul-

tionem. Hanc cum accepisset, et præ omnibus mortalibus qui ante et post ipsum fuerunt, sapiens esset : ac cum in omnibus dictis factisque suis admirationi esset, tria millia parabolarum, et quinque millia cantica prolocutus est : disputavitque de omnibus, tam de iis quæ ex terra proveniunt, quam de omnis generis animantibus. Scripsit autem, ut quidam aiunt, tres tantum libros, hunc videlicet, Ecclesiasten, et Canticum Canticorum ; ut autem quidam dicunt, etiam Sapientiam, quæ sic inscribitur, et Panaretos dicitur : nam hoc etiam germanum ejus esse opus dictitant. Hunc porro Parœmiæ seu Proverbia inscripsit. Sunt autem Parœmiæ verba sapientiæ, velut ænigmata, quæ ex se quidem aliud exhibent, aliud vero per suspicionem indicant. Horum autem species sunt proverbia. Sic enim Discipuli Domini loquuntur in Evangelio Joannis, quando, Domino multa obscure dicente, tandem dicunt ei : « Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum » dicis[1], » ut intelligas proverbia, non aperto, sed obscuro sensu dici. Quoniam igitur tales plerumque sunt in hoc libro sententiæ, ideo Parœmiæ seu Proverbia inscriptus hic liber est. Est autem inde dicta parœmia, quod per vias, tales sententiæ conscribi solitæ essent, ad correctionem et doctrinam eorum, qui iter instituerent. Per vias autem scribebantur, quia non omnes veritatis sermones capiebant : ut vel in transeundo et talia conspiciendo, quæ scripta essent exquirerent, atque ita erudirentur homines. Quidam autem parœmias ad hunc modum definiunt : Dictum parodium, seu in via positum, ab uno quodam ad multa translatum. Est igitur in hoc libro, notitia sapientiæ et disciplinæ, intellectus sermonum prudentiæ, strophæ verborum, justitiæ veræ intellectus, ad dirigendum judicia, et pollicitatio cognoscendarum ex

[1] Joan. xvi, 29.

istis parabolarum, dictorum sapientium, ænigmatum, et obscurorum sermonum. Et sunt notitiæ sapientiæ et disciplinæ. Cum enim et Græci se sapientiam habere polliceantur, et hæretici habere se disciplinam arbitrentur; ideo hic veram sapientiam ac disciplinam docet; ne ex similitudine nominis sapientiæ, in sophismata Græcorum et hæreticorum quis incidat. Græci enim putant se hac in re præstare, ac « Dicentes se sapientes esse, stulti facti » sunt[1]. » Hæretici vero eruditos esse se rati, aversi sunt et peccant, proprio judicio condemnati. Sapiens vero si divina eloquia audierit, sapientior erit. Etenim si legitima Dei audierit et custodierit, et in disciplina Domini negligens non fuerit, nec fallacia quadam allectus fuerit, filius sapiens evadet, et eruditus factus, statim etiam cognitionem Dei accipiet. Hac enim sapientes instituuntur. Sermonum vero prudentum intellectus, doctrina est de solo vero Deo. Græcorum namque alii corpus esse dixerunt Deum, alii simulacris etiam ipsum assimilarunt. Hæretici vero et ipsi in veri cognitione desipuerunt. Propterea hic de vera cognitione Dei hæc enarrat. Quod quidem ineffabilis sit. « Gloria Dei abscondit verbum[2]. » De providentia vero ejus sic loquitur : « In omni loco oculi » Domini contemplantur bonos et malos[3]. » Et iterum : « Dives et pauper alter alteri occurrerunt : utrosque vero » fecit Dominus. » Et, « Dum conveniunt fœnerator ac de» bitor, utrosque speculatur Dominus. « Et, « Sunt enim » in conspectu oculorum Dei viæ viri, et omnes orbitas » ejus speculatur[4]. » Judicium quoque ejus commemorat, dicens : « Sacrificia impiorum abominationes sunt Do» mini : vota autem recte ambulantium, accepta sunt » apud eum. » Et iterum : « Domos convitiatorum dissipat

[1] Rom. I, 22. — [2] Prov. XXV, 2. — [3] Id. XV, 3. — [4] Id. XXII, 2; XXIX, 13, et V, 21.

» Dominus, firmat autem terminum viduæ [1]. » Opificium vero illius non simpliciter, sed eo quod per Verbum ac sapientiam suam cuncta faciat; qui potissimus veri Dei character est, quod sit Filii Pater. Ait igitur : « Sa- » pientia Deus fundavit terram. » Et iterum : Deus fecit » regiones et deserta, et summitates habitatas ejus, quæ » sub cœlo est. Quando præparabat cœlum, aderam ipsi, » et separabat thronum suum supra ventos, quando validas » faciebat desuper nubes, cum eo eram cuncta componens. » Ego eram in qua lætabatur, singulis diebus lætabar in » conspectu illius. » Strophæ verborum sunt in isto libro : nam si quis ea mente verset, reserabit et inveniet sententiam in ipsis sitam. Qualia sunt hæc : « Incolumis evasit » ab æstu filius intelligens, corrumpitur autem a vento in » messe filius iniquus. » Et iterum : « Sollicite cura quæ in » agro sunt viridia, et herbam demetas; et fœnum mon- » tanum collige, ut oves habeas ad vestitum. » Et rursus : » Si conviva sederis ad cœnam in mensa magnatum, mente » intelligas quæ apponuntur tibi : » Et alia consimilia. Veræ justitiæ dictus est intellectus : quoniam differenter quidam justitiæ vocabulum accipiunt; aliis dicentibus justitiam esse, ut reddat quis quod custodiendum accepit : aliis vero, si malum reddatur pro malo, et bonum pro bono. Hujusmodi autem definitiones accuratæ non sunt. Ne dixeris enim, quo ille erga me usus est modo, eodem utar ego, pœnas de illo sumam pro injuria qua me effecit. Quamobrem hic, quæ vera sit justitia docet : eam videlicet veram esse justitiam, si unicuique quod suum est reddatur. « Cumprimis honora Dominum de justis tuis » laboribus, et primitias illi da de tuis justitiæ fructibus. » Deinde honora regem, et parentibus debitum exhibe » officium, omnibus vero quod æquum est. » Et hic quidem

[1] Prov. xv, 8 et 25.

unus est typus. Alter vero, ut animam suam quisque justificet, æquabilitatem non declinet : sed rationi obtemperet, ne malo consilio quo juventutis doctrina repudiatur, capiaris : sed cum consilio omnia facias, et cogitationes tuæ sint judicia, ita ut se ipsum quisque judicet, et omne desiderium probum habeat : omne quippe justorum desiderium bonum est, et concupiscentia justi accepta est. Quod autem iracundiam spectat : « Ne sis amicus, inquit » viro furioso, et amico iracundo ne cohabites. Omnem » enim iram suam emittit insipiens : sapiens vero illam ex » parte recondit. » Qui se ipsum ad hunc componit modum, et singulas cujusque partis animæ actiones sanas et innocuas custodit, is demum veram agnituras est justitiam. Judicia vero dirigere, est imprimis juste secundum Legem Dei judicare, ut ait : « Aperi os tuum verbo Dei, » et sane de omnibus judica. Pauperem vero et imbecillem » dijudica. Qui namque dicit de impio, justus est, exe- » crabilis est populis, et odiosus inter gentes. Personam » enim in judicio revereri bonum non est. » Hoc quidem palam et aperte dicendum est : deinde, ut quod judicium in alios quispiam profert; idipsum in seso dirigat, seque ipse examinet : corripiatque si excesserit ira : cohibeat, si vehementior fuerit concupiscentia : excitet, si dormierit vis ratiocinii, dicens : « Quousque, piger, jaces ? » Ita enim se juste gerens, accusatorque sui factus, rectum judicium proferre discet, nec audiet ab alio : « Qui alium » doces, te ipsum non doces ? Qui ais, Non mœchaberis, » mœcharis[1] ? » Quemadmodum enim qui iter facit, si recta gradiatur via, ad finem viæ pervenit; sic qui recta profert judicia, justus agnoscetur et sapiens. Parabolæ autem dicuntur sermones, quasi imagines eorum quæ dicuntur. Ex ipsis enim per similitudinem quod dicitur intelligitur.

[1] Rom. xx, 22.

Ita namque Dominus, ut ait Marcus, dicit : « Cui assimi-» labo regnum Dei? Aut qua parabola adumbrabo illud[1]? » Utpote cum parabola sit de rebus per similitudinem dictis. Cum dixisset enim : « Simile est regnum Dei; » deinde intulit, « Ideo in parabolis loquor illis[2]. » Hujusmodi itaque sunt parabolæ : « Sicut emissio nivis in messe alle-» vat æstum, sic nuntius fidelis iis qui miserunt eum. » Et rursum : « Sicut venti, et nubes, et pluviæ, sic qui glo-» riantur in dono mendaci, » et his similia. Dicta porro sapientum sunt, non sophismata verborum, neque sermones probabilitatis specie decipientes, sed veri et accurati; non quasi jussione cujusdam habiti, sed per se noti, et quasi sententiæ eorum prolati. Quales sunt : « Corde » lætante floret vultus; cum autem in tristitia est, depri-» mitur. » Et, « Cor rectum quærit sensum; os autem in-» disciplinatorum cognoscet mala. » Et, « Odium excitat » contentionem : Omnes autem eos, qui contentiosi non » sunt, contegit amicitia. » Et, « Qui negotium contemnit, » contemnetur ab ipso; qui vero mandatum veretur, ille » sanus est[3]. » Aliorum namque hominum sermones, ut plurimum ambigui sunt : sapientium vero, quales sunt isti, veri sunt, et omni ex parte accurati, ita ut minime ipsis contradicatur. Et alii quidem homines ex fine operis rem declarant; cujusmodi est illud : Iniquus res est mala; et mœchus pravum quid est, quod cuivis manifestum est. Sapientes autem initium operum prædicunt, et quasi symbola animi motuum prænuntiant; ut quisque, agnitis malorum principiis, sibi caveat, qualia sunt superius dicta : « Odium suscitat contentionem, omnes autem qui » non contendunt contegit amicitia. » Contentiosus enim ex odio malitiæ hujus principium habet, nec quispiam dixerit contentiosum se diligere. Contra qui contentiosus

[1] Marc. IV, 30. — [2] Matth. XIII, 13. — [3] Prov. XV, 13; et X, 2.

non est, dilectionis indicium habet : nec contentiosum quispiam dixerit eum qui diligit, ut rursum dicitur : « In » concupiscentiis est omnis otiosus, et iracundus absque » consilio agit. » Nam otiosi animam significat in omnibus concupiscentiis esse demersam, et iracundum, nullum rectum habere consilium ostendit. Hi itaque plane mores declarant, et actionis principium unde ordiatur, dum aiunt, odium præcedere rixas : charitatem esse principium et causam, qua vitantur contentiones : otio præire pravam voluptatem; iracundo præire consilii inopiam : et causam quare quis despiciatur, sese contemptum Legis : quod sanitatem præcedat timor Dei : item quod principium perniciei animæ sit, non custodire os suum, quod terrori præcat temeritas. Si eo modo singula dicta expenderis, deprehendes ea ideo esse scripta atque prolata, ut qui audierint bonorum malorumque principia edocti, prava fugiant, bona operentur. Ænigmata porro et obscuri sermones, ita caute sunt posita, ut eum qui legerit mœrore afficiant, quod nihil statim exhibeant, nullumque sensum subindicent : attamen dum accurate expenduntur, suam sententiam indicant. Qualia sunt : « Sanguisugæ » tres erant filiæ admodum dilectæ : et hæ tres et quarta » non dicunt : Satis est. Infernus, et amor mulieris et tar- » tarus, et terra quæ non saturatur aqua, aqua et ignis, » nunquam dicunt : Satis est. » Et iterum : « Tria sunt » quæ intellectu mihi sunt impossibilia, et quartum non » cognosco; vestigia aquilæ volantis, et vias serpentis su- » pra petram, et vias navis in mari euntis, et vias viri in » adolescentia[2] : » et quæcumque ejusmodi sunt ænigmata: alia namque statim indicant, aliam tamen sententiam exhibent : et obscura quidem sunt, absconditum vero

[1] Prov. xiv, 17. — [2] Id. xxx, 10 et 15.

sensum habent. Et compendium quidem libri Proverbiorum ad hunc se habet modum.

Recapitulatio autem ejus his comprehenditur. In proœmiis agitur de ipsis Proverbiis Salomonis filii David, qui regnavit in Jerusalem, ad sciendam sapientiam et disciplinam. Quod principium sapientiæ sit timor Domini, de audiendis legibus patris, et de non respuenda disciplina matris. De non errando, et quod non sit via capessenda cum iis qui operantur iniqua : commune namque marsupium illi possident. Sapientia in exitibus prædicat; impii autem oderunt sensum. Quoniam, me vocante, non audierunt; ideo cum vocabunt me, non audiam eos. Item illud, « Accipe dicta mandatorum, et audiet sapientiam auris » tua, ut intelligas justitiam et judicium. Væ qui derelin» quunt vias rectas, et delectantur in subversione mala. » Illud etiam, « Ne te apprehendat consilium malum, ut » invenias semitas justitiæ planas. » Item, « Ne obliviscaris » Legis custodiam, ut longævus sis in pace[1]. » Quod toto corde debeas in Domino confidere, nec esse prudens in temetipso, sed honorare Dominum ex justis laboribus. Quod non negligenda sit disciplina Domini; nam quem diligit Dominus castigat. Et beatus homo qui invenerit sapientiam. Quod non debeas emolliri ac diffluere, sed servare consilium et intelligentiam; ut sit medela carni tuæ. Quod non debeas desistere a beneficio indigenti præstando, cum habuerit manus tua unde ipsi opem ferat, neque machinari mala adversus amicum tuum, quia immundus coram Domino omnis iniquus erit. Quia Dominus superbis resistit, humilibus dat gratiam : de audienda disciplina patris. Item illud, fili, dictis meis attende, et omni custodia serva cor tuum, et Dominus rectas faciet orbitas tuas. Quod non attendendum pravæ mulieri, vias enim

[1] Prov. II, 1 et 13.

vitæ non ingreditur, ab ejus consortio te procul remove. Item illud : Bibe aquas ex vasis tuis, et fons aquæ tuæ sit tibi suavis. In ejus enim sapientia versans, diuturne ages. Vade ad formicam, o piger adolescens, et esto sapientior : quia multum in messe parat acervum. De eo qui vadit ad apem, et disce quomodo operatrix sit. Illud etiam : Usquequo, piger, jaces, paululum dormis, paululum vero sedes : ideo repente veniet pernicies tua : de custodia legum patris ; quod lucerna mandatorum sint, et lux et via vitæ. Illud etiam : deponet quis ignem in sinu, vestimenta autem sua non comburet, aut ambulabit super carbones ignis, pedes autem suos non incendet. Qui ingreditur ad mulierem conjugatam non innocens erit. Item, Non mirum si quis furtum faciens deprehendatur ; furatur enim ut impleat animam suam esurientem : mœchus autem ob inopiam mentis perdet animam suam. Item, Cole Dominum, et potens eris, et custodi mandata mea, et describe illa in latitudine cordis tui, ut custodiant te a muliere aliena et meretrice. Quod debeas prædicare sapientiam, quæ in excelsis verticibus est, quia pretiosior est argento, et generosior auro probato : et quod timor Domini odio habeat injustitiam. Illud item, « Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua. » Item illud : « Sapientia ædificavit sibi domum. » Item, Argue sapientem et te diliget. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris et proximis tuis ; si autem improbus evaseris, solus hauries mala. Mulier stulta et audax, cibo indigebit ; paupertas virum humiliat : filius autem disciplinis educatus, sapiens erit. Memoria justi cum laudibus. « Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. » Qui ex labiis profert sapientiam, virga percutit virum corde destitutum. Vias vitæ custodit disciplina ; tegunt autem inimicitiam labia justa. Stultus perpetrat mala ; os autem justi stillat sapientiam. Contra idololatras

qui ex auro, et argento, aut lapidibus, aut lignis, idola faciunt. Quod per lignum salus sit credentibus. Circa eos qui idola conflant, et eum qui idola pingit. De malis omnibus per idololatriam partis, de impio cultu, et quanta in eo mala. De figulo, et de idolis figlinis. De idolis omnibus quæ coluerunt gentiles. De infestissimis animalibus, serpentibus, felibus et similibus. Quod Deus beneficus Israëli, pro ranis ipsi coturnicem dederit.

Multa ut puto desiderantur.

SYNOPSIS SIRACI.

De timore Dei, quod irasci non oporteat, quod sine hypocrisi accedendum sit ad Deum : de tentationibus et de patientia : de parentibus honorandis, de æquitate : quod non oporteat quærere profundiora iis, quæ jussa sunt, de eleemosyna et pupillorum patrocinio. De sapientia, de pudore noxio et utili : multa hic de noxio edisserit. Quod non oporteat desiderio pecuniarum se dedere, neque putare nos impune peccare, etiamsi non statim pœnas demus : patiens enim est Deus, oportetque illum placare. De verborum futilitate, de superbia, de probandis amicis, de disciplina, de rebus utilibus audiendis. De non peccando, de non mentiendo, de futilibus non dicendis, de non iterando sermone in precatione; id est, quæ promiseris Deo ne differas. De muliere, de famulis, de pecoribus, de filiis, de patre, de pietate erga Deum, de honore sacerdotibus exhibendo, de visitandis afflictis. De non litigando, de non exprobrando, de non despiciendis narrationibus senum sapientium. De temperantia, de amicitia, de non æmulando peccatores. De judice prudente et stulto, de

superbia, de æquitate, de non vituperando sine judicio, et sine examine. De vitandis iniquis, de divitum cultu, qui a multis exhibetur, et de quorumdam inter illos avaritia. De parcis, quos θρίπας appellant, qui aliis non impertiunt, de possessione sapientiæ, de libero arbitrio. Melius esse liberis carere, quam improbos habere. Nihil latere Deum. De creaturis, de hominis formatione, de honore quo exornatus est. De lege data, de eleemosyna et pœnitentia, de luxu et lascivia non amplectenda, de custodia mysteriorum seu arcanorum, de stulti pudore noxio. Quod de peccatis pœnitentia sit agenda, de ambitione et avaritia fugiendis, de sapiente et stulto, de filia petulanti, de inconsiderantia stulti, de mente firma, de non loquendo sine cautela. De compunctione pro peccatis habenda, de non jurando, de sapientia. De muliere mala et bona, de negotiatoribus, de iis qui revelant arcana. De illo qui in faciem laudat, retro irridet : de condonandis proximo delictis. De lingua dolosa, de mutuo dando proximis sine usura, sed egentibus commodando; de educandis accurate liberis, de famulis, de brutis, de somniis, de timentibus Deum, de sacrificiis ex iniquitate partis, de oblationibus ex injustitia, de amore pecuniæ, de crapula, de ebrietate. Quod hominibus una naturæ constitutio, voluntatis vero propositum diversum, alios benedici, alios maledici procuret : de medicina, quod non oporteat nimia tristitia teneri. Quod oporteat a Lege et a legibus Dei cohiberi. De operibus Dei, de suppliciis, de humana natura, quod ea multis repleta sit cædibus et sollicitudinibus. De operibus Dei.

SYNOPSIS EORUM QUÆ AB ESAIA PROPHETA DICTA SUNT.

Accusatio Israëlis ejusque calamitas, ac reprobatio sa-

crificiorum, adhortatioque ad meliorem vitam. Prophetia de Ecclesia, et de futura pace. Accusatio Israëlis, et futura obsidio. Accusatio deliciarum eorum et superbiæ. Reprobatio Israëlis per vineæ similitudinem. Criminatur principes Israëlis, ob avaritiam et ebrietatem, ipsis desolationem vaticinatur. Minatur iis qui pseudoprophetas Prophetis præferunt. Ascensus hostium illorum. Visionem conspicit, in qua ejus labia purgata fuere. Exercitum admovet Syrorum rex cum Israëlitis contra Jerusalem. Et vaticinatur Esaïas de Christo, et vastitate Jerusalem, deque ascensu Nabuchodonosoris. Prophetia de iis qui in Christum crediturі sunt. De fortitudine, superbia et pernicie Assyrii. De iis qui in Christum crediturі sunt, de generatione Christi secundum carnem : de mansuetudine credentium in eum. Perniciem Babylonis et Alienigenarum vaticinatur. Pernicies Moabitarum. De Christo prophetia. Pernicies Damasci, et Israëlis calamitas atque salus. Pernicies Ægypti. Per allegoriam prædicit ærumnas gentibus quæ Domino non crediderint, et de impietate eorum profligandа. Jubetur Esaïas nudus ambulare. Bellum Medorum et Babyloniorum contra Idumæam et Arabiam. Postrema obsidio Jerosolymæ a Nabuchodonosore. Prædictio Somnæ penuario de pernicie ejus. Penuarii autem, id est, custodes pecuniarum in templo, ex sacerdotum numero erant. Pernicies Tyri, et salus postea, deque Ecclesiis allegorice. Pernicies Babylonis a Medis, et pro illa gratiarum actio Deo per Prophetam. Prophetia de credentibus in Christum, de diaboli pernicie per Christum parta : de Christi secundum carnem adventu : de fide in Christum. Accusatur Israël, quod spem suam a Deo avellens, illam in Ægyptios transtulerit : ipsique mala prænuntiantur ac postea res secundæ. Eodem loco prophetia habetur de Christi Ecclesia, de conversione gentium ad Christum,

et de vastitate Jerosolymorum. De Ecclesia historia, quæ primo conspectu Idumæam et Jerusalem respicit, sed per anagogen sive reductionem, desolationem Judæorum et prosperitatem Ecclesiæ Christi. Historia de Sennacherim, prophetia de Joanne præcursore, et de iis qui in Christum crediturі erant. Dei potentiæ demonstratio, et accusatio Israëlis, ut idola colentis, commemoratio beneficiorum populo collatorum : de ecclesiastica constitutione, deque idolorum infirmitate. De Christo prophetia, deque iis qui in ipsum crediturі erant. Israëli exprobrat peccatorum causa. Ait ob eorum inobsequentiam calamitates ipsis illatas fuisse. De fide in Christum. Quod populum non sacrificare permiserit, et quod cultum illum per sacrificia non exigat. Item prophetia de iis qui in Christum crediturі erant. Demonstratio imbecillitatis idolorum, et Dei potentiæ probatio. Pernicies Babylonis et de duritia cordis Judæorum demonstratio, ac de bonis rebus prophetia. De Christo prophetia et consolatio Jerosolymæ. De Apostolis et de Christo prophetia. De Christi secundum carnem ortu, de passione, resurrectione, et de multitudine credentium in ipsum, de Christo simul et de Israële secundum historiam, secundum anagogen vero de credentibus in Christum. Accusatio Judæorum idololatriæ causa, jejuniique eorum reprobatio, aliusque jejunii melioris declaratio. Deinde accusatio dolosorum operum, et consiliorum eorumdem, ac prophetia de credentibus in Christum. Prophetia de Christo, et de curationibus animarum et corporum ab ipso peractis, deque Apostolis et de reliquis in ipsum credentibus. De passione, et confessio Prophetæ, quasi ex persona populi ; confutatio a Domino ipsorum incredulitatis, assumptioque credentium in illum, et accusatio idololatriæ Judæorum. De credentibus ex

Judæis in Dominum nostrum Jesum Christum. Accusatio eorum qui futuræ vitæ non crediderunt.

SYNOPSIS EORUM, QUÆ IN JEREMIA PROPHETA DICUNTUR.

Prædictio malorum quæ per Nabuchodonosorem Israëli eventura sunt. Redargutio idololatriæ Israëlis, et commemoratio beneficiorum Dei erga illos, et malorum quæ passi sunt quod Ægyptiis fidem habuerint : idolorum infirmitatis demonstratio, et reprehensio Israëlitarum ob humanas victimas, Israëlis accusatio, et ex comparatione cum illo Judæ scelerum exsuperantia : prædictioque bonorum Israëli, si conversus fuerit ad Deum : item confessio Prophetæ quasi ex persona populi. Ascensus Babyloniorum, et Prophetæ lamentatio de futura vastatione, ipsiusque vastitatis descriptio. Accusatio populi, quod nullum habuerit, ita justum, ut iram Dei placaret, et nequitiæ illorum demonstratio. Quod Jerusalem non debeat per Nabuchodonosorem a fundamentis subverti. Ascensus Babyloniorum et accusatio inobsequentiæ Israëlis, quod non sustinuerint audire Prophetam. Accusatio pseudoprophetarum qui populum decipiebant : Jeremia namque dicente bellum fore, ipsi dicebant fore pacem. Reprobatio sacrificiorum, et ascensus Babylonii, animique rebellis Judæorum confutatio. Hortatur Judam ut ad meliorem se frugem revocet, id nisi faciant, paria passuros illos commi natur iis quæ Israël passus est : cohibetque Deus Jeremiam ne precetur pro illis. Reprobatio sacrificiorum, et accusatio inconsiderantiæ eorum et humanarum victimarum, quas dæmonibus offerebant. Prædictio fore ut locus idoli ipsorum sepulcrum fiat, et ut aliqui occisorum sepulturæ non tradantur. Iterum de ascensu hostium, et lamentatio

Jeremiæ de nequitiis eorum. Accusatio Judæorum, ut corde incircumcisorum, et admonitio ne idololatriæ dent operam ac quasi ex persona populi lamentatio de futuris malis et accusatio a Deo facta. Hortatio ad Israëlem ut Deo obediant, et accusatio patrum eorum, quæ mala ipsis obventura sint. Cohibetur rursum Jeremias, ne precetur pro illis. Lamentatur Propheta, quod insidiis appetatur a Judæis in Anathoth, prædicit ideo futurum ipsis esse interitum. Perizoma abscondere jubetur Jeremias, ac prædicit ipsos satiandos malisque inebriandos esse. De pluviæ defectu : cohibeturque Propheta ne precetur pro ipsis : recusat Deus illorum holocausta, et jejunia, minaturque mala pseudoprophetis, quia dicebant non obventuras populo calamitates. Supplicat Deo : ille vero ait se non exauditurum esse, etiamsi Moyses et Samuël intercederent pro ipsis : sed daturum se illos in gladium et mortem, famem, captivitatem, et malorum discerptionem. Precatur Jeremias ut ultio sumatur de exprobrantibus sibi, Deus autem ait illi : « Si eduxeris pretiosum a vili, quasi » os meum eris[1]. » Jubetur Jeremias uxorem non ducere, neque lamentari, neque eorum quæ circa mortuos fiebant participem esse cum Israëlitis. De Apostolis, de Christo prophetia : verba eorum, qui in ipsum crediturі non erant, Propheta prænuntiat, et contra illos precatur. Præcipitque Judæis ut sabbatum servent. In domum figuli mittitur Propheta. Finem, inquit Deus, loquar de regno, ut illud auferam, et si conversi fuerint, non auferam. Et finem loquar, inquit, in gentem aut regnum, ut reædificetur. Et si malum fecerint, non faciam ego bona quæ locutus sum ut facerem illis. Hoc autem caput contra Judæos utile erit, cum dicent Dominum ipsis bona promisisse ; cum enim non crediderint Domino nostro Jesu Christo,

[1] Jerem. xix, 15.

ipsi sibi ipsis in causa fuere præsentium malorum. Insidias sibi a Judæis parandas Propheta prædicit, et contra illos precatur, quoniam mala pro bonis retribuerunt. Jubetur Jeremias, accepta laguncula figlina, mala populi testificatus, lagunculam conterere ante oculos eorum, et dicere : Sic conteretur Jerusalem. Et conjectus a Paschore in nervum, prophetat Paschori mala quæ ipsum exceptura erant. Deinde ægre fert eos qui ipsum traducunt, precaturque adversus illos, maledicitque diei suæ. Mittit Sedecias rex, ut discat a Jeremia num abscessurus a se sit Nabuchodonosor. Ille vero respondet Deum bellaturum esse contra Judæos, et contra regem Sedeciam. Si autem voluerit populus libens transire ad Nabuchodonosorem, ipsum salutem consecuturum, regemque non periturum esse, si a sua discedens nequitia, Dei præceptis attendere voluerit. Contra Joachim et Jechoniam et contra pastores prophetia ad Dominum, ac pseudoprophetarum accusatio. Bona Judæ prophetat : relicto autem populo in Jerusalem cum Sedecia, per exemplum ficuum ascensum Nabuchodonosoris vaticinatur, omniumque gentium perniciem per hoc poculum significat. Jerosolymæ excidium prædicit. Comprehenditurque Jeremias occidendus, a sacerdotibus, hocque periculum evadit. Jubetur Propheta se vinculis circumdare et legatis Alienigenarum edicere, ut annuntient regibus suis subjici eos oportere Nabuchodonosori ; minarique Deum mortem iis qui se ipsi non subjiciant. Eamdem cohortationem adhibet erga Sedeciam, et populum et sacerdotes. Ananias vero pseudopropheta obsistebat Jeremiæ prophetæ dicens vasa sacra reditura esse, necnon Jechoniam, qui erat filius Joachim fratris Sedeciæ. Et contrivit catenas Prophetæ. Mittitur ergo Jeremias ut mortem ipsi prædicat, in eo ipso anno futuram, quod etiam evenit. Vaticinatur mala pseudoprophetis Babylone

versantibus, populoque longum captivitatis tempus, sed tamen reditum esse futurum. De his indignabatur Sameas, qui increpat sacerdotem, quod non impedierit quominus Jeremias talia vaticinaretur. Ideo minatur Deus se illum esse perditurum. Deinde sermo consolatorius Israëli. Tempus declarat quo futurum est ut revertantur ex Babylone. Illud vero erat tempus Phasec seu Pascha, ut in Esdra reperire est, ipsos nempe in festo Azymorum reversos esse. Itaque manifeste Judæi mendacii convincuntur. Nam bona hic de ipsis descripta adhuc expectant, quæ jam venerunt. De infantibus ab Herode occisis. De Novo Testamento prophetia. Etiamque descriptam hoc loco urbis reædificationem adhuc expectant Judæi. At illa finem accepit, facta scilicet quando ex Babylone redierunt. Jubetur Jeremias emere agrum patrui sui, et cum emisset, ait : Urbs tradita est, et jubes emere agrum. Deus autem ait illi, præsentia quidem mala propter peccata populi evenire : tempusque fore cum rursum urbs inhabitabitur. Prædicit Sedeciæ ipsum captum iri, et incusat eos quod servos quos libertate donaverant, rursus servire cogerent : minaturque magnam fore calamitatem. Ideo præcipit filiis Jonadab, ut domum construant. Illi autem recusant. Jubetur Jeremias ea scribere omnia, quæ vaticinatus erat super Israël; ut vel sic formidarent, rursum audientes ea, quæ ipsos invasura erant mala : ille vero præcipit Barucho ut hoc faciat, illeque fecit. Et cum scripsisset, Judæis legit. Ut id audiere principes, annuntiaverunt regi Joachim. Ille autem acceptum librum combussit. Jubeturque Jeremias alium scribere librum similem. Regique prophetat calamitates ob tale facinus. Vaticinatur excidium Jerusalem : et comprehenditur, injiciturque in carcerem Jeremias, indeque evocatus a Sedecia, dicit ei capiendum ipsum fore, rogatque ne re-

mittatur in carcerem. Arreptumque illum principes injiciunt in lacum cœni. Et eduxit eum inde Abdamelech. Ac rursus accersitus a rege, salutem ipsi prænuntiat, si velit sponte ad hostes exire; sin nolit, perniciem urbi toti, et ipsi ingentia mala. Cum autem non persuasisset illi ut exiret, ascendit Barbarus, et capta est urbs cum Sedecias. Jeremiam vero benigne exceperunt principes Nabuchodonosoris. Abdemelecho salutem prædicit. Cum autem princeps coquorum penes ipsos reliquisset, ut quo vellent irent, venit ad Godoliam, quem constituerat principem eorum qui relicti fuerant in Judæa. Convenerunt ad Godoliam qui per agros dispersi erant Judæi. Ismaël occidit Godoliam et quosdam alios, et accipiens populum Godoliæ, abiit in regionem Ammonitarum. Ut autem vidit eum Joannan unus de principibus bene affectus erga Godoliam, aufugit Ismaël cum octo viris tantum, populumque accepit Joannan. Qui precatus est Jeremiam, ut pro ipsis Deum rogaret; cum consuleret ipsis Jeremias ne in Ægyptum ingrederentur; mortem enim minari Deum si eo commigrarent; id eis non persuasit. Cum autem venissent in Taphnas, cohortatus est eos ne idola colerent. Contradicentibus illis prænuntiavit perniciem magnam, et regi Ægyptiorum perniciem Ægypti prædicit, necnon alienigenarum, item Moabitarum, Ammanitarum, Idumæorum, Damasci, et Elam, etiamque Babylonis, reditumque inde Judæorum prænuntiat. Quomodo excisa sit Jerusalem narrat, necnon quomodo ex dejecto statu in honorem provectus fuerit Joachim, qui sponte se cum matre sua dediderat Nabuchodonosori.

SYNOPSIS EORUM QUÆ AB EZECHIELE PROPHETA DICTA SUNT.

Videt Propheta visionem Cherubinorum, jubeturque a Deo Israëlitis loqui. Deportatur a spiritu in captivitatem : excitaturque a Deo, ut cum fiducia et impigre tum iniquis tum justis viam ad vitam ducentem annuntiet, et Dei mandata declaret. Jubetur sese includere, et Jerosolymæ obsidionem prænuntiare per exemplum lateris et sartaginis. Jubetur item in unum latus dormire certo dierum numero, declarans calamitatem populo futuram in captivitate. Prædicit per panes, quos ex stercore boum facit, et per divisionem capillorum, mortem eorum, dispersionem; urbis item atque idolorum devastationem adjicit. Videt iniquitates populi, et idololatriam. Deinde eos qui usque ad exitium urbis devenerunt. Videt rursum Cherubinos, et mala urbi prænuntiat. De iis qui in Christum crediturі erant. Prædicit rursum captivitatem populi, quæ sub Sedecia accidit, et Sedeciam excæcatum iri a Nabuchodonosore. Prædicit mala non post diuturnum tempus eventura, sed prope esse. Minatur pseudoprophetis, ipsisque indeprecabilia esse quæ passuri sunt mala denuntiat; ita ut nec Job, nec Daniel, nec Noë ipsorum filios possint eruere : et extremam illorum vastitatem per lignum vitis declarat. Enarrat populi turpitudinem ab initio, ante quam Deum amplexus esset, et decorem postquam amplexus est : idololatriamque ejus et excidium quod propter eam invasit ipsos; magnas ostendit ejus iniquitates ex comparatione Sodomorum et Samariæ, quæ etiam per se ipsas erant ingentes. Possunt autem bona quæ prædicit, nempe, « Suscitabo testamentum meum tecum [1], » de cre-

[1] Ezech. xvi, 62.

dentibus in Christum intelligi. Ascensum Nabuchodonosoris prænuntiat. Adversus eos qui dicebant : « Patres » comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstu» puerunt [1]. » De matre Sedeciæ regis. Testificatur senioribus iniquitates patrum suorum. Illud autem, « Quia » super montem sanctum meum, » de monte excelso Israël dicit : « Adonaï. Domine, illic servient mihi omnis domus » Israël in finem [2], » de credentibus in Christum potest accipi. De Theman, de Israël, et de filiis Ammon. Iniquitates et peccata Israëlis recenset, sacerdotum, principum et pseudoprophetarum. « Et quærebam, inquit, virum » recte versantem et stantem in fractura maceriæ ante fa» ciem meam in tempore terræ, ut ne in finem delerem » eum : et non inveni [3]. » De idololatria populi Israël in Ægypto et postea, ac de calamitatibus. Atque insuper neque luctum agere permittentur super contingentibus malis. Contra Ammanitas et Idumæos, et Alienigenas, et Sor, quam dicunt esse Tyrum. Prædicit calamitates magnas contra principem Tyri et Sidonis et Ægyptum Ægyptiorumque regem. Minatur speculatori populi, nisi prædixerit populo, cujus constitutus est speculator ad calamitates a Deo illatas. Ac dicit neque iniquum perire ob priores iniquitates, si conversus fuerit ad faciendum ea quæ Deo sunt placita; neque justum salutem consequi ob priorem justitiam, si mutatus, iniquus injustusque evaserit. Venit quispiam ad Prophetam, nuntians captam fuisse Jerusalem. Dicit autem hac de re incusans, quod non attendant iis quæ a Prophetis prædicuntur. Vaticinatur porro contra pastores Israëlis : promittitque dandum esse pastorem unum; id quod sub Zorobabele factum est, id quod etiam Judæi impudenter dicunt nondum evenisse.

[1] Ezech. XVIII, 2. — [2] Id. XX, 40, in Grec Δ. — [3] Ezech. XII, 30.

Evenit tamen, ut dixi, sub Zorobabele. Vaticinatur contra Idumæos, et Israëlitis bona prædicit, quæ Deus ideo se Judæis collaturum dicit, non quod illi digni sint; sed ne nomen ejus profanetur. Ducitur Propheta in campum, et prophetat super ossa arida. Prophetat item de Zorobabele, quod futurus sit unus Judæorum princeps : potest autem de Domino nostro Jesu Christo accipi. Vaticinatur etiam de Gog et Magog, qui Judæos invasuri erant post reditum ex Babylone, quique victi fuerunt. Quidam autem id allegorice accipiunt de Ecclesiis et de diabolo, deque persecutionibus quæ vario tempore illatæ sunt ab impiis imperatoribus. Vaticinatur item templi constructionem, et restitutionem legalis cultus : quæ etiam expectant Judæi; sed ea evenerunt tempore Esdræ et Zorobabelis. Constructio autem templi, quam prædicit, et aqua quæ paulatim egrediebatur et augebatur, potest accipi de iis qui ad Christum conversi sunt, qui mortui erant antequam crederent, viventes autem facti sunt postquam crediderunt.

SYNOPSIS EORUM QUÆ A DANIELE PROPHETA DICTA SUNT.

Eliguntur Daniel et socii, et traduntur archieunucho, atque leguminibus vescuntur : et astantes regi omnium sapientissimi deprehensi sunt. Videt somnium Nabuchodonosor, et Magos qui non poterant somnium indicare et interpretari, jubet occidi. Periclitantes quoque Danielem et socios servavit Deus, cum Danieli somnii notitiam per revelationem dedit. Introductus Daniel somnium regi dixit ejusque interpretationem. Lapis autem sine manibus excisus, Christus est; sine manibus vero, quia sine con-

cubitu ex Virgine natus est. Erectam a se statuam Nabuchodonosor jubet omnes adorare, et tres pueros qui adorare nolebant, in fornacem injicit. Ut autem illi qui circa fornacem erant interfecti sunt, et pueri Deum canticis celebrarent, ubi ipsos evocavit rex et incolumes vidit, de Dei potentia stupore perculsus, ipsos principatu Judæorum honoravit, decretumque dedit, ut quisquis in Deum blasphemaret, morte plecteretur. Videt somnium Nabuchodonosor : et cum sapientes Babylonis rursum hærerent, ipsum solvit Daniel : regique auctor est, ut iniquitates suas eleemosynis redimat. Nec diu postea somnii exitus evenit ; laudavitque Nabuchodonosor Deum. Sacris templi vasis jussu Balthasaris regis filii Nabuchodonosoris eductis, cum in illis potarent convivæ, exiit articulus manus, qui exaravit in muro scripturam, quam etiam cum non possent sapientes Babylonis explicare, Daniel legit et interpretatus est ; indutusque est purpura, circumposueruntque ei torquem aureum, prædicaveruntque eum esse tertium principem in regno. Cum regnaret Darius Medus, Daniele principe constituto, cogitur a tribunis et satrapis decretum promulgare, ut quicumque intra triginta dies aliquid vel ab homine quopiam vel a Deo peteret, præterquam a rege, in lacum leonum injiceretur. Quo facto, cum observassent Danielem precari Deum, ipsum calumniantur, coguntque regem ad injiciendum illum in lacum. Cum injecisset autem, ubi postea accessit et salvum reperit, illum eduxit e lacu ; illos autem qui ipsum lacum injici curaverant cum uxoribus perdidit, leonibus objectos. Decretumque promulgavit, ut omnes Deum timerent. Videt ferarum visionem, per leænam, regnum Asssyriorum ; per ursum, Medorum et Persarum ; per pardum, Macedonum ; per quartam feram, Romanorum. Vaticinatur etiam de Christo, et de Antiocho impio. Hic

enim est cornu parvum, quod excussit tria priora. Vaticinatur quomodo Alexander Macedo, regnum Persarum solvit; arietem dicens regem Persarum, hircum Alexandrum Macedonem. Ultima visio hic de regina Austri, dicitur in libro Machabæorum reperiri. Belum decutit et draconem occidit, in lacum projicitur et servatur, et qui in causa erant quod conjectus fuisset, injiciuntur et devorantur a leonibus.

OSEE.

Jubetur accipere uxorem meretricem, et nascentes infantes vocare « Jezraël, Non misericordiam consecutam, » et, « Non populus meus[1]. » Et accusat populum de fornica» tione, prædicitque illi perniciem, et opes quasdam post perniciem. Illud autem : « Disponam testamentum cum » bestiis agri, et desponsabo in fide[2], » potest accipi de credentibus in Christum. Jubetur accipere uxorem fornicariam, Judæorum desolationem declarans, ipsosque accusat de multis magnisque peccatis, tam populum, quam sacerdotes. Criminatur quoque eorum ebrietatem, fornicationem, et iracundiam. Incusat quod spem a Deo transferentes, in Assyrios contulerint, et Ægyptiis confisi sint. Vaticinaturque eis ultionem. Dicit Ephraïmum, cum per auxilia sibi præstita fortis evasisset, rebus secundis citra decorum usum esse. Ostendit Deus suam circa Israëlitas sollicitudinem, illorumque erga se ingratum animum : et calamitates ipsis prædicit.

JOEL.

Corruptionem fructuum terræ narrat, et hortatur ut Deum sibi propitium reddant. Vaticinatur ascensum Assyrii. Postea vero bona quædam prænuntiat. Quod Apostolis accidit circa varias linguas prædicit. Vaticinatur etiam gentium perniciem, quæ post reditum ex Babylone sub

[1] Osee. I, 4, et 6-9.— [2] Id. II, 18.

Zorobabele contigit. Hic porro locus allegoriam continet.

AMOS.

Prædicit iniquitates Damasci, Gazæ, Tyri, Idumæorum, Ammanitarum, Moabitarum, Judæ et Israëlis, et pœnas quæ illos excepturæ sunt. Numerantur beneficia a Deo in Judæos collata; illorumque negligentiam et contemptum, atque ærumnas quæ illos expectant. Prædicit circa mulieres Samariæ, illas ebrietatis et rapinæ accusans. Vaticinatur famem et dissolutionem eo quod non converterentur, et quod multis affecti plagis non meliores evaderent. Incusat Israëlem quod eos qui se redarguebant moleste ferrent : et hortatur ut convertantur ad Deum. Incredulis comminatur futura mala. De illis porro ait : « Væ qui desiderant diem Domini[1]. » Aliqui vero id retulerunt ad futurum judicium : ut quidam incredulorum nunc dicunt : Non erit judicium ; quod si futurum est, veniat. Reprobatio festorum illorum, sacrificiorum, et psalteriorum. Stellam dei Raphan, Saturnum dicit. Quoniam gentiles dei sui Saturni stellam esse dicunt in cœlo, quam etiam Saturnum vocant. Dicit autem, « Num victimas et sacrificia obtulistis mihi annis quadra» ginta[2] ? » Neque enim populus obtulit, sed soli principes cum stetit tabernaculum. Hic de toto populo loquitur. Accusat etiam illos de immoderato cibo, et calamitates ipsis prædicit. Per locustas et testamentum et adamantem, eorum necem vaticinatur : cumque hæc Amesiæ regi significasset, hic Prophetam vi repulit et abegit. Ille vero ipsi et populo mala prædicit. Et videt vas aucupis, per hoc autem ipsos capiendos esse indicat. Iniquitates et violentias eorum enumerat, et mala ipsos invasura. Illud autem : « Occidet sol meridie[3], « de tempore passionis Christi vaticinatur. Prædicit etiam de credentibus in Christum.

[1] Amos. v, 18. — [2] Ibid. 25. — [3] Id. VIII, 9.

ABDIAS.

Ultionem de Idumæis sumendam prædicit, quam subiere, quia cum reliquis hostibus invaserunt Israëlitas. De Ecclesia.

JONAS.

Jonas propheta narrat fugam in Tharsis, tempestatem, deglutitum se a cete, et ejectum, pœnitentiam Ninivitarum, servatam cucurbitam, crescentem et pereuntem complectitur.

MICHÆAS.

Futuram desolationem Samariæ et Jerosolymæ prædicit, causamque adjicit. Subjungit etiam eorum reditum ex Babylone, crimina et accusationes principum populi et sacerdotum, atque pseudoprophetarum. De Ecclesia credente in Dominum nostrum, et de Novo Testamento : nam prior lex præteritura erat : et de pace. Mala rursum Judæis prædicuntur. De Christi secundum carnem generatione, et de iis qui in ipsum crediturі sunt. « Et erit residuum » Jacob[1] : » quod ait Paulus apostolus, « Quod relictum » erit salvabitur[2]. » Judicium Domino adversus populum suum, et beneficiorum ejus enumeratio, reprobatioque sacrificiorum. Luget Propheta quasi justis et bonis viris deficientibus. Et in fine post accusationem et comminationem magnarum calamitatum, bona prænuntiat Israëli.

NAHUM.

De potentia Dei disserit : de Apostolis prædicit. Adjicit autem invasionem Babyloniorum contra Ninivitas, horum captivitatem. Enarrat ejus potentiam et divitias, quas habuit antequam caperetur.

Hactenus exemplar habet.

[1] Mich. v, 7. — [2] Rom. ix, 27.

HOMILIA I.

De Incomprehensibili contra Anomœos absente episcopo.

I. Quid est hoc[1] ? Pastor abest, et tamen oves rectum ordinem apprime servant. Sane id quoque boni pastoris officium est, ut non tantum ipso præsente, sed etiam absente, omnem ovile diligentiam exhibeat. Irrationabiles quippe oves, cum is, qui ad pascua educturus est, abest, intra septa manere necesse est : vel si absque pastore e caula prodierint, longe aberrant et vagantur : hic autem nihil hujusmodi, sed etiam absente pastore, ritu et ordine multo solita pascua adiistis. Imo potius, pastor adest, etsi non carne, saltem affectu ; etsi non præsentia corporea, vel ipso saltem tam congruente gregis ordine. Ideoque magis illum admiror beatumque prædico, quod tantum nobis studium indere potuerit. Nam exercitus ducem tum maxime suspicimus, cum etiam illo absente, copiæ suum servant ordinem. Hoc et Paulus in discipulis quærebat, cum diceret : « Itaque, fratres mei, sicut semper » obedistis, non ut in præsentia mei tantum; sed multo magis » in absentia mea[2].» Quare « Multo magis in absentia mea ?» Quia præsente pastore, etiamsi lupus gregem invadat, facile procul ovibus repellitur; absente vero, majus certamen inire gregem necesse est, nemine servante. Ad hæc autem, pastor cum grege mercedem; si præsens sit, partitur; sin absit, totum gregi boni operis meritum relinquere videtur. His nos alloquitur et doctor noster, et ubicumque

[1] Vide D. Guillon, tom. xi, p. 289-301. — [2] Philip. II, 12.

tandem sit, nos jam nostrumque cœtum mente revolvit, nec tam eos quibuscum jam præsens versatur, quam vos absentes respicit. Novi ferventem illius charitatem, igneam illam, ardentem atque insuperabilem, quam intimo animi alte defixam habet, magnoque studio colit. Probe quippe novit, ipsam esse caput bonorum omnium, radicem, fontem et matrem, qua destitutis cæterorum nulla nobis utilitas. Hæc enim Discipulorum Domini imago est, servorum Dei character, indicium Apostolorum. « In hoc, inquit, cognoscent omnes, quod discipuli » mei estis : » in quo, dic mihi ? Num quod mortuos suscitetis, leprosos mundetis, aut dæmones expellatis? Minime, inquit, sed his omnibus prætermissis : « In hoc, » inquit, cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si » vos invicem diligatis [1]. » Illa quippe unius supernæ gratiæ dona sunt, hoc autem humanæ etiam diligentiæ est opus. Generosum autem non tam cælitus data munera secernere solent, quam propriis laboribus edita opera : quare non a signis, sed a dilectione, discipulos suos internosci Christus ait. Hac enim præsente, nulla philosophiæ pars possidenti deficit; sed universam ille perfectamque virtutem obtinet, quemadmodum absente vacuus bonis omnibus est. Quapropter Paulus ipsam laudat verbisque extollit; imo quantumvis dixerit, non ad dignitatem ejus attingit.

II. Quid enim huic par esse possit, quæ Prophetas totamque legem continet, et sine qua non fides, non scientia, non mysteriorum cognitio, non ipsum martyrium, non aliud quidpiam his potitum servare valeat ? « Nam si tradidero, inquit, corpus meum ita ut ardeam, » charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest [2]. » Et alibi rursum eam omnibus majorem, et bonorum esse

[1] Joan. XIII, 35. — [2] 1 Cor. XIII, 3.

caput ostendit dicens : « Sive prophetiæ evacuabuntur, » sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Manent » autem fides, spes et charitas, tria hæc ; major autem » omnibus est charitas[1]. » Sed non modicam nobis quæstionem hæc de charitate dicta inducunt : nam quod prophetiæ evacuentur et linguæ cessent, nihil inde durum ; cum enim hæc munera postquam suum præstiterint usum, postea cessabunt, nihil verbo nocumenti afferre poterunt ; siquidem jam prophetia non est, non linguarum munus, et tamen pietatis verbum non impeditur. Quod autem scientia destruatur, de illo quæstio movetur. Cum enim dixisset ; « Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ ces- » sabunt, » intulit, « Sive scientia destruetur. » Si autem futurum est ut scientia cesset, non in melius, sed in pejus, res nostræ cedent : sine illa quippe, id quoque, quod homines simus, amittemus. « Deum, enim, inquit, » time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis » homo[2]. » Si itaque homo esse idem sit quod Deum timere, timor autem Dei ex scientia prodeat ; scientiaque destruatur, ut ait beatus Paulus : tunc funditus peribimus, cum scientia non erit, omniaque nostra defluent, ac brutis nihilo melioris erimus, imo multo pejoris conditionis. Hac enim re una illis præstamus, ut in aliis omnibus corporeis, ab illis longe superamur. Quid igitur et de quo loquitur Paulus, cum ait, « Scientia destructur? » Non de universali, sed de particulari quadam scientia loquitur, destructionem vocans progressum in melius ; ita ut particularis illa destructa, non amplius sit particularis, sed perfecta. Quemadmodum enim puerilis ætas destruitur, non deleta substantia, sed aucta statura, et in virum perfectum evadente ; sic et in scientia evenit. Parva, inquit, hæc, non ultra parva erit, quando deinceps magna

[1] 1 Cor. XIII, 8. — [2] Eccle. XII, 13.

efficietur : sic intelligendum illud, « Destruetur : » quod clarius in sequentibus explicavit. Ut enim, cum audis « Destruetur, » non omnimodam destructionem esse putares, sed incrementum quoddam, et progressum in melius, postquam dixerat, « Destruetur, » addidit : « Ex parte » enim cognoscimus, et ex parte prophetamus : cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod » ex parte est ; » ita ut non ultra ex parte sit, sed perfectum. Itaque imperfectio ejus destruitur, ut non ultra sit imperfectum, sed perfectum. Destructio igitur est complementum, et in majus augmentum.

III. Atque animadverte mihi Pauli prudentiam : non enim dixit : Partem cognoscimus ; sed, « Ex parte cognos- » cimus, » ostendens nos partis partem tenere. Fortasse audire optatis, quantam retineamus partem, quantamque relinquamus, et an majorem minoremve partem teneamus. Ut itaque discas te minorem tenere partem, et non tantum minorem, sed, ut ita dicam, centesimam, aut decies millesimam, audi quæ sequuntur : vel potius antequam vobis apostolicam vocem legamus, exemplum referam, quo vobis declaretur, ut exemplo fieri potest, quantum relictum sit, et quantum sit quod nunc retinemus. Quantum igitur discrimen est, inter eam, quæ nobis in futuro dabitur, scientiam, et præsentem ? Quantum inter virum perfectum et lactentem : æque enim præstat præsenti futura scientia. Quod autem id verum sit, eaque sit illius præcellentia, Paulus iterum declaret : cum enim dixisset, « Ex parte cogniscimus, » et vellet ostendere ex quanta parte, nosque brevissimam nunc tenere, intulit : « Cum essem parvulus, loquebar ut parvu- » lus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus : cum » autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli [1] ; »

[1] 1 Cor. XIII, 11.

cu mstatu parvuli præsentem scientiam, cum perfecti viri statu futuram comparans. Neque dixit : Cum essem puer : nam et duodecim annorum puer dicitur ; sed « Cum » essem parvulus, » id est, lactens et infans. Quod enim Scriptura talem vocet infantem, audi Psalmum dicentem : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen » tuum in universa terra ! Quoniam elevata est magnifi- » centia tua super cœlos. Ex ore infantium et lactentium » perfecisti laudem [1]. » Vides jam parvulum pro lactente ubique vocari. Tum Spiritu prospiciens futurorum hominum impudentiam, neque hoc uno contentus exemplo, secundum etiam ac tertium ad confirmationem addidit. Quemadmodum enim Moyses cum ad Judæos mitteretur trium signorum indicium accipiebat [2], ut si primo non crederent, secundi vocem audirent, sin etiam hoc aspernarentur, tertio pudefacti, Prophetam reciperent ; ita et hic tria ponit exempla ; primum ex parvulo, dum ait, « Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus : » secundum ex speculo, tertium ex ænigmate. Postquam dixerat enim, « Cum essem parvulus, » intulit, « Videmus autem » nunc per speculum in ænigmate. » En quippe secundum exemplum infirmitatis præsentis : quodque imperfecta sit scientia, tertio probatur his verbis, « In ænigmate. » Namque parvulus multa quidem videt, audit et loquitur : nihil tamen dilucide vel videt, vel audit, vel loquitur : et sapit quidem, sed nihil integre : ita et ego scio quidem multa, sed eorum non novi modum : Deum enim ubique esse novi, totum item ubique esse novi ; quomodo autem, nescio : sine principio, non genitum, sempiternum novi ; quomodo autem, nescio. Neque humana ratio capere valet, quomodo possit esse substantia, quæ nec a se ipsa, nec ab alio quopiam esse acceperit. Scio ipsum

[1] Psal. VIII, 2, 3. — [2] Exod. III.

genuisse filium ; quomodo autem, ignoro : novi Spiritum ex ipso esse ; quomodo autem ex ipso sit, nescio. Cibos comedo; quo pacto autem dividantur in pituitam, sanguinem, humorem et bilim, ignoro. Hæc quæ quotidie comedentes videmus, ignoramus tamen, et Dei substantiam curiose scrutamur ?

IV. Ubi sunt igitur, qui se totam scientiam accepisse dicunt, quique tamen in barathrum ignorantiæ delapsi sunt ? Nam qui nunc dicunt se totum accepisse, in futuro se omnimoda scientia vacuos constituunt. Ego quippe qui dico me ex parte cognoscere, etsi dicam hanc scientiam destructum iri, in melius ac perfectius progredior, utpote cum destructa particulari scientia, perfectior accedat : ille vero qui dicit se totam, omnimodam et perfectam habere scientiam, et postea fatetur ipsam in futuro destructum iri, se scientia vacuum futurum esse declarat, cum hæc destruenda, nullaque alia perfectior inducenda sit : siquidem hæc secundum illos perfecta scientia est. Videtis-ne quo pacto dum se totum hic habere contendunt, neque hic obtineant, atque illic se toto destituant? Tantum scilicet malum est intra limites non manere, quos a principio constituit nobis Deus. Sic et Adam spe amplioris, quem habebat honorem perdidit. Idipsum et avaris accidit : multi sæpe majora cupientes, præsentia amiserunt. Eodem modo et isti, dum se totum hic assequi posse sperant, parte quoque illa excidunt. Quamobrem hortor eorum insaniam fugiatis : extremæ quippe insaniæ est contendere, quid Deus substantia sit, se probe scire. Ut autem scias id extremæ dementiæ esse a Prophetis demonstrabo. Prophetæ quippe non modo quid substantia sit ignorare videntur, sed et de sapientia ejus, quanta scilicet sit, hærent : quanquam non a sapientia substantia, sed a substantia sapientia sit. Cum autem ne hanc quidem Prophetæ

accurate capere possint, quantæ dementiæ fuerit existimare quempiam se posse ipsam substantiam propriis subjicere ratiociniis? Audiamus igitur quid de illa Propheta dicat : « Mirabilis facta est scientia tua ex me. » Vel potius altius sermonem repetamus ; « Confitebor tibi quia » terribiliter magnificatus es [1]. » Quid est illud, « Terribi- » ter? » Multa nunc miramur, sed non cum timore ; verbi gratia columnarum pulchritudinem, figurarum picturam, flores corporum: miramur item maris magnitudinem, immensosque gurgites, sed cum timore quando profunditatem ejus inspicimus. Sic itaque Propheta in vastum et immensum Dei sapientiæ pelagus inspiciens, ceu vertigine captus, cum timore magno stupens recessit clamans, « Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mira- » bilia opera tua ; » ac rursum, « Mirabilis facta est scientia » tua ex me: confortata est, et non potero ad eam. » Vide gratum famuli animum : ideo gratias tibi ago, inquit, quia incomprehensibilem habeo Dominum. Non de substantia hic loquitur, id enim, quasi in confesso esset incomprehensibile esse, prætermisit: sed his declarat Deum ubique esse, ostendens se neque capere posse quomodo ubique sit. Nam quod hac de re loquatur audi in sequentibus : « Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in » infernum, ades [2]. » Vides-ne quomodo ubique adsit? At hoc Propheta non novit, sed caligine perfusus hæret et timet vel ex ipsa rei cogitatione. Quomodo igitur non summæ dementiæ fuerit, eos qui ab illius gratia tantum absunt, ipsam Dei substantiam curiose scrutari? Et tamen hic ipse est Propheta qui dicit, « Incerta et occulta sapien- » tiæ tuæ manifestasti mihi [3]. » Attamen cum incerta et occulta sapientiæ ejus edidicisset, illam ipsam dicit immensam et incomprehensibilem esse. Nam « Magnus Do-

[1] Psal. cxxxviii, 6 et 14. — [2] Ibid. 8. — [3] Id. l, 8.

» minus, inquit, et magna virtus ejus, et intelligentiæ ejus non est numerus [1]; » id est, non est comprehensio. Quid dicis? Sapientia ipsi Prophetæ incomprehensibilis est, et substantia nobis est comprehensibilis? Annon hæc aperta insania est? Magnitudo ejus non habet terminum, et tu substantiam ejus circumscribis?

V. Hæc Hesaïas quoque philosophabatur his verbis : « Generationem ejus quis enarrabit [2]? » Non dixit, quis enarrat? sed, « Quis enarrabit, » ut futurum prorsus excluderet. David quidem ait, « Mirabilis facta est scientia » tua ex me [3]; » Hesaïas vero non a se ipso tantum, sed a tota humana natura hanc narrationem secludi ait. At videamus num Paulus, utpote majorem nactus gratiam id noverit. Hic sane est qui dicit, « Ex parte cognoscimus, » et ex parte prophetamus [4]. » Neque hic tantum, sed alibi quoque, non de substantia, sed de sapientia loquens illa, quæ in providentia conspicitur, non de universali, qua Angelis, Archangelis, et supernis Potestatibus prospicit, sed illam providentiæ partem expendens, qua hominibus in terra providet, neque tamen hanc totam examinat, qua solem oriri facit, qua animas inspirat, qua corpora efformat, qua homines alit in terra, qua mundum continet, qua annuam præbet escam, sed his missis omnibus, expensa quadam modica providentiæ ejus parte, qua Judæos ejecit, Gentilesque recepit, et ad illius solum partis quasi ad immensi pelagi aspectum, caligine repletus, ac si vastum gurgitem inspiceret, statim resiliit, et voce magna clamavit : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ » Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus [5] : » non dixit, incomprehensibilia, sed inscrutabilia : quod si scrutari non possimus, multo minus comprehendere possumus :

[1] Psal. CXLIV, 3. — [2] Isaï. XIII, 1. — [3] Psal. CXXXVIII, 6. — [4] 1 Cor. XIII. — [5] Rom. XI, 32.

« Et investigabiles viæ ejus. » Viæ ejus investigabiles, et ipse comprehensibilis, dic mihi? Ecquid de viis loquor? præmia nobis reposita incomprehensibilia sunt : « Oculus » enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis » ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se [1]. » Sed donum ejus inenarrabile : « Gratias enim Deo, inquit, » de inenarrabili ejus dono [2] ; » et « Pax ejus superat om- » nem intellectum [3]. » Quid ais, judicia ejus inscrutabilia, viæ ejus investigabiles, pax ejus superat omnem intellectum, donum inenarrabile est, quæ præparavit Deus diligentibus se, in cor hominis non ascenderunt, magnitudinis ejus non est finis, prudentiæ ejus non est numerus, omnia incomprehensibilia, ipse solus comprehensibilis? Ecquis hic est furoris excessus? Retine hæreticum, ne sinas abire : dic, quid ait Paulus? « Ex parte cognoscimus : » non de substantia, inquit, id dicit, sed de dispensationibus : optime, si de dispensationibus sermo esset, major nobis pateret ad victoriam aditus. Nam si dispensationes incomprehensibiles sunt, multo magis ipso. Quod autem hic non de dispensationibus loquatur, sed de ipso Deo, audi quæ sequuntur. Cum enim dixisset, « Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, » intulit, « Nunc cog- » nosco ex parte, tunc autem cognoscat sicut et cognitus » sum. » A quo igitur cognitus est, a Deo, an a dispensationibus? A Deo sane : Deum igitur ex parte cognoscit ; ex parte vero dixit, non quod aliud ex ejus substantia cognoscat, aliud ignoret, Deus enim simplex est; sed quod quidem sciat Deum esse, quid autem quoad substantiam sit ignoret : sapientem esse scit, sed quantum sit sapiens nescit : magnum esse non ignorat, quantum vero magnus, et quanta sit ejus magnitudo nescit : quod ubique sit novit, quo pacto autem, nescit : quod provideat, quod

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] 2 Cor. IX, 15. — [3] Philip. IV, 7.

omnia contineat et accurate servet, non nescit, quo autem modo id faciat, nescit. Ideo dicebat, « Ex parte cog» noscimus, et ex parte prophetamus [1]. »

VI. Verum, si placet, dimisso Paulo atque Prophetis, ascendamus in cœlos: an forte quipiam ibi sint, qui Dei substantiam norint. Licet si qui ibi sint qui norint nihil commune nobiscum habeant : magnum enim discrimen Angelos inter et homines. Verum ut ex abundanti discas, nullam ibi creatam virtutem id nosse, ipsos audiamus Angelos. Quid igitur? an de substantia illa ibi disserunt, et quæstionem mutuo habent? Minime. Sed quid? glorificant, adorant, triumphalia et mystica cantica perpetuo et cum multo tremore emittunt : et alii quidem dicunt, « Gloria » in altissimis Deo [2], » Seraphim vero, « Sanctus, sanctus, » sanctus [3], » et oculos avertunt, cum Dei illam attemperationem ne ferre quidem valeant; Cherubim autem, « Be» nedicta gloria ejus ex loco ejus [4]. » Non quod loco opus sit Deo, absit; sed ut humano more dicamus, ubicumque sit, et quomodocumque sit: si tamen illud de Deo tuto dici possit, humanam quippe linguam habemus. Vidistine quantus timor in cœlis, quantus contemptus in terra? Illi glorificant, hi curiose inquirunt; laudant illi, hi multas movent quæstiones; illi oculos obtegunt, hi in gloriam inenarrabilem inspicere impudenter conantur. Quis non ingemuerit? quis non luxerit eorum insaniam, extremamque amentiam? Volebam rem prolixius agere : sed quando nunc primum in hæc certamina descendi, e re vobis fore puto si præmissis contenti sitis; ne eorum quæ dicenda supersunt copia, multo impetu succedens, eorum memoriam detrahat. Plane, si Deus permiserit, hoc argumentum diu tractabimus. Equidem jam pridem vobis hos conferre sermones cupiebam : sed cunctabar et procrasti-

[1] 1 Cor. XIII, 9. — [2] Luc. II, 14. — [3] Isaï. VI, 3. — [4] Ezech. III, 12.

nabam, quia multos eo morbo laborantes videbam nobis cum voluptate aures præbere : cumque nollem prædam abigere, interim linguam ab his concertationibus coërcebam, ut cum illos firmius detinerem, tunc in arenam descenderem. Quoniam vero per Dei gratiam illos audivi hortantes, ut in hoc certamen descenderem, me demum fidens ad pugnam accinxi, armaque arripui illa quæ purgant rationem, et omnem celsitudinem, quæ extollitur contra scientiam Dei. Hæc porro assumpsi arma, non ut ferirem adversarios, sed ut jacentes erigerem. Hæc est autem armorum hujusmodi vis, ut contentiosos feriant, eos vero qui benevolo audiunt animo cum multa diligentia curent : vulnera non infligunt, sed curant.

VII. Ne igitur adversus illos ferociamus, ne cum furore illos adoriamur, sed modeste cum illis disseramus. Nihil quippe modestia et mansuetudine validius est. Quamobrem Paulus cum multo studio hæc observare jubet his verbis. « Servum Domini non pugnare oportet ; sed man» suetum esse erga omnes [1]. » Non dixit erga fratres tantum, sed erga omnes : ac rursus, « Modestia vestra nota » sit [2], » non fratribus, sed « Omnibus hominibus : » Quæ enim utilitas est, inquit, si eos diligitis, qui vos diligunt. Si itaque amicitiæ ipsis detrimento sint, et ad impietatis societatem pertrahant, licet ii parentes sint, resilias oportet ; si oculus sit, erue illum. « Si enim, inquit, oculus » tuus dexter scandalizat te, erue eum [3]. » Non id de corpore dicens : quo pacto enim ? Nam si id de corporis natura dixisset, crimen in naturæ conditorem transferretur : alias non unum erui oporteret : licet enim sinister relinqueretur, pari modo ille hominem scandalizaret ; sed ut discas non de oculo sermonem esse, dextrum adjecit : quo ostenderet, ut si amicum quempiam oculi dextri loco ha-

[1] 2 Tim. II, 24. — [2] Philip. IV, 5. — [3] Matth. V, 29.

beas, et hunc ejicias, et ab amicitia tua excindas si te scandalizet. Quid enim juvat oculum habere in perniciem reliqui corporis? Si itaque amicitiæ noceant, fugiamus et resiliamus; sin nobis ad pietatis rationem nullum damnum inferant, ipsos ad nos alliciamus et pertrahamus; quod si nihil illum juves, et ab ipso lædaris, id lucri referas ut per sectionem sine jactura maneas. Et fuge illorum amicitias, si noceant: fuge tantum, nec pugnes neque concertes, sic Paulus monet his verbis: « Si possibile » est, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem » habentes [1]. » Servus es Dei pacis. Ille qui dæmones ejiciebat et innumera operabatur bona, cum eum dæmoniacum appellarent, non fulmen emisit, non conviciatores contrivit, non linguam illam combussit, usque adeo impudentem et ingratam, licet hæc omnia facere posset; sed accusationem solum depulit dicens: « Ego dæmonium » non habeo, sed honorifico eum, qui me misit [2]. » Cum autem servus pontificis illum percussit, quid ait? « Si » male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si » autem bene, quid me cædis [3]? » Quod si Dominus Angelorum se excusat, et rationem famulo reddit, non opus oratione longiori. Hæc solum verba mente revolve, ac frequenter meditare, et dic: « Si male locutus sum, tes- » timonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cæ- » dis? » Et cogita quis loquatur, ad quem loquatur et qua de re; eruntque tibi verba isthæc divinum quoddam et perpetuum canticum, atque omnem animi tumorem sedare poterunt. Cogita dignitatem ejus, qui affectus est contumelia, lædentis vilitatem, contumeliæ gravitatem. Non enim contumelia affecit tantum, sed percussit; non percussit tantum, sed et alapam dedit: hujusmodi autem percussione nihil ignominiosius. Attamen omnia tulit, ut

[1] Rom. XII, 18. — [2] Joan. VIII, 49. — [3] Id. XVIII, 23.

majori exemplo moderate agere disceres. Hæc non hoc tantum loco philosophemur, sed suo tempore horum recordemur. Laudastis ea quæ dicta sunt, sed operibus laudem exhibete. Athleta quippe in palæstra exercetur, ut in certaminibus exercitationis utilitatem commonstret. Et tu ergo eorum, quæ audisti, invadente ira, lucrum exhibe: et hoc dictum frequenter in ore habe: « Si male »locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem »bene, quid me cædis [1] ? » Hoc in mente describe. Nam ideo vobis hæc verba frequenter commemoro, ut omnia quæ dicta sunt, in mente reponantur, et nunquam ex memoria deleantur, exque recordatione utilitas sequatur. Nam si hæc verba in latitudine mentis nostræ descripta habeamus, nemo ita lapideus et ingratus, atque sensus expers, ut ira efferatur: nam vice freni et habenarum hæc verba linguam, ultra modum et terminos evagantem, coërcere poterunt, mentemque tumentem reprimere, et in moderato vitæ genere perpetuo continere, pacemque in nobis integram constituere, qua utinam semper fruamur, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre simulque Spiritu sancto, gloria, imperium, et adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. XVIII, 23.

HOMILIA II.

Cum ante multos dies contra Anomœos dixisset, deinde contra Judæos, hinc propter episcoporum præsentiam, multorumque Martyrum interjectam memoriam siluisset, nunc rursum contra Anomœos de incomprehensibili.

I. Age iterum adversus infideles Anomœos certamen ineamus[1] : qui si indigne ferant se infideles vocari, rem ipsi fugiant, et ego nomen obtegam. Absistant ab infideli mente, et absistam a contumelioso vocabulo. Sin autem ipsi operibus fidem inhonorantes, seque ipsi turpitudine replentes, nullo pudore afficiuntur, cur mihi succenseant, si verbis ea objiciam, quæ operibus ipsi exhibent? Nuper enim cum in hujus disputationis arenam descendimus, ut meministis, et eadem certamina inivimus; pugnæ contra Judæos nos statim exceperunt, quod tutum non esset propria membra ægrotantia negligere. Nam sermones contra Anomœos semper opportuni sunt : tunc autem fratres nostros quosdam ægrotantes, et judaïco morbo laborantes, nisi præoccupantes statim ex incendio judaïco eruissemus, nihil juvare deinceps poterat admonitio, cum jam illud peccatum circa jejunium admisissent. Post commissa adversus illos prælia, nos patrum spiritualium diversis ex locis adventantium frequentia rursum excepit : Neque enim tunc opportunum fuisset, illis ceu fluminibus in hoc spirituale mare confluentibus, nostrum sermonem

[1] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 301-310.

extendi. Post illorum profectum, Martyrum memoriæ frequentes adventarunt : athletarum hujusmodi laudem negligi non oportuit. Hæc autem dico et numero, ne putetis nos ex segnitie et desidia quadam certamina illa distulisse. Nunc itaque quandoquidem a pugna cum Judæis liberi sumus, patresque in patriam suam reversi sunt, ac Martyrum laudes nos satis delectarunt : age diuturnum vestrum audiendi desiderium expleamus : probe quippe novi non minus vos hac de re audire cupere, quam me disserere. Cujus rei causa est, quod urbs nostra jamdiu Christi amans sit, hanc porro paternam hæreditatem accepistis, ut nunquam religionis dogmata adulterari patiamini. Unde id liquet? « Descenderunt olim quidam a Judæa[1] » majorum vestrorum tempore, pura apostolicæ doctrinæ dogmata turbantes, præcipientesque circumcisionem ac legis mosaïcæ observationem, quam novandi cupidinem silere non potuerunt qui tunc urbem nostram incolebant : sed quemadmodum generosi canes, qui lupos viderent irruere et totum gregem devastare; sic illos adorti, non prius destiterunt illos abigere et expellere, donec curarent ut ab Apostolis dogmata per orbem terrarum quoquoversum mitterentur, quæ cum illos, tum post accessuros omnes, talem adversus fideles incursum suscipere ausos, coërcerent.

II. Undenam igitur disputationem adversus illos ordiemur? Unde, inquam, nisi ab infidelitatis crimine? Nihil enim non agunt et moliuntur, ut fidem ab auditorum mente excludant, quo crimine quid gravius contra religionem esse possit? Cum enim Deus quidpiam sancit, quod dicitur fideliter accipiendum est, nec audacter disquirendum. Vocet me quivis ex illis infidelem, non indigne fero. Quare? Quia operibus, qui sim appellandus ostendo. Et quid dico vocet me

[1] Act. xv, 1.

infidelem? me stultum in Christo appellet : et hac de re, quasi de corona gloriabor, etenim cum Paulo in partem ejusdem appellationis venio. Ait quippe : « Nos stulti propter » Christum[1]. » Hæc stultitia omni sapientia prudentior est : nam ea, quæ externa sapientia invenire non potuit, hæc secundum Christum stultitia perfecit. Hæc tenebras abegit ex orbe, hæc lumen scientiæ revocavit. Quid porro est stultitia secundum Christum? Cum proprias cogitationes intempestive furentes comprimimus, cum mentem nostram externa disciplina vacuam efficimus; ut cum oportuerit Christi doctrinam excipere, vacantem illam et mundatam pro divinis admittendis verbis exhibeamus. Nam cum Deus aliquid sancit, quod non debeat curiosius explorari, fide accipiatur oportet. Etenim de hujusmodi rebus curiose perquirere et rationes exposcere, modumque scisciтari, audacissimi et temerarii animi est. Quod et ipsum ex sacris Scripturis explanare tentabo : Zacharias vir quidam erat admirandus et magnus, summo sacerdotio ornatus, cui a Deo totius populi præfectura commissa fuerat. Is in Sancta sanctorum in ipsaque adyta ingressus, quæ ipsi uni fas erat aspicere; (intellige eum universæ multitudini parem fuisse;) ita ut supplicationes pro multitudine tota offerret Deo, et Dominum famulis propitium redderet. Vidisti-ne fiduciæ magnitudinem? Quasi mediator quidam esset Dei et hominum, vidit Angelum intus stantem, et quia hic aspectus virum in stuporem conjecit, ait ille, « Ne timeas, Zacharia, quia exaudita est oratio » tua; et ecce gignes filium[2]. » Quænam hæc consecutio? pro populo rogabat, pro delictis supplicabat, veniam postulabat conservis; et « Noli timere, inquit, Zacharia, » exaudita est enim oratio tua, » et ipsum exauditum fuisse inde comprobat, quod nasciturus esset ipsi filius nomine

[1] 1 Cor. IV, 1. — [2] Luc. I, 13.

Joannes; ac jure quidem merito. Quia enim pro peccatis populi rogabat, filium editurus erat, qui clamaret, « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, » jure ait, « Exaudita est oratio tua, et gignes filium[1]. » Quid igitur ille? Quod enim proponimus tale est, nullam veniam dari eis, qui modum oraculorum divinorum curiosius scrutantur; sed eorum sententiam fide accipiendam esse. Videbat ætatem suam, canitiem, corpus imbecillum : videbat item uxoris sterilitatem; modum discere voluit et ait : Unde hoc sciam[2]? Quomodo illud erit? jam consenui et incanui, et uxor mea sterilis, provecta in diebus suis, ætas inepta, natura imbecilla : qua ratione possunt expleri promissa? Ego qui seram infirmus, quæ seritur sterilis : annon videatur venia dignus, qui rerum consecutionem quærat, cum e re loqui videatur? At non Deo dignus venia visus est, et merito quidem. Cum enim Deus sententiam dicit; non contra ratiocinandum, neque rerum consecutio vel naturæ necessitas objicienda est, neque hujusmodi quidpiam agendum : his quippe omnibus superior est divinæ sententiæ vis, nullo obnoxia impedimento. Quid agis, homo? Deus pollicetur, et ad ætatem confugis, et senectutem objicis? Num potentior senectus Dei promissione? Num validior natura creatore suo? Nescis fortia esse verborum ejus opera? Verbum ejus cœlum constituit : verbum ejus creaturam produxit, verbum ejus Angelos fecit, et tu de filii procreatione dubitas? Ideo indignatus est Angelus, neque sacerdotii causa pepercit; imovero ob idipsum graviorem intulit pœnam. Nam eum, qui plus cæteris obtinebat honoris, majore, quam alii, fide instructum esse oportebat. Quis autem pœnæ modus? « Ecce eris tacens, et non poteris loqui[3]. » Lingua tua, inquit, incredulitatis tuæ ministra fuit, ipsa

[1] Joan. I, 29. — [2] Luc. I, 18. — [3] Ibid. 20.

incredulitatis pœnas luet. « Ecce eris tacens, et non lo-» queris donec illa fiant. » Animadverte benignitatem Domini. Non credis mihi, inquit, nunc pœnam accipe; cumque rebus ipsis veritatem comprobavero, tunc iram solvam : cum didiceris te jure plexum fuisse, tunc a pœna te liberabo. Audiant Anomæi, quantum irascatur Deus, cum de se curiosius inquiritur. Quod si ille, quia mortali generationi non crederet, plectitur, tu qui arcanam illam et supernam perscrutaris, quomodo supplicium effugies, dic mihi? Ille nihil asseruit, sed ediscere voluit, veniamque consecutus non est : tu vero ea, quæ omnibus invisibilia incomprehensibiliaque sunt, affirmans, quam habebis defensionem? Quod non tibi pertrahes supplicium?

III. Verum hæc de generatione disputatio, suum in tempus reservetur, interimque prius argumentum repetamus, cujus nuper reliquias dimisimus, dum perniciosam illam radicem, omnium malorum matrem, evellere conaremur. Undenam illis hæc dogmata suborta sunt? Quænam illa radix malorum omnium? Credite mihi; me illam pronuntiaturum horror occupat : piget ea narrare quæ illi semper meditantur. Quænam igitur est horum malorum radix? Ausus est homo dicere, Deum novi, ut ipse Deus se ipsum novit. Hæccine confutatione indigent? hæccine demonstratione? Annon satis est hæc solum verba proferre, ut tota eorum impietas revelctur? Etenim hæc insania est perspicua, amentia inexcusabilis, novus impietatis modus. Nemo quidpiam hujusmodi vel mente concipere, vel lingua proferre ausus est. Cogita, miser et infelix, quisnam sis, et quemnam tam curiose scruteris : homo cum sis Deum exploras. Vel nomina mera satis sunt, ut stultitiæ magnitudinem declarent. Homo terra et cinis, caro et sanguis, fœnum et flos fœni, umbra, fumus, vanitas, et si quid his obscurius et vilius. Neque putetis

hæc incusandæ naturæ causa dici : neque enim ego, sed Prophetæ ita philosophantur, non ut genus nostrum dedecore afficiant, sed ut insanorum tumorem comprimant; non ut naturam nostram contemnant, sed ut furiosorum arrogantiam dejiciant. Nam si postquam illi tot tantaque dixere, reperti tamen sunt qui verborum petulantia ipsum diabolum superarunt; si nihil ejusmodi dictum fuisset, quo tandem amentiæ non prorupissent ? Si appositam habentes medicinam, adhuc tamen inflantur, quo demum tumoris et arrogantiæ non processissent, nisi talia illi circa naturam humanam protulissent? Audi igitur quid de se ipso dicat justus ille Patriarcha, « Ego autem sum terra » et cinis[1]. » Cum Deo loquebatur, neque tamen confidentia efferebatur. Imo vel hoc ipsum ut moderate ageret ipsi suadebat. Hi vero, qui ne umbra quidem illius digni sunt, se Angelis ipsis majores esse putant, quod extremæ dementiæ argumentum est. Deum-ne scrutaris, dic mihi, qui sine principio est, invariabilis, incorporeus, incorruptibilis, qui ubique adest, et omnia superat, universaque creatura superior est? Audi quid de illo Prophetæ philosophentur, et metue : « Qui respicit terram, et facit » eam tremere[2]. » Aspexit solum, et illam tantam terram concussit : « Qui tangit montes et fumigant. Qui concutit » terram a fundamentis, et columnæ ejus nutant : qui mi» natur mari et siccat illud. Qui dicit abysso : Desolaberis[3]. » Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum. » Montes exultaverunt sicut arietes, et colles sicut agni » ovium[4]. » Omnis creatura movetur, metuit, contremiscit : hi soli despiciunt, negligunt, salutem suam parvi faciunt : non enim dixerim, Dominum omnium. Nuper eos a supernarum Virtutum exemplo admonebamus, Angelis, Archangelis, Cherubim et Seraphim : nunc vero ab in-

[1] Gen. xviii, 27.— [2] Psal. ciii, 32. — [3] Job. ix, 6.— [4] Psal. cxiii, 3, 4.

sensibili creatura, neque tamen sic afficiuntur pudore. Annon vides hoc cœlum, quam pulchrum, quam magnum, quam vario choro stellarum coronatum : quantum temporis duraverit? Plus quinque millibus annis stetit, et diuturnitas temporis nullam ipsi senectutem invexit : sed ceu corpus semper novum, et robur et florem ætatis perpetuo servat; ita et cœlum, quam ab initio habuit pulchritudinem conservavit, nec temporis diuturnitate ullatenus imbecillius evasit : sed illud ita pulchrum, magnum, lætum, stellis ornatum, perpetuum, tandiu consistens, Deus, quem tu curiose scrutaris, et ratiociniorum tuorum limitibus subjicis, ita facile condidit, ac si quis tugurium ludens construeret : quam rem sic declarat Hesaïas propheta : « Qui statuit cœlum sicut cameram, et extendit » illud sicut tabernaculum super terram[1]. » Vis-ne terram quoque intueri? Hanc etiam quasi nihil fecit. Nam de illo quidem ait : « Qui statuit cœlum sicut cameram, et ex- » tendit illud sicut tabernaculum in deserto : » de hac vero : « Qui continet gyrum terræ, qui fecit terram quasi » nihil. » Vides-ne quomodo « Nihil » dixerit tantum tamque ingens corpus?

IV. Cogita quantam montium molem, quot hominum nationes, quot plantarum varietatem et altitudinem, quot urbes, quot ædificiorum magnitudines, quot quadrupedum, ferarum, reptilium genera dorso suo sustinet. Attamen illam talem tantamque ita facile condidit, ut Propheta cum tantæ facilitatis exemplum non haberet, dixerit, eum fecisse terram quasi nihil. Cum enim visibilium magnitudo et pulchritudo non satis esset ad Creatoris potentiam declarandam, sed multo intervallo procul esset a magnitudine et robore ejus, qui ipsa condiderat, alium Prophetæ modum invenerunt, quo pro facultate sua,

[1] Isaï. XL, 24.

possent aliquid amplius de Dei potentia declarare. Quodnam illud? Ut non modo creatarum rerum magnitudinem exponerent, sed etiam modum creationis efferrent, ut ex utraque parte, cum ex magnitudine opificiorum, tum ex creationis facilitate, pro captu nostro dignam possimus de potentia Dei notitiam accipere. Ne itaque opificiorum magnitudinem tantum explores, sed etiam condentis facilitatem. Neque solum in terra hoc deprehenditur, sed et in ipsa hominum natura : modo enim ait, « Qui continet » gyrum terræ, et habitantes in ea quasi locustas; » modo, » quasi stilla situlæ omnes gentes in conspectu ejus[1]. » Ne minus considerate hoc dictum prætereas, sed excute, et explora. Repete omnes gentes, Syros, Cilices, Cappadoces, Bithynos, Euxini-Ponti incolas, Thraciam, Macedoniam, Græciam omnem, et insulas, Italos, eos qui sunt supra continentem nostram, eos qui in insulis Britannicis, Sauromatas, Indos, Persas, aliasque innumeras gentes, et nationes quarum ne nomina quidem novimus. Verum hæ « Omnes gentes quasi stilla situlæ, inquit, in » conspectu ejus. » Quota pars es ejus stillæ tu, qui Deum scrutaris, cui omnes gentes quasi stilla situlæ? Ecquid oportet de cœlo et terra dicere, de mari, deque hominum natura? Ascendamus in cœlum verbo, Angelosque adeamus; scitis enim vel unum Angelum parem esse toti visibili creaturæ; imo longe præstantiorem. Nam si vel uno homine justo totus mundus dignus non sit, ut Paulus ostendit his verbis, « Quibus dignus non erat mundus[2], » multo minus Angelo dignus erit : Angeli quippe multo præstantiores sunt justis. Attamen decem millies dena millia Angelorum sursum sunt, et millia millium Archangelorum; itemque Throni, Dominationes, Principatus et Potestates, atque innumeri incorporearum Virtutum populi, tribusque

[1] Isaï. XL, 15-22. — [2] Hebr. XI, 8.

inenarrabiles. Omnesque illas Virtutes cum tanta facilitate condidit, quanta nullus sermo potest exprimere. Satis enim illi fuit ut vellet, et sicut apud nos voluntas nihil laboris affert; sic nullo ipse labore tot tantasque Virtutes condidit. Quod declarans Propheta dicebat, « Omnia quæcumque vo» luit fecit in cœlo et in terra[1]. » Vides-ne non ad terrenarum tantum rerum creationem, sed etiam ad creationem supernarum Virtutum satis fuisse illius voluntatem? Hæc cum audis, non te ipsum deploras, dic mihi? non te in terram defodis et obruis, cum in tantum arrogantiæ proruperis, ut eum quem glorificare et adorare solum fas est, quasi unam vilissimarum rerum scruteris, et comprehendere coneris? Ideo et Paulus multa plenus sapientia, incomparabilem Dei excellentiam, simulque humanæ naturæ vilitatem intuitus, indignatusque adversus eos qui ejus dispensationem curiosius explorarent, rem moleste ferens cum multa vehementia dicebat : « O homo » tu quis es, qui respondeas Deo[2]? » Tu quis es? Cogita prius naturam tuam : nullum quippe nomen potest tuam vilitatem declarare.

V. At dices, homo sum libertate honoratus. Atqui honoratus es, non ut ad repugnandum, sed ut ad obsequendum honoranti te, illo utereris honore. Honoravit te Deus, non ut illum contumelia afficeres, sed ut illum glorificares; contumelia vero afficit is, qui substantiam ejus curiosius explorat. Nam si dum promissa ejus non exploras, illum gloria afficis; dum exploras et curiose inquiris, non sententias modo ejus, sed etiam eum qui ipsas protulit dedecore afficis. Quod autem Deum glorificet is, qui ejus promissa non curiose scrutatur, audi Paulum de Abrahamo deque ejus obedientia fideque in omnibus dicentem : « Con» sideravit quidem corpus suum emortuum, et emortuam

[1] Psal. CXXXIV, 6. — [2] Rom. IX, 2.

» vulvam Sarræ : verum in repromissione Dei non hæsitavit » diffidentia, sed confortatus est fide[1]. » Natura et ætas, inquit, in desperationem ipsum conjiciebant, sed fides spem bonam substituebat. « Sed confortatus est in fide dans » gloriam Deo, et plenissime sciens, quia quæcumque pro- » misit, potens est et facere[2]. » Vides-ne eum, qui certior est de rebus a Deo prolatis, gloriam Deo dare? Si itaque is, qui Deo credit, gloriam ipsi dat, qui non credit ipsi, contumeliam illam in suum ipse caput convertit. « Tu quis » es, qui Deo respondeas? » Deinde ut ostendat quantum sit Deum inter et hominem intervallum, id demonstrat non quidem quantum oporteret, sed tamen ex proposito exemplo longe majus discrimen esse intelligi potest. Quid igitur ait? « Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, » Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, » ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, » aliud in contumeliam[3]? » Quid ais? Ita-ne Deo debeo subjici, ut lutum figulo? Ita, inquit : tantum enim est Deum inter et hominem intervallum, quantum inter lutum et figulum; vel potius, non tantum, sed multo majus. Luti enim et figuli eadem substantia est, ut apud Job dicitur : « Sino, inquit, habitantes domos luteas, ex quo et » ipsi sumus ex eodem luto[4]. » Quod si homo præstantior luto, et formosior appareat, differentiam non diversitas naturæ, sed artificis sapientia fecit : in nullo quippe differs a luto : quod si non credis : id tibi persuadeant tumuli et urnæ sepulcrales. Nam si sepulcra majorum tuorum adeas, hæc ita se habere deprehendes. Inter lutum itaque et figulum differentia nulla : inter Dei vero et hominis substantiam tantum intervallum est, quantum nec oratione narrare, nec mente æstimare possumus. Quemadmodum igitur lutum figuli manus, quocumque ille duxerit sequi-

[1] Rom. IV, 19, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Id. IX, 20, 21. — [4] Job. IV, 19.

tur; ita et tu luti instar mutus esto, quando Deus aliquid dispensare voluerit. Neque tamen ideo Paulus hæc dixit, ut facultatem nostram tolleret, aut liberum arbitrium labefactaret, absit; sed ut arrogantiam nostram magis magisque coërceret. Verum si placet videamus, quidnam ipsi ediscere voluerint; ita ut ipsos Paulus tam vehementer refrenaret. An substantiam Dei scrutabantur? Nequaquam: nemo enim id unquam ausus est. Sed quod longe minus est, ejus dispensationes scrutabantur; verbi gratia, quare illum puniret, illius misereretur; quare illum supplicio eximat, hunc in ærumnis sinat; quare ille veniam sit consecutus, hic minime. Hæc et similia quærebant. Undenam id liqueat? ex præcedentibus. Cum enim dixisset: « Ergo » quem vult miseratur, et quem vult indurat? Dices ita- » que mihi, quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis » resistit? » Tunc intulit, « O homo, tu quis es, qui respon- » deas Deo [1]? » Eos igitur, qui dispensationes Dei scrutabantur reprimit Paulus. Profecto ne id quidem illis concedit, tu vero beatam illam substantiam omnia dispensantem curiose scrutaris? Annon te sexcentis fulminibus dignum censes? Quomodo non id extremæ dementiæ fuerit? Audi Prophetam vel potius Deum dicentem: « Si Pater ego sum, » ubi est gloria mea? et si Dominus ego sum, ubi est ti- » mor meus [2]? » Qui enim metuit, non curiose scrutatur, sed adorat; non curiose inquirit, sed laudat et glorificat. Hæc te doceant et supernæ Virtutes, et beatus Paulus: non enim cum hac de re alios increpat, ipse eodem quo illi modo affectus est. Audi quid Philippensibus dicat, cum declarat se particularem scientiam habere: quemadmodum et Corinthiis scribens dicebat, « Ex parte cognoscimus [3], » totum vero nondum: et nunc infert, « Fratres, ego me non » arbitror comprehendisse [4]. » Quid hac apertius voce? Tuba

[1] Rom. IX, 13 et 21. — [2] Malach. I, 6. — [3] 1 Cor. XIII, 9. — [4] Philip. II, 13.

clarius cecinit, orbem totum instituens, ut datam scientiæ mensuram diligerent et amplecterentur, nec existimarent unquam se totum accepisse. Quid ais, dic mihi? Christum habes in te ipso loquentem, et dicis, « Ego me non » arbitror comprehendisse[3] ? » Ideo enim, inquit, dixi me Christum habere in me ipso loquentem. Ipse me hæc docuit. Quamobrem hi, nisi Spiritus sancti auxiliopror sus vacui essent, et omnem ejus operationem ex anima sua eliminassent, cum Paulus dicat, Non arbitror me ipsum comprehendisse, non ipsi se universum comprehendisse putarent.

VI. Undenam liquet, dicet quispiam, ipsum ita loquentem, de fide agere, de scientia et de dogmatibus, et non de vitæ institutione, quasi dicat : Ego me imperfectum esse arbitror in vita et institutione? Id certe planum fecit cum dixit : « Bonum certamen certavi, cursum consum- » mavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona » justitiæ[2]. » Qui vero consummato cursu coronam accepturus est, nequaquam diceret, « Non arbitror me ipsum » comprehendisse. » Alioquin autem quæ agenda et quæ non agenda sunt nemini sunt incerta; sed omnibus manifesta et nota et Barbaris et Persis, et toti hominum generi. Ut autem id clarius reddam, quæ hanc clausulam sequuntur legam. Postquam dixisset, « Videte canes, videte » malos operarios[3], » ac multa disseruisset de iis, qui judaïca dogmata intempestive inducunt, subjunxit : « Quæ » mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Chris- » tum detrimenta : verumtamen existimo omnia detrimen » tum esse, ut inveniar non habens justitiam quæ ex lege » est; sed justitiam, quæ ex Deo est, quæ per fidem Jesu » Christi est[4]. » Postea dicit de qua fide loquatur : « Ut eum » cognoscerem, et potentiam resurrectionis ejus et socie-

[1] 2 Cor. XII, 3. — [2] 2 Tim. IV, 7. — [3] Philip. III, 2. — [4] Ibid. 7-9.

» tatem passionum ejus[1]. » Quid est, potentiam resurrectionis ejus? Novus, inquit, resurrectionis modus ostensus est. Multi quidem antea mortui resurrexere, hoc autem modo nullus. Alii quippe omnes postquam resurrexerant, rursum in terram redierunt, ac mortis tyrannide ad tempus liberati, rursus sub ejus imperium redacti sunt. Corpus autem dominicum postquam resurrexerat, non in terram rediit, sed in cœlos ascendit, et totam inimici tyrannidem solvit, atque secum totum orbem suscitavit, jamque in throno regio sedet. Hæc omnia cum mente volveret Paulus, et ostendisset, tot tantaque mirabilia, non ratione declarari posse, sed fide solum posse doceri et declarari, dicebat : « In fide ad cognoscendum potentiam » resurrectionis ejus. » Nam si ratio fidem declarare non potest, quia et humanæ naturæ captum, et communem rerum seriem superat; resurrectionem illam, quæ tanto intervallo differt ab aliis resurrectionibus, quæ poterit ratio demonstrare? Nulla certe : sed sola nobis opus est fide, qua persuasum habeamus, corpus mortale resurrexisse, et immortalem accepisse vitam, nullum finem vel terminum habentem. Quod et alibi significabat his verbis : « Christus suscitatus non moritur : mors illi ultra non do- » minabitur[2] ; » ita ut duplex fuerit miraculum, et resurrexisse, et illo modo resurrexisse. Ideo dicebat, « In fide » ad cognoscendum potentiam resurrectionis ejus. » Quod si resurrectionem ejus non possimus ratione assequi, quanto minus supernam generationem? De his porro disputans Paulus, necnon de cruce et passione loquens, hæc quoque ad fidem pertinere dixit : cumque de his sermonem habuisset, subjunxit : « Fratres, ego me non arbitror com- » prehendisse[3]. » Non dixit, Ego non arbitror me scire, sed comprehendisse, neque omnimodam ignorantiam,

[1] Philip. III, 10. — [2] Rom. VI, 9. — [3] Philip. III, 16.

neque omnimodam scientiam sibi ascripsit. Cum enim dicit : Non arbitror comprehendisse, significat se adhuc in via esse et ire, ulteriusque progredi, sed finem nondum attigisse. Qua de re alios quoque admonet his verbis : « Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus : et si quid » aliud sapitis, hoc Deus vobis revelabit [1]. » Ratio docet, sed Deus revelabit. Vides non de vita et moribus agi, sed de dogmatibus et fide ? Vita enim et mores non opus habent revelatione, sed dogmata et scientia. Et alibi quoque idipsum declarans dicebat : « Si quis existimat se ali- » quid nosse, nundum quidquam novit [2]. » Non dixit simpliciter, nihil novit ; sed, quemadmodum oporteat scire : scientiam quippe habet, sed non accuratam et perfectam.

VII. Atque ut id verum esse discas, nihil de supernis disseramus, sed si vis ad visibilia deorsum sermonem convertamus, Non vides hoc cœlum. Quod quidem cameræ vel fornicis formam servet scimus : idque non rationicio sed ex Scriptura divina discimus : scimus item ipsum totam complecti terram, quia similiter ab eadem Scriptura id didicimus ; cujus vero substantiæ sit ignoramus. Si quis autem repugnet et contendat, dicat quæ sit cœli substantia, an crystallus concreta, an nubes addensata, an aër crassior ? Sed nemo id plane dicere potest. Num, quæso, ulteriore opus est demonstratione ad eorum comprobandam insaniam, qui se Deum nosse dicunt ? Cœli, quod quotidie cernis, naturam non potes dicere, et invisibilis Dei substantiam te probe nosse jactitas ? Ecquis ita sensus expers, ut talia loquentium insaniam non damnet ? Quapropter rogo vos omnes, ut moderate et cum mansuetudine ipsos alloquentes, ceu phrenesi captos et furentes, ad meliorem frugem reducere curetis. Etenim

[1] Philip. III, 15. — [2] 1 Cor. VIII, 2.

hoc ipsis dogma ex arrogantia ortum est : maximoque illi animi tumore laborant. Vulnera autem tumescentia, neque sibi injici manus, neque tactum asperiorem patiuntur. Quamobrem periti medici, molli quadam spongia, hæc abstergunt ulcera. Quoniam ergo inest ipsorum animis ulcus inflatum, quasi molli spongia dulcem potabilemque aquam haurientes, sicque abstersis omnibus, eorum tumorem comprimere omnemque livorem auferre satagamus : etsi contumelias inferant, etsi recalcitrent, etsi inspuant, etsi quidvis aliud faciant. Ne curandi studium deseras, dilectissime : nam eos, qui furiosum curant hominem, multa similia ferre necesse est. Attamen non propterea desistendum; sed ideo maxime ipsorum miseriam lugere convenit, quia talis est hujus morbi species. Hæc firmioribus et fortioribus loquor, qui nullum ex eorum colloquio accipere possint detrimentum. Itaque si quis infirmior sit, eorum consortium fugiat, ab eorum colloquiis resiliat; ne amicitiæ ratio, impietatis occasio evadat. Sic et Paulus facit, ipse quidem cum ægris versatur, et ait : « Factus sum Judæis tanquam Judæus, » iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem [1]. » Discipulos autem infirmiores avocat, hisque verbis monet ac docet : « Corrumpunt bonos mores colloquia prava [2]; ac rursum, « Exite de medio eorum, et separamini, dicit » Dominus [3]. » Medicus enim si ægrotum adeat, et sibi et illi sæpenumero prodest; infirmior autem et sibi et ægroto nocet, si cum ægris admisceatur : illum quippe nihil juvare poterit; ipseque ex ægritudine magnum hauriet nocumentum. Quodque ii patiuntur qui lippientium oculos inspicientes illius sibi infirmitatis aliquid attrahunt, idipsum patientur ii, qui cum blasphemis illis hominibus versantur; si infirmiores sint, magnam impietatis par-

[1] 1 Cor. IX, 20. — [2] Id. XV, 33. — [3] Isai. LII, 4.

tem contrahunt[1]. Ne igitur maxima nobis damna inferamus, illorum consortium vitemus, Deum clementissimum, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, precantes obsecrantesque, ut eos ab errore liberet et a laqueo diaboli, et ad lumen scientiæ reducat; nempe ad Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, cum vivifico et sancto Spiritu, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

De incomprehensibili, et quod Deus, ne quidem sese attemperans, a Seraphim ferri possit.

I. Laboriosi agricolæ, cum arborem vident infructuosam et sylvestrem[2], suisque laboribus officientem, quæ vel radicis duritie, vel umbræ densitate, fructiferas stirpes corrumpat, summa eam diligentia resecant. Sæpe autem ventus irruens sectionem juvat, frondiumque comam impetens, ac magna vi quatiens, frangit illam, in terramque prosternit, magnamque illis laboris partem aufert. Cum ergo nos quoque arborem præcidendam curemus sylvestrem et infructuosam, Anomœorum scilicet hæresim, Deum precemur, ut nobis Spiritus gratiam emittat, ut omni vento vehementius ingruens, hæresim radicitus evellat, nobisque laborem reddat leviorem. Jam certe terra inculta, quæ agricolarum manibus non exercita est, herbas vitiosas, spinarum vim et arbores sylvestres ex sinu suo

[1] 1 Tim. II, 4. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 310-318.

sæpe eduxit; ita et Anomœorum deserta anima, et eo cultu, qui ex Scripturis manat, privata, ex se hanc feram horridamque hæresim eduxit. Hanc quippe arborem neque Paulus plantavit, nec Apollo rigavit, nec Deus auxit; sed plantavit quidem ratiociniorum intempestiva curiositas, rigavit arrogantiæ tumor, auxit vanæ gloriæ amor. Opusque nobis est Spiritus flamma, ut pessimam hanc radicem non tantum evellamus, sed etiam comburamus. Invocemus itaque ipsum, qui ab illis quidem blasphematur, a nobis autem celebratur; rogemusque ut linguam nostram ad celeriorem cursum excitet, et mentem ad clariorem dicendorum intelligentiam aperiat. Pro illo namque, et pro gloria ejus totus hic labor suscipitur, imo potius pro salute nostra. Deum enim nemo vel contemnendo lædere, vel laudando illustriorem facere poterit. Sed in sua semper ille manet gloria, nec laudibus auctus, nec blasphemiis imminutus. Homines vero qui illum pro dignitate laudant, imo pro dignitate nemo potest, sed pro facultate sua, laudis fructum consequuntur : qui autem ipsum blasphemant ac vilipendunt, suam ipsi salutem amittunt. Illud enim, « Qui jecit lapidem sursum, » in caput suum jecit[1], » de blasphemis dictum est. Quemadmodum enim qui lapidem in altum jaculatur, cœleste quidem corpus scindere non poterit, neque ad tantam altitudinem pertingere, sed plagam suo capite excipiet, lapide in jacientem recidente; sic qui in beatam substantiam blasphemat, illam quidem nunquam læserit, utpote quæ longe major excelsiorque sit, quam ut possit aliquod damnum excipere; sed contra animam suam gladium acuit, ingratus erga benefactorem effectus. Vocemus itaque ipsum ineffabilem, inintelligibilem Deum,

[1] Eccli. XXVII, 26.

invisibilem, incomprehensibilem, humanæ linguæ vim superantem, mortalis mentis comprehensionem excedentem, Angelis non vestigabilem, Seraphinis invisibilem, Cherubinis inintelligibilem, inaspectabilem Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, ac simpliciter omni creaturæ : a solo autem Filio et a Spiritu sancto cognitum. Nec ignoro eos me petulantiæ accusaturos esse, quod ipsis supernis virtutibus ipsum incomprehensibilem esse dixerim. Ego autem ideo summam illorum arrogantiam et insaniam damnabo. Non enim petulantia est dicere, Creatorem rerum omnium creatarum captum et cognitionem superare; sed dicere eum, qui supernis Virtutibus incomprehensibilis sit, posse ab humi repentibus, qui tantum distant ab illis, infirma cogitationum facultate circumscribi et comprehendi. Ego si quod pollicitus sum non demonstravero, dignus plane fuerim, qui petulantiæ crimen subeam : vos vero si postquam ostensum sit, ipsum supernis Virtutibus esse incomprehensibilem, vos illum nosse contentiose affirmetis, quot barathris, quot præcipitiis digni eritis, qui incorporeis Virtutibus inaccessa, vos perfecte nosse petulanter jactitatis ?

II. Age ergo ad rem ipsam demonstrandam properemus, ad precationem rursum conversi : sæpe enim accidet ut ipsa precandi series argumenta pro re proposita nobis suppeditet. Vocemus itaque ipsum « Regem regum et Do» minum dominantium, qui solus habet immortalitatem, » et lucem inaccessibilem habitat : quem nullus hominum » vidit, neque videre potest, cui est honor et imperium in » sæcula. Amen[1]. » Hæc non mea sunt, sed Pauli verba. Tu velim animæ illius pietatem consideres, amoremque summum : cum enim Dei meminit, non ante in seriem doctrinæ procedit, quam debitum suum exolvat, cum laude

[1] 1 Tim. VI, 15, 16.

sermonem claudens. Nam « Si memoria justi cum laudi-» bus[1], » multo magis memoria Dei cum benedictione. Idipsum vero facit in exordiis Epistolarum. Sæpius enim Epistolam ordiens, facta Dei mentione, non prius ad doctrinam procedit, quam Deo debitam laudem gloriamque dederit. Audi quid scribens ad Galatas dicat : « Gratia vo-» bis et pax a Deo Patre nostro et Domino nostro Jesu » Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut » eriperet nos de præsenti sæculo nequam secundum vo-» luntatem Dei et Patris, cui gloria in sæcula. Amen[2]. » Rursumque alibi : « Regi autem sæculorum immortali et » invisibili, soli sapienti Deo honor et gloria, in sæcula. » Amen[3]. » An de Patre solum sic loquitur, de Filio non item? Audi quomodo circa Unigenitum quoque idipsum fecerit : cum enim dixisset, « Optabam ego anathema esse » a Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum » carnem ; » subjunxit : « Quorum adoptio filiorum, et » testamenta, et legislatio, et obsequia, et promissiones : » ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super » omnia Deus benedictus in sæcula. Amen[4]. » Cum enim sicut Patri ita et Unigenito gloriam prius retulisset, tunc sermonis seriem repetit. Audierat enim Christum dicentem : « Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Pa-» trem[5]. » Ut vero discatis, quod ipsa oratio argumenta nobis suppeditatura sit ; age illam in medium proferamus : « Rex regum, et Dominus dominantium, qui solus habet im-» mortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem[6]. » Hic siste gradum, et hæreticum interroga, quid significet illud, « Et » lucem habitat inaccessibilem. » Pauli accurationem perpendas velim : non dixit : Lux est inaccessibilis ; sed « Lu-» cem habitat inaccessibilem ; » ut discas, quod si domus

[1] Prov. x, 8. — [2] Galat. i, 3, 4. — [3] 1 Tim. i, 17. — [4] Rom. ix, 3-5. — [5] Joan. v, 23. — [6] 1 Tim. vi, 16.

ipsa sit inaccessibilis, quanto magis Deus, qui ipsam inhabitat. Hæc porro dixit, non ut domum et locum Deo esse suspiceris, sed ut magis magisque Dei incomprehensibilitatem ediscas. Sed neque dixit : Lucem habitat incomprehensibilem ; verum, inaccessibilem, quod incomprehensibili longe majus est. Incomprehensibile namque dicitur, quod perquisitione et examine facto comprehendi nequit, inaccessibile autem illud est, quod ne quidem examinari a principio valet, et ad quod nemo propius accedere potest. Exempli causa, incomprehensibile dicitur mare in quod sese immittentes urinatores, in multamque delapsi profunditatem, fundum attingere nequeunt. Inaccessibile autem id dicitur, quod ne a principio quidem inquirere aut scrutari possis.

III. Quid ad hæc dixeris? Hominibus certe, inquies, incomprehensibilis est, Angelis non item, neque supernis Virtutibus. Tu ergo Angelus es, dic mihi, et in choro incorporearum Virtutum annumeraris? Nonne homo es ejusdem cujus ego substantiæ, an naturæ oblitus es tuæ? Ponamus enim cum hominibus tantum inaccessibilem esse : etiamsi illud nec propositum sit, nec dixerit Paulus : lucem inhabitat hominibus inaccessibilem, Angelis vero non inaccessibilem. Verum, si placet, hoc tibi concedamus, annon et ipse homo es? Quid si Angelis inaccessibilis non sit? Quid illud ad te, qui contendis, atque affirmas substantiam illam humanæ naturæ esse comprehensibilem ? Ut vero dicas non hominibus tantum, sed etiam supernis Virtutibus esse inaccessibilem, audi quid dicat Hesaïas : Hesaïam dicens, Spiritus sententiam effero ; Propheta namque ex operatione Spiritus loquitur : « Et factum est anno, quo » mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super thro» num excelsum et elevatum, et Seraphim stabant in circuitu » ejus, sex alæ uni, et sex alæ alteri, et duabus quidem obve-

» labant facies suas, et duabus pedes[1]. » Dic quæso, cur obvelant facies suas, alasque prætendunt? Cur, inquam, nisi quia fulgur e throno progrediens, radiosque illos ferre non possunt? Quanquam non ipsum sine temperamento lumen, neque ipsam puram substantiam videbant, sed quæ videbantur attemperata erant. Quid autem est illa attemperatio? Quando Deus non sicut est apparet, sed ad modum ejus, qui ipsum visurus est, sese attemperat, videntiumque infirmitati sese accommodat. Quod autem per attemperationem fieret, ex ipsis verbis palam est. Nam ait, « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et » elevatum. » Deus autem non sedet, corporis enim hic situs est, « Super thronum :» at Deus in throno contineri nequit, Numen quippe incircumscriptum est. Attamen sic attemperatum ferre non poterant, quanquam proxime starent: « Seraphim enim stabant in circuitu ejus. » Ideo vero maxime videre non poterant, quia prope erant. Prope autem, inquit, non loco; sed cum vellet Spiritus sanctus declarare, illas Virtutes etsi propinquiores nobis essent illi substantiæ, non tamen ipsam videre potuisse, idcirco ait: « Seraphim stabant in circuitu ejus, » non locum indicans, sed loci propinquitate propiores illas, quam nos, esse declarans. Incomprehensibilem enim illum, non tam novimus nos, quam illæ Virtutes, quæ quanto puriores, tanto sapientiores et perspicaciores humana natura sunt. Quemadmodum enim solatium radiorum inaccessibilitatem non perinde cæcus atque is qui videt capere potest; ita et Dei incomprehensibilitatem non perinde nos atque illæ novimus. Quantum enim discrimen est cæcum inter et videntem, tanta est inter nos et illas differentia. Itaque licet Prophetam audias dicentem, « Vidi Dominum, » ne suspiceris eum vidisse substantiam illam, sed attemperan-

[1] Isaï. VI, 1, 2.

tis se formam, eamque obscurius, quam supernæ Virtutes cernant. Non tantum enim videre potuit, quantum Cherubim.

IV. Ecquid dico de beata illa substantia, quando ne Angeli quidem substantiam potest homo libere videre? Quod ut ita esse intelligatis, virum in medio adducam Dei amicum, qui ob sapientiam et justitiam fiducia erat præditus magna, quique præclara multa alia fecisse narratur; sanctum videlicet Danielem; ut postquam illum, infirmum, solutum, et deficientem ex Angeli præsentia fuisse monstravero, nemo putet eum peccatorum et pravæ conscientiæ causa illa passum esse; sed demonstrata ejus animi fiducia, ipsa naturæ infirmitas clarius comprobetur. Hic itaque Daniel tribus hebdomadibus jejunavit, panemque desiderabilem non comedit, neque vinum, caro aut sicera introivit in os ejus, neque unctione usus est: et tunc illa visione dignatus est, cum anima ejus esset ad talem contemplationem aptior, jejunio levior et spiritualior effecta. Quid igitur ait? « Levavi oculos meos et vidi, et ecce » vir vestitus Baddin, hoc est, veste sacra, et renes ejus » accincti auro Ophaz et corpus ejus quasi Tharsis, et vul- » tus ejus quasi visio fulguris, oculi ejus quasi lampades » ignis; brachia ejus et crura ejus quasi visio æris fulgentis, » vox sermonum ejus quasi vox multitudinis. Et ego solus » vidi visionem hanc. Porro qui erant mecum non viderunt, » sed stupor magnus irruit super eos, et fugerunt in ti- » more, et non remansit in me fortitudo: et gloria mea » conversa est in corruptionem[1]. » Quid est illud, « Gloria » mea conversa est in corruptionem? » Formosus erat adolescens: quia igitur timor Angeli præsentis effecit ut expirantium more, pallor nimius speciei florem vultusque nativum colorem extingueret: ideo dixit, « Gloria mea

[1] Dan. I, 5, et seqq.

» conversa est in corruptionem. » Sicut enim ubi auriga perterritus habenas amisit, equi præcipites feruntur, et currus funditus evertitur; sic et in anima fieri solet, quando stupore et angustia detinetur: perterrita quippe, suasque operationes tanquam habenas a singulis corporis sensibus auferens, iis vacua membra relinquit. Hæc porro vi illa se continente destituta, deficiunt et corruunt, quod et Danieli tunc accidit. Quid igitur Angelus? Erigit illum et ait: « Daniel vir desideriorum intellige verba, » quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo, quia nunc » missus sum ad te. » Ille vero stetit tremens. Et cum incœpisset Angelus alloqui eum ac diceret, « A die qua sta- » tuisti ut affligeres cor tuum in conspectu Dei, audita » sunt verba tua : et ego veni in verbis tuis; rursum decidit in terram, ut animo deficientes solent. Quemadmodum enim illi erecti et in se reversi, respicientesque eos qui se sustinent, faciemque suam aqua frigida inspergunt, in ipsis se sustinentium manibus sæpe deficiunt; ita et Prophetæ contigit. Animus namque perterritus præsentiam conservi sui non ferens, neque splendorem illum sustinere valens, conturbabatur, a carnis vinculo tanquam a catena sese expedire festinans. Verum ille adhuc continebat illum. Audiant ii qui Angelorum Dominum curiose scrutantur. Daniel, quem oculi leonum reveriti fuerant, Daniel, qui in humano corpore, ea facere poterat quæ hominem superant, conservi præsentiam non tulit; sed exanimatus jacebat. « Eversa sunt enim, inquit, inte- » teriora mea in visione mea, et spiritus non relictus est in » me. » Qui vero a Justi illius virtute tantum distant, ipsam Dei substantiam se diligentissime nosse profitentur; illam scilicet supremam et primam, quæ innumera Angelorum millia produxit, quorum unum Daniel conspicere non potuit.

V. Sed ad pristinum propositum revertamur, ostendamusque nec a supernis Virtutibus conspici posse Deum, etiamsi sese attemperet. Cur enim, dic mihi, alas prætendunt Seraphim? Nulla alia de causa, quam ut illud apostolicum, « Qui lucem habitat inaccessibilem [1], » ipsis operibus proclament: neque illa solum, sed etiam illis superiora Cherubim. Hæ quippe Virtutes prope stant; illæ vero throni sunt Dei: non quod throno Deus egeat; sed ut Virtutum earum dignitatem intelligas. Audi alium quoque Prophetam de illis loquentem: « Et factum est verbum Domini ad Ezechiel filium Buzi secus flumen Chobar [2]. » Et hic ad flumen Chobar, quemadmodum ille ad flumen Tigrim stabat. Cum enim Deus mirabilem quamdam visionem servis suis ostensurus est, eos extra urbes educit in locum tumultu vacuum; ut a nullo vel sub aspectum vel sub auditum cadente interpelletur animus, sed totus cum libertate ostensæ rei contemplationi vacet. Quid igitur vidit ille? « Ecce nubes, inquit, veniebat ab » Aquilone, et splendor in circuitu ejus, et ignis fulgurans, » et in medio ejus quasi visio electri, et splendor in eo, et » et in medio similitudo quatuor animalium. Hic aspectus » eorum, similitudo hominis in eis: et quatuor facies uni, » et quatuor alæ uni. Et altitudo erat eis, et terribilia » erant: et terga eorum plena oculis in circuitu eorum » quatuor, et similitudo super caput eorum, quasi firma» mentum, quasi aspectus crystalli terribilis, extensa super » caput eorum desuper: et alæ eorum unicuique duæ, te» gentes corpora eorum: et supra firmamentum quasi as» pectus lapidis sapphiri: et similitudo throni super eum, » et super similitudinem throni similitudo quasi species » hominis super eum. Et vidi quasi aspectum electri, ab » aspectu lumbi, et usque desuper, et ab aspectu lumbi

[1] 1 Tim. I, 16. — [2] Ezech. I, 3.

» usque deorsum, quasi visionem ignis : et splendor ejus, » quasi aspectus arcus, cum fuerit in nube, in die plu- » viæ[1]. » Post hæc autem cum declarare vellet, nec Prophetam nec Virtutes illas, ad meram ipsam substantiam accessisse, dicebat : « Hæc visio similitudinis gloriæ Do- » mini[2]. » Vides-ne et hic et ibi Dei attemperationem? Attamen ipsæ quoque Virtutes se alis operiunt, nulla alia quam supra dicta de causa : quanquam sapientissimæ, perspicacissimæ et purissimæ sint. Undenam id liquet? Ab ipsis nominibus. Quemadmodum enim Angelus dicitur, quia quæ Dei sunt hominibus annuntiat ἀναγγέλλει ; et Archangelus, quia Angelis imperat; sic et illæ vocabula nactæ sunt, quæ ipsarum sapientiam et puritatem nobis declarent : ac sicut alæ naturæ sublimitatem indicant; etenim Gabriel volans repræsentatur, non quod Angelis sint alæ; sed ut ediscas ex altissimis locis, exque supremo domicilio illum ad humanam adventare naturam; sic et in istis nihil aliud alæ, quam sublimitatem naturæ significant. Sicut igitur alæ naturæ sublimitatem declarant, et thronus, quod Deus in ipsis requiescat; et oculi, perspicacitatem; throni propinquitas, et hymni perpetui, vigilantiam et insomnia ; sic nomina horum sapientiam, illorum puritatem significant. Quid enim sibi vult Cherubim? plena scientia. Quid Seraphim? ignita ora. Vides-ne quo pacto nomina, illorum sapientiam, horum puritatem significent? Si vero ubi plena scientia est, ne attemperatum quidem Dei modum accurate videre possunt, ubi ex parte cognitio, ut ait Paulus, « Ex parte cognoscimus, » et, « Per speculum et in ænigmate. » Quantæ fuerit amentiæ, ea, quæ ne illi quidem possunt intueri, sibi nota et perspicua esse putare?

VI. Quod autem non ipsis Cherubim et Seraphim tan

[1] Ezech. I, 4, et seqq. — [2] Id. II, 1.

tum, sed nec etiam Principatibus, Potestatibus, neque alii cuipiam Virtuti comprehensibilis sit Deus, id jam vellem ostendere; sed jam defessus animus est, non multitudine, sed horrore dicendarum rerum. Tremit enim et horrescit supernis illis contemplationibus diutius immorans. Quamobrem ex cœlis eum reducamus, perculsumque recreemus, ad solitam confugientes exhortationem. Quænam illa est? ut precemur eos qui tali morbo laborant, ad sanitatem revocari. Nam si pro ægrotis, pro laborantibus ad metalla, pro dura servitute pressis, pro energumenis, Deum rogare jubemur; quanto magis pro his? Impietas quippe ipso dæmone tetrior est? Illa namque insania veniam meretur, hic vero morbus nullam habet defensionem. At quando de oratione pro energumenis mentionem feci, aliquid ea de re Vestræ Charitati disserere animus est, gravem ab Ecclesia morbum excindamus. Etenim absurdum esset dum exterorum morbis tanta cura medemur, propria negligere membra. Quod genus morbi illud est? Ingentem hanc populi multitudinem, nunc coactam, et tanto studio auscultantem, tremenda illa ora oculis perquirens, videre non potui : admodumque ingemui, quod loquente quidem conservo, ingens sit studium, summa alacritas, cunctis sese mutuo impellentibus, et ad usque finem manentibus; cum autem Christus in sacris mysteriis sese ostensurus est, Ecclesia vacua desertaque maneat. Quo pacto isthæc veniam mereantur? Tali certe segnitie omnem studii in auscultando vestri laudem amittitis. Quis enim ex vobis non nos quoque damnaturus est, cum videat totum concionis fructum vobis statim effluxisse? Nam si dictis sedulo attenderetis, operibus sane vestram exhiberetis diligentiam. Quod autem statim atque audivistis, discedatis, id profecto signum est vos nihil dictorum animo suscepisse. Etenim si ea in ani-

mis vestris deposita essent, vos plane intus retinerent, et majori cum pietate horrendis illis mysteriis admoverent. Nunc autem quasi citharœdum quempiam audissetis, sic omni fructu vacui cessante concione receditis. At quorsum frigida illa multorum excusatio? Precari etiam domi possumus, concionem doctrinamque audire nonnisi in Ecclesia possumus. Te ipsum, mi homo, decipis. Precari etiam domi potes; ita vero precari ut in Ecclesia non potes, ubi tanta patrum frequentia, ubi clamor unanimiter ad Deum emissus. Non perinde exaudieris cum penes te solus Deum precaris, atque ubi cum fratribus tuis. Hic aliquid amplius est, nempe concordia et consensus, charitatis vinculum, et sacerdotum orationes. Ideo namque sacerdotes præsunt, ut multitudinis preces infirmiores cum hisce validioribus conjunctæ, una cum eis in cœlum ascendant. Alioquin quid concio prosit, nisi sit cum oratione conjuncta? Prius oratio, deinde sermo, sic aiunt Apostoli: « Nos autem in oratione et verbi ministerio perseve» remus[1]. » Sic et Paulus facit, cum in Epistolarum exordiis precetur, ut quasi lumen lucernæ, ita et orationis lux verbo præeat. Si ita te assueſeceris orandi diligentiæ, conservorum doctrina non egebis, ipso Deo, sine ullo mediatore, mentem tuam irradiante. Quod si unius oratio tantam vim habeat, multo magis ea, quæ cum multitudine emittitur: hæc plus habet nervorum, majoremque fiduciam, quam domi emissa. Undenam id liquet? Ipsum audi Paulum loquentem: « Qui de tanta morte eripuit nos, et » adhuc eruet. Speramus autem quod adhuc eripiet: vo» bis quoque in oratione pro nobis subvenientibus; ut de » dono nobis collato per multas personas gratiæ agantur » pro nobis[2]. » Sic etiam Petrus carcerem effugit: « Ora» tio enim fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum

[1] Act. VI, 4. — [2] 2 Cor. I, 11.

»pro eo[1]. » Quod si Ecclesiæ oratio Petro profuit, ac columnam illam eduxit ex carcere, quare tu ejus vim despicis, dic mihi, et quam habebis excusationem? Ipsum quoque Deum dicentem audi, se multitudine cum benevolentia orante placari. Nam cum sese apud Jonam excusaret, de cucurbitæ frutice, ait : « Tu quidem pepercisti »cucurbitæ, pro qua non laborasti, neque excoluisti eam; »et ego non parcam Ninivæ civitati magnæ, in qua habi»tant plus, quam centum viginti millia hominum[2]. » Non abs re multitudinem opponit; sed ut scias, orationem uno consensu factam, magnam vim habere. Hoc vobis ex humana historia planum facere libet.

VII. Ante hos decem annos quidam tyrannidem affectantes, deprehensi captique sunt, quod vos non ignoratis. Tum aliquis in magistratu constitutus, criminis reus compertus, cum ad mortem func ad os alligato duceretur, tota urbs ad Hippodromum accurrit, eductisque officinarum operis, simul totus populus reum imperatoriæ ultioni etsi nulla dignum venia subduxit. Ita-ne terreni Imperatoris iram placare volentes, cum liberis et uxoribus omnes accurritis; cœlorum vero Imperatorem, vobis propitium reddere studentes, atque ex ira ultioneque ejus non unum, vel duos, aut tres, aut centum, sed omnes per orbem peccatores, necnon dæmoniacos a diaboli laqueis erepturi, sedetis, nec simul omnes concurritis, ut Deus concordiam vestram reveritus, et illis pœnam, et vobis peccata remittat? Nam si in foro illo tempore fueris, si domi, si in negotiis urgentibus, nonne leone quovis vehementius, abruptis vinculis, ad communem supplicationem te sponte conferes? Ecquam, dilecte, illo tempore spem salutis habere possis? Non homines solum horrendam illam emittunt vocem, sed et Angeli ante Dominum

[1] Act. XII, 3. — [2] Joan. IV, 10, 11.

procumbunt, Archangeli precantur : habent tempus illud idoneum, oblationem sibi faventem. Ac quemadmodum homines excisis olearum ramis reges movere solent, illaque arbore ad clementiæ ipsos memoriam revocant ; sic et Angeli tunc temporis pro olearum ramis ipsum corpus dominicum protendentes, Dominum pro humana natura rogant, ac si dicerent : Pro his supplicamus, quos tu præveniens ita diligere dignatus es, ut animam tuam traderes : pro his supplicationes fundimus, pro quibus tu sanguinem effudisti ; pro his rogamus, pro quibus hoc corpus immolasti. Ideo energumenos illo tempore diaconus adducit, jubetque caput tantum inclinare, ut ipso corporis situ supplicationes emittant. Ipsis enim cum communi fratrum cœtu precari non licet. Ideoque illos sistit, ut eorum tum calamitatem, tum taciturnitatem miseratus fiducia tua ad illius patrocinium utaris. Hæc itaque cogitantes concurramus illa hora, ut nobis misericordiam attrahamus, et gratiam inveniamus ad opportunum auxilium. Laudastis ea quæ dicta fuere, cum magno tumultu et plausu admonitionem accepistis. Sed ut nobis laudes ipsis operibus exhibeatis, non longum tempus quæritur ad obsequentiam demonstrandam : exhortationem oratio sequatur : hanc quæro laudem, hunc per opera ipsa plausum. Vos itaque mutuo hortamini ad standum quemadmodum stetistis : si quis sese moveat ut ordinem deserat, hunc sedulo retinete; ut et proprii studii, et fraternæ curæ duplicem mercedem reportantes, cum majori fiducia preces effundatis, placatoque Deo, et præsentia et futura bona consequi possitis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

De incomprehensibili, contra Anomœos.

I. Satius jam esset, postquam nuper ostendimus Deum esse incomprehensibilem hominibus, imo et ipsis Cherubim et Seraphim, a negotiis expediri, et nihil ulterius movere : verum quia id nobis in studio et in proposito est, ut non modo adversariorum ora occludamus, sed etiam ut charitatem vestram magis magisque instituamus, idipsum argumentum repetimus, ulteriusque sermone procedimus. Nam si in iis diutius immoremur, et vos doctiores efficiemus, et nos splendidiorem victoriam reportabimus; tum si quid reliquiarum supersit, id jam prorsus de medio tolletur; quandoquidem noxias herbas, non a summitate modo tondere opus est, si enim radices maneant, denuo pullulabunt; sed etiam ab ipso telluris gremio radicitus evellas oportet, exponasque solarium radiorum ardori, ut omnino marcescant. Age ergo in cœlum rursus sermone conscendamus, non ut curiosius scrutemur, vel subtiliores quæstiones moveamus; sed ut eorum qui neque se ipsos norunt, neque humanæ naturæ modum intelligere volunt, intempestivam contentionem tollere satagamus. Ideo quippe ex abundanti, non Dei modo, sed etiam Angelorum conspectum justo illi viro intolerandum fuisse ostendimus, quando totam vobis historiam legimus : sæpiusque beatum Danielem induximus pallentem, trementem, neque melius affectum, quam ii, qui deficiunt, quorumque anima vincula carnis abrumpere festinat. Sicut enim columba domestica et mansueta, in domuncula

habitans, si strepitu terreatur, expavefacta in tectum avolat, et per fenestras exitum quærit, ut sese ab angustia eximat; sic beati illius viri anima, ex corpore egredi et externa petere gestiebat; exiissetque plane, atque avolasset, corpusque vacuum reliquisset, nisi statim Angelus prævertisset, eamque ab angustia liberasset, inque proprium sibi domicilium reduxisset. Idcirco autem hæc tunc dicebam, ut ediscerent illi, quantum Angelus homini præstet, et ex conservi præcellentia emendati, contra Dominum insanire cessarent. Justus ille vir, tanta præditus fiducia Angeli conspectum non tulit, et hi, qui tantum ab illius virtute remoti sunt, non Angelum, sed ipsum Angelorum Dominum curiose scrutantur : ille leonum ferocitatem edomuit; nos ne vulpes quidem vincere possumus; ille draconem medium disrupit, feræque naturam superavit, sua in Deum fiducia fultus, nos minutissima quoque reptilia formidamus; ille regem instar leonis furentem, iramque Nabuchodonosoris omni flamma vehementiorem in barbaros exercitus ruentem, accedens compressit, et tenebris offusa omnia illustravit. Attamen hic, qui lucem attulerat, Angelum venientem intuitus, caligine gravi interceptus est. Quam igitur excusationem afferent ii, qui beatam illam perlustrare naturam conantur? Nos vero non hic finem loquendi fecimus, sed ad sapientes illas Virtutes orationem transtulimus, oculos earum aversos ostendimus, obtensas alas, erecta crura, clamorem perpetuum, et quomodo illæ incorporeæ Virtutes stupore et admiratione capti animi signa præbeant : quanto enim sapientiores, quanto nobis propinquiores sunt ineffabili illi beatæque substantiæ, tanto magis incomprehensibilitatem norunt: magnitudo quippe sapientiæ, magnitudinem pietatis efficit. Diximus vobis quid inaccessibile sit, et quod illud multo majus sit incomprehensibili: cujus rei causam adjecimus,

quia scilicet incomprehensibile post examen incomprehensibile esse deprehenditur: inaccessibile vero examen non patitur, ac ne quidem adeundi principium, ubi et pelagi exemplo opus habuimus. Addidimus non dixisse Paulum, Deum esse lucem inaccessibilem, sed lucem habitare inaccessibilem: quod si domus ipsa sit inaccessibilis, multo magis qui in illa habitat Deus. Hæc porro dixit Paulus, non ut Deum loco circumscriberet, sed ut magis magisque liqueret Deum nec cogitari nec adiri posse. Alias item Virtutes induximus, nempe Cherubim, declaravimusque quomodo supra illas sit firmamentum, lapis crystalli, similitudo throni, et species hominis, electrum, ignis, arcus, et quod post hæc omnia Propheta dicat, « Hæc visio » similitudinis Domini :[1] » atque ex his omnibus Dei attemperationem vobis demonstravimus, eamque tamen ejusmodi, quæ nec a supernis Virtutibus ferri possit.

II. Hæc non sine causa repeto; sed quia me promissi debitorem novi, scire volo, quid solverim, quidque solvendum supersit. Sic et æris alieni debitores faciunt, tabellas in medium proferunt, ubi debiti ratio descripta, quibus fœneratori exhibitis, residua numerant. Ego similiter, aperto memoriæ vestræ libro, atque iis, quæ jam soluta sunt quasi digito demonstratis, ad reliqua demum propero. Quid igitur residuum erat? ut ostenderemus, neque Principatus, neque Potestates, neque Dominationes, neque aliam ullam creatam Virtutem esse, quæ Deum perfecte comprehendat. Sunt enim sine dubio et aliæ Virtutes, quarum ne nomina quidem novimus. Perpendite insanam hæreticorum arrogantiam, ne servorum quidem nomina novimus, et ipsam Domini substantiam perscrutantur. Sunt enim Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus et Potestates. At non hi soli in cœlo

[1] Ezech. II, 1.

sunt populi, sed infinitæ gentes, tribus innumeræ, quas nullus sermo declarare potest. Undenam constat plures esse Virtutes, quarum nomina ignoramus? Paulus qui illa dixerat hoc etiam docet, ita de Christo loquens : « Cons-» tituit eum super omnem Principatum, et Potestatem et » Virtutem, et omne nomen quod nominatur non solum in » hoc sæculo, sed etiam in futuro [1]. » Videtis aliqua illic esse aliquando cognoscenda, quæ nunc ignota sunt? Ideo dixit, quæ non modo in hoc sæculo nominantur, sed etiam in futuro. Ecquid mirum si substantiam non perfecte comprehendunt? Illud enim demonstrare non arduum est. Nam dispensationum ejus multas ne quidem supernæ Virtutes norunt, nec Principatus, Potestates et Dominationes. Idque rursum ex apostolicis verbis planum faciemus, nempe multas ex divinis dispensationibus nobiscum edidicisse, quas ante quam nos disceremus ignorabant. Non solum autem nobiscum didicerunt, sed etiam a nobis ipsis : « Aliis, inquit, generationibus non est, si-» cut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis » in spiritu, esse gentes cohæredes et concorporales, et » comparticipes promissionis ejus [2]. » Promissiones autem Judæis datæ fuerant : « Per Evangelium, cujus factus sum » ego Paulus minister. » Undenam ostenditur supernas Virtutes id tunc edidicisse? nam quæ dicta sunt ad homines spectant. Audi : « Mihi omnium hominum minimo data est » gratia hæc evangelizare omnibus investigabiles divitias » Christi [3]. » Quid est investigabile ? Quod perquiri nequit, nec modo reperiri non potest, sed neque investigari. Audiant quam creba adversum se jacula a Paulo emittantur? Nam si divitiæ investigabiles sunt, quomodo is, qui largitur divitias, non investigabilis sit ? « Et illuminare omnes » quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in » Deo ; ut manifestetur nunc Principatibus et Potestatibus

[1] Ephes. I, 21. — [2] Id. III, 5. — [3] Ibid. 8.

» per Ecclesiam multiformis sapientia Dei [1]. » Audis quod nunc, non ante, illæ Virtutes hæc cognoverint? Nam quæ rex consultat, satelles nescit : « Ut manifestetur nunc Prin» cipatibus et Potestatibus per Ecclesiam multiformis sa» pientia Dei. » Vide quantum honoris humanæ naturæ collatum sit, quando nobiscum et per nos supernæ Virtutes Regis secreta cognoverunt. Sed undenam pateat de cœlestibus illis dici, etenim dæmonas etiam interdum vocat Principatus et Potestates, ut cum dicit : « Non est nobis » colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus » Principatus et Potestates, adversus mundi rectores te» nebrarum sæculi hujus [2]. » Numquid ergo id nunc etiam dicit, nempe dæmonas tunc cognovisse? Nequaquam; sed de supernis illis agit Virtutibus : cum enim dixisset, Principatus et Potestates, adjecit, In cœlestibus. Illi namque Principatus et Potestates, cœlestes; hi vero sub cœlo sunt : quamobrem rectores mundi vocat illos, ostendens cœlum ipsis inaccessum esse : totamque eos suam tyrannidem in hoc solum mundo exercere.

III. Vidisti-ne quo pacto nobiscum et per nos illa cognoverint? Sed ad debitum illud solvendum veniamus, ac probemus neque Principatus neque Potestates ipsius substantiam nosse. Quis hoc dicit? Non jam Paulus aut Hesaïas, aut Ezechiel, sed aliud vas sanctum, ipse tonitrui filius, dilectus Christi Joannes, qui supra pectus Dominicum recubuit, et divinos inde fontes hausit. Quid igitur ait? « Deum nemo vidit unquam [3]. » Vere tonitrui Filius, nam tuba clariorem emisit vocem, quæ possit contentio sos omnes confundere. Sed videamus quid contra objici possit. Quid, quæso, dicis, Joannes, « Deum nemo vi» dit unquam? » Quid de Prophetis agamus, qui dicunt, « Vidi Deum? » Hesaïas enim; « Vidi Dominum, inquit, » sedentem super solium excelsum et elevatum [4]; » Da-

[1] Ephes. III, 10. — [2] Id. VI, 12. — [3] I Joan. IV, 12. — [4] Isaï. VI, 1.

nisi vero : « Vidi donec throni positi sunt, et Antiquus » dierum sedit [1] ; » Michæas item : « Vidi Dominum Deum » Israël sedentem super solium suum [2] ; » alius rursum Propheta dicit : « Vidi Dominum stantem super altare, et dixit » mihi, Percute super Propitiatorium [3]. » Multa sane hujusmodi testimonia colligi possunt. Cur ergo Joannes ait, « Deum nemo vidit unquam [4] ? » Ut ediscas eum de perfecta comprehensione et clara cognitione loqui. Quod enim illa omnia per attemperationem facta sint, neque puram illius substantiam quisquam illorum viderit, hinc palam est quod varie quisque viderit. Etenim Deus simplex est, incompositus, et figuræ expers ; illi vero figuras viderunt varias. Hoc ipsum per alium Prophetam ostendit, ipsisque persuadet se non perfectam substantiam vidisse, his verbis : « Ego visiones multiplicavi, et in manibus Prophetarum » assimilatus sum [5] : » non ipsam meam substantiam ostendi, sed videntium infirmitati me attemperavi. Joannes ergo non de hominibus hoc dicit, « Deum nemo vidit unquam : » id enim liquet cum ex iis, quæ dicta sunt, propheticis nempe verbis, « Ego visiones multiplicavi, et in manibus » Prophetarum assimilatus sum ; » tum ex sententia Moysi prolata ; cum enim ille Deum facie ad faciem videre cuperet, ait Deus : « Nemo videbit faciem meam, et vivet [6]. » Liquidum itaque illud, atque in confesso est. Non ergo de humana natura tantum, sed etiam de supernis Potestatibus hoc ait, « Deum nemo vidit unquam, » quamobrem ipsum quoque Unigenitum hujus doctrinæ præceptorem inducit. Ne quis enim diceret, Undenam id liquet ? adjecit : « Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, » ipse exposuit, ac fide dignum dogmatis testem doctoremque inducit. Atqui si idipsum quod Moyses hic significare vellet, frustra

[1] Dan. VII, 9. — [2] 3 Reg. XXII, 19. — [3] Amos. IX, 1. — [4] 1 Joan. IV, 12. — [5] Osee. XII, 10. — [6] Exod. XXXIII, 16.

adjiceret, « Unigenitus exposuit. » Sed etiam prius, quam Joannes hæc quasi doctus ab Unigenito diceret; id nobis Propheta declarasset, utpote qui a Deo accepisset. Sed quia plus aliquid, quam tunc dictum fuisset, nobis revelaturus erat, nempe, ne supernas quidem Virtutes ipsum videre, ideo Unigenitum doctorem inducit. Visionem porro hic cognitionem esse intellige. Neque enim pupillæ, oculi, palpebræ incorporeis insunt Virtutibus; sed quod nobis est visio, ipsis est cognitio. Itaque cum audis, « Deum » nemo vidit unquam, » Id intellige, nullum esse qui Deum substantialiter omnino perfecte cognoscat. Ac de Seraphim cum audis ea oculos avertisse, et vultum obtexisse, deque Cherubim, ea idem ipsum fecisse, ne oculos vel pupillas ipsa habere putes, corporis enim est hujusmodi forma, sed his a Propheta cognitionem significari crede. Cum itaque Propheta dicit, illas Virtutes Deum quamvis sese attemperantem non ferre potuisse, nihil aliud significat, quam ejus cognitionem claram et accuratam, comprehensionemque ferre non posse, neque audere puram illam perfectamque substantiam intueri; ne quidem cum sese attemperat. Nihil autem aliud est intueri, quam cognoscere. Quamobrem Evangelista, compertum habens humanæ non esse naturæ talia scire, neque supernis ipsis Virtutibus comprehensibilem esse Deum, eum ipsum, qui in dextera ejus sedet, et hæc perfecte novit, hujus doctrinæ præceptorem inducit. Neque simpliciter dixit, Filius, quamvis si ita locutus esset, satis id fuisset ad ora impudentium hominum obturanda. Sicut enim multi Christi dicuntur, unus autem verus Christus est; et multi domini dicuntur, unus vero Deus; sic et multi filii dicuntur, unus vero filius, atque ipsa articuli additio Unigeniti præcellentiam satis indicat. Attamen ea re non contentus, cum dixisset, « Deum nemo vidit unquam, » subjunxit, Unige-

» nitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse exposuit. » Primo dixit, « Unigenitus, et postea Filius. » Cum enim propter nominis communitatem, gloriam ejus plerique minuant, unum inter multos illum esse rati; Filii quippe nomen omnibus commune est : ideo quod est ipsi præcipuum et peculiare, ad nullumque alium pertinet, præposuit, nempe « Unigenitus; » ut hinc credas, vel commune illud, non vere commune esse, sed ipsi proprium et peculiare, neminique aliorum ut illi convenire.

IV. Utque clarius id evadat, rem fusius explicabo. Nomen illud, « Filius, » et hominibus et Christo convenit; sed nobis abusu quodam; illi vero, proprie : illud autem, « Unigenitus, » ipsi proprium est, neminique aliorum et abusive tribuitur. Ut igitur ab appellatione, nemini competente, præterquam ipsi soli, etiam aliam, quæ multis tribuitur, ipsi propriam esse putares, ideo prius dixit, « Unigenitus, » posteaque « Filius. » Quod si ne hæc quidem tibi satis sint, tertium addam, illudque crassum et humanum, sed quod possit tamen humi repentes ad gloriæ Unigeniti notitiam reducere. Quid illud est? « Qui est » in sinu Patris. » Crassum illud verbum est, sed quod satis sit ad genuinam rationem commonstrandam, si quemadmodum Deo deceat intelligatur. Sicut enim cum thronum audis et sedem a dextris, non vere thronum opinaris, nec locum, nec circumscriptionem; sed a throni appellatione, et a sedis societate, honoris æqualitatem paritatemque intelligis; sic et cum sinum audis, ne sinum putes esse, neque locum; sed a sinus voce propinquitatem et fiduciam apud genitorem cogita. Nam quod in sinu versetur, id clarius nobis quod Genitori propinquus sit demonstrat, quam quod a dextris sedeat. Neque enim Pater in sinu suo esse Filium pateretur, nisi ejusdem substantiæ esset, neque ipse Filius, si inferioris esset naturæ,

in paterno sinu versari sustineret. Ut Filius ergo et Unigenitus, atque in sinu paterno versans, omnia quæ Patris sunt perfecte novit. Quapropter his Evangelista verbis est usus, ut Filii accuratam, quam de Patre habet, cognitionem declararet: nam de cognitione sermo erat. Quod nisi ita esset, cur sinus memoratur? Nam si Deus non sit corpus, ut vere non est, neque genuinitas et propinquitas Filii erga Genitorem significetur, frustra ac sine causa hoc dictum injectum fuit, cum nullius nobis sit usus. Verum non frustra injectum est: absit; neque enim temere Spiritus loquitur; sed propinquitatem Filii erga Patrem significat. Cum enim rem magnam asseruisset Evangelista, quod neque superna creatura ipsum videat, id est, perfecte cognoscat, ut fide dignum hujus rei doctorem adduceret, hæc verba protulit, ut ipsi tanquam Filio et Unigenito in sinuque paterno versanti, in omnibus fidem haberes, neque ulterius dubitares. Si quis vero nec contentiose nec impudenter agere velit, idipsum æternitatem comprobare dixerim. Quemadmodum enim ex illo ad Moysen dicto, « Ego sum qui sum [1], » æternitatem ediscimus; sic et ex illo, « Qui est in sinu Patris, » ipsum ab æterno in sinu Patris esse arguere possumus. Quod itaque creaturæ cuilibet substantia Dei sit incomprehensibilis his omnibus demonstratum est. Restat ut ostendamus Filium et Spiritum sanctum duntaxat illum accuratissime cognoscere. Verum ea re ad aliam disputationem remissa, ne dictorum copia memoriam confundamus, ad solitam exhortationem sermonem convertamus. Quænam illa solita exhortatio? Ut assiduæ orationi mente sobria vigilique animo incumbamus. Etenim nuper hac de re vos allocutus, omnes vidi prompto animo morem gerere. Absurdum sane esset, si cum segniores vos video objurgem,

[1] Exod. III, 11.

cum vero recte agitis non laudem. Laudare igitur vos hodie volo gratiasque vobis illius obsequentiæ reddere: gratias autem ita reddemus, si vos docuerimus, qua de causa hæc oratio cætera præcedat, et cur dæmoniacos, ac mente captos tunc diaconus induci, et capita inclinare jubeat. Cur ergo sic agit? Mala gravisque catena est agitatio dæmonum; catena, inquam, ferro validior. Quemadmodum igitur judice proditurο, ut in excelso tribunali sedeat, carceris custodes, detentos omnes eductos domicilio, ante cancellos et tribunalis vela collocant, squallidos, sordentes, passis capillis, scissis pannis indutos; ita Patres faciendum statuerunt, quando futurum est ut Christus ceu in excelso tribunali sedeat, in ipsisque mysteriis appareat, ut scilicet dæmoniaci, quasi vincti quidam inducantur; non ut pœna supplicioque afficiantur; sed ut populo urbeque tota intus præsente communes supplicationes fierent, omnibus animo uno communem Dominum illorum gratia precantibus, magnaque voce misericordiam poscentibus.

V. Talem igitur orationem deserentes increpabam, qui illo tempore foris versabantur. Nunc eos, qui intus manent, incusare volo; non quod maneant, sed quod intus positi, nihilo melius, quam ii qui absunt, se habeant, dum horrendo illo tempore, mutuo confabulantur. Quid agis, o homo? Tot ex fratrum tuorum numero vinctos prope cernis, et tu de rebus nihil ad te pertinentibus fabularis? An vel ipse solus rei aspectus non te potest deterrere et ad misericordiam pertrahere? Frater tuus in vinculis, et tu in segnitie versaris? Qua, quæso, venia dignus eris, sic inhumanus, immisericors, durus? Annon times ne te confabulantem, segniter agentem, negligentem, dæmon quispiam inde exiliens, vacantem scopisque mundatam animam tuam facile invadat, reserata domo reperta? An-

non oporteret omnes illo tempore lacrymas effundere, madentibus esse oculis, fletus gemitusque per Ecclesiam audiri? Post mysteriorum communionem, post lavacri fructum, post initam cum Christo societatem, lupus ille potuit ex ovili agnos rapere, et penes se retinere; tu vero tantam cernens calamitatem, non lacrymaris? Quo pacto hæc possint excusari? Non vis fratris vicem dolere? saltem pro te metue et expergiscere. Si vicini tui domum conflagrare videres, etiamsi is omnium tibi inimicissimus esset, annon accurreres, ut incendium restingueres, veritus ne incendium paulatim serpens fores tuas invaderet? Idipsum in dæmoniacis cogita, nam dæmonum agitatio ceu incendium quoddam exitiosum est. Cave ergo ne dæmon ultra progressus animam invadat tuam: ac cum præsentem videris, diligenter ad Dominum confugias; ut cum dæmon te animo ferventi excitatoque viderit, nullum sibi apud te aditum esse intelligat. Si enim te oscitantem et segnem viderit, ut desertum diversorium invadet; sin vigilantem, et intentum, cœlisque hærentem, ne intueri quidem audebit. Itaque si fratrem non curas, saltem tibi consule, animæque tuæ aditum maligno dæmoni occlude. Nihil autem perinde ipsi ingressum ad nos occludere solet, atque oratio et supplicatio assidua. Nam quod diaconus omnibus præcipiat his verbis: « Erecti stemus probe[1], » non frustra temereque statutum est; sed ut humi repentes cogitationes erigamus, utque segnitiem sæcularibus curis partam ejicientes, rectam coram Deo animam nostram statuere possimus. Quod autem hoc verum sit, quodque non corpus hæc verba respiciant, sed animam, quam erigere jubemur, audiamus Paulum, eodem modo illa loquendi formula usum. Cum enim lapsis, et ærumnarum mole pene desperantibus scriberet, dicebat: « Solutas

[1] Liturgiæ verba.

» manus et soluta genua erigite [1]. » An dixerimus illum de manibus et genibus corporeis loqui? Minime : neque enim homines cursui et certaminibus deditos alloquitur, sed vires cogitationum a tentationibus prostratas his verbis excitare jubet. Cogita cui proxime astes, ac quibuscum Deum invocaturus sis, scilicet cum Cherubim. Animadverte quos habeas socios, idque tibi ad vigilantiam satis erit, cum tecum reputaveris te carne indutum et corpore cum incorporeis Virtutibus ad communem Dominum celebrandum ascribi dignari. Nemo igitur animo resoluto sacras illas et mysticas laudes adeat; nemo sæculares tunc temporis cogitationes in mente verset : sed terrenis omnibus expulsis, in cœlum se totum transferat, ac quasi ad thronum gloriæ admotus, cum Seraphim volaret, sic sanctissimum hymnum, magnifico gloriosissimoque Deo emittat. Ideo tunc temporis probe stare jubemur. Probe namque stare nihil aliud est, quam ita stare, ut decet hominem astare Deo; nempe cum horrore et tremore, cum animo vigili et diligenti. Nam hoc quoque dictum ad animam pertinere Paulus rursum significavit his verbis, « Sic » state in Domino, charissimi[2]. » Quemadmodum enim sagittarius si recte tela fundere velit, primo gradum stationemque componat oportet; deinde e regione scopi diligenter positus tela jacere nititur: sic et tu infestum diaboli caput telis impetiturus, cogitationum statum primo cures, ut rectum sine obice gradum statuens, probe contra illum tela emittas.

VI. Et hæc quidem de oratione. Quia vero præter segnitiem in orando, aliud quidpiam admodum perniciosum diabolus excogitavit, hic quoque aditus ipsi præcludendus est. Quid ergo mali machinatus est improbus ille dæmon? Vos cernens tanquam uno corpore compactos,

[1] Hebr. XII, 12. — [2] Philip. IV, 1.

multoque studio dictis attendentes, non ausus quidem est ex ministris suis aliquos mittere, qui vos consilio, hortatuque suo a concionibus abducerent : gnarus vestrum neminem tale consilium admissurum esse : sed quosdam latrunculos et marsupiorum sectores multitudini immiscuit, curavitque ut multis hic congregatis, aurum, quod ligatum servabant, subriperetur, quod sæpe multisque contigit. Ne igitur ita semper contingat, neve pecuniarum jactura audiendi studium extinguat, multis in tale damnum incidentibus ; hortor vos auctorque sum vobis omnibus, ne aurum huc afferatis, ne vestrum auscultandi studium ansam illis præbeat male agendi ; neve voluptas, quam hic versantes percipitis, auri furto obturbetur. Etenim id diabolus molitur, non ut vos pauperiores reddat, sed ut pecuniæ jactura, mœrorem pariens, ab auscultandi cupiditate vos abducat. Nam et Job, non ideo bonis omnibus spoliavit, ut pauperiorem efficeret, sed ut a pietate deturbaret : non illi scopus erat, ut pecunias auferret, quippe qui nihil id esse sciret ; sed ut facultatum dispendio in peccatum induceret. Quod quidem si facere nequeat, nunquam se rem bene gessisse putabit. Cum ergo ejus scopum tencas, charissime, cum te vel furum opera, vel alia quavis ratione auro mulctaverit, gloriam Domino referas, et amplius lucratus fueris, duplicemque ipsi plagam infliges, quod non moleste tuleris, quodque gratias egeris. Nam si te viderit damno pecuniarum frangi, eoque adduci ut Domino irascaris, nunquam finem faciet id agendi ; sin advertat te non modo non blasphemare Deum, qui te creavit, sed etiam ipsi de jactura gratias agere, a tentationibus inferendis absistet , gnarus molestiarum experimentum tibi gratiarum actionis argumentum esse, ac splendidiorem tibi coronam pluraque præmia parere. Quod etiam ipsi Job accidit. Cum enim, sublatis opibus, vulne-

ratoque corpore, vidit illum gratias agere, non ultra ipsum aggredi ausus est; sed turpi et ignominiosa clade profligatus abscessit, cum Dei athletam illustriorem reddidisset. Hæc igitur cum sciamus, unum duntaxat metuamus, peccatum nempe: cætera vero strenue toleremus, sive pecuniarum jacturam, sive corporis ægritudinem, sive calamitates, sive damna et sycophantias, sive aliud quidpiam molestum inferatur. Hæc quippe natura sua, non solum nos detrimento afficere nequeunt, sed etiam admodum juvabunt, dum gratias agendo feramus, majoremque nobis afferent mercedem. Vides quippe ipsum Job, postquam patientiæ et virtutis corona redimitus est, ea quæ amiserat dupla recepisse. Tu vero non dupla, aut triplicia, sed centupla omnia recipies, si generose feras, et vitam æternam in hæreditatem accipies, quam utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

De incomprehensibili, contra Anomœos.

I. Qui prolixius argumentum, multisque sermonibus egens aggressurus est, quod non uno duobus tribusve, sed longe pluribus diebus absolvere possit, huic expedire puto, ut non totam confertim doctrinam in auditorum animos effundat, sed ut totum plures in partes dividendo, hac distributione levius reddat orationis onus. Nam lingua, auditus, et sensuum nostrorum singuli, modum, regulas terminosque habent, quos si quis transgredi velit, a præ-

sente sibi facultate dejicitur. Quid enim, quæso, luce dulcius? Quid radio jucundius? Attamen hæc suavitas, hæc voluptas, si ultra modum in oculis versetur, gravis molestaque efficitur. Quamobrem Deus diei noctem succedere voluit, ut fatigatos oculos, demissis palpebris operiret, pupillas sopiret, laborantemque vim oculorum quieti daret; et ad sequentis diei officium aptiorem redderet. Ideo vigilia et somnus inter se contraria, ex moderato usu parem jucunditatem afferunt, cumque lucem suavem vocemus, suavem pariter vocamus somnum qui nos abducit a luce. Ita immoderatus usus, ubique gravis molestusque est; moderatus contra, dulcis, utilis et suavis. Idcirco nos quartam quintamve diem emensi (14), ex quo de incomprehensibili agere cœpimus, ne quidem hodie disputationem absolvere destinavimus, sed postquam ea quæ satis sint Vestræ Charitati disseruerimus, rursus menti vestræ inducias dare decrevimus. Ubinam ergo nuper disputandi finem fecimus? Nam inde sermonem resumere convenit, una siquidem est doctrinæ series. Dicebamus tunc hæc esse Filii tonitrui verba, « Deum nemo » vidit unquam : Unigenitus filius, qui est in sinu Patris » ipse exposuit [1]. » Hodie quo loco ipse Unigenitus Filius exposuerit dicere operæ-pretium erit. «Respondit, inquit, » Judæis et dixit : Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, » qui est ex Deo, hic vidit Patrem [2]. » Visionem hic rursus cognitionem appellat : nec simpliciter dixit, Nemo vidit Patrem, posteaque tacuit, ne quis de hominibus tantum hæc eum dixisse putaret, sed cum ostendere vellet neque Angelos, neque Archangelos, neque supernas Virtutes eum videre posse, id additamento illo palam fecit: cum enim dixisset, « Patrem nemo vidit unquam, subjunxit, » nisi is qui est ex Deo ; hic vidit Patrem. » Si enim simpli-

[1] Joan. I, 18. — [2] Id. VI, 46.

citer dixisset, « Nemo, » multi ex auditoribus id de natura tantum nostra dictum putassent : jamvero, cum postquam dixerat, « Nemo, » addat, « Nisi Filius, » hoc Unigeniti additamento omnem creaturarum exclusit : Quid ergo dices, numquid et Spiritum sanctum? Nequaquam, neque enim ille pars creaturarum est. Illud vero, « Nemo, » ad creaturarum tantum discrimen semper ponitur. Nec si de Patre dicatur, Filium excludit, nec si de Filio, Spiritum sanctum. Ut autem vel inde demonstrem illud, « Nemo, » non ad Spiritus sancti, sed ad creaturæ exclusionem dictum esse, de eadem ipsa cognitione, quam solius Filii esse dicit, audiamus quid voce, « Novit, » adhibita Paulus Corinthiis dicat : « Quis enim novit quæ sunt hominis, » nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Ita et quæ Dei sunt » nullus cognovit, nisi Spiritus Dei[1]. » Sicut igitur hic vox illa, « Nemo, » non excludit Filium; sic et cum de Christo dicitur, vox eadem, « Nemo, » non excludit Spiritum sanctum. Patet ergo verum esse quod diximus. Si enim cum dicitur, « Nemo novit Patrem, nisi is qui ex Deo est, » Spiritus sanctus excluderetur, frustra Paulus diceret, sicut homo quæ sua sunt novit, sic et Spiritus sanctus quæ sunt Dei accurate novit. Eodem quoque modo vox illa, « Unus, » dicitur, eamdem quippe vim et potestatem habet. Illud vero consideres velim, « Unus Deus Pater, inquit, ex quo omnia : » et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia[2]. » Nam si eo quod unus dicatur esse Deus Pater, Filius a deitate excluderetur, etiam quod unus dicatur Dominus Filius, Pater a dominatione excluderetur : atqui quod dicatur, Unus Dominus Jesus Christus, id Patrem non excludit a dominatione; ergo neque Filius excluditur a deitate cum dicitur, Deum esse Patrem.

II. Quod si iterum dicant, ideo Patrem unum Deum

[1] 1 Cor. II, 11. — [2] Id. VIII, 6.

dici, quod Filius, licet Deus, non talis tamen Deus sit, qualis Pater, ex eorum distinctionibus illud dicendum relinquitur, neque enim nos id unquam dixerimus, nempe ideo Filium vocari Dominum, quia licet Pater sit Dominus, non tamen talis Dominus, qualis Filius est. Quod si hoc impium est; neque prius illud dici possit. Sed quemadmodum illud, Unus Dominus, non excludit Patrem a perfecta dominatione; neque uni tantum Filio illam ascribit; ita neque illud, « Unus Deus, » Filium excludit a vera, germana et sincera deitate, neque ad Patrem solum pertinere ostendit. Quod enim Deus Deus sit Filius, et talis Deus, qualis Pater, dum tamen Filius manet, ex ipso additamento liquidum est. Nam si illud nomen, Deus, Patris tantum esset, neque aliam nobis hypostasin significare posset, nisi illam solum ingenitam et primam; utpote illi soli proprium et ejus « Significativum, » Patris additamentum superflue jaceret. Satis enim esset dixisse, « Unus » Deus, » ut de quo diceretur intelligeremus: sed quia illud nomen, Deus, commune est Patri et Filio, et cum Paulus dicens, « Unus Deus, » non significaret de quo loquatur; ideo Patris additamento usus est, ut indicaret se de prima et ingenita hypostasi loqui, quod solum Dei nomen ipsam declarare non posset : quia illud commune sit etiam Filio : nomina quippe alia sunt communia, alia propria. Communia, ut non differre substantiam ostendatur; propria, ut proprietas hypostasium declaretur. Illud itaque, Pater et Filius, alterutrius hypostaseos proprium est; illud vero, Deus et Dominus, commune est. Quia igitur commune nomen posuit, « Unus Deus, » proprio nomine opus habuit, ut cognosceres de quo loqueretur, ne in Sabellii insaniam incideremus. Quod enim illud nomen, « Deus, » majus non sit illo, « Dominus; » neque illud, « Dominus, » majus illo, « Deus, » hinc manifestum est. In Veteri Testamento Pa-

ter frequenter Dominus vocatur : « Dominus Deus, inquit, » Dominus unus est[1] : » ac rursum, « Dominum Deum » tuum adorabis, et illi soli servies[2] : » itemque, « Magnus » Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus » non est numerus[3] ; « iterumque, « Cognoscant quia no- » men tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra[4]. » Atqui si illa vox minor esset voce, « Deus, » et indigna illa substantia, non dicendum erat, « Cognoscant quia nomen » tibi Dominus. » Rursum si vox illa, « Deus, » major esset illa, « Dominus, » et honorabilior, non oporteret Filium, secundum illos minorem, nomine, quod Patri conveniat, vocari, siquidem illi soli proprium esset. At non ita sane res se habet. Neque enim Filius Patri inferior, neque Domini nomen, nomine Dei vilius. Quamobrem et de Patre et de Filio indiscriminatim his apellationibus utitur Scriptura. Quemadmodum igitur audistis Patrem Dominum appellari, age ostendamus Filium etiam Deum vocari : « Ecce » virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen » ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus[5]. » Vidisti et Patri nomen illud, « Dominus, » et Filio nomen illud « Deus » ascribi. Quemadmodum enim illic ait ; « Cognos- » cant quia nomen tibi Dominus [6] ; » sic et hoc loco dicit, « Vocabunt nomen ejus Emmanuel, » ac rursum, « Puer na- » tus est nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen » ejus, magni consilii Angelus, Deus fortis, potens [7]. » Animadverte mihi Prophetarum prudentiam, spiritualemque sapientiam. Nam ne simpliciter dicentes « Deum, » de Patre loqui putarentur, œconomiam *i.* incarnationem, prius commemorarunt : neque enim Pater de Virgine natus est, neque puer fuit. Rursus alter Propheta, sic de ipso loquitur : « Hic Deus noster, non æstimabitur alius adversus

[1] Exod. xx, 1. — [2] Deut. vi, 13. — [3] Psal. cxlvi, 5. — [4] Id. lxxxii, 19. — [5] Isaï. vii, 14. — [6] Psal. lxxxii, 19. — [7] Isaï. ix, 6.

» eum. » De quonam hæc ait? Num de Patre? Nequaquam. Audi enim quo pacto et ipse œconomiam memoret : cum enim dixisset, « Hic Deus noster, non æstimabitur alius » adversus eum, ita pergit, invenit omnem viam scientiæ, » et dedit eam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo. Post » hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus » est[1]. » Paulus vero : « Ex quibus Christus secundum car- » nem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, » Amen[2] : » et rursum, « Omnis fornicator, aut avarus non » habebit hæreditatem in regno Christi et Dei[3] : » iterum- que, « Per adventum magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu » Christi[4]. » Joannes quoque sic nominat eum cum dicit, « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » et Deus erat Verbum[5]. »

III. Hoc fateor, inquies, sed illud ostende, Ubinam cum Patre Filium conjungens, Dominum Patrem appellet. Ego vero non id tantum ostendam, sed etiam, quod Dominum Patrem, et Dominum Filium appellet, etiamque Patrem Deum et Filium Deum, utraque simul nomina ponens. Ubinam hæc reperiuntur? Cum Judæis aliquando disputans Christus ait : « Quid vobis videtur de Christo? » cujus filius est? Dicunt ei, David. Dicit eis : Quomodo » ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens : » Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis[6]? » Ecce Dominus et Dominus. Vis-ne discere ubi Patrem et Filium simul positos Deum et Deum vocet? audi prophe- tam David et apostolum Paulum hoc ipsum nobis declarantes : « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, Virga » directionis, Virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti » iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo » lætitiæ præ consortibus tuis[7]. » Paulus rursum hoc tes-

[1] Baruc. III, 37. — [2] Rom. IX, 5. — [3] Ephes. V, 5. — [4] 2 Tim. I, 10. — [5] Joan. I, 1. — [6] Matth. XXII, 43. — [7] Psal. XLIV, 8, et Hebr. I, 8.

timonium adducit his verbis : « Ad Angelos quidem dicit: » Qui facit Angelos suos spiritus, ad Filium autem : Thro- » nus tuus, Deus, in sæculum sæculi[1]. » Qua de causa hic, inquit, Deum Patrem vocavit, Filium verum Dominum? Non temere, neque frustra id hoc loco fecit; sed quia adversus Gentiles agebat deorum multiplicitatis morbo laborantes. Ne itaque ipsi dicerent : Dum nos incusas quod multos deos dicamus, et multos dominos, tu ipse iisdem criminibus obnoxius deprehenderis, dum deos, non Deum dicis. Ideo illorum infirmitati sese attemperans, Filium, vim eamdem habentem, alio nomine vocavit. Quod autem illud sit verum, si locum altius repetamus, clare intelligetis, non ex nostra quippe conjectura loquimur : « De » iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quoniam » omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero » ædificat. De escis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus » quoniam nihil est idolum in mundo : et quoniam nullus » Deus nisi unus[2] ? » Vides eum adversus eos loqui, qui plures deos esse putarent? « Nam et si sunt multi, qui » dicuntur dii, et domini multi, sive in cœlo, sive terra[3] ; » rursus eos ita impugnat : « Ut certe sunt dii multi, et do- » mini multi; » id est, qui sic dicuntur, « Nobis tamen » unus Deus Pater, ex quo omnia : et unus Dominus Jesus » Christus, per quem omnia. » Ideo illud etiam, « Unus, » adjecit, ne rursum illi multiplicitatem deorum induci putarent : unumque Deum Patrem vocavit, non ut ejiceret Filium a deitate; sicut et Filium, unum Dominum, non ut ejiceret Patrem a dominatione, sed ut illorum infirmitatem emendaret, nullamque illis præberet ansam. Quod ipsum in causa fuit cur Judæis, non clare et manifeste, sed obscure raroque Filius Dei a Prophetis significaretur. Cum enim nuper ab errore plurium deorum abducti es-

[1] Hebr. I, 7. — [2] 1 Cor. VIII, 1, et seqq. — [3] Ibid. 5.

sent; si rursum audissent, deum et deum, rursus in eumdem recidissent morbum. Ideo frequenter Prophetæ dicunt, « Unus est Deus, et præter eum nullus est[1]. » Non quod Filium negent; absit, sed ut illorum infirmitatem curarent, ipsisque interim suaderent, ut a multorum nec vere existentium deorum opinione absisterent. Cum igitur audies, « Unus, » et « Nullus, » et similia, ne Trinitatis gloriam minuas, sed quanto intervallo a creatura distet hinc ediscas. Etenim alibi quoque dicit : « Quis enim novit » sensum Domini[2] ? » Quod autem ne hic quoque Filium vel Spiritum sanctum ab illa cognitione excludat, jam supra demonstratum est, quando hoc testimonium adduximus : « Quis enim novit quæ sunt hominis, nisi spi- » ritus hominis, qui est in ipso? ita et quæ Dei sunt nullus » cognovit, nisi spiritus Dei[3] : » ac rursum Filius ait : « Nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis » novit, nisi Filius. » Sic et hoc loco : « Non quia Patrem » quis vidit, nisi qui est ex Deo : hic vidit Patrem[4]. » Simul enim et perfecte illum nosse, et causam cur cognoscat, apponit. Quænam hæc causa? quoniam ex eo est : ex eo autem esse rursum demonstratur ex eo, quod ipsum cognoscat. Idcirco autem illum clare novit, quia ex ipso est. Signum vero quod ex ipso sit illud est, quod clare cognoscat ipsum. Substantia quippe substantiam superiorem non probe nosse potest, etiamsi parvo intervallo distet. Audi enim quid de Angelis Propheta dicat, simulque de humana natura, quod modicum sit inter utramque naturam discrimen. Cum enim dixisset, « Quid est homo, » quod memor es ejus? aut Filius hominis, quoniam reputas » eum? » adjecit : « Minuisti eum paulo minus ab Angelis[5]. » Attamen licet paulum sit discriminis, quia tamen

[1] Deut. VI, 10. — [2] Isaï. XL, 13. — [3] Rom. XI, 34, et 1 Cor. II, 11. — [4] Luc. X, 22. — [5] Psal. VIII, 5, 6.

aliquod interest discrimen, Angelorum substantiam non accurate novimus, licetque millies philosophemur, reperire non possumus.

IV. Sed cur de Angelis loquor, cum ne animæ quidem nostræ substantiam bene noscamus, imovero nullatenus? Quod si illi se nosse contendant, interroga quæ sit animæ substantia, num aër? num spiritus? an ventus? an ignis? Nihil eorum dicent: hæc quippe omnia corpora sunt, illa vero incorporea. Angelos non noverunt, nec ipsas animas suas noscunt, horum autem Dominum et Creatorem se perfecte nosse contendunt, ecquid hac insania deterius? Cur autem dico, quæ sit animæ substantia? ne quidem quomodo sit in corpore quispiam dicere potest. Quid enim dicatur? an eam in tota corporis mole extendi? Sed hoc absurdum, id quippe corporibus proprium est. Quod autem anima sic esse non possit, hinc liquet: sæpe manibus pedibusque præcisis, integra illa manet, neque truncato corpore mutila efficitur. Verum in toto corpore non est, sed in parte quadam continetur: ergo reliqua membra mortua esse necesse est, nam quod inanimatum, mortuum est. At nec illud dicendum, sed illam quidem in corpore esse nostro scimus; quomodo autem sit, ignoramus. Propterea enim Deus hanc nobis cognitionem penitus occultavit, ut nobis ora frenaret, contineret, atque in infimis manere suaderet, ne quæ supra nos sunt curiose scrutaremur, aut perquireremus. Verum ne hæc ratiociniis nostris demonstremus, age, rursum ad Scripturam sermonem convertamus: « Non quia Patrem vidit » quisquam, nisi qui ex Deo est, hic vidit Patrem[1]. » Verum quid hoc? inquiet, hoc dictum non ipsi cognitionem perfectam ascripsit; sed creaturam quidem eum non nosse delaravit his verbis, « Non quia Patrem vidit quis-

[1] Joan. I, 18.

» quam, » itemque dixit Filium ipsum nosse, hæc subjungens, « Nisi qui est ex Deo : hic vidit Patrem. » Quod autem perfecte illum cognoscat, atque ita ut ipse se ipsum novit, id nondum demonstratum est. Fieri namque potest, ait, ut neque creatura eum clare cognoscat, neque Filius, sed clarius, hic quam illa; et tamen perfectam comprehensionem non attingat. Nam illum quidem videre, ut est, et cognoscere se ait, perfecte autem cognoscere, atque ut ipse se ipsum novit, id nondum declaravit. Vultis-ne igitur, ut a sacris Scripturis, et ab ipsis Christi verbis id probemus? Audiamus quid Judæis ipse dicat. « Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem[1]. » Quid hac cognitione perfectius deinde quæras? Interroga adversarium, An Pater Filium perfecte novit, omnimodamque ejus cognitionem habet, nihilque ipsi latet eorum quæ Filium spectant, sed perfecta est scientia? Ita est, respondebit. Igitur cum audieris, ita eum nosse Filium ut ipse Filium novit, nihil ultra quæras; cum utrobique cognitio ita sit æqualis. Nam et alibi idipsum declaravit his verbis : « Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Pa» trem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius re» velare[2]. » Revelat autem non quantum ipse novit, sed quantum nos capimus. Nam si Paulus ita faciat, multo magis Christus : Discipulis quippe suis sic ille ait : « Non » potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carna» libus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, » non escam : nondum enim poteratis[3]. » Sed id Corinthiis tantum, inquiet, dicit. Quid igitur si ostendamus, ipsum alia novisse, quæ nullus hominum noverat, et cum solus sciret, sic e vivis discessisse? Ubinam autem id reperiri possit? In Epistola ad Corinthios, ubi ita loquitur : « Au» divi arcana verba, quæ non licet homini loqui[4]. » Et

[1] Joan. I, 15. — [2] Matth. II, 27. — [3] 1 Cor. III, 1. — [4] 2 Cor. XII, 14.

tamen hic ipse qui audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, particularem quamdam cognitionem habet, et futura illa longe inferiorem. Qui enim illa dixit, sic etiam loquitur : « Ex parte cognoscimus et ex parte prophe-» tamus. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sa-» piebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. » Et « Nunc » video per speculum in ænigmate ; tunc autem facie ad fa-» ciem[1]. » Itaque ex his nobis tota illorum fallacia redarguitur, cum enim ipsa substantia ignoratur, non an sit, sed quid sit, extremæ sane insaniæ fuerit nomen ipsi tribuere : Quanquam etsi nota certaque esset, non tutum tamen esset, nos ipsos nomen nostro modo statuere substantiæ Domini. Nam si Paulus supernis Virtutibus nomina imponere non ausus est; sed cum dixisset, « Constituit » Christum super omnem principatum et potestatem, et » virtutem, et omne nomen, quod nominatur, non solum » in hoc sæculo, sed etiam in futuro[2] ; » nosque docuisset, esse quædam virtutum nomina, quæ tunc cognoscemus; nec ausus ipse est alia pro illis statuere; neque illa exquirere; qua venia, vel qua excusatione digni fuerint ii, qui circa Domini substantiam idipsum facere audent? Cum autem ipsa quoque substantia ignoretur, ipsos ceu furiosos aversari oportet. Nam quod Deus sit ingenitus palam est; quod autem illud sit ejus substantiæ nomen, id nullus Prophetarum dixit, nullus Apostolorum subindicavit, nullusque Evangelista ; et recte quidem. Qui enim ipsam substantiam ignorarent, quomodo nomen ejus proferre possent.

V. Ecquid loquor de divinis Scripturis, quando tanta est absurditatis illius evidentia, tanta iniquitatis magnitudo, ut ne Gentiles quidem, qui a veritate aberraverant, quid simile unquam dicere ausi sint : nemo enim ex illis

[1] 1 Cor. XIII, 9 et 12. — [2] Ephes. I, 20.

divinæ substantiæ definitionem efferre tentavit, eamque uno complecti nomine ausus est. Et quid loquor de divina substantia, quando ne de incorporea quidem natura philosophantes, ejus perfectam definitionem statuerunt ; sed obscuram tantum descriptionem, et delineationem potius, quam definitionem. Verum quid sapientes illi objiciunt? Ergo ignoras, aiunt, id quod colis? Huic plane objectioni ne respondendum quidem esset, postquam ex Scripturis perspicue demonstratum est, cognosci non posse quid secundum substantiam sit Deus. Quia vero non inimico loquimur animo, sed ut eos emendemus : age, ostendamus non ignorare quid secundum substantiam sit Deus, sed id se nosse contendere, illud esse Deum ignorare. Dic enim mihi, si duo homines de magnitudinis cœli notitia inter se contenderent, quorum alter diceret, non posse humano oculo cœlum comprehendi ; alter vero affirmaret posse hominem palmo totum dimetiri; quem ex his diceremus cœli magnitudinem nosse; eum-ne qui contenderet se nosse quot palmos habeat, an eum qui se ignorare profiteretur? Quod si is qui cœli magnitudini cedit, ipse potius novit ejus magnitudinem : quare non de Deo pari cum reverentia loquemur? Quomodo non id extremæ dementiæ fuerit? Quod autem id solum requiratur a nobis, ut sciamus Deum esse, non ut ejus substantiam curiose scrutemur, audi Paulum loquentem : « Credere enim oportet » eum qui ad Deum accedit, quia est[1]. » Rursum Propheta, cum impietatis quempiam accusaret, non ei vitio vertit, quod ignoraret quid sit Deus, sed quod eum esse nesciret. Nam ait, « Dixit insipiens in corde suo, Non est » Deus[2]. » Igitur ut ille impius est, non quod ignoret quid secundum substantiam sit Deus ; sed quod ignoret Deum esse ; sic ad piam religionem sufficit, ut sciatur Deum

[1] Hebr. XI, 6. — [2] Psal. XIII, et LII, 1.

esse. Sed habent illi aliam meditatam argumentandi rationem : quam illam? Dictum est, inquiunt, « Spiritus » est Deus [1]. » Hoccine, dic mihi, substantiam ejus declarat? Ecquis hæc ferat, si vel tantillum ad Scripturæ sacræ fores accesserit? Nam hac ratione Deus ignis quoque erit; quemadmodum enim scriptum est: « Spiritus est » Deus; » ita quoque scriptum est, « Deus noster ignis » consumens est [2]; » ac rursum, « Fons aquæ vivæ. » Neque spiritus, fons et ignis tantum erit; sed etiam anima, ventus, mens humana, et alia his longe absurdiora; non enim omnia recensere opus est, neque illorum insaniam imitari. Hoc enim nomen « Spiritus » multa significat : animam nempe nostram, ut ait Paulus, « Tradite hujusmodi » hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit [3]; » itemque ventum secundum Prophetam, « Spiritu vehementi con- » teres eos [4]; » donum etiam spirituale sic vocatur : « Ipse » enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro [5]; » ac rursum, « Orabo spiritu, orabo et mente [6] : » vocatur item ira; Hesaïas enim ait, « Nonne tu eras, qui medi- » tabaris Spiritu tuo duro interimere eos [7]? » Auxilium quoque Dei vocatur spiritus : « Spiritus enim ante faciem » nostram Christus Dominus. » Hæc ergo omnia Deus erit ex illorum sententia, atque ex illis rebus constabit. Sed ne nugaces simus illa afferendo, quæ ne confutationem quidem merentur : age, adversus illos disceptandi finem faciamus, et ad orandum convertamur, tanto magis pro illis rogantes et supplicantes, ut ab insania absistant, quanto magis illi impie agunt. Hoc enim gratum acceptumque erit Deo servatori nostro, « Qui vult omnes ho- » mines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire [8]. »

VI. Ne desinamus itaque preces pro illis emittere : mag-

[1] Joan. IV, 24. — [2] Hebr. XII, 29. — [3] 1 Cor. V, 5. — [4] Psal. XLVII, 8. — [5] Rom. VIII, 16. — [6] 1 Cor. XIV, 15. — [7] Isai. XXVII, 8. — [8] 1 Tim. II, 4.

num enim telum oratio, thesaurus indeficiens, divitiæ inexhaustæ, portus fluctibus vacuus, occasio tranquillitatis : innumerabilium bonorum radix, fons et mater est oratio, ipsoque regno potentior. Sæpe itaque illo ipso, qui diademate ornatur febricitante, et in lecto jacente, astant medici, satellites, famuli, duces : neque medicorum ars, neque amicorum præsentia, non servorum famulatus, non medicamentorum varietas, non apparatus magnificentia, non pecuniarum copia, nec aliud quidpiam humanum potest ægrotanti solatium afferre. Si quis vero eorum, qui in Domino fiduciam habent, ingrediatur, corpusque solummodo tangat, puramque pro illo orationem emittat, infirmitatem omnem abigit. Quodque non divitiæ potuerunt, non ministrorum frequentia, non medicinalis experientia, non regius fastus, hoc sæpe potuit unius pauperis et inopis oratio. Orationem dico, non hanc levem et segnitie plenam, sed ferventem, quæ animo dolente, et intenta mente funditur. Hæc quippe in cœlum ascendit: ac quemadmodum aquæ donec in plano loco feruntur, et latum spatium occupant, non in sublime ascendunt; cum autem manus artificum ipsas comprimens in angustum deduxit, telo velociores sese in altum jaculantur; sic et humana mens, donec multa fruitur licentia, diffunditur et effluit; cum autem ærumnis deprimitur, in angustumque deducitur, sic probe exercitata, puras et ferventes in altum emittit orationes. Ut autem ediscas illas maxime exaudiri posse, quæ in angustia emittuntur, audi Prophetam : « Ad Dominum cum tribularer clamavi, et »exaudivit me [1]. » Igitur nostram ferventem faciamus conscientiam, animam peccatorum memoria affligamus ; affligamus, inquam, non ut in angustam deducamus viam, sed eam ita comparemus, ut exaudiatur; ut sobriam, vi-

[1] Psal. CXIX, 1.

gilem, ipsumque cœlum tangentem reddamus. Nihil ita segnitiem et socordiam abigit, ut mœror et afflictio, quæ undique mentem colligit, et ad se ipsam reverti facit. Qui sic in afflictione et in oratione versatur, post emissas preces, magnam animo voluptatem capere valebit. Ac quemadmodum nubium conflictus, principio aërem caligine offuscat; ubi vero crebras emiserit stillas, evacuata pluvia, serenum lætumque aërem relinquit; sic et mœror donec intus versatur, cogitationem obducit nostram: postquam autem orationis verbis, comitantibus lacrymis, evacuatus fuerit, et ejectus difflatusque, magnam affert animi lætitiam, Dei patrocinio radii instar in orantis mentem illapso. Verum quisnam ille frigidus multorum sermo? Vereor, inquiunt, pudore suffundor, neque possum vel os diducere. Satanica est hæc verecundia, segnitiei obtentus. Tibi namque diabolus aditum ad Deum occludere tentat. Fiducia-ne cares? Magna fidendi causa, magna utilitas, si te putas fidendi causam non habere; ut contra pudor extremaque damnatio, si te putas fidendi causam habere: quanquam enim multa bona opera feceris, quanquam nullius sis tibi conscius mali, si putes te fidendi causam habere, ab oratione penitus excidisti. Contra si onera peccatorum innumera in conscientia habes, modo tibi persuadeas te omnium ultimum esse, magnam habebis apud Deum fiduciam: licet id nulla humilitas sit, cum sis peccator, te peccatorem existimare. Humilitas quippe est, cum quis multorum magnorumque meritorum sibi conscius, nihil magni de se ipso existimat: cum quis Paulo similis dicere potest, « Nihil mihi cons» cius sum; » et tamen addit, « Sed non in hoc justificatus » sum [1]: » ac rursum, « Christus Jesus venit peccatores » salvare, quorum primus sum ego [2]. » Hoc est humilitas,

[1] 1 Cor. IV, 4. — [2] 1 Tim. I, 15.

cum quis excelsus operibus, sese mente humiliat. Attamen Deus propter ineffabilem clementiam suam, non eos modo qui humiliter sentiunt; sed etiam eos, qui bono animo sua confitentur peccata, admittit, recipit, sicque affectis propitius est. Ut autem discas quantum bonum sit non altum sapere, duos finge currus, junge justitiam cum arrogantia; et peccatum cum humilitate; videbisque peccati currum, justitiæ currum præcedere: non propria vi, sed conjunctæ humilitatis virtute: alium item currum superari videbis, non justitiæ infirmitate; sed onere moleque arrogantiæ. Quemadmodum enim humilitas præcellentia sua peccatorum gravitatem vincit, et ad cœlum usque pertingit; sic et arrogantia mole et gravitate sua potest justitiæ levitatem vincere, illamque facile deorsum trahere.

VII. Ut autem videas hanc bigam illa velociorem esse, recordare Pharisæi ac Publicani. Junxit Pharisæus justitiam et arrogantiam, sic loquens: « Gratias tibi ago, quia » non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, neque » sicut hic publicanus [1]. » O insaniam! Universa hominum natura ejus arrogantiam explere non potuit, sed Publicano proxime posito insipienter admodum insultavit. Quid igitur ille? probra non repulit, non ægre tulit criminationem, sed quod dicebatur bono excepit animo: inimicique telum ipsi versum est in medicamentum et curationem, probrum in laudem, criminatio in coronam. Tantum est humilitas bonum, tantum lucrum non morderi probris illatis, nec efferari contumeliis. Ex iis quippe magnum fructum ingensque bonum comparare possumus, quod et Publicano contigit. Probra enim excipiens, peccata deposuit, cumque dixisset, « Propitius esto mihi pecca» tori [2], » descendit justificatus præ illo, et dictis facta su-

[1] Luc. XVIII, 11. — [2] Ibid. 13.

perata sunt, verbis gesta. Alter quippe justitiam prætendebat, jejunia, decimas; hic verba simplicia proferebat, et omnia peccata deposuit. Non enim verba solum Deus audivit, sed mentem, qua hæc proferrentur vidit, illamque humiliatam et contritam miseratus est, ac benigne excepit. Hæc porro dico, non ut peccemus, sed ut humiliter sentiamus. Nam si publicanus homo, quod est extremum nequitiæ genus, non humili tantum, sed probo animo peccata sua confessus, et id quod erat testificatus, tantam sibi Dei benevolentiam conciliavit, quantam ii, qui cum præclara gesserint, non altum tamen sapiunt, sibi opem attrahunt. Quamobrem etiam atque etiam hortor, rogo et oro, ut frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo; conscientiam tuam expande coram Deo, ostende ipsi vulnera, et ab eo medicamenta postula: ostende non exprobranti, sed curanti: licet enim taceas, ipse novit omnia. Dic igitur, ut id lucro tibi sit: dic, ut illis hic depositis, illo habeas purus et a delictis vacuus, et ab intoleranda promulgatione illa libereris. Tres pueri illi in camino degebant: animamque suam pro Domino dederunt: attamen post tot tantaque virtutis officia dicunt: « Non possumus aperire os, confusio et opprobrium facti » sumus servis tuis, et colentibus te [1]. » Cur itaque os aperitis? Ut hoc ipsum dicamus, inquiunt, non licere nobis os aperire, et eo ipso Dominum leniamus. Orationis vis vim ignis extinxit, leonum furorem refrenavit, bella composuit, pugnas sedavit, tempestates sustulit, dæmones fugavit, cœli portas aperuit, vincula mortis abrupit, morbos ejecit, damna repulit, urbes concussas firmavit, inflictas cœlitus plagas, hominum insidias, omnia denique mala sustulit oratio. Orationem porro dico, non eam quæ

[1] Dan. III, 33.

ore tenus effertur; sed eam quæ ex intimo mentis ascendit. Quemadmodum enim arbores illæ, quæ radicem altius miserint, etsi innumeros ventorum impulsus excipiant, non franguntur, nec evelluntur, radicibus in imo terræ firmiter hærentibus : sic orationes ex intimo mentis emissæ, hac innixæ radice, secure in sublime tolluntur, nulloque cogitationum impetu subvertuntur : ideo Propheta dicebat : « De profundis clamavi ad te, Domine [1]. » Hæc dico non ut laudetis tantum, sed ut factis etiam exhibeatis. Nam si hominibus calamitates proprias narrare, iisque mala sua describere, id quamdam affert mœrentibus consolationem, ac si illa per loquelam exsufflentur; multo magis si animi tui miserias Domino tuo communicaveris, quamdam recreationem consolationemque multam accipies. Homo enim sæpe gravatur, querentis lugentisque fastidio, eumque rejicit abigitque : at Deus non item, sed admittit ac pertrahit : si calamitates tuas ipsi communicare diu pergas, tunc te magis diligit, tuisque precibus annuit. Hoc ipsum indicans Christus dicebat : « Venite ad me omnes » qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos [2]. » Vocat igitur, ne inobsequentes simus; attrahit, ne resiliamus; etsi peccatis innumeris obnoxii simus, tunc magis accurramus : hujusmodi enim homines vocat ille : « Non » veni, inquit, vocare justos, sed peccatores ad pœniten» tiam [3]. » Oneratos hic vocat eos, qui laborant, qui peccatorum gravitate affliguntur; vocatur enim Deus consolationis, et Deus misericordiarum [4] : quoniam hoc ejus officium est perpetuum, ut dolentes et afflictos consoletur et hortetur, etiamsi innumeris sint peccatis onusti. Tantum nos ipsi dedamus, tantum accurramus ad eum, nec desistamus, atque experimento dictorum veritatem ediscemus, nullaque res nos dolore afficere poterit, si assidua

[1] Psal. cxxix, 1. — [2] Matth. xi, 28. — [3] Id. ix, 13. — [4] 2 Cor. i, 3.

et accurata oratione utamur. Quidquid enim accidat, per illam facile depellere poterimus. Ecquid mirum si humanas ærumnas oratio solvere possit, quando peccatorum naturam ita facile extinguit et delet? Ut igitur præsentem vitam cum facilitate transigamus, et peccata, quæ contraximus, deponamus, cumque fiducia stemus ante tribunal Christi, hoc nobis perpetuo medicamentum parcemus, lacrymis, studio, assiduitate, patientia illud condientes; ita enim et perenni fruemur valetudine, et futura consequemur bona, quæ nos omnes adipisci contingat, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

De sancta et consubstantiali Trinitate (15).

I. Qui adversus sanctam et consubstantialem Trinitatem linguas acuunt et ferociunt, nitunturque Unigeniti, et Spiritus sancti dignitatem destruere, arguuntur quidem ab ipso Spiritu sancto, qui locutus est per Prophetas, et a Verbo quod prædicavit sui ipsius proprium in carne adventum, propter nos ex sancta Virgine factum, ineffabilem et alterationis expertem propter suas dignitates : arguentur autem postremo in die justi judicii, quando iterum veniet de cœlo ut glorificetur in sanctis suis, et admirabilis appareat in iis, qui fidem in se custodierunt immutabiliter. Ausi autem sunt, fratres, Arianorum discipuli, et qui insania Macedonianorum laborabant, dicere Deum magnum et parvum, et creatum Deum, gentilitatem nobis subintroducentes. Gentilium enim est creaturam adorare, et alium ex diis suis majorem, alium minorem facere. Enimvero si in aliquo deficit Filius vel Spiritus sanctus, non est Deus. Paulus enim reprehendens illos in Epistola ad Romanos, dicit : « Venerati sunt, et coluerunt creatu» ram supra eum qui condidit, qui est in omnibus Deus » benedictus[2]. » Quod si adorant creaturam, dicentes, Filium et Spiritum sanctum creaturam, maledicti sunt, secundum Moysem dicentem : « Maledictus omnis qui adorat » creaturam et facturam[2] : » nos autem non creaturam adoramus, sed Trinitatem increatam, mutationis expertem et consubstantialem, nihilque habentem adventitium vel ser-

[1] Rom. I, 25. — [2] Deut. XXVII, 15.

vile, vel quod productione in esse venerit, quasi prius quidem non existens, postea autem adveniens. Vide, oro, testimonia sanctæ et consubstantialis Trinitatis, et venerare illam recte, ne pereas. « E dixit, inquit, Deus : Faciamus hominem secundum imaginem nostram, et secundum similitudinem[1]. » Dic mihi ergo, cum quo consilium init Deus? Cum Angelis, inquit. At non habent Angeli imaginem Dei : loquitur autem ad coopificem Filium, et sanctum Spiritum. Et ut veritas hæc tibi persuadeatur, audi Psaltem dicentem : « Verbo Domini cœli firmati sunt, » et spiritu oris ejus omnis virtus eorum[2]. » Non ignoras autem Verbum esse filium : dicit enim Joannes Theologus : « Et Deus erat Verbum[3] : » et de Spiritu, « Spiritus est » Deus[4]. » Dicit igitur Deus et Pater Deo Filio et Deo Spiritui sancto : « Faciamus hominem secundum imaginem » nostram. » Et non dixit, meam et vestram, neque meam et tuam. Significans autem Scriptura esse unam imaginem sanctæ Trinitatis, dicit : « Et fecit Deus hominem, secun» dum imaginem Dei fecit illum. » Sicut et Paulus clamat de Filio : « Qui cum sit splendor gloriæ et figura substan» tiæ[5]. » Et iterum : « Qui est imago Dei invisibilis[6]. » Iterum et alio loco dicit Scriptura : « Venite et descendamus, et » confundamus illorum linguas[7] ; » dicendo, Venite : pares honore vocat. Neque enim si Angelis imperasset, dicere debuit, Venite : sed imperando, Ite. Vide autem, obsecro, quomodo Patris vox Filium et Spiritum vocet. Nam si ad unum solum hoc dictum esset, debebat dicere, Veni et descendamus et confundamus illorum linguas : quia autem dixit : Venite, unius est vox ad duos honore æquales. Audi quoque et beatum Job, qui manifeste declarat inseparabilem Trinitatem. Dicit enim : Vivit Dominus, qui

[1] Gen. I, 26. — [2] Psal. XXXII, 6. — [3] Joan. I, 1. — [4] Id. IV, 24. — [5] Hebr. I, 3. — [6] Coloss. I, 15. — [7] Gen. XI, 7.

» sic me judicavit, et Omnipotens, qui amaritudine affe-» cit animam meam, et Spiritus divinus qui tenetur in na-» ribus meis[1]. » Dicendo Dominum et Omnipotentem et Spiritum divinum, consubstantialem Trinitatem prædicat. Disce et hymnum Seraphim clamantium tertio, « Sanctus, » Sanctus, Sanctus[2] : » non enim dicunt semel tantum, Sanctus, neque bis Sanctus, neque quater, neque dicunt, Sancti, sancti, sancti, ut ne multis nominibus multos deos nobis inducerent, sed unum solum. Ter autem dicunt, « Sanctus, Sanctus, Sanctus : » his enim manifestant unam et æqualem gloriam Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Audi item et Prophetam dicentem : « Spiritus Do-» mini locutus est in me, et sermo illius in ore meo. » Supra dictum est, « Deus erat Verbum. » Ecce dicendo Spiritum Domini, et Verbum, et Dominum, prædicat inseparabilem Trinitatem. Vide autem et tres pueros in camino, omnes creaturas et facturas, ut glorificent Deum, vocantes, solem, lunam, stellas, cœlos, Angelos, Virtutes, homines, spiritus, omnem creaturam visibilem et invisibilem et mente præditam, et nusquam connumerant Filium vel Spiritum sanctum inter opificia. Quod si contendis quod cum Judæi essent, ignorarint Spiritum et Filium, reprehenderis mox ab eadem Scriptura : « Erat enim quartus, » inquit, quasi similitudo Filii Dei[3]. » De sancto autem Spiritu dicit : « Excitavit Deus Spiritu sancto puerum ju-» niorem, cui nomen Daniel[4]. » Et in aliis multis locis prænuntiatus est Spiritus in Veteri Testamento. Itaque norant quidem Patrem et Filium et Spiritum unius esse deitatis et potentiæ; et gnari cum essent, ea quæ illi serviebant, provocarunt ad glorificandum deitatem. Ut autem scias quod nihil adventitium vel creatum Trinitati accedat, Paulus, qui patrem præposuerat, alio loco præponit Spi-

[1] Job. xxvii, 3. — [2] Isaï. vi, 3. — [3] Dan. iii, 26. — [4] Id. xiii, 45.

ritum sanctum, his verbis : « Unus Deus Pater ex quo om-» nia, et nos ex illo : et unus Dominus Jesus Christus per » quem omnia, et nos per illum : et unus Spiritus sanctus. » Iterum autem dicit : « Divisiones gratiarum sunt, idem vero » Spiritus : et divisiones ministrationum, idem autem Do-» minus : et divisiones operationum sunt, idem autem Deus » qui operatur omnia in omnibus. Hæc autem omnia ope-» ratur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult[1], » et non sicut jubetur. Jam cum baptizaretur Filius, Pater de cœlo testificatus est, Spiritus autem sanctus in specie columbæ descendit super illum[2], qui pari honore prædi-tus est. Per hæc omnia unum regnum indivisibilis Trinitatis intelligere docemur. Ipse autem Deus Verbum, qui prop-ter nos vere incarnatus, rediturus eo unde separatus non fuerat, dicit sanctis Apostolis suis : « Ite et docete omnes » gentes, baptizantes illos in nomine Patris et Filii et Spi-» ritus sancti[3]. » Obsignati sumus, sed unum signaculum est sanctæ Trinitatis, unum baptisma. Quomodo igitur audes a paterna substantia alienare Filium vel Spiritum sanctum? Neque enim si alieni sunt, cum Patre in bap-tismo debebant connumerari. Quanam enim ratione se-cundum tuum sermonem, o adversarie, si creatus est Fi-lius vel Spiritus sanctus, cum Patre simul coassumuntur? Enimvero si nomen Patris solum cum qui baptizatur potest salvare, quare coassumuntur et creaturæ, quasi Pater non possit solus salvare? Absit. Igitur si Patris infirmitatem profiteris, licet consubstantialia non admittas, a veritate cogeris nobiscum fateri Trinitatem increatam et consub-stantialem et omnipotentem. Jam si dixeris mihi, de Patre scriptum est : « Te solum verum Deum[4] ; » sed est et hoc scriptum, « Et Deus erat Verbum[5]. » Et quomodo igitur

[1] 1 Cor. VIII, 6, et XII, 4. — [2] Matth. III. — [3] Id. XXVIII, 19. — [4] Joan. XVII, 3. — [5] Id. I, 1.

æqualis Patri? Dicendo enim de Patre, « Te solum verum » Deum; » monstravit Filium non naturalem, sed adoptatum filium. At quid propriæ salutis inimice? num quia scriptum est, sicut dicit Joannes de Patre, « Deus lux » est[1] : » de Filio autem, « Erat lux vera[2] : » ideo audes propter hoc dicere minorem Patrem, eo quod non adjecit, quod sit lux vera : sed de Filio solo dicit, « Erat lux » vera? » Sicut igitur non audes minorem facere Patrem, eo quod non appositum est, quod sit vera lux : ita cum audis de Patre, « Te solum verum Deum : » de Filio autem, solum quod sit Deus; ne audeas minorem facere Filium : quoniam nomina alternis vicibus jacent, ut de Patre dicatur, « Deus verus, » de Filio autem, Deus : et contra, « Erat lux vera, » tribuitur Filio : Patri autem, lux tantum. Porro sicut non licet dicere de Patre quod non sit lux vera : et de Filio, quod non sit Deus verus; ipse enim dixit, « Ego sum veritas[3] : » ita et de Spiritu sancto, quoniam Spiritus est veritatis. Atque ita per hæc testimonia disce, venerari inseparabilem Deitatem. « Omnia quæcumque ha- » bet Pater, mea sunt[4], » dicit unigenitus Deus, qui est in sinu Patris. Moyses dicit : « Qui est, misit me[5]. » Qui est, est Pater : qui est, est Filius, qui est apud eum qui est, absque principio, et non in tempore genitus. Omnia quæ habet Pater, qui vere vita et immortalitas et lux et Omnipotens et Deus et Dominus; ea utique habet et Filius. « Ego enim, inquit, veritas, et vita : et, erat lux vera, et » Deus erat verbum. » Et Thomas inquit apostolus : « Do- » minus meus et Deus meus[6], » quemadmodum et Psaltes dicit : « Manibus meis Deum exquisivi, et non sum decep- » tus[7]. » Palpavit enim Thomas Verbum in incredulitate, et non est deceptus, Dominum et Deum illum confessus

[1] 1 Joan. I, 5. — [2] Ibid. 9. — [3] Id. XIV, 6. — [4] Id. XVI, 15. — [5] Exod. III, 14. — [6] Joan. XX, 28. — [7] Psal. LXXVI, 2.

in fide. Profecto, inquit, dico Filium Dei Deum. Sed dicis: Non sine principio autem, sed creatum, proinde et servum. Et quomodo hoc? « Qui in forma Dei existens, non » rapinam arbitratus est esse æqualem se Deo, sed semet- » ipsum inanivit forma servi accepta[1]. » Si igitur servus est; omnis enim creatura serva est; quomodo servus existens formam servi accepit? Quomodo autem se ipsum exinanivit, si perfectus Deus non erat? Accepit enim quòd non habuit, et mansit quod erat. Non factus est id quod erat, sed cum in forma Dei esset, per misericordiam, absque sui versione accepit formam servi. Si autem non vis illum confiteri absque principio, sequitur quod fuerit tempus, quo non fuerit filius. Etiam, dicit. Ecce igitur, inquam, secundum tuum sermonem erat tempus quo non fuit Pater. Qui enim filium non habet, pater non vocatur. Et pater habuit principium, quo cœpit esse pater. Ex filio enim pater cognoscitur. Numquid et Pater tempore aliquo alterius patris erat filius? Proh quanta blasphemia! dum videris venerari patrem, summa illum contumelia afficis. Jam si Filius ipse tempora fecit et momenta; omnia enim per ipsum facta sunt[2]; quo pacto dicere audes quod fuerit tempus quo non fuerit Filius? Proinde secundum sermonem tuum, majus erit tempus, quam Deus verbum. Nam quod prius, id necessario et majus.

II. Vis autem scire quod Filius coæternus sit Patri? Dicit Hesaïas, « Ego Deus primus, et ego postac, et ante » me non fuit alius Deus, et post me non erit[3]. » Itaque si posteriorem Patre dicis Filium: quomodo dicit Pater: Post me non erit alius Deus? Sin exponis hoc de Filio: quomodo dicit: Ante me non fuit alius Deus? Quapropter ex his collige Filium co-æternum esse Patri. Audi autem et testimonia de Filio, et fuge blasphemiam: « Pluit Do-

[1] Philip. II, 6. — [2] Joan. I, 3. — [3] Isaï. XLIII, 10, et XLIV, 6.

» minus a Domino ignem et sulphur super Sodoma[1]. » Dominum vocat Patrem, Dominum Filium, Dominum Spiritum sanctum. Sicut dicit, « Dominus autem Spiritus » est[2] : » et non dicit, Dominus minor Domino magno. Et Moyses dicit : « Et adorent illum omnes Angeli Dei. » Angelus autem creaturam non adorat. Et ut discas de Filio hoc dictum esse, audi Paulum dicentem : « Quando autem inducit Primogenitum in orbem terrarum, dicit : » Et adorent illum omnes Angeli Dei[3]. » Et David quoque clamat : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris » meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo» rum[4]. » Et non dixit : Dixit Dominus Domini mei : sed, Dominus Domino meo. « Ecce (dicit Ilesaïas) virgo uterum geret, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus » Emmanuel : quod est interpretatum, nobiscum Deus[5]. » Utique dico ipsum filium, subjectum plane et inferiorem patre. Arguit te denuo Ilesaïas, dicens : « Puer natus est » nobis, filius et datus est nobis, et vocabitur nomen ejus, » Magni consilii Angelus, admirabilis consiliarius, Deus » fortis, potestatem habens, princeps pacis, pater futuri » sæculi[6]. » Propheta potestate præditum, et Deum fortem prædicat, et tu dicis illum subditum? Ille magni consilii Angelum vocat, et tu dicis parvum? Vide autem, obsecro, quid Jeremias de eo clamet : « Hic Deus noster, non æsti» mabitur alius ad illum. » De Patre-ne dicit, an de Filio? De Patre dicit. Paterne incarnatus est, an Filius? Filius. Itaque secundum sermonem tuum Pater est incarnatus. Verum nunc video juxta sermonem Prophetæ, quod filius, qui et conversatus est cum hominibus. Etiam filius incarnatus est, pater autem sine carne permansit. Per sequentia igitur convictus, o insipiens, fatere de Filio hoc

[1] Gen. XIX, 24. — [2] 1 Cor. III, 17. — [3] Hebr. I, 6. — [4] Psal. CIX, 1. — [5] Isaï. VII, 12. — [6] Id. IX, 6.

dici : « Hic Deus noster, non æstimabitur ad illum alius, » invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero » suo, et Israël dilecto suo : postea super terram visus est, » et cum hominibus conversatus est[1]. » Vides illum et legislatorem ? Nam si ipse invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo ; ipse est qui et Moysi apparuit, et legem dedit. Et unde hoc manifestum ? audi Prophetam dicentem : « Disponam vobis » testamentum, non sicut testamentum quod disposui cum » patribus vestris, quando apprehendi manum eorum, ut » educerem eos ex Ægypto. Dans leges meas in corda » eorum, et in mentes eorum inscribam illas, et erunt » mihi in populum, et ego ero eis in Deum[2]. » Vides quod ipse sit legislator tam Veteris quam Novi Testamenti ? nam quod novam legem ipse tulerit, neque tu inficias ieris. « Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es, ut sis » in millibus Juda : ex te enim mihi egredietur dux, et » egressiones ejus ab initio dierum, et ipse reget populum » meum Israël[3]. » Vides unum populum Patris et Filii ? Filius dicit : « Ero eis in Deum, et ipsi mihi in populum. » Pater de Christo dicit : « Et reget populum meum » Israël. » Disce unum regnum Patris et Filii. Quæcumque autem post hæc ipso loquente audis humilia, postquam ex beneplacito suo incarnatus est, et sese humiliavit propter hominum salutem, hæc ut dignum est Deo intellige. Nam littera occidit, spiritus autem vivificat[4]. Etenim si Apostolis qui viderant sua miracula et in nomine ipsius omnes morbos curaverant, dicebat : « Multa vobis habeo dicere, se non potestis portare modo[5] : » quid ergo ad multo crassiorem Judæum ? Nam si cum diceret, « Prius- » quam Abraham fieret, ego sum[6], » tulerunt lapides, ut la-

[1] Baruc. III, 36 38. — [2] Jerem. XXXI, 33. — [3] Mich. V, 2 ; Matth. II 6, et Marc. V, 2. — [4] 2 Cor. III, 6. — [5] Joan. XVI, 12. — [6] Id. VIII, 58.

pidarent ipsum : quomodo quid sublimius sibi dici sustinuissent ? Sic et in Veteri, multa inveniet quis de Patre dici pro crassitudine auditorum : ut, « Septem oculi Domini respicientes orbem terrarum[1] : » Et, « In velamento alarum tuarum » proteges me[2] : » et, « Excitare, ut quid obdormis, Domine[3] ? » et, « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit : arcum » suum intendit, et paravit illum : sagittas suas ardentibus ef» fecit[4]. » Et quomodo ? neque enim volatilis est Deus, neque somno gravatur, neque vel gladius apud Deum ; vel arcus, vel sagittæ. Incorporeus enim Deus est. Verum hæc interminatur Propheta, ut excitet auditorum crassitudinem : ita et Deus Verbum propter nos incarnatus imitans Patrem suum humilia loquitur, ad nostram salutem respiciens. Quoniam enim ipsum adversarium Deo putabant, dicentes : « Non est hic a Deo : » Et, « De bono opere non la» pidamus te, sed propter blasphemiam, quia tu, cum homo » sis, facis te ipsum Deum[5] : » Et propter hoc quærebant eum lapidare, quod non solum solveret sabbatum ; sed quod et Patrem suum diceret Deum, æqualem se ipsum faciens Deo : et ideo quia non capiebant sublimia, et sua Deitate digna, incipit humilia dicere : per omnia declarans se non esse Deo contrarium. « Si diligeretis me, gauderetis » utique, quia ego vado ad eum qui misit me Patrem, » quoniam Pater meus major me est[6] : » quando enim se ipsum æqualem Patri faciebat, lapidare ipsum conabantur. Quod si hæc non sic se haberent, cogereris laudare Judæos, quod juste crucifixissent Christum, ut adversarium Dei. Nam qui semetipsum æqualem Deo et Patri facit, cum non sit talis, is Deo adversarius est. Cæterum mendax erit et Paulus, dicens : « Non rapinam arbitratus est se esse » æqualem Deo[7]. » Quid igitur est Salvator, secundum

[1] Zach. IV, 10. — [2] Psal. XVI, 10. — [3] Id. XLIII, 25. — [4] Id. VII, 13, 14. — [5] Joan. V, 18 ; IX, 13, et X, 33. — [6] Id. XIV, 28. — [7] Philip. II, 6.

quod incarnatus non est? Sic in illo : « Vado ad Patrem » meum, et Patrem vestrum, et Deum meum, et Deum » vestrum[1] : » aliter vocat suum secundum naturam : et aliter nostrum secundum gratiam et adoptionem : aliter suum, propter bonam voluntatem, et propter creatam assumptionem : et aliter nostrum, ut creaturarum. Quod si in his disceptas, Potuit dicere patrem nostrum et vestrum, non Patrem meum et vestrum : Cujus ergo gratia divisit se, nisi ut hanc nos Deo dignam sententiam doceret? Vides, inquit, quomodo indiguerit paterno auxilio, dicens : « Nunc » anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salva me » ex hora hac[2]. » Perperam legis : Dixit, « Nunc anima » mea turbata est. » Et cum distinctionem ibi fecisset, subdit : « Et quid dicam? Pater salva me ex hora hac, sed » propterea veni in horam hanc. » Enimvero per hoc quod dixit, « Propterea veni in horam hanc, » ostendit se salutarem mortem non fugere. « Desiderio enim desideravi » hoc Pascha manducare vobiscum[3], inquit : Si possibile » est, transeat a me calix iste : verumtamen non voluntas » mea, sed tua fiat[4]. » Numquid mortem formidat, vel invitus ad passionem accedit, qui dixit : « Oportet Filium » hominis multa pati, et occidi, et sepeliri, et tertia die » resurgere[5]? » qui dixit, « Solvite templum hoc, et in » tribus diebus excitabo illud : » qui dixit : « Potestatem » habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum » recipiendi illam : » et, « Nullus tollit illam a me, ego » a memetipso pono illam : et ego iterum accipio illam[6]. » Qui increpavit Petrum, quem paulo antea beatum prædicaverat, eo quod dixisset, « Tu es Christus filius Dei » viventis : » sed deinde cum indignum illi videretur quod pateretur, dixit illi, « Vade post me, Satana, offendiculum

[1] Joan. xx, 17. — [2] Id. xii, 27. — [3] Luc. xxii, 15. — [4] Matth. xxvi, 39. — [5] Marc. viii, 31. — [6] Joan. ii, 19, et x, 20.

» mihi es, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ homi-» num[1]. » Qui confirmavit faciem suam cum ascenderet in Jerusalem : ut salutem per passionem suam omnibus suppeditaret : Qui per Prophetas ipsam passionis suæ speciem prædixit. Per Jeremiam enim dicit : « Super me » cogitaverunt cogitationem malam, dicentes : Venite, et » immittamus lignum in panem illius, et eradamus illum » de terra[2] : » crucem significans. Per David autem, « Dede-» runt in cibum meum fel, et in siti mea potaverunt me » aceto[3] : » et « Foderunt manus meas et pedes meos. Partiti » sunt sibi ipsis vestimenta mea, et super vestem meam mi-» serunt sortem[4]. » Et per Hesaïam : « Tergum meum dedi » ad flagella, genas meas ad alapas, faciem meam non » averti a confusione sputorum[5]. » Vidisti sane hæc omnia perfecta in cruce : Nam a Pilato flagellatus est, et a servo alapa cæsus, ab impiis consputus, a militibus clavis in cruce fixus, qui diviserunt ipsius vestimenta, et sortem miserunt. Qui per tam multa passionem significavit, quo-modo nunc detrectat ? Quare igitur dicit, « Pater, si possi-» bile est, transeat a me calix iste[6] ? » Ignorabat diabolus quis esset : Videns enim eum ipsum sitientem, esurientem, lassum, et alias ejus dispensationes, reputavit eum ho-minem esse purum : videns autem ejus divina miracula, Deum suspicabatur. Dubitabat igitur de eo, ignorans il-lum. Nam si evidenter scisset quod Deus esset, non ausus fuisset ad eum accedere : sicut et Paulus dicit : « Si » enim cognovissent, utique Dominum gloriæ non cruci-» fixissent[7]. » Prætendit igitur Dominus formidinem, quo ille illiceretur, ut cum accederet ut ad hominem, ab ipso in fugam verteretur, et redimerentur omnes captivi ab illo detenti. Quemadmodum rex aliquis invasurus tyran-

[1] Matth. xvi, 16 et 23. — [2] Jerem. xi, 19. — [3] Psal. lxviii, 26. — [4] Id. xxi, 18. — [5] Isaï. l, 6. — [6] Matth xxvi, 39. — [7] 1 Cor. ii, 8.

num invalidiorem, cum illum fugiturum se sciat, fingit metum, dicens exercitibus suis : Fugiamus hinc a facie illius, ut ne a nobis fugiat, sed persequatur nos : et sic conversi comprehendamus illum. Ita et Dominus prætexebat formidinem, ut cum diabolus ipsum quasi hominem aggrederetur, inveniret Deum qui illum interimeret, et liberaret omnes qui ab illo detinebantur in inferno. Sic enim dicit : « Apparuit Angelus confortans eum [1] : » qui ab Angelis adoratur, et cui flectitur omne genu cœlestium et terrestrium, et infernorum [2], quo pacto ab Angelo robur accipiebat ? Non robur accepit, sed glorificationem Angeli dicentis : « Tuum est regnum et imperium, Domine. Nul» lus scit diem illam vel horam, neque Angeli, neque » Filius, nisi Pater [3]. » Et quomodo ergo, inquit, æqualis est Patri, qui nescit diem illam ? Qui fecit illam, ignorabat-ne illam ? Et quare igitur dicit : Neque Filius ? Vide theoriam exquisitiorem. Duas quis scientias et notitias in Scriptura inveniet : unam quidem, quæ ex opere sumitur, alteram vero ex cognitione. « Cognovit enim, inquit, « Adam Evam uxorem suam [4], » non quod prius ignoraverit. Quomodo ignorasset, qui dixerat : « Hoc nunc os » ex ossibus meis, et caro ex carne mea [5] ? » Et cognovit Abraham Saram uxorem suam, et Jacob Liam et Rachel [6]. Num ignorabat illas, qui propter illas annos quatuordecim servierat ? Sciebat quidem illas cognitione, opere autem postea cognovit. Itaque Pater qui non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio [7], scit diem tam cognitione quam opere. Filius autem qui venit ut salvet mundum, et non ut judicet, sciebat eam speculativa notitia : quia autem nondum judicaverat, ignorabat diem, notitiam operativam significans.

[1] Luc. xxii, 43, — [2] Philip. ii. — [3] Marc. xxiv, et Marc. xiii, 32. — [4] Gen. iv, 1. — [5] Id. ii, 23. — [6] Id. xxix. — [7] Joan. v.

III. At Paulus dicit: « Considerate Apostolum et Ponti» ficem confessionis nostræ Christum Jesum, quod fidelis » sit ei qui fecit ipsum[1]. » Et alio loco: « Dominum et » Christum illum Deus fecit[2]. » Et Salomon dicit: « Domi» nus creavit me initium viarum suarum ad opera sua[3]. » Vides quomodo creaturam et facturam suam eum Scriptura significat? Verum arguent te, adversarie Dei, ea quæ sequuntur. « Omnis enim, inquit, sacerdos, qui ex homi» nibus assumitur, pro hominibus constituitur, ut offerat » dona et sacrificia[4]. » Accepit enim ex nobis creatam carnem absque peccato, quam pro nobis Patri obtulit sacrificium. Itaque intellige quod secundum carnem fecerit eum, et non secundum divinitatem. Sic et Dominum et Christum eum Deus fecit. Nam ante dispensationem ubique Deus prædicatur, sicut præmonstratum est, et nunquam aliquis facturam eum dicit, sed propter unionem carnis creatæ dicit, « Dominum et Christum Deus eum » fecit: » propter auditorum crassitatem, « Dominus ini» tium viarum suarum creavit me[5]. » Vides quod creaturam dicit? Verum procedamus ad ea quæ ibi deinceps sequuntur. « Ante sæculum fundavit me, ante omnes colles » generat me[6]. » Primum quidem, o vanæ gloriæ sectator, disce, librum Parabola inscribi. Quid quid autem per parabolam dicitur, non idem est quod verbi vis ac littera. Nam Dominus regnum cœlorum sagenæ, et fermento, et grano sinapis assimilavit, et aliis multis. Neque tamen dicimus regnum cœlorum aliquid tale esse. Sed sine ambage dicam: « Dominus initium viarum suarum creavit me, » ante sæculum fundavit me, ante omnes colles generat » me[7]. » Quomodo igitur quod gignitur, creatur vel fundatur? vel quomodo quod creatur, gignitur? Nam si creatu

[1] Hebr. III, 1. — [2] Act. II, 3. — [3] Prov. VIII, 22. — [4] Hebr. V, 1. — Act. II, 36, et Prov. VIII, 22. — [6] Ibid. — [7] Matth. XIII.

est, non est genitus. Nos non creamus ea quæ gignimus: neque gignimus, quæ creamus. Et quomodo possibile est, increato patri natum esse filium creatum? Nos enim qui creati sumus, gignimus creata: Pater autem qui increatus est, Filium genuit increatum. Aquila autem interpretatus, « Possedit me, » dicit. Igitur cum dicit, Creavit me, prædicit futurum, quasi jam esset factum. Etenim hic mos est Scripturæ, sicut cum dicit: « Foderunt manus meas et » pedes meos[1]: quasi diceret, Ego, quem videtis creatam carnem propriâ voluntate mihi adunasse, ab initio sum, non a Maria habeo initium. « In principio enim erat ver- » bum: et priusquam Abraham fieret, ego sum[2]. » Confitere igitur Filium increatum, et cum Patre principio carentem, ut ne des et Patri principium quo cœperit esse Pater. Quod si dicis Filium cum Patre principio carere: dic quomodo genuit Pater Filium, volens vel non volens? Si dixerimus, volens, contradicunt: Jam erat voluntas ante verbum: priusquam enim vellet, dicunt, non erat Filius. Si autem dixerimus, non volens, dicunt: Vim patitur ergo Deus. Omne autem quod vim patitur, non est Deus. Nos autem dicimus, quod sicut sol radios et lumen coæterna habet, ita Pater Filium et Spiritum sanctum: ut ne dicamus et Patrem sub principio. Si enim diceretur sub principio, priusquam inciperet esse Filius, Pater non erat Pater, secundum sermonem tuum: et cogeris Patrem sub principio impie ponere. Sin minus, hoc tibi reponam ego: Volens-ne Pater factus est Pater, an nolens? Si dixeris, volens: ergo antequam vellet, non erat Pater: et consequenter erat tempus cum Pater non esset Pater: ergo incœpit esse Pater. Sin dixeris, non volens, vim passus est: Deus autem vim non patitur: quod enim vim patitur, Deus non est. Vides in quantam incidis impietatem, si

[1] Psal. xxi, 18. — [2] Joan. i, 1, et viii, 18.

non confiteris Filium cum Patre carere principio, coæternum et coopificem esse? Et quomodo coopificem dicam? Scriptum est enim, « Omnia per ipsum facta sunt[1]. » Non audis Prophetam dicentem de Filio : « Ex ore infantium et » lactentium perfecisti laudem, » et cætera. « Quoniam » videbo cœlos opera digitorum tuorum, lunam et stellas, » quæ tu fundasti[2]. » Non vides Christi auctoritatem dicentis : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor? » Et, quomodo Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et » Filius quos vult vivificat[3]. » Et, « Adolescens, tibi dico » surge[4]. » Et spiritui immundo : « Ego tibi impero, obmu- » tesce, et egredere ex illo[5]. » Et, « Confide, fili, remittun- » tur tibi peccata tua[6]. » Quoniam enim illi dicebant : « Nullus potest dimittere peccata, nisi solus Deus[7] : » ex ore ipsorum arguit illos, dicens : Vos dixistis quod Dei solius est dimittere peccata : ecce igitur dimitto peccata, ut confiteamini deitatem meam. Si autem non creditis, ex sanitate corporis videte, et discite animæ bonam valetudinem. Tunc dixit ei : « Surge et tolle grabatum tuum, et » vade in domum tuam. » Et iterum alteri : « Extende ma- » num tuam. » Et mari : « Sile, obmutesce. » Puellæ, » Sur- » ge : Lazare, veni foras. Volo, mundare[8]. » Et cætera omnia, per quæ manifestat, quod cum Patre æqualem habeat dignitatem. Quæ cum omnia recte didiceris, crede quod Patri consubstantialis sit, et quod consubstantialis sit et Spiritus. Nam si ex Patre procedit, et a Filio sumit, non alienus a substantia Dei est Spiritus. Spiritus Dei, Spiritus Christi, Spiritus veritatis, Spiritus consolator, idem sibi volunt. Spiritus Deus : Dominus autem Spiritus

[1] Joan. I, 3. — [2] Psal. VIII, 3, 4. — [3] Joan. V, 17-21. — [4] Luc. VII, 14 [5] Matth. IX, 21.— [6] Ibid. 2.— [7] Matth. IX, 2.— [8] Matth. IX, 6. Id. XII, 13. Marc. IV, 39. Luc. VIII, 54. Joan. XI, 43. Marc. I, 41, Joan. XV, 26, et XVI, 15.

est[1]. Sicut et Petrus ad Ananiam, « Cur conspirastis inter »vos ut tentaretis Spiritum sanctum? » et manifestans quod Deus sit, inquit, « Non mentitus es homini, sed Deo[2]. » Vides quod Deus Spiritus, cui mentitus est? Et Paulus dicit: « Vos Templum Dei estis, et Spiritus Dei »habitat in vobis[3]. » Videlicet Deus est Spiritu qui habitat in nobis. « In ipso enim »vivimus, et movemur, et sumus[4]: » et « Secundus homo in Spiritum vivificantem. » Et alio loco dicit: « Caro non prodest quidquam: spiritus »est qui vivificat[5]. »

IV. Ne ausis igitur aliquid loqui contra consubstantialem et omnipotentem Trinitatem. Et iterum : « Nullus scit »quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in eo; sic »et quæ Dei nullus scit, nisi spiritus Dei[6] : non jam qui in illo, ut ne quis compositum Spiritum putet. « Spiritus »enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei[7]. » Profecto scrutatur, sed non comprehendit. Non enim scriptum est, quod comprehendat : quomodo igitur scrutatur? ut curiosus? ut alienus? ut ignorans ? Annon est scriptum : « Profundiora te ne quæras, et robustiora te ne exqui»ras[8] ?» Quæ præcepta tibi sunt, ea et cogita. Non est enim tibi opus absconditis: Si alienus est, juxta tuum sermonem : quomodo audet ergo abscondita Dei scrutari? De Patre scriptum est: « Ego sum Deus, probans renes, et »scrutans penetralia ventris[9]. » Num quia non additur hoc verbum, Comprehendo, ignorare Patrem dices ? Num ignorans scrutatur et probat? ut et de adorando Spiritu hoc dicere ausis? Quomodo dixit, « Segregate mihi Pau»lum et Barnabam, in opus ad quod vocavi eos[10]? » Vides potestatem, intellige deitatem. Et Agabus : «Hæc dicit

[1] 2 Cor. III, 17. — [2] Act. V, 4. — [3] 1 Cor. III, 16. — [4] Act. XVII, 28. — [5] 1 Cor. XV, 35. — [6] Id. II, 11. — [7] Ibid. — [8] Eccli. VII, et III, 20. — [9] Psal. VII, et Jerem. XVII, 10. — [10] Act. XIII, 2.

» Spiritus sanctus : Virum cujus est zona hæc, sic ligabunt » in Jerusalem. » Et Apostoli : « Visum est Spiritui sancto, » nihil ultra servandum. » Et iterum : « Transeuntes Phry- » giam et Galatiæ regionem, prohibiti a Spiritu sancto lo- » qui sermonem in Asia. Ut venerunt autem in Mysiam, » tentabant in Bithyniam proficisci, et non sinebat eos » Spiritus sanctus. » Et iterum : « Verumtamen Spiri- » tus sanctus per singulas civitates testificatur, mihi di- » cens[2] : » et cætera. Et Propheta, « Et Spiritus meus, in- » quit, astitit in medio vestri[7]. » Dominus vero : « Ubi » cumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, » illic sum in medio eorum[3]. » Et, « Dominus misit me, ac » Spiritus ejus. Attendite vobis ipsis et toti gregi, in quo » posuit vos Spiritus sanctus episcopos et diaconos[4]. » Vide virtutem Spiritus sancti, et auctoritatem, et potestatem, num alienus a Deo sit Spiritus. « Vidi, inquit Hesaïas, » Deum super thronum excelsum et elevatum, et Sera- » phim in circuitu ejus[5] ; » et quæ sequuntur. « Ac dixi : » O miserum me, quoniam compunctus sum, quoniam » immunda labia habens, in medio populi immunda labia » habentis ego habito, et regem Dominum Sabaoth vidi » oculis meis. Et dixit : Quis ibit ad populum hunc ? Et » dixi : Ecce ego, mitte me[6]. » Nimirum qui sedebat in throno, dixit : « Vade ad populum hunc, et dic : Auditu » audietis : et non intelligetis ; et videntes videbitis, et non » perspicietis[7]. » Quis est qui sedebat super thronum ? Pa- ter, inquit : Si autem didiceris a Paulo, quod Spiritus sit, confiteberis illum Deum ? Ostende, inquit, et credo. Audi illum dicentem : « Bene dixit Spiritus sanctus per Hesaïam » prophetam : Vade ad populum hunc, et dic : Auribus

[1] Act. xxi, 11 ; xv, 28, et xvi, 6 et 20 — [2] Agg. ii, 6. — [3] Matth. xviii, 20. — [4] Isai. xlviii, 16, et Act. xx, 28. — [5] Id. vi, 1. — [6] Ibid. 5-8. [7] Ibid. 9.

» audietis[1] : » et quæ sequuntur. Paulus inquit, « Dixit » Spiritus sanctus. » Hesaïas inquit, « Dixit Dominus Sa- » baoth, » quia indifferens est Scripturæ loqui de Patre et Filio et Spiritu sancto. Igitur ne dic deinceps magnum et parvum Deum, incidens in Gentilium errorem. Nam si parvus Deus est Filius, mentitur Paulus dicens : « Expec- » tantes beatam spem gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri » Jesu Christi[2]. » Quem igitur Paulus vocat magnum Deum, tu ne dixeris parvum. Nam in Deo perfecta sunt omnia. Et rursum : « Ex quibus Christus secundum carnem, qui est » super omnia Deus benedictus in sæcula[3]. » Neque creatum Deum nominabis unquam : impius enim est, qui creaturam adorat. Quid igitur? Non dices corpus Domini creatum? Vide ergo quod et tu creaturam adoras insipiens. Nullus dicit regi : Exue purpuram tuam; vel surge a throno tuo, ut te nudum adorem : sed adorat regem super thronum sedentem, et purpura vestitum. Complacitum enim fuit Deo verbo, ut creatam carnem nostram sibi absque macula uniret. Est igitur adoranda cum Deo verbo, quatenus deitati adest. Et hoc significans divinus David, clamat : « Exaltate Dominum Deum nostrum, et ado- » rate scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est[4], » In alio loco dicit : « Cœlum mihi sedes, terra autem scabel- » lum pedum meorum[5]. » Terram nos jubes adorare, o beate David? Et quomodo Moyses Legem ponit, neque cœlum, neque terram, neque quæ in eis sunt, adoranda esse[6]? Videte mysterium. Quoniam sibi juncturus erat nostram carnem absque peccato ad unam adorationem; caro autem nostra ex Adam, ex terra est; secundum hoc dicit : « Et adorate scabellum pedum ejus. » Nos enim terram non adoramus, sed Deum verbum, qui univit sibi absque

[1] Act. XXVIII, 25. — [2] Tit. II, 13. — [3] Rom. IX, 5. — [4] Psal. XCVIII, 5. — [5] Isaï. LXVI, 1. — [6] Deut. V, et XVIII.

peccato carnem Adæ, quæ ex terra formata est. Ne igitur ultra dicas, creatum Filium. Sed dic, ubi dixit Pater : Creavi mihi filium : vel Filius, Creavit me pater? Neque humanas voces Christi in ejus diminutionem accipe. Nam si his dictis, et humanis in eo demonstratis, ausi sunt quidam dicere phantasia et specie tantum ipsum incarnatum fuisse; si hæc non essent facta, in quam non excidissent impietatem? Proinde omnis qui sanctis Scripturis credit, adoret Trinitatem increatam, incommutabilem, invariabilem, omnipotentem, simul principio carentem, coæternam et consubstantialem : Patrem, et Filium, prius quidem absque carne, deinde autem voluntate propria in fine perfectum hominem factum, absque peccato, absque versione et mutatione sui : homo enim factus, mansit id quod erat, nempe Deus : non enim excidit a gloria et dignitate sua : Et Spiritum sanctum, Spiritum, qui locutus est per Prophetas. Eos autem qui dicunt Filium, aut Spiritum sanctum, versum, vel mutatum, vel alterius substantiæ, vel ex nihilo factum, vel quod fuerit tempus quando non erat, anathemate damnet Ecclesia catholica. Sufficiunt ista cuivis, tametsi pauca sint : omnia enim tractare, impossibile. Docentem enim me deficeret tempus. Neque ipsum mundum opinor capere libros, qui scribuntur : nos autem indigni qui tantam ex sacris Scripturis utilitatem assequamur, adoremus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, cui sit gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

S. P. N.

JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

DE FATO ET PROVIDENTIA ORATIONES SEX.

ORATIO I.

De Providentia.

Multis referta est pertubationibus vita nostra [1], tumultibusque plena. Verum non in eo mali gravitas sita est, dilecti; sed in eo, quod cum hujusmodi perturbationes atque tumultus, vel leviores efficere, vel sine molestia ferre possimus, neutrum eorum assequi conamur, sed nos mœrore conficientes, totum vitæ tempus degimus: atque alius paupertatem, alius ægritudinem queritur, alius sollicitudinis molem, alius rei familiaris curam, alius liberorum educationem, alius orbitatem. Ac vide insignem amentiam: non enim iisdem in rebus, sed in contrariis æque lugemus. Atqui si rerum conditio nobis causa luctus esset, non par esset in contrariis rebus æque lugere. Sed si paupertas malum illudque intolerabile esset, cum qui in divitiis viveret, nunquam cruciari oporteret; et si orbitas esset malum, multorum liberorum parentem, tranquillum degere par esset. Rursus si rempublicam administrare, honoribus frui, multosque subditos habere, optabile esset;

[1] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 121-126.

vita negotiis vacua et tranquilla fugienda esset; et omnibus odio habenda. Nunc vero cum videas locupletes et tenues æque lugere; divitem vero sæpe plus, quam pauperem, principem plus, quam subditum; multorum liberorum parentem plus, quam orbum; ne res in causa esse putemus, sed eos, qui rebus opportune uti, seque ab omni mœrore liberare nequeunt. Nam perturbationem atque tumultum, non temerarius rerum eventus, sed nos, sed animus noster parere solet. Ita si sit ille nobis recte compositus, etiamsi sexcentæ undique tempestates excitentur, in tranquillo et in portu semper quiescemus: quemadmodum contra si non sit bene affectus, etiamsi nobis res secundo vento ferantur, naufragis ipsis nihilo melius erimus. Licet et hoc in corporibus cernere: qui enim robusto est corporis temperamento, quamvis cum inæquabili aëris varietate sexcenties pugnet, non modo nihil mali patietur, sed etiam exercitatione et intemperiei consuetudine accessionem roboris accipiet. Sin imbecillum et gracile corpus habeat, licet optima tempestatum conditione fruatur, nihil hinc commodi accedet, cum propria imbecillitas, bona tempestatum ratione lædatur. Hoc ipsum et in cibis cernimus: quando enim validus firmusque venter est, quodcumque susceperit, quantumvis durum, quantumvis ad concoquendum difficile sit, in purum illud succum convertit, naturali temperatione cibi pravitatem superante: quando autem vis ejus soluta mollisque est, licet ipsi cibum maxime succulentum offeras, in pessimum illum commutat atque corrumpit, imbecillitate ejus vim cibi labefactante. Itaque et nos cum videmus res incompositas, ne Deum culpemus, dilecti. Illud enim non est remedium invenire vulneri, sed vulnus addere vulneri. Ne dæmonibus mundi administrationem attribuamus, ne præsentia sine providentia geri putemus, ne genesis cujusdam

et fati tyrannidem, Dei providentiæ ceu murum offeramus : hæc enim omnia blasphemiæ plena sunt, et vere perturbatio et confusio non in rerum fluxu est, sed in animo ita affecto : qui etiamsi bono ordine et compositione rerum millies fruatur, donec in se ipso confusionem illam atque perturbationem emendaverit, non poterit de illa rerum tranquillitate gaudere : sed sicut oculus æger, etiam lucente meridie tenebras et alia pro aliis videbit, nec radiis fruetur ; sanus autem ac firmus, etiam vespere poterit corpus cum securitate ducere ; sic et mentis nostræ oculus, donec firmus erit, res etiam illas, quæ confuse apparent, recte videbit : depravatus autem, quamvis eum in ipsum cœlum attollas, multam ibi perturbationem et confusionem deprehendet. Quod autem hæc ita se habeant, multis tibi cum veterum, tum ævi nostri exemplis demonstrabo. Quot paupertatem facile ferunt, propterea-que Deo gratias agere non cessant? Quot divitiis deliciisque fruentes, Deo non gratias agunt, sed ipsi maledicunt? Quot nihil grave passi universalem illam providentiam accusant? Quot in carcere omni tempore degentes, hanc miseriam gratius ferunt, quam ii qui in libertate et securitate vitam ducunt? Vides animæ statum, et propriam cujusque mentem, et horum et illorum causam esse, non autem ipsam rerum naturam. Itaque si animi nostri curam haberemus, nihil perturbationis, nihil confusionis, nihil grave esset, etiamsi Euripo quovis vehementius vitæ nostræ res susdeque ferrentur. Cur enim, quæso, Paulus gratias agit? Atqui is e numero eorum est, qui optime vixerunt, et virtutem toto vitæ tempore sectati sunt, et minime gravia hujusmodi pertulerunt? Nemo ex omnibus, qui solem aspexerunt, vel justior illo fuit, vel asperiora, quam ille, passus est. Attamen cum videret multos in nequitia viventes læto esse animo, ac præsentibus frui pecu-

niis, gratias ipse Deo agebat, et alios ut idem facerent hortabatur. Ad illum respicite. Et tu cum videris improbum læto animo, elatum, cum videris inimicos prosternentem, molestos sibi homines ulciscentem, nulli obnoxium damno, circumfluentibus undique divitiis, clientibus et adulatoribus stipatum, te vero in statu prorsus contrario, molestiis, sycophantiis, insidiis obsessum, cave putes esse te ex abjectorum numero; sed Paulum videns eadem in parte versantem, erige animum, revoca cogitationes, ne præ mœrore decidas. Amicum Deo atque hostem ejus ne ex rebus prosperis aut adversis æstima : sed si videris quempiam recte viventem, ægritudineque vacuum ad pietatem spectare, hunc beatum et æmulatione dignum puta, etiamsi sexcentis vinculis constringatur, in carcere perpetuo habitet, indignis serviat, pauper sit, in metallis laboret, aut aliud quidpiam grave patiatur. Beatus enim ille est, etiamsi ipsi oculi exculpantur, etiamsi uratur, etiamsi corpus ejus paulatim consumatur. Si autem videris alium in lascivia, nequitia, extremisque sceleribus viventem, magno fruentem honore, in ipsum thronum regium ascendentem, diademate redimitum, purpura indutum, universo orbi imperantem, lacrymare, et illum ideo miserum reputa. Nihil enim miserius animo ita affecto, etiamsi totum orbem sibi subditum habeat. Quid enim emolumenti pecuniis abundare eum, qui quod ad virtutem spectat omnium pauperrimus sit? Quid lucri tot viris imperare eum, qui nec se ipsum, nec morbos animi sui superare nequit? Verum si videamus corpus male affectum, febricitans, pedibus laborans, aut tabe aut alio quopiam incurabili morbo detentum, lacrymamur, etsi ille omnium locupletissimus sit, imo tanto magis, quanto locupletior est. Nam tunc sensus malorum acutior, cum quis in abundantia rerum necessariarum versatur. Etenim qui præ pau-

pertate ab horum fruitione arcetur, ipsam necessitatem consolationis loco habet : qui vero iis rebus abundat, et morbo impeditur ab usu, ideo magis uritur. Quî autem non absurdum fuerit, si corporeo morbo detentum quempiam videamus, ipsum miserum prædicare, etiamsi opulentus sit; anima autem male affecta; anima, inquam, cui par nihil, qua pretiosius nihil, ipsum beatum dicere ob tantillum pecuniæ, vel ob temporaneum honorem, vel ob quidpiam eorum, quæ hic quidem manent, sed post hanc vitam, imo sæpius ante vitæ exitum nos deserunt? Ne, quæso, hæc nobis perturbationis et tumultus causa sint. Ideo Deum accusant multi, ideo mundum nulla regi providentia putant. Quod si scirent nihil in præsenti vita boni esse, nisi virtutem : non divitias, non pecunias, non sanitatem, non potentiam, non aliud quidpiam; nec quidpiam mali esse in præsenti vita, nisi nequitiam, improbitatem, et animæ perversitatem; non paupertatem vel morbum? non molestiam, non calumniam, non alia quæ gravia esse putantur, nunquam talia loquerentur, qualia nunc dicunt, nunquam in mœrore viverent, non beatos dicerent eos, quos miseros prædicare oporteret, nec miseros prædicarent eos, quos beatos dici par esset; non ita erga homines affecti essent. Nam propter bonum corporis habitum, et ciborum copiam, et multum somnum beatos prædicare homines, nihil aliud est quam erga illos ut erga bruta animalia affectos esse. Nam et hæc est illorum felicitas; imo id etiam in brutis malum est; multi quippe asini et equi otio et edacitate perierunt. Quod si brutis, quibus tota virtus in bona corporis habitudine sita est, id nocumento est, an in hominibus, quorum omnis dignitas in nobilitate animæ, id virtutis loco ponemus, nec reverebimur cœlum, et animæ nostræ cognatos Angelos? Non erubescis ipsam cor-

poris naturam et formam? Non enim quemadmodum brutis eam nobis effinxit Deus, sed ut decebat illud, quod animæ rationali et immortali ministraturum erat. Cur enim bestiis omnibus versus terram demissos oculos Deus indidit; tibi vero in capite ceu in arce illos collocavit? Nonne quia illis nihil cum cœlo commune, tibi vero ut superna contemplareris, lex a Deo et a natura ipsa ab initio posita est? Cur corpus tuum erectum fecit, illis vero pronum? Annon eadem de causa, ut ex ipsa formatione erudiret te, ut nihil commune haberes cum terra, neque præsentibus rebus adhæreres? Ne itaque nobilitatem prodamus nostram, neque ad brutorum ignobilitatem delabamur, ne de nobis dicat illud : « Homo cum in honore » esset, non intellexit [1]. » Nam deliciis, divitiis, gloria præsentibusque rebus felicitatem vitæ circumscribere, non est hominum propriam nobilitatem considerantium, sed hominum, equis et asinis similium. Verum absit ut tales hic adsint in sancto choro ac theatro spirituali, conventuque religioso. Ideo enim quotidie divini verbi prædicatione fruimur, ut verbo quasi falce præcisis sylvescentibus animi morbis, fructiferæ arbores simus, fructumque tempestivum feramus in regium horreum deponendum, qui gloriam referat communi Domino et cultori animarum nostrarum, et nobis vitam æternam, quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cui cum Patre simulque cum sancto Spiritu, gloria imperium et honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. XLVIII, 21.

ORATIO II.

De Fato et Providentia.

« Qui maledicit patri aut matri, morte moriatur[1] : » hæc lex in Veteri Testamento posita erat[2], quando non magna erat optimi vitæ instituti accuratio, quando divinitas inducta est, quando puerilia præcepta, quando lac, pædagogus, lucerna, figura, umbra. Quid jam dixerimus de iis qui nunc in gratia sunt, et in rerum veritate, in tantaque cognitione versantur, ipsique non patri et matri, sed Deo universorum maledicunt? Quodnam illos excipiet supplicium? Quis cruciatus nequitiæ tantæ par erit? Quis fluvius igneus? quis vermis immortalis? quæ tenebræ exteriores? quæ vincula? quis stridor? quis fletus? Omnia tormenta, quæ jam sunt, et quæ futura sunt, non sufficient animæ sic affectæ, et in tantam nequitiam lapsæ. Blasphemiæ autem modi multi variique sunt; quos necesse est hodie omnes exponere, ut in nullum eorum sponte labamur, neque amicum vel inimicum quempiam similiter lapsum negligamus. Nullum enim, nullum utique est peccatum hoc deterius, nullum æquale : sed additamentum malorum est, quod omnia confundit, quod inexpiabili et intolerando plectitur supplicio. Quinam sunt qui Deo maledicunt? Qui sapienti ejus providentiæ fati confusionem et necessitatem ceu murum opponunt. Certe quod infideles, qui ligna et lapides insulse mirantur et colunt, hoc laborent morbo nihil mirum; quod autem ii, qui ab hoc errore et servitute liberati sunt, qui cognitione Dei dignati sunt, quasi ex regressu quopiam, in hanc procellam, in

[1] Exod. xxi, 17. — [2] Vide D. Guillon, tom. xii, p. 127-134.

hunc cogitatum, in hanc amentiam reciderint, illud est gravissimum, multisque vere lacrymis, fletibusque dignum : quando ii, qui se Christum adorare dicunt, qui tantis dignati sunt mysteriis, arcanis imbuti dogmatibus, et sapientia illa quæ ex cœlis ad nos delata est, post tantum honorem, quem a Deo acceperunt, se ipsos præcipites agunt, atque a libertate, quam ipsis Deus largitus est, se admodum insani dejiciunt, gravissimæque se subjiciunt servituti, dum horrendam tyrannidem, quæ nunquam fuit, cogitatu fingunt, et spem bonam excindunt, nervosque eorum, qui virtuti student, excindere student : quemadmodum in bello milites strenuos, et animam pro patria effundere paratos cernens inimicus quispiam, qui nec eos alio modo lædere, neque a studio erga regem avocare, neque timidos efficere, neque machinis superare potest, alio illos modo corrumpit, suadereque conatur frustra illos temere et sine causa tantum suscipere laborem; ita ut ejus manus debilitet, robur dejiciat, animi studium extinguat, ut his omnibus a pugnandi studio amotum, nudos et inermes advertens, vinctos demum in captivitatem adducat. Sic et diabolus fecit. Cum videret maximam orbis partem Dei gratia Gentilium errorem irridere, totisque animi viribus, verbum veræ religionis prædicare : hinc vero magnum virtutis studium manare, multumque nequitiæ contemptum; non ausus palam dicere, Deficite a Christo, ejus dogmata irridete, fabulæ sunt et errores, ipse Christus improbus et inhumanus est. Novit enim eos ita magis a sua tyrannide recessuros, et in majus sui odium venturos. Ideoque non recta via criminationem offert, sed circuitione usus, impiæ disciplinæ virus clanculum spargit, specie quidem ipsos in fide manere sinens, radicitus autem illam evellens, omniaque veritatis dogmata pessumdans, atque in obsequentes sibi

homines magnam effundens contra Deum calumniam. Propterea ab illo hoc venenum, et mortifera fati pharmaca adornata sunt, ut omnia, quæ dixi, clam invehat, utque doctrinam fidemque nostram vanam esse ostendat, hominibusque suadeat malum de Deo ferre judicium. Quod etiam initio circa Adamum fecit, Deum quasi invidum criminatus. Illud enim pene dixit dum hortaretur : Sciebat Deus, inquit, oculos vestros aperiendos esse; sciebat vos quasi deos futuros esse; invidit huic honori vestro majori. Etiamsi enim hæc verba non subjunxerit, eadem tamen ex prioribus conjicienda reliquit. Ac vide nequitiam. Subverso Dei decreto, postquam dixerat magna illis obventura bona esse, si non illi obtemperarent, videlicet apertionem oculorum, æqualitatem cum Deo, et ipsi annexam scientiam ; non adjecit improbum illum esse, qui hæc prohiberet, ne videretur ceu inimicus et hostis verba facere; sed personam consiliarii, et curatoris suscepit, ut malam hortationem redderet acceptiorem, quod etiam accidit. Nihil enim aliud his dictis perficere voluit, nisi ut deficeretis a Deo conditore. Invidus est et livore plenus, maximis nostris invidet bonis. At hæc verba manifeste non posuit : alioquin illum suspicantes inimicum esse, fugissent. His ergo prætermissis et dissimulatis, hoc perniciosum induxit consilium. Eodem quoque modo nunc non dicit, Deficite a Christo, quasi divina præcepta damnanda essent, novit enim sibi mentienti fidem non habendam fore; sed callide videtur nos in iis esse sinere, et cum veritate consentire, sed alio modo nos inscios ab hac æterna hæreditate nos ejicit. Quemadmodum si quis puerum ingenuum ac liberum, sed simplicem et incautum, non quidem dextera apprehensum ejiciat ex domo paterna, sed illum ad ea facienda hortetur, quibus gestis, velit nolit, a paternis omnibus bonis excidet. Neque enim fieri ullo

modo potest, ut is qui fato hæret, cœlum consequatur; imo etiam fieri nequit ut gehennam et supplicium effugiat. Nam divinis præceptis contraria imperat. Dicit Deus : « Si » volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis : si au- » tem nolueritis, nec audieritis me, gladius vos consumet. » Os enim Domini hæc locutum est[1]. » Vides quomodo Deus loquatur, et leges ponat : audi nunc fatum quomodo loquatur et quomodo contrarias ponat leges; et disce illa quidem a divino Spiritu dicta esse; hæc autem a maligno dæmone immanique fera. Dixit Deus: Si volueritis, et, Si nolueritis, in nostro arbitrio et voluntate relinquens virtutem et improbitatem. Ille vero dicit : Quod fato constitutum est, vitari non potest, velimus nolimus. Deus dicit: « Si volueritis, bona terræ comedetis; » Fatum vero dicit : Quantumvis voluerimus, nisi nobis id datum fuerit, nulla utilitas est hoc velle. Deus dicit, « Si nolueritis attendere » verbis meis, gladius vos consumet. » Fatum contra dicit, Si noluerimus, datum vero nobis fuerit, tamen salvi erimus. Annon hoc fatum dicit? Quid hac pugna clarius fuerit? quid hoc bello apertius, quod adversus divina eloquia nequitiæ doctores dæmones susceperunt? Sed ut jam dixi, quod dæmones, et homines dæmonibus pares, nempe Græci, his fidem habeant, nihil mirum : quod autem vos tam divinæ et salutaris doctrinæ participes, hæc despiciatis, et ad illa absurdissima commenta animæ perniciosa confugiatis, illud longe gravissimum est. « Quid enim » mihi externos judicare[2]. » Mihi apud vos sermo est, membra Christi, filii Ecclesiæ, qui in paterna domo eruditi estis, et cœlestibus disciplinis imbuti, qui tanto honore dignati estis. Ideo gemo, ideo lamentor et ploro. Nam lacrymis digna sunt hæc, quando quis in peccata decidit, quæ venia digna non sunt : quæ venia, quando Deus sen-

[1] Isai. I, 20. — [2] 1 Cor. V, 12.

tentiam dicit, et dæmones contradicunt, eorumque dicta etiam Dei domesticis fide digniora videntur? Non disputationem jam movemus, sed interim eorum, qui ipsis obtemperant impudentiam ostendemus : Deus dicit, « Apposui tibi ignem et aquam, vitam et mortem, quocumque » volueris extende manum tuam[1] ; » dæmon dicit : Non est in te situm extendere manum, sed necessitate quadam ac vi hoc agitur : et hæc tibi videntur fide digniora esse : neque cogitas quantum sit inter hujusmodi consultores intervallum, quod ille sit Deus, hic vero dæmon, non consilii differentiam examinas, quod illud salutare sit et ad virtutem vocet, hoc vero diabolicum ad nequitiam, et improbitatem excitans. Non consideras, quænam tibi a Deo, et quænam tibi a dæmone data sint : quod ille quidem ita te dilexerit, ut et Filium suum unigenitum pro te daret, quo nihil Patri pretiosius erat, atque etiam nunc ita amat, ut te per Apostolos pro tua salute cohortetur, et omnia faciat : ille vero ita odio habuit et habet, ut per omnia te impugnet, neque modo non tibi aliquid boni tribuat, sed etiam ab iis quæ a Deo accepisti te exturbare conetur. Ille te Angelis parem facere studuit, hic vero humi repentibus te abjectiorem effecit, tibique persuasit ut illa adorares : ille in regnum cœlorum aliosque honores te pertrahit, hic vero honoribus tibi collatis invidit, nec prius abiit, quam te inde ejecerit. Quamvis enim illius dogmata perspicere non possitis : etiamsi sole clariora sint iis, qui prorsus supini non sunt : ita conspicuam habent illa, quæ Dei sunt, virtutem atque salutem ; illa vero nequitiam : attamen si non potestis ad illa respicere, saltem ab iis, qui consilium vobis dant, discite quid salutare, quid noxium sit. Quomodo enim absurdum non fuerit cæteris in rebus hoc uti consilio, ut si medicus cibum det

[1] Eccli. xv, 17.

alicui, non de eo ille curiose inquirat; sed ut sanitati conducentem accipiat; si autem veneficus et præstigiator, non multum inquirat, sed quasi venenum et pestem aversetur; et cum de Deo agitur non eodem uti medio? Quanquam tanto majus intervallum est inter Deum et dæmonem, quam inter medicum et veneficum, quanto nec dici, nec mente vel sermone comprehendi potest. Quomodo igitur non extremæ fuerit absurditatis, ubi minor est cibos præbentium differentia, non curiose inquirere, sed conditione personarum universæ doctrinæ loco uti: ubi autem consiliariorum tantum est discrimen, adhortatione opus habere ut intelligatur quid salutare, quid noxium sit? Ne, quæso, ne irrationabilibus bestiis irrationabiliores simus; sed resiliamus, nec præbeamus aures: nam « Corrumpunt mores bonos colloquia prava [1]: » neque veniam assequentur qui decepti sunt. Cur enim si pestilentem, et infectum locum videas, illic consistere refugis, etiamsi sexcenta te ad illam habitationem pertrahant, corporisque valetudinem cæteris omnibus anteponis; cum autem sermone pestilenti atque morbo quidam sunt referti, quæ non corpus tantum, sed etiam animam perdunt, eamque deteriorem ac viliorem reddunt, non tamen resilis? « Audi, inquit Sapiens quidam vir, ne steteris, » resili, ne tardaveris [2], » vel minimam in his metue moram. Hæc porro dicimus, non dogmatum illorum vim reformidantes, sed imbecillitatem vestram metuentes. Nobis enim per Dei gratiam, illorum scita aranearum telis imbecilliora videntur, qui sumus in fide fundati, etiamsi millies ad aures nostras decantent, tanto majore risu a nobis excipiuntur, quasi insani et mente capti: sed imbecillitatem vestram formidamus. Neque adversum omnes hæc dico, sed adversus eos, qui his obnoxii sunt. Quan-

[1] 1 Cor. xv, 33. — [2] Prov. IX, 18.

doquidem Paulus qui omnia tenebat, non doctrinam tantum, sed verborum pugnas adversus extraneos discipulum Timotheum docens, vanos sermones occludendos monet. Breve est vitæ nostræ tempus, exiguum salutis curriculum. Si ergo breve illud tempus nobis ad discendum utilia concessum, in supervacaneas, inutiles et noxias disciplinas insumamus, quandonam aderit aliud tempus, ad discendum ea, quæ necessaria sunt et urgent maxime? Atqui si etiam longissimum esset, totum esset utilibus in rebus insumendum. Cum autem breve sit et exiguum, quomodo non extremæ dementiæ fuerit, ejus brevitatem in disciplinas animæ nostræ perniciosas insumere? Quid medicina opus est? ne plagam accipias, ne tempus absumas in iis sanandis, quas ab aliis accipis : a divinis Scripturis sanitatem compara. Si accesserit aliquis aliena docens, aures obtura, statim resili, ne cuncteris. Si contra imperatores concilium incatur, ne committas ut in ejusmodi consessu locum habeas, quippe qui vel ex auditu rerum, etiamsi non essentiaris, in periculum omnino venias. Quando contra Deum aliquid dicitur, agitaturque dogma accusatione plenum adversus illum, annon fugies? annon maledicam linguam aversaberis? annon impia ora obturabis? Et quomodo poteris cum fiducia Deum precari, qui in eum jactatarum calumniarum particeps fueris? Ne quæso, id eveniat. Hæc a me non ad præsentes dicta sunt; imo potius ad præsentes. Etiamsi enim vos innoxii; si quos noveritis hoc morbo laborantes; his pluribusque aliis contendite verbis, ut malum radicitus evellatis. Id vero fiat precibus sanctorum et amicorum Dei : non enim tantum nostra verba valent, quantum illorum precationes. Faxit Deus ut nos omnes, et quotquot ad Ecclesiæ plenitudinem pertinent, his liberati malis, cum fiducia stemus ante tribunal Christi, cui gloria. Amen.

ORATIO III.

De Fato.

Novi me nuper apud Vestram Charitatem de fato verba fecisse[1], nihilque prohibet quominus de eodem argumento etiam hodie sermonem instituamus : non quod morbus sit ita validus, sed quod socordia vestra sit incredibilis, quæ vel minimas ægritudines permagnas faciat. Siquidem et cæco id vel natura conspicuum est, fideli nempe neque verbis neque doctrina opus esse, ut malum hoc effugiat. Quemadmodum enim eum qui terram nostram inhabitet, legibus nostris utatur, regibus iisdem pareat, non necesse est quotidie persuaderi, ne Persarum institutum inducat, sed semel prohiberi tantum : sic et hoc loco faciendum. Nam quod ad peccata cavenda pertinet : alia quidem sunt quæ sermone doctrinaque egent; alia vero ita manifesta et clara, ut metu solum ac supplicio coërceantur : cujus generis sunt, occidere, adulterium admittere, furari, quæ oratione non egent. Quamobrem legislator non doctrinam posuit qua aures nostræ personarent, et rem esse malam indicaretur : illud enim jam cogitationem nostram præoccupaverat; sed solum prohibuit, non adulterium admittes, non occides. Ubi vero de viduarum despectu, deque depositorum violata fide nos alloquitur, tunc rationes adjicit. « Miserare, inquit, viduam, et advenam : etenim et » tu advena fuisti in terra Ægypti. Sabbatum requie cole[2], » inquit. Deinde causam affert. Fatum itaque aversari, non

[1] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 135-136. — [2] Deut. x, 18, et V, 14; Exod. XX, 10, et XXXI, 13.

præceptum est quod ratiocinio egeat, sed ex illis perspicuis est. Nam quemadmodum palam est cædem et adulterium esse mala et prohibita, ita perspicuum est fatum etiam esse malum ac prohibitum: neque enim ex eo quod aliqui ipsi fidem habeant, putetis ipsum non esse rem vetitam. Etenim et cædes quoque patratur, etsi legibus prohibita; adulteria item et rapinæ admittuntur a multis, quamvis vetita. Quod enim perinde atque cædes, genesis quoque legibus Græcorum sit vetita, hinc liquet, quod si quis adulterio cum uxore cujuspiam admisso, in foro judiciali accusatus dixerit: Non ego, sed genesis: ego quippe temperanter agere volebam, sed illa me impulit. Annon ideo graviores dabit pœnas, ut qui ad ridiculam defensionem confugerit? An veniam impetrabit? Neutiquam. At secundum illos impetrasse oportuit. Si enim genesi non arbitrio nostro hæc fierent, nulla aptior defensio esset. Nam si voluntas nostra potentior sit genesi, nulla genesis erit. Si vero quantumvis conetur quispiam, necesse sit ea quæ genesi sunt præfinita, impleri; frustra punitur ille, et venia ei negatur; sed nemo illum neque se purgantem neque veniam impetrantem audiet: ita res ab omnibus explosa est, fabulæque ac nugarum loco habetur. Multi vero magistratus; (tametsi ab homine quopiam si vis inferatur, id reo ad defensionem sufficiat, imo potius nullum esse crimen ultra videatur;) multi, inquam, magistratus de injusta cæde accusati, pœnas dederunt: carnifices vero, qui cædes perpetrant, suaque manu perficiunt, ad tribunal trahere, vel perquisitionem facere nemo aggrediatur, patrocinante necessitate, magistratus auctoritate, et subjectionis timore. Quod si homini ignoscunt, quia ab homine contribule suo coactus est; nonne multo magis homini per fatum coacto, condonandum esset? Atqui aufugiendum erat. Verum illius, ut aiunt, imperium sic

inexpugnabile est, ut quamvis in desertum, quamvis in mare, quamvis alium in locum te conferas, ejus placita non effugias. Quomodo igitur non absurdum fuerit, eum qui a Barbaris magna vi cogitur, facile veniam impetrare, ut ne quidem accusetur, eum vero, quia a potentiore ut aiunt necessitate compellitur, pœnas dare, neque ad causæ suæ defensionem admitti? Nemo enim unquam fatum prætendens pœnas effugit : non in foro judiciali maleficus, non domi famulus, non in ludo puer, non in artibus discipulus, si quando ii peccaverint. Quomodo igitur quidam fatum tuentur, qui illud sic infamant, ejusque necessitati ne minimum quidem veniæ concedunt? Ita nempe veritate et conscientia sua permoti, fabulam esse putant. Cum autem in gravia peccata lapsi fuerint, aliud rursus prætendunt, quo se pœnas effugere posse putant, quasi vero non ideo graviores daturi. Etenim non tam grave est peccare, quam post peccatum impudenter agere, et propter scelera sua Deum accusare. Hoc omnium peccatorum teterrimum est : illud vero diabolus curat, ut non modo nos segnes ad virtutem, et pronos ad malum reddat, et omnia Deo attribuere suadeat; sed etiam defensionis obtentu, et animam et linguam nostram in blasphemiam conjiciat, ut et Deum accusemus, et male gestorum a nobis odium deponamus, et in eum, qui auctor non est, culpam traducamus. Atqui si quis apud homines aliquid tale designaverit, vel id unum satis est ad ejus accusationem atque perniciem. Cum quis enim alterum calumniatur, etiamsi nihil mali patraverit, ut criminis rei supplicio plectitur. Vide igitur quanta mala diabolus per fatum inducat : virtutis contemptum; animum quippe resolvit quantumvis pronum ad sudores pro illa suscipiendos, quando suadet, nullum quod in nos incidat gestum pro vitio habendum. Cum enim quis didicerit, mœchum, homicidam, muro-

rum effossorem, non esse criminis reum, non desinet quasi in præcipiti loco sponte ruens, providentiæ alios calumniatores efficere, et ipse quoque calumniator Dei esse: quo quid, quæso, perniciosius esse potest? Fugiamus itaque, dilecti, talem idololatriam: vere mors est in olla, omnemque qui inde hauserit vel tantillum perversorum dogmatum[1], prorsus mori necesse est, nisi resiliat; et sanitate pura fruatur. Ne igitur postea infructuose ploremus, cum nobis statutum pœnitentiæ tempus post decessum præcisum fuerit, donec in arbitrio nostro situm est, quotquot hoc correpti sumus morbo, pœnitentiam agamus et resipiscamus: quotquot vero sani sumus, et incolumitatem servamus, hoc morbo correptis manum porrigamus. Nam si corpore ægris hoc studium, hancque curam adhibemus, animi ingruente morbo, quid non a nobis præstandum est? Quid non sustinebimus, ut fratrem, ad societatem membrorum eamdem cooptatum, recuperemus, qui ad plenitudinem corporis ecclesiastici pertinet? Omnia igitur hujus causa suscipiamus, omnia faciamus; canes ac lupos abigentes: neque nostram salutem satis nobis esse putemus. Quemadmodum enim dictum est, « Si videbas » furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem » tuam ponebas[2]; » ita et hic quoque audiamus; cum viderimus aliquem ex fratribus nostris suffurantem verbis et susurris, ista audiamus. Domus Domini est Ecclesia, vasa pretiosa sunt fideles. Cum ergo videris externum aliquem, ex vasis quidpiam diripere conantem, etiamsi tu non hoc vitio captus sis, utpote qui pericliteris, si negligas, neque adeas eos, qui id emendare possunt, reus eris animæ illius, qui cum videris furem effodientem, non impediveris sive per te, sive per alium. Neque vero hoc dico, quod tibi periculum impendere putem, sed ut te securum red-

[1] 4 Reg IV, 40. — [2] Psal. XLIX, 18.

dam, utque id efficiam ut perinde aliorum atque tuam cures salutem. Ita enim poterimus promissa consequi bona, gratia Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO IV.

De Fato.

« Eadem ipsa dicere [1] mihi quidem grave non est, vobis » vero tutum [2]. » Quod si Paulo frequenter discipulos doctrina imbuere opus fuit; Paulo, inquam, qui cum Spiritus gratia docebat, qui cum imperio inimicos abigebat, qui omnium ægritudines tollebat; Paulo ita honorato, quem omnes audiebant quasi Angelum de cœlo descendentem, imo potius quasi ipsum Christum; si itaque illi necesse fuit frequenter eadem ipsa repetere; multo magis nobis, qui nullo in numero sumus : etenim etiam vobis tutum est frequenter de iisdem ipsis rebus audire, nec modo de iisdem ipsis rebus, sed eadem ipsa de iisdem ipsis rebus. Ne gravetur ergo quisquam, neque molestum sibi putet, si de eadem hypothesi eadem ipsa retractemus. Si enim confidere liceret, vos his semel auditis ægritudinem animi deposituros esse, ne sic quidem ab hoc argumento recedendum, sed de eodem ipso loquendum esset, ut firma stabilisque sanitas esset, vosque cauti essetis, ne in hæc opera reciderctis. Quoniam vero apud auditores reliquias adhuc morbi esse suspicamur, necessaria et rationi consentanea nobis est frequens iisdem de rebus adhortatio. Hodie autem dicendum est quo pacto hæc effugiamus. Quomodo igitur effugiemus? Primo precibus et colloquio

[1] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 137-146. — [2] Philip. III, 1.

cum Deo; secundo, piis cogitationibus. Si enim videris quæ futura, quæ præsentia fuerint, ac rectum de utrisque calculum tuleris, nunquam hoc malum animam tuam attinget. Cum ergo videris quempiam præter dignitatem locupletem, ne beatum prædices, ne æmulandum putes, neque Dei providentiam damnes, neque putes temere et casu ferri res præsentes, quia ille quispiam præter meritum locuples est. Recordare Lazari et divitis[1] : ut hic quidem ad summam rerum et divitiarum copiam pervenerit, cum esset crudelis, ferus et inhumanus, ipsisque canibus efferatior : siquidem illi pauperem miserabantur et curabant, nec segniter ulcera in toto ejus corpore lingebant : ille vero ne micas quidem ipsi dabat. Cogita ergo quomodo hic ad summum opulentiæ pervenerit; ille vero pauper, sed reipsa dives, et locuples, in extremam inopiam deciderit, ita ut necessario cibo destitueretur, ac perpetuo cum ægritudine et fame luctaretur. Et hic quidem minus, quam usus tulit, habebat; ille vero ultra modum rerum copia affluebat. Attamen non moleste ferebat; non impium verbum proferebat; non Deum accusabat; non providentiam criminabatur; non fato hæc ascribebat. Nec cuipiam, nec sibi ipsi unquam dixit: Ego qui nihil speciatim mali feci, tales pœnas do, et extremum cruciatum sustineo, fame tabescens, gravissimo absumptus morbo, paulatim absumptus et fœdatus : hic vero dives est, deliciisque affluit, alienis calamitatibus opulentus, malis insultans meis : et hunc tamen inhumanum, immitem, crudelem et saxeum, tantæ pecuniæ dominum fecit Deus; me vero, qui ne minimo quidem verbo ipsum provocavi, tot malis cruciari permisit : quomodo hæc justo illo judicio? quomodo providentia et cura nostri digna fuerint? Nihil horum ille dixit. Quî igitur non absurdum fuerit,

[1] Luc. xvi.

quando iidem ipsi, qui male patiuntur in omnibus, Deo ita benedicunt, te qui extra certamina sis, de iisdem in Deum blasphemare, de quibus alii gratias agunt? Qui enim malo afficitur, etiamsi aliquod verbum durum protulerit, quamvis non tantam quantam alius, aliquam tamen minorem consequitur veniam : qui autem extra calamitates versatur, et aliarum rerum causa animam suam perdit, qua venia dignus erit, si de illis in Deum blasphemet, de quibus ille qui mala patitur, gratias agit, et illum laudare non desinit? Cum videris justum mala patientem, hoc exemplum animo repete : neque enim illo justiorem quempiam nunc dicere possis : id enim liquet tum ex patientia, tum ex præmiis : nam primum ille requiei sortitus est locum, cum patriarcha Abraham honoratus ; neque ullum majora passum mala protuleris, neque ita despectui habitum. Quid enim afferre possis, quando ne de micis quidem, quæ de mensa cadebant, se explere potuit? Quando igitur summam improbitatem videris : quid enim crudelius isto, qui hunc in tanta calamitate præterierit? Vel quid affluentius illa mensa esse potest? aut vestibus summas delicias et fortunas indicantibus? Rursus cum videris summam justitiam : quid enim religiosius anima talia patienti, summasque miserias generose ferenti? Quid enim miserius fame et morbo tam insanabili? Quam, quæso, veniam impetrabis, si in aliis scandalum patiaris? Num intra hujus vitæ terminos res circumscriptæ sunt? Expecta finem, et tunc videbis unicuique secundum vitæ meritum tribui. Ne ante præmia, ne ante coronas perturberis. Cum itaque videris ambos in judicium ingredi, et sententiam judicis subire, tunc de utroque et tu judicium profer. Quot nunc sunt, qui viis insidiantur? Quot qui muros effodiunt? Quot defunctorum arcas effringunt? Quot toris insidiantur alienis? quot mortiferis venenis complures perdiderunt?

Numquid in iis accusamus judicem? Minime. Si enim illos in judicio constitutos dimitteret, et eum qui mala passus esset plecteret, eum vero qui intulisset honoraret et coronatum dimitteret, revera culpandus, et criminatione admodum dignus esset. Cum autem nondum traditi sint, nec judicii tempus advenerit, necdum ille rationes expetat, tu anticipando condemnas? Atqui oportebat, inquit, etiam hic peccatorum pœnas dare. Vitam tuam, o homo, perpende, et in conscientiam ingredere tuam, et sententiam mutabis, non judicium illud laudabis, sed benigni Dei tolerantiam approbabis. Nam si ab unoquoque statim a peccatis admissis pœna daretur, jamdiu genus nostrum de medio sublatum fuisset. « Quis enim gloriabitur se purum » habere cor, aut quis confidenter dicet se purum esse a » peccatis [1]? » Sed quando Dei tolerantiam ægre fers, tecum accurate reputa ea, quæ admisisti delicta, et de patientia illa gratiam habebis, tolerantiamque illius admiraberis. Conturbaris, angeris, omnia tumultu reples, quia ille præter meritum ditescit, et clientela multa fruitur. Annon audis Psalmistam dicentem, « Ne timueris cum » dives factus fuerit homo: quoniam cum interierit, non » sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus [2]. » Non audis Prophetam magna voce clamantem: « Omnis » caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni [3]. » Annon vides cum Prophetarum oraculis testimonium ferentem rerum veritatem? Annon vides experientiam et exitum cum dictis calculum ferentem, cum interierit, non sumet omnia? Audi Job idipsum dicentem, « Nudus egres- » sus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc: » quoniam cum interierit, non sumet omnia [4]. » Audi Paulum eadem ipsa philosophantem, « Nihil intulimus in » hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid

[1] Prov. xx, 9. — [2] Psal. xlviii, 17. — [3] Isaï. xl, 6. — [4] Job. i, 21.

»possumus [1]. » Tu vero beatum prædicas hominem, qui nihil auferre potest eorum, quæ expediunt illi præsto esse in die judicii; et quæ major miseriæ ratio atque infelicitatis, dic mihi, quam cum is, qui in deliciis vixit, hinc abit summa cum ignominia? Tu vero si quemquam opulentum et arrogantem in foro videres, in extranea regione multo honore fruentem, parasitis adulatoribusque stipatum, ubi autem in patriam rediret, nihil eorum habentem, sed nudum, inglorium, mendicis egentiorem ac viliorem, an hunc æmulatione dignum censeres? annon potius illum miserum et infelicem diceres? Idipsum erga divites facito. At quidam sunt, qui postquam hos de philosophia sermones moverimus, suum hircorumque instar abdomini addicti, rebusque præsentibus servientes, nihil post decessum superesse arbitrantur. Alii vero superesse quidem aliqua putant, sed præsentia futuris anteponunt. Contra eos autem, qui nihil superesse putant, sed extinctam animam nullam reddituram esse rationem, nec pœnam subituram esse arbitrantur, utpote contra insanos et furiosos, ridiculum forte esset dicere. Neque enim si quis in die dubitet num dies sit, et de omnibus quæ in confesso sunt quæstionem moveat, e re fuerit illi verbis persuadere, et ad eum sententiam adducere. Attamen Charitatis Vestræ causa, cum illo quoque disputabimus quemadmodum nobis Dei gratia dederit. Quid dicis, homo, nihil post hanc vitam esse putas? Id enim necesse est dicere. Quomodo ceu malorum quorumdam gradibus, eum qui semel a veritatis tramite dejectus fuerit, in deteriorem semper sententiam projicit diabolus? Animadverte enim: persuasit temperantiam, æquitatem cæterasque virtutes negligere, improbe vivere fecit, ac de reliquo illos pravæ conscientiæ assuefecit, ipsosque induxit, ut suorum

[1] 1 Tim. VI, 7.

facinorum pœnam in alios transferre studerent, cum oportuisset a nequitia recedere. At illi hoc minime fecerunt; sed improbum dogma, innumeris scatens malis, commenti sunt, fati videlicet. Deinde in hoc confutati, et fateri tandem coacti præsentia nihil esse, futura subvertunt, et sententiam de resurrectione tollunt. Et si illos in hoc etiam confutemus, in aliam impiam doctrinam decidunt. Nos interim quod in manibus est confutemus. Nihil-ne post hanc vitam erit, o homo, et tu hanc sententiam oppugnas? Græci qui tot in rebus delirarunt, hujus tamen dogmatis veritati non restiterunt. Quod si illos sequaris, aliquam certe illi vitam post hanc esse concesserunt, et rationes reddendas, et judicia apud inferos, et supplicia, honores, calculos atque judicia. Si Judæos interroges, aut hæreticos; si quemvis hominem, reverebitur ille hujus dogmatis veritatem: et si in aliis differant homines illi, in hoc tamen omnes conveniunt, et dicunt, eorum quæ hic gesta sunt rationem ibi reddendam esse. At tu nulli horum obtemperare vis, sed semel errori deditus impudenter agis. Itaque propter eos, qui etiamnum sapiunt, hac de re sermo instituendus est. Eum enim qui nihil post hanc vitam esse profiteatur, neque Deum etiam esse fateri necesse est. Vides-ne, quemadmodum dixi, consequentes opiniones prioribus semper deteriores gradatim ab illis admitti? si enim post hanc vitam nihil illic residuum est, nec Deus etiam est. Nam si Deus sit, justus est; si justus, unicuique pro merito retribuit. Si porro nihil post hanc vitam est, ubinam pro merito quisque recipiet? Animadvertas velim: Multi præter meritum, ut ipsi jam confessi sunt, bonis honoribusque fruuntur in hac vita; alii vero, qui in justitia vivunt, cruciantur. Si ergo nullum sit postea tempus, inique accepti justi, præter meritum bene habiti injusti discedent. Si autem res ita se habeat, quo

modo esse justitia posssit? Necesse enim est, esse aliquod tempus post hanc vitam, in quo singulis pro merito tribuatur, in hac vita enim hoc non invenitur. Sin tale tempus non sit, quomodo quisque pro merito recipiet? si vero nullus pro merito recipit, ergo Deus secundum te justus non est; si Deus justus non sit, neque Deus est. Sed blasphemia in caput eorum, qui nos ad hæc dicenda compulerunt, retorqueatur. Videte in quantam blasphemiam oratio provecta sit. Verum quod Deus sit res ipsæ clamant: et consequenter ille justus est: Si justus sit, unicuique pro merito retribuit: si unicuique pro merito retribuit, necesse est post hæc aliud quoddam esse tempus, quo unusquisque pro merito accipiet, et pro gestis suis vel pœnas dabit, vel præmium accipiet. Sobrii simus, dilecti: quidam in ignorantia Dei versantur, nos vero sobrii simus, vigilemus. Peccasti, ne addas iterum: peccasti, quiesce[1]: peccasti, ne connectas bis peccata. Nos vero tripla et quadrupla connectimus, talium opinionum onere mentibus nostris imposito. Peccasti, agnosce Dominum misericordem, benignum, bonum, medicum, condonantem, exorabilem, placabilem. Annon audisti quod decem millia talenta quidam cum devorasset[2], et herilia omnia bona perdidisset ac dissipavisset, cum paratus esset ad mulierem filiosque vendendos, ut flevit solum, ut pedes heri attigit, universi illius debiti remissionem invenit? Sin dicas illum postea tortoribus traditum: norunt causam ii, qui historiam sciunt: aliud mihi narras humanitatis argumentum. Nam et tunc illum miseratus dimisit, et rursus alium miseratus eum in carcerem conjecit: sicut huic tunc opem tulit, ita nunc illi subsidio fuit: hunc ita accepit ut eruderet ne crudelis et inhumanus esset; illum vero ut a vi et immanitate alterius liberaret. Videte, dilecti: bene mihi

[1] Gen. IV, 7. — [2] Matth. XVIII, 24.

inter dicendum venit in mentem hæc cogitatio : Quomodo non modo cupiditas alieni, et bonorum direptio, verum etiam misericordiæ defectus, gehennam nobis pariat. Hic quippe, non quod aliena injuste rapuisset, sed quod sua inhumane repeteret, tortoribus traditus est. Nam dicitur, illum debuisse; verum etiamsi ille deberet, et tu quoque idem ipsum debebas, et eadem æquitas in utrisque servanda erat. Ideo dimisit tibi, ut suam tibi ostenderet benignitatem, teque dominicæ mansuetudinis æmulatorem redderet. Quoniam vero bene acceptus, non melior effectus es, altero te modo corrigit, supplicio scilicet atque cruciatu : itaque et illud beneficii quædam species est. Tradidit tortoribus, ut ceu medicus optimus nequitiam animi tolleret. Leni medicinæ non cesseras, ferro tibi deinceps et igne opus est. Novit ille qui decem millia talenta dimisit, te crudelem et inhumanum esse; sed expectavit ut ex rerum eventu sese apud te purgare posset, quod plerumque facit, licet sciat se juste agere. Postquam sese apud te purgavit hoc facit, quod et erga Sodomitas faciebat. Non statim injecit ignem, neque urbes illas vastavit : sed quid? « Clamor Sodomorum et Gomorrhorum,» neque id tantum; sed «Descendens videbo[1]. » Neque hic constitit, sed misit Angelos, qui tibi incolarum civitatis nequitiam ostenderent, ut ne quidem impudentium quispiam posset Deum criminari, quod inhospitales, quod inhumanos, quod iniquos, quod æquitatis jura ignorantes, quod eos, qui communes naturæ leges everterent, malitia plenos, deleri oporteret. Quid tam benigno et mansueto Deo par fuerit? Atqui nos dum castigamus, ne causam quidem sæpe dignamur dicere : ille vero nisi prius te docuerit, nisi prius tibi persuaserit, nisi tuum ceperit suffragium, quod jure supplicium infligat, non castigat eos,

[1] Gen. x.

qui jamdiu supplicio et animadversione digni erant, atque rationem sæpe tibi reddere paratus est, et in judicium descendere, tecumque disceptare non gravatur. Vides Prophetas his sermonibus plenos. Ubique judicia Dei cum hominibus: ac plerumque inique agentes ipsos in judices advocat, sæpe etiam universum orbem ad calculum ferendum sedere jubet, ut judiciorum conspicuitatem ostendat: ne ipsum quidem adversarium, nec etiam insensilia ad judicium advocare recusat Deus: quod nobis in more est facere, quando in jure nostro confidimus. « Audite, » valles, fundamenta terræ, quoniam judicium Domino[1]: » et rursum, « Audi, cœlum, et auribus percipe, terra, quia » Dominus locutus est. » Sæpe vero illos ipsos reos, « Po- » pule mi, quid feci tibi, aut in quo læsi te[2]? » Et Jeremias, « Quod invenerunt in me delictum patres vestri[3]? » Neque hoc solum in civitatibus et nationibus facit, sed etiam in uno sæpe homine. Cum Davide disceptat per Prophetam: et Jonæ recusanti Ninivitis prædicare, se Deus per cucurbitam excusat: « Si tu parcebas super cucurbitam, ego » non parcam super Niniven[4]? » Et multorum hujusmodi Scripturas plenas invenies. Hæc itaque cum sciamus, ipsum adoremus, admiremur, colamus quantum in nobis erit, digne enim non possumus. Curam habeamus præsentis vitæ, et persuasum habeamus Deum præesse, et providentiam omnia gubernare: et post hæc omnia consequi promissa bona poterimus, quibus nos omnes potiri contingat gratia Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Mich. VI, 2. — [2] Isai. I, 2. — [3] Jerem. XXXVII, 17, et II, 5. — [4] Jon. IV, 10, 11.

ORATIO V.

De Fato.

Nulla est omnino tam depravata doctrina [1], dilecte, neque tam incurabili sanie plena, quam est hæc de fato et de genesi. Nam præterquam quod blasphemam et impiam doctrinam in animis eorum inserit, qui decipiuntur, et ad talia de Deo dicenda inducit, quæ ne de dæmonibus quidem quispiam dixerit; vitam etiam confundit nostram, omnia tumultu multaque perturbatione replet: ac quæcumque ad doctrinam et emendationem a Deo et a natura, perque Prophetas et sanctos viros inducta sunt, evertit, labefactat et supervacanea demonstrat: ac perinde facit ac si quis corpore infirmum, ac medicina egentem, præsentibus ac remedia parantibus medicis, hortetur ut nullo utatur eorum, nec liberetur a morbo, sed socordiæ negligentiæque se dedens, miserrimam expectet perniciem. Annon hæc fatum dicit? Nemo quidquam utile præcipiat; nemo audiat alium cohortantem. Frustra leges et judices, frustra minæ et admonitiones, frustra supplicii metus, frustra honores, præmia, palmæ bene agentibus. Si curam habeas, nihil hinc emolumenti; si negligas, nihil damni. Ne ad ludum puer pergat, ne vir adultus leges audiat, ne animum adhibeat consiliis et admonitionibus. Quid poterit afferre labor? Quasi non saburrata navis nautis et gubernatoribus destituta, tempestatis violentiæ misso mentis gubernaculo, sic feratur. Vis-ne, quæso, obtemperemus, nihilque faciamus quod ad vitæ nostræ salutem pertineat?

[1] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 146-150.

Interim prætermittantur ea quæ ad animam spectant, de præsenti vita disseramus. Obtemperabimus-ne fato ita dicenti, neque famulos delinquentes puniemus, neque lascivia corruptos reducemus, neque iniquos ad judicium agemus, neque leges audiemus? Vellem equidem ad breve tempus hæc fieri, ut re et opere perniciosam hanc et exitiosam malorum magistram perspicere possetis. Si enim necesse est omnino, ut quæ in fato sunt eveniant, tum laborantibus nobis, tum dormientibus, nullus agricola boves jungat, vel aratrum trahat, ne sulcum scindat, neque semina jaciat, ne anni tempus opportunum observet, ne gelu et assiduam pluviam toleret, ne miserias et labores secundum anni spatium; falcem ne acuat, ne segetem demetat, ne spicas terat, ne plantet, ne plantas colat; omnem agriculturæ curam abjiciat, domi sedeat, semperque dormiat, si omnia ipsi e fato pendeant; sua sponte omnia bona domum venient. Si autem in contrarium fusum verterit Clotho, quamvis sexcenties laboret, nullus ipsi finis laborum sudorumque erit. Cur itaque non hæc præcipitis, si revera fato creditis? Cur non hortamini, ut revera discatis quæ bona fatum pariat? Vis mihi ostendere quid vere sit fato constitutum? Solve agriculturam, tolle nauticam, mitte artes omnes, quæ ad vitam pertinent, ne sit architectus, non ærarius, non textor, ne alius quispiam artem quamlibet tractet ad vitam nostram conferentem, et tunc clare videbis, qualia sint fati pignora, tunc illud pulchre senties, tunc ejus immutabilitatem perspicies. Sed quid artes dico, quæ vitam nostram continent? Stent artes, nullamque repudies; sed omnibus suo in ordine manentibus, quisque nihil suorum curet, nec de re domestica sit sollicitus, sed omnia fato administranda committat, et hanc ejus utilitatem sciet, quando tortus et flagris cæsus vectigal solvere cogetur, et cum nequeat,

ad fati defensionem confugiet, nullusque ipsi attendet. Quousque mente pueri erimus? Quousque delirandi finem non faciemus? Quousque non agnoscemus communem Dominum? Si bonos ac malos fatum facit, cur puerum admones, cur hortaris? Omnia temere et frustra. Si divites et pauperes facit, ne mittas ad ludum litterarium, ne pecuniam suppedites, ne quidpiam facias quod opes ejus augere possit; sed res ejus omnes fato permitte. Atqui id non audes. Vides ut dum in minoribus ejus potestati non confidis, in majoribus ipsi credis? Nam si omnino fatum est, permitte puerum cum improbis hominibus versari, et cum depravatis depravari: plane si id fato constitutum sit, et tibi proderit. Etenim vere, inquit, vere fatum est. Cur ergo et tibi et alteri negotia facessis? Ecquid de filiis loquor, quando ne erga servos quidem sic agere audes; sed et minaris, et perterrefacis, nullumque non lapidem moves, ut sit tibi probus famulus, neque genesi confidis? Cur ergo, si sit improbus, verberas? Non enim ejus peccatum est, sed pellentis geneseos. Cur eum si probus sit laudas? bonum enim opus, non illius, sed geneseos est: imo potius nec probus quispiam, nec improbus erit. Qui enim per se nihil horum facit, sed aliunde necessitate pellitur, neque hoc, neque illud erit. Cur ergo viros laudamus? cur vituperamus? cur execramur? cur aliis bene precamur? Vides in quantam nos absurditatem fati ratio duxerit? Nullus est temperans, nullus intemperans, nullus avarus, nullus justus. Sublata est virtus et nequitia: ac frustra in præsentem vitam deducti sumus; imovero non frustra, sed in malum nostrum. Quî, quæso, non absurdum fuerit a genesecos necessitate in nequitiam impelli; atque iterum eadem violentia, extremas improbitatis pœnas dare, cum commiseratione potius et misericordia digni essemus, odio habemur

et supplicio afficimur, ubi honore afficiendi eramus? Is enim qui cum injuste et violenter agitur, non supplicio sed honore est afficiendus : nos autem et injuria simul et supplicio plectimur. Quid hoc irrationabilius esse possit: quod cum male patiamur, inque nequitiam impellamur, ideo pœnas demus? Homicidam fatum fecit, et morte mulctat eum, qui sibi obsecutus est. Quid hoc perniciosius dogmate unquam fuerit? Quemadmodum si quis in barathrum impulerit, et præcipitem actum comprehenderit, hujus rei causa puniendum : vel quemadmodum si quis barbaræ cuipiam dominæ aliquem cruciandum, et innumeris afficiendum malis tradiderit; eumque sic traditum, propter servitium et captivitatem supplicio affecerit. An vero vel immanius vel miserius, quæso, hoc genere quidquam esse possit? Si hæc ita se habent, et si inimici atque hostes, suis hostibus veniam dare norunt, quando inviti et nolentes vel gravissimum quidquam adversus illos patrarint; fatum vero subditis suis sibique prorsus obsequentibus, imo in necessitatem adductis, veniam non concedit, imo pro iis, quæ ipsos facere coëgit, pœnas repetit; qualis colluvies, qualis labyrinthus, qualis tempestas, dic mihi, tantam imitetur confusionem? Non satis mihi fuit unus iniquitatis modus, quod cum nihil peccaverim, in nequitiam conjiciar, et quod alius, qui nihil boni fecit, bonus efficiatur, et honore fruatur? Non satis est hæc una injustitia, quod temere et sine causa me malum, illumque bonum fecerit, aliam quoque adjicit, neque justam hominum judicandi rationem imitatur? At homines ita humani benignique sunt, ut involuntaria a voluntariis distinguant : hæc vero rerum humanarum gubernatrix Erynnis quædam malusque dæmon, sic omnia confundit. Si ergo Deus non est, qui his prospiciat, utrinque hæc sententia confutari potest. Fieri enim nequit in

tam pulchro rerum ordine providentiam non esse. Quod si Deus non sit, quomodo hæc constare possint? Si sit Deus, hæccine despicit? Si enim ipse fecerit; vide impietatem et blasphemiæ magnitudinem : si non fecerit, et hæc opificia negligat, non minor hæc erit, quam prior, criminatio. Vides ut undequaque diabolus urgeatur, dum homines impellit ad insaniendum contra Dominum? Vis-ne mihi persuadere, te fato credere, et putare illud esse vere dogma? Ne accuses mulierem adulteram, ne ira effervescas, ne mœchum ad tribunal judicis adducas. Si vederis suffossum murum, ne comprehendas eum, qui suffodit, neque pœnam expetas : non enim sponte hoc fecit, quemadmodum tu dicis. Res tuas omnes nihil cura; nam ea quæ fato constituta sunt prorsus evenient. Projice quidquid habes auri : abjice curam domus, fori, mancipiorum, incuria tua per fati incuriam nihil lædetur. Atqui nihil horum facere ausis, re ipsa persuasum habens, te hanc doctrinam improbare. Cur ergo in peccando illam objicis, quam ubique damnas? Vides non aliunde hoc dogma induci, quam ex socordia, et negligentia, et ignavia ad virtutis labores subeundos. Si genesis est, judicium non est; si genesis est, fides non est; si genesis est, Deus non est; si genesis est, non virtus, non improbitas est; si genesis est, omnia frustra, omnia temere et facimus et patimur. Non est laus, non vituperium, nullus pudor, nulla verecundia, non leges, non judicia. Unde hic dives, inquies, unde hic pauper est? Certe si horum causam ignorabamus, in ignorantia permanendum erat potius, quam aliud pravum dogma assumeremus. Melius est enim bene ignorare, quam male scire. Illud enim culpa liberum est, hoc venia caret. Verum nunc per Dei gratiam liquet, unde hic dives, ille pauper sit : vel enim paternam sortitus hæreditatem, vel negotiatione et mercatura usus,

vel aliena furatus, aut rapina ditatus, vel ducta opulenta uxore, vel agricultura, vel artificio, vel alio simili auctus est. Multæ rationes sunt divitias comparandi, aliæ justæ, injustæ aliæ. Eadem quoque ratio est paupertatis, nam vel calumniis, vel aliorum rapinis, vel abliguritione propria, vel ignavia, vel amentia, aut alio quopiam modo; multæ quippe sunt ad paupertatem viæ; in egestatem devenitur. At qua de causa, inquies, ille qui meretrices alit, et parasitos et adulatores, et qui alienis nocumentum affert, qui frigidam hanc et solutam ducit vitam, divitias habet ceu ex fontibus affluentes; alius autem æquitatem, temperantiam, justitiam cæterasque colens virtutes, ne quidem necessarium victum habet: cum hic bonus sit et laboriosam virtutis elegerit viam, hic autem improbus, ac diffluentem dissolutamque nequitiæ viam susceperit? Cur ergo improbus ille ditescit, hic vero probus, pauper est? Ut et hic majorem accipiat coronam, si ista perferat, et patientia utatur; ille vero majus supplicium atque pœnam, nisi vitam mutaverit, nisi melior fuerit, nisi Dominum suum agnoverit. Dilatio enim a Deo data, eos qui in nequitia manent, magis deprimit, atque rerum copia, iis data, qui illa ut par est non utuntur, accessio culpæ efficitur. Sic et ærumnæ et angustiæ proborum, sunt coronarum accessio, etiamsi interdum labantur. Mediocris igitur est venia. Non enim simpliciter peccata judicantur; sed alio modo dives, alio pauper: hic cum venia, ille sine venia. Exempli causa sit fur et ambitiosus, tum dives, tum pauper: hic quamvis frigidum, habet tamen aliquod perfugium paupertatis necessitatem; ille vero nullum habet probabile perfugium. Itaque quanto inferior est pauper in præsenti vita, tanto superior est in futura quoad bona opera, dives vero quantum ad delicta. Ne itaque putes vel injuriam pati pauperem, vel præstare

divitem. Quemadmodum in malis, qui pœnas hic persolvunt, vel totum abluerunt, vel minores illic pœnas dabunt, utpote qui hic magnas calamitates sustinuerint. Sic et in bonis, qui hic honoribus fruuntur, et in nequitia perseverant, honorem ceu viaticum habent ad supplicium. Vide igitur quomodo Deus malis istos honores exprobret : « Dedi tibi, inquit, omnia, quæ Domini tui[1]. » Et rursus sacerdotibus tempore Heli, honorem[2] : et alibi : « Dedi vobis ex adolescentulis vestris in prophetas, et ex » filiis vestris in sanctificationem[3]. » Et ea quæ in solitudine facta sunt, ubique proponit. Itaque quando videris divitem, injuriosum, ambitiosum, raptorem, ideo illum maxime deplora, quia dives cum sit, hæc facit, majores enim pœnas dabit. Cum videris pauperem, multam justitiæ curam habere, ideo maxime illum admirare, quod cum paupertate talis sit. Si hæc apud te accurate constituta maneant, nunquam de rebus quæ geruntur turbaberis : si in futura respicias, si præsentia nihil esse putaveris, si illa semper speraveris, si ab his te semper segregaveris. Utinam nos bona omnia consequamur, gratia Christi. Amen.

ORATIO VI.

De Fato sive contra ingluviem.

« Comedamus et bibamus[4], cras enim moriemur[5], » Prophetarum tempore multi apud Judæos dicebant : sed

[1] 2 Reg. XII, 8. — [2] 1 Reg. II, 28. — [3] Amos. II, 1. — [4] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 150-151. — [5] Isaï. XXII, 23.

Judæos hoc dicere, « Quorum Deus venter est, et gloria » in confusione eorum [1], » nihil mirum; quod autem post gratiam, post præsentium rerum despectum, post tantam perfectionem diligentiamque susceptam, quidam adhuc sint, qui etsi hæc verba quidem non proferant, idem ipsum operibus clament, quanta illud criminatione dignum est? Sunt enim, sunt revera, qui se putent ideo in hanc inductos vitam, ut deliciis diffluentes, ventrem disrumpentes, corpusque impinguantes, sic abeant, lautas vermibus propriarum carnium epulas parantes. Atque utinam id unum esset mali, quod frustra et incassum præsentia insumerent : tametsi et hoc quoque non reprehensione et culpa vacet. Quando enim pecunias a Deo nobis ad corporis alimentum, et ad egenorum subsidium datas, in luxuriam, contumeliam, et extremam socordiam insumimus, hujusmodi nequissima impensa non a supplicio immunis erit, sed omnino rationem reddemus : quodque de quinque talentis, de duobus et de uno dictum est, de divitiis deque aliis omnibus est dicendum. Ut itaque dicebam, si temere et incassum vixerimus, non a ratione reddenda immunis erit talis agendi ratio : nunc etiam præter illud, alia quoque ultio aderit. Nam qui in deliciis vivit et ebrietati indulget, qui parasitos et adulatores alit, qui cibo potuque disrumpitur, sæpe, velit nolit, peccare necesse est, et quo tempore in præsenti loco versatur, et quando ad alium transmigravit. Quemadmodum enim navis, cum majorem, quam ferre possit, mercium copiam accipit, ob oneris gravitatem demergitur; sic et anima, et corporis nostri natura, plura quam ferre possit alimenta recipiens, deprimitur, et onus injectum non ferens, in perniciei pelagus demergitur, et gubernatorem et nautas, et proræ ductorem, et vectores ipsam-

[1] Philip. III, 19.

que sarcinam simul perdit. Quemadmodum igitur in hujusmodi navibus, non tranquillitas maris, non scientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non apparatus commoditas, non anni tempestas, non aliud quidpiam, sic agitatam juvat navim; sic contingit in delicate viventibus, non ratiociniorum copia, non doctrina et adhortatio, non admonitiones et consilia, non aliud quidpiam, non timor futurorum, non pudor, non præsentium accusatio, non aliud quidvis potest sic agitatam animam servare. Sed immoderatio omnia superat, quæ hac ægritudine laborantem, velit nolit, deprimit ac demergit, naufragiumque parat, unde sese reducere difficile est. Neque ad res futuras et ad rationes ibi reddendas tantum, sed etiam ad præsentem vitam hujusmodi homo inutilis redditur, nec ad quidpiam idoneus est, sed ubique deridendus, tum in civilibus, tum in propriis negotiis. Etsi aliquid quod urgeat sit agendum, non providendi, non administrandi facultatem habere deprehendetur: inimicis omnibus captu facilis, amicis omnibus et propinquis inutilis. Neque solum in periculis et calamitatibus facile damnum accipiet, neque in rebus pacatis et tranquillis tantum intolerabilis erit: sed etiam in rebus asperis, ob moderationis penuriam, ad singula quæ accident inutilis erit. Illic enim, in ærumnis dico, ignavia, imbecillitas, metus ingens, consilii penuria occupabit illum; hic vero audacia, socordia, lascivia, immoderatio, superbia, arrogantia, magis quam superiora intractabilem facit omnibus. Neque enim hujusmodi hominum corpora tantum deformia sunt, mollia, diffluentia, tetro odore undique plena efficiuntur; sed etiam anima corpore longe deformior est, majoribus, quam illud morbis ex deliciis affecta. Quemadmodum enim corpus non excrementa modo naturalia emittit; sed etiam alia omni ex parte

uberius profundit : etenim oculi, nares, et ora, dum interiora hac abundantia gravantur, humore teterrimo et corruptione implentur, et ipsa carnis natura mollior effecta, quam pro naturali temperamento, quasi cœno et impura illuvie referta, putida simul et iners efficitur, atque ad omne opus bonum inepta. Nam et ipsa terra, cum tali copia oppressa, proprium innatumque calorem emittit, suam item vim perdit, ac neque ad culturam, neque ad fertilitatem suam est idonea. Hinc autem gravibus et insanabilibus morbis corripiuntur ii, qui in deliciis perpetuo vivunt : tremoribus, solutione, tabe, capitis mucore, pedum manuumque doloribus, aliisque multis, quos medici memorant, obnoxii fiunt. Itaque etiamsi non gehenna, non pœna, neque extrema damnatio a Deo esset, neque ab hominibus reprehensio, non sumptus importuni, neque alia innumera a deliciis exorta; hocque solum adesset, annon satis esset ad omnes avertendos? Hujusmodi namque mensæ mortiferis potionibus nihilo meliores sunt; imo etiam, si vere dicendum sit, longe deteriores. Illæ namque sumentem confestim de medio tollunt, et ad mortem sine cruciatu deducunt, ut ne de hac quidem re doleat is qui moritur : deliciæ vero vitam sexcentis morbis graviorem inducunt iis, qui ipsas plurimi faciunt; vitam, inquam, non modo miserabilem, sed etiam turpem et ridiculam. Alii quippe morbi multos in partem doloris advocant, quotquot autem ex deliciis et ebrietate oriuntur, spectatores ne quidem si velint sinunt misereri eorum, qui hujusmodi ægritudine capti sunt: sed magnitudo mali ad misericordiam inflectit, morbi autem occasio, si nota sit, indignationem movet. Quoniam ancipiti quodam affectu tenemur; nec miseramur eos, id enim vetat morbi causa; neque irascimur, id enim non

permittit magnitudo mali; sed inter reprehensionem et veniam consistimus. Neque enim a natura cruciantur sicut illi, neque hominum insidiis appetuntur, verum illi ipsi auctores sibi harum ægritudinum sunt, et sponte sè in malorum barathrum præcipitant. Quemadmodum igitur eos, qui laqueos sibi parant, et eos qui se per præcipitia conjiciunt, et qui per medios gladios sibi vitam eripiunt, sic hos non multum miseramur. Imo si venia danda sit, illis potius quam istis dabimus, etiamsi illi nullam veniam mereantur. Illi enim vel calumniis, vel pecuniarum mulctis, aut periculi plagarumve metu, aut alia quapiam formidine, ut se majoribus malis eximant, ad mortis solatium confugiunt, ad obitumque ceu ad asylum decurrunt, vel quasi ad tranquillum portum ingruente tempestate sese cum festinatione recipiunt. Hi vero cum nihil tale prætendere possint, vitæ sexcentis violentis mortibus graviori sese tradiderunt. Jam hic opportune commemoretur illud Sapientis : « Quis miserebitur incantatoris, si a serpente mor» deatur, et omnium, qui se feris admovent[1] ? » Fera enim sunt deliciæ, fera gravis et intractabilis; neque scorpius aut serpens visceribus nostris hærens, ita undequaque devastat, ut deliciarum cupiditas omnia evertit atque consumit. Feræ namque illæ corpori tantum insidiantur : hæc autem ubi sedes posuerit, et corpus et animam pessumdat. Quamobrem fugiamus ab illa, ut prudentibus loquor. Si quid illa habeat utilitatis, ne hæc dicta perferamus, ne obtemperemus; sin vera sunt quæ dicuntur, et hæc sit omnium pernicies, resque omnium ridiculissima, vobis ipsis et corporis valetudini animæque sanitati parcite. Non dico ut ad victus asperitatem te conferas, nisi ipse volueris : superflua resecemus, non necessaria præcidamus. Qua

[1] Eccli. XII, 13.

venia digni erimus, quando alii ne rebus quidem necessarii fruuntur, licet in eorum sit potestate, nos vero necessaria longe prætergredimur? Nobis victus terminus sit quod non lædat, quod famem sine damno propulset, ulterius vero nihil requiramus. Imo si quod mirabile dictu et præter vulgi opinionem, est tamen verum, proferre liceat; si voluptatem etiam quæramus, illam potius in moderato cibo, quam in deliciis reperiemus. Audi quomodo hæc voluptas illa major et uberior sit. Illa certe nequit demum consistere, neque naturam ciborum sibi idoneam invenit: hæc vero etiam ex contrariis subsistere potest. Quis hoc ait? Is qui maxime omnium his fruebatur. « Animæ, in- » quit, indigenti, quæ amara sunt, dulcia videntur: anima » satiata etiam favis illudit[1]. » Vides quomodo illam quidem et ex paucis et ex omnibus sustentari facile sit, hanc vero minime? si enim ne favum quidem expetimus, quid nobis potest esse volupe de cætero? Si quod omnium dulcissimum est, voluptatem non potest afferre, quid poterit in voluptate constituere? Itaque si voluptatem quærimus, hic magis illam inveniemus. Quomodo igitur non extremæ dementiæ fuerit, eam quæ voluptatem habet et sanitatem et omnia bona, atque Deo acceptam mensam fugere; alteram vero parare, infinitis refertam calamitatibus, insuavem, molestam, valetudini nocentem, et quod omnium est gravissimum, Deum contra nos provocantem? Nam si « Vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est[2]; » quid de viris dicemus? Si in Veteri Testamento id magna cum cura prohibetur, magnaque contra delicatis cibis utentes vehementia utitur Propheta, etiamsi genus ponat deliciarum non admodum sumptuosum aut opiparum: « Qui autem comedunt, inquit, hœdos ex gregibus, et » vitulos lactentes; qui bibunt defæcatum vinum, et primis

[1] Prov. XXVII, 2. — [2] 1 Tim. V, 6.

» unguentis unguntur; qui dormiunt in lectis eburneis, et » in stratis suis lasciviunt[1]; » si hæc, inquam, reprehensione digna sunt, quando omnia erant carnalia, et cœli nulla ratio erat; quando judaïca, quasi puerorum prima institutio erant; quid dixerimus de præsenti mollitie? Si enim hœdorum et vitulorum lactentium esus, eo utentes ac si delicatam et immoderatam vitam ducant, reprehensioni subjicit, quid dicemus de iis, qui recessus maris et extremas terrarum oras indagant, aviumque venatores piscatoresque omnis generis undique accersunt? Si ii, qui defæcatum vinum bibunt, culpandi; quid dixeris de iis, qui peregrinationes transmarinas pro vino suscipiunt, omniaque movent, ut nullum vitis genus ipsis lateat, quasi pœnas daturi, admodumque damnandi, si non omni generis vino ingurgitentur? Si eburneo lecto uti reprehensione dignum, qui multo lectos argento, imovero qui ex argento puro adornant, non lectos tantum, sed etiam suppedanea, lebetes, vasa et matulas, quam veniam consequantur? Quid aut parvum aut magnum tunc temporis ad defensionem suam afferre poterunt? Ego vero etiam hoc gravissimum adjungo, quod ex alienis calamitatibus hæc congregarunt. Siquidem hæc Propheta non posuit, sed delicias solum redarguit. Quando autem culpa adest, ipsis deliciis atrocior, quis ab extremo supplicio eos, qui talia patrant, cripiet? Quis Noë, quis Job, quis Daniel intercedat? Nullus plane. Sed in eos dici potest: « Exar- » descet furor meus sicut fumus[2]. » Annon, quæso, jure quis ira furoreque exardescat, imo et disrumpatur, quando alius ne iis quidem, quæ ad victum necessaria sunt, fruitur; tu vero tantum argenti frustra et incassum, ac ne ad ostentationem quidem, in opus admoves? Neque

[1] Amos. VI, 4. — [2] Isaï. LXV, 5.

enim vel ad hoc tibi utile erit; imo in contrariam vertetur partem. Tu enim ut clarior et illustrior sis id agis, sed contrarium accidit. Non enim spectabilis illustrisque es, sed ob crudelitatem, auri cupidinem et extrema flagitia, te omnes criminantur. Quanta enim invidia, quantus livor, quantum odium, quanta mutationis cupiditas apud omnes? Blasphemias enim in Deum prætermitto, quas tales divitiæ pariunt, tametsi et hoc longe gravissimum est, et quod istud præcedit, et quodcumque dixeris, illud illo deterius invenies. Secus temperatam ac modestam mensam, quam nec Propheta irridet, nec homo redarguit, nec Deus culpat, non ignis punit, quam nemo aversatur, aut odio invidiaque prosequitur; sed approbat Deus, participant Angeli, laudant homines, recipit cœlum. Hæ mensæ etiam Angelos exceperunt: his, non illis, Christus adest. Tales erant Prophetarum mensæ, tales Apostolorum, tales justorum. Tyrannorum vero, et eorum, qui in terris nefarie locupletantur, quæ saltatores habent, aliosque qui in perniciem mundi vivunt; hæ latronum, præstigiatorum, et eorum qui sepulcra effodiunt mensæ sunt. Quando talem opponis mensam, Angelus resilit, Deus exasperatur, dæmonum princeps gaudet, aversantur, oderunt et contabescunt, non inimici tantum, sed etiam ii, qui moderati et honesti esse homines videntur, et invidia potius arroduntur, quam his præsentibus fruuntur. Quando autem illam sobriam ac modestam quis apponit, nullo redundantem luxu, et suavissima et grata amicis omnibus fuerit, et Deo, et Angelis, et hominibus: accedit et unigenitus Dei Filius. Quemadmodum enim fastum fugit, atque omnes altum sapientes omnemque tumultum aversatur; ita humili est amicus, ipsique semper adest, ipsumque totum circummunit et tutatur. Christo autem præsente nihil aliud quærendum.

Hæc cum sciamus, dilecti, illa fugiamus, hæc persequamur, et præsentia, et futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre gloria, honor, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS TOMI OCTOGESIMI OCTAVI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 272.

Octateuchus, octo priores Scripturæ libros complectitur, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josuë, Judices, et Ruth.

ANNOTATIO (2) pag. 273.

A profanatione templi per Antiochum Epiphanem facta ad ortum Christi anni sunt circiter centum sexaginta.

ANNOTATIO (3) ibid.

Homiliis in Genesim pariter ait Chrysostomus Hebeorum solum primum mundi servasse idioma, quod hic etiam dicit. Sed ea de re controvertitur.

ANNOTATIO (4) pag. 274.

Ruth inter propheticos libros fortasse ponit, quia unius mulieris privatæ historia non videbatur inter Libros sacros accenseri posse, nisi ex ea muliere nasciturus fuisset Christus, id quod tot ante sæculis nonnisi prophetice sciri poterat; vel forte Ροὺθ hic mendose irrepserit.

ANNOTATIO (5) pag. 276.

Mirum hic videbitur Epistolas quatuordecim Pauli ante Evangelia poni. Quantum amaret Paulum Chrysostomus, quam præ aliis omnibus Scripturæ sacræ libris ejus Epistolas semper ore menteque versaret, ignorat nemo qui scripta ejus vel primoribus labris attigerit. Ordinem ergo librorum Novi Testamenti hic non ordine recensuit, sed ut se primum menti offerebant descripsit; sic Joannem ante omnes Evangelistas et Lucam ante Marcum posuit. Catholicas Epistolas hic tres recenseri vides secundum Syrorum morem, necnon Ecclesiæ Antiochenæ, ubi Jacobi una, Petri prima, Joannis item prima solum admittebantur. Quod vero notat Scholiastes, Apocalypsin hic non memorari, aliquid negotii facessere potest, quia Apocalypsim, amplum licet librum, a Joanne Chrysostomo usurpatam nondum reperi, nec defuere, qui de ejus auctoritate in Ecclesia saltem græca dubitaverint, Nicephorusque patriarcha Constantinopolitanus in Canone suo non recensuit. Quin et in secundo tomo Gregorii Nazianzeni in Catalogo librorum Scripturæ qui ejus esse non putatur, hæc leguntur. *Apocalypsin Joannis quidam recipiunt; sed plures spuriam dicunt.* Verum hic scriptor non accurate loquitur; nam patrum græcorum principes Athanasius in Canone suo, Basilius, Gregorius Nazianzenus, insuperque Hippolytus atque Methodius, Auctor Synopseos inter Athanasii opera; ad hæc autem tota latina Ecclesia Apocalypsim inter γνήσια opera admiserunt. Quamobrem jure illa inter Canonicas Scripturas locum habet.

ANNOTATIO (6) pag. 278.

In Hebræo, in Vulgata, et in Editione Septuaginta dicitur

Thare secum assumpsisse Abram et Lotum, non autem Nachorem. Sed hæc lectio in exemplari Chrysostomi haud dubie habebatur, ut videas Homil. xxxi. in Genes. καὶ ἔλαβε Θάρρα τὸν Αβραμ, καὶ τὸν Ναχὼρ etc. quod ipsum bis infra repetitur. Hinc porro Chrysostomo asseri videtur hæc Synopsis. Multas autem fuisse in exemplaribus Septuaginta varietates Hieronymus et alii passim affirmant. Codex quoque Lugdunensis Nachorem etiam habet.

ANNOTATIO (7) pag. 284.

Jobi originem ab Esaü deducit Chrysostomus hic et alibi, ut in Homil. vii. de Pœnitentia. Et hæc est veterum recentiorumque multorum opinio, illum Jobab, qui inter Esaü nepotes fertur, esse Jobum.

ANNOTATIO (8) pag. 287.

Omnia exemplaria Bibliorum centum et decem annos vitæ Josepho tribuunt; sed lapsu, ut videtur, graphico decem anni hic et infra omissi sunt.

ANNOTATIO (9) pag. 289.

Hæc dicitur fuisse sententia Rabbi Abrahami, Angelum non ideo Moysem occidere voluisse, quod filios non circumcidisset, sed quod uxorem et filios simul secum adduceret : et probabilis certe ea ratio est, quæ hic affertur.

ANNOTATIO (10) pag. 290.

Cum his consonant quæ dixit in Homilia xxxvii. in Gene-

sim, annos nempe quadringentos servitutis, quos semini Abrahæ prædixit Deus Genes. xv, 13. incipiendos a tempore, quo Abrahæ imperatum est, ut ex Charran egrederetur. Quadringentos annos eo loco dicit, quia quadringenti tantum feruntur in textu Geneseos. Hic vero quadringentos triginta statuit cum B. Paulo Epist. ad Galatas, ubi ait, a promissione Abrahæ facta ad usque tempus datæ Legis, annos esse quadringentos triginta.

ANNOTATIO (11) pag. 304.

Hæc ipsissima habentur in Commentario Chrysostomi in Epist. ad Galatas, sed pluribus enuntiata iisdem sæpe verbis. Quorum sensus hic est : Christus nos redemit a maledicto Legis, a maledicto scilicet illo Deut. XXVII. 26. *Maledictus omnis qui non manet in omnibus scriptis in hoc libro :* quia ipse a Lege servanda nos exemit ; et quo pacto exemit ? Suspensus in ligno, et sic aliud maledictum ille subiit, illud nempe, *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, qui tamen illud non meruerat ; nam Legem impleverat : cum autem nos ejus jussis parentes Legem non impleamus, maledictum illud Legis, quod in nos cadere debuerat alio maledicto ipse compensavit suspensus in ligno, atque ita maledictionem maledictione commutavit.

ANNOTATIO (12) pag. 319.

Μεμφιβοσθὲ, in edit. Romana Ἰεβοσθὲ, Vulgata Isboseth. Hic vero Μεμφιβοσθὲ non lapsu graphico positum fuisse videtur; nam eodem modo scriptum bis postea occurrit. Verum exemplar Chrysostomi multum variabat, eratque

illo tempore mira exemplarium diversitas. Sic Commentario in Hesaïam supra Ναθὰν pro Ταναθὰν positum videmus. Aliaque multa lectionum discrimina proferre in promptu esset, maxime vero in nominibus propriis. Hæc porro lectio Μεμφιβοσθὲ, non insolens fuisse videtur, quandoquidem Theodoretus etiam eodem modo legit quæstione octava in secundum librum Regum, et quæstione decima quarta in eumdem librum. Unde etiam inferatur eam lectionem in ejus exemplari fuisse. Verum autem ejus nomen erat Isboseth, ut habet Vulgata; librariorum autem lapsu, pro Ἰεβοσθὲ, scriptum fuit Μεμφιβοσθὲ, quod erat nomen filii Jonathæ.

ANNOTATIO (13) pag. 320.

Μεμφιβαὰλ : sic quoque legit Theodoretus, quæstione trigesima prima in librum secundum Regum. Illud autem nomen Μεμφιβαὰλ factum est partim ex ejus nomine, ut habebatur apud LXX Interpretes in libro secundo Regum, nempe Μεμφιβοσθὲ, partim ex ejusdem altero nomine quod habetur primo libro Paralipomenon, cap. IX. 40. Μεμφιβαὰλ. Error autem ideo perseveraverit, quia primum nomen Μεμφιβοσθὲ lapsu graphico ad Isbosethum transierat.

ANNOTATIO (14) pag. 440.

Cum dicit Chrysostomus se jam quartam quintamve diem agere, ex quo de Incomprehensibili sermonem movere cœperat, cave putes in hoc quinque dierum spatio etiam primam concionem comprehendi, quandoquidem inter primam et secundam longum interpositum spatium

fuisse indicat ille initio secundæ. Sed a secunda haud dubie, hunc quatuor vel quinque dierum spatium incipit.

ANNOTATIO (15) pag. 458.

Hæc homilia inter spuria a Benedictinis ablegatur; sed tanquam melioris notæ, quam cæteras ejusdem generis. Quapropter illam, saltem ut dubiam, repræsentare operis pretium duximus.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
HOMILIÆ CONTRA ANOMŒOS DE INCONPREHENSIBILI.	
Homilia I, p. 384.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 289-301.
Homilia II, p. 397.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 301-310.
Homilia III, p. 412.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 310-318.
HOMILIÆ DE FATO ET DE PROVIDENTIA.	
Homilia I, p. 477.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 121-126.
Homilia II, p. 483.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 127-134.
Homilia III, p. 490.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 135-136.
Homilia IV, p. 494.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 137-146.
Homilia V, p. 503.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 146-150.
Homilia VI, p. 509.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 150-151.

INDEX

TOMI OCTOGESIMI-OCTAVI.

HOMILIÆ IN DIVERSA LOCA SANCTI PAULI.

Pagin.

Homilia. *In dictum illud Apostoli* : Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, *et de patientia, et quantum lucrum ex tribulationibus oriatur.* 3

Homilia. *Adversus eos, qui ad collectam non occurrerunt, et in dictum illud Apostoli* : Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, *et de inimicitiarum memoria.* 13

Homilia I. *In illud,* Salutate Priscillam et Aquilam, *et quæ sequuntur.* 35

Homilia II. *In locum Pauli,* Salutate Priscillam et Aquilam, *et de colendis Dei sacerdotibus.* 50

Homilia. *De verbis illis Apostoli* : Propter fornicationes autem unusquisque suam uxorem habeat. 67

Homilia. *In illum locum* . Mulier alligata est legi quanto tempore vixerit vir ejus : si autem dormierit, libera est cui voluerit nubere, tantum in Domino. Beatior autem est si sic manserit. 84

Homilia. *In apostolicum dictum* : Nolo vos ignorare, fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt. 96

Homilia. *In dictum illud Apostoli* : Oportet et hæreses esse in vobis, ut qui probati sunt, manifesti fiant. 122

Homilia I. *De verbis Apostoli,* Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est. *Item de his verbis,* Credidi, propter quod locutus sum, *et de eleemosyna.* 125

Homilia II. *De eisdem verbis Apostoli,* Habentes autem eumdem spiritum fidei ; sicut scriptum est : *Et adversus Manichæos, et omnes qui Vetus Testamentum calumniantur, et a Novo separare conantur, et de eleemosyna.* 140

Homilia III. *De eisdem verbis.* Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est *et qua de causa rebus bonis omnes ex æquo fruantur, et de eleemosyna.* 155

Homilia. *In hoc Apostoli dictum*, Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ. 173

Homilia. *In eos qui male utuntur hoc Apostoli dicto* : Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur; *et de humilitate.* 187

Homilia. *In illud* : Vidua eligatur non minus sexaginta annorum; *et de liberorum educatione, ac de eleemosyna.* 202

Homilia. *Rum in præcedenti collecta in nova Ecclesia cum Episcopo conventum celebrasset, hunc sermonem habuit in veteri Ecclesia in hunc locum Apostoli* : Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti : *et ostendit ea quæ tum fiebant, non a contrariis studiis profecta esse, verum ex pacto convento et per dispensationem.* 229

Homilia. *In apostolicum dictum* : Hoc autem scitote, quod in novissimis diebus erunt tempora gravia. 256

SYNOPSIS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QUASI COMMONITORII MORE.

Conspectus operis. 272
Synopsis Genesis. 276
Synopsis Exodi. 287
Synopsis Levitici. 293
Synopsis Numerorum. 296
Synopsis Deuteronomii. 302
Synopsis libri Jesu filii Nave. 306
Synopsis libri Judicum. 308
Synopsis libri Ruth. 312
Synopsis quatuor librorum Regnorum. 313
Synopsis Regnorum lib. II. 319
Synopsis Regnorum lib. III. 324
Synopsis Regnorum lib. IV. 328
Synopsis Paralipomenorum lib. I. 338
Synopsis Paralipomenorum lib. II. ibid
Synopsis Esdræ lib. I. 339
Synopsis Esdræ lib. II. 340
Synopsis libri Esther. 341
Synopsis libri Tobiæ. 343
Synopsis libri Judith. 344
Synopsis libri Job. 346

Synopsis libri Sapientiæ Salomonis. 357
Synopsis Proverbiorum Salomonis. 359
Synopsis libri Ecclesiastici Siraci. 368
Synopsis eorum quæ ab Isaïa propheta dicta sunt. 369
Synopsis eorum quæ in Jeremia propheta dicuntur. 372
Synopsis eorum quæ ab Ezechiele propheta dicta sunt. 377
Synopsis eorum quæ a Daniele propheta dicta sunt. 379
Synopsis Osee. 381
Synopsis Joël. ibid
Synopsis Amos. 382
Synopsis Abdiæ. 383
Synopsis Jonæ. ibid
Synopsis Micheæ. ibid
Synopsis Nahum. ibid

HOMILIÆ DE INCOMPREHENSIBILI.

Homilia I. De Incomprehensibili contra Anomœos absente episcopo. 384
Homilia II. Cum ante multos dies contra Anomœos dixisset, deinde contra Judæos, hinc propter episcoporum præsentiam, multorumque Martyrum interjectum memoriam siluisset, nunc rursum contra Anomœos de Incomprehensibili. 397
Homilia III. De incomprehensibili, et quod Deus, ne quidem sese attemperans, a Seraphim ferri possit. 412
Homilia IV. De Incomprehensibili, contra Anomœos. 426
Homilia V. De Incomprehensibili, contra Anomœos. 439
Homilia. De sancta et consubstantiali Trinitate. 458

DE FATO ET PROVIDENTIA ORATIONES SEX.

Oratio I. De Providentia. 477
Oratio II. De Fato et Providentia. 483
Oratio III. De Fato. 490
Oratio IV. De Fato. 494
Oratio V. De Fato. 503
Oratio VI. De Fato sive contra ingluviem. 509

Annotationes. 519
Concordantia. 525

EXPLICIT INDEX.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

LXXXIX.

PATRES QUINTI ECCLESIAE SAECULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XX.

PROSTAT INSUPER VENAL

MONTIS PESSULANI.

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE ;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS.— E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET,

VIA VULGO DICTA JACOB, N° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS OCTOGESIMUS-NONUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVII.

S. P. N. JOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, OPERUM.

PARS II.

MISCELLANEA

HOMILIA. DÆMONES NON GUBERNARE MUNDUM.
DE DIABOLO TENTATORE HOMILIÆ II.
AD STAGIRIUM A DÆMONE VEXATUM LIBRI III.
LIBER QUOD NEMO LÆDITUR NISI A SE IPSO.
ADVERSUS JUDÆOS ORATIONES VIII.
CATECHESES AD ILLUMINANDOS IV.
DE SACERDOTIO LIBRI VI.
HOMILIA NON ESSE AD GRATIAM CONCIONANDUM.
SERMO CUM PRESBYTER FUIT ORDINATUS.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ.

HOMILIA.

Adversus eos, qui dicunt dæmones gubernare res humanas, et Dei punitiones iniquo animo ferunt, atque ob malorum prosperitates, et justorum adversitates scandalizantur.

I. Verebar quidem, ne vobis tractatus assiduitas verborum meorum fastidium crearet; verumtamen contrarium evenisse video, nec vobis assiduitatem creasse fastidium, sed desiderium auxisse, nec satietatem, sed voluptatem addidisse : idemque penitus, quod in profanis conviviis ebriosis hominibus solet, accidisse. Nam et illi quo plus infuderint meri, tanto magis sitim accendunt : et nos quanto prolixiorem doctrinam vobis inculcamus, tanto majorem cupiditatem accendimus, majorem appetitum, ac vehementiorem amorem excitamus. Quo fit, ut tametsi mihi summæ sim conscius paupertatis, liberales imitari convivatores non desinam, et assiduam mensam vobis apponam, ac plenum statuam doctrinæ craterem. Siquidem video vos, ubi totum illum exhauseritis, sitibundos rursus discedere. Atque hoc quidem ab omni

tempore jam innotuit, præsertim autem a Dominica superiore. Nunquam enim divina vobis eloquia fastidium parere, dies ille præsertim indicavit, quo non debere vos mutuo vobis maledicere docebam; quo etiam tempore vobis tutissimam præbebam occasionem accusationis, cum ad propria peccata maledictis incessenda vos cohortarer, non ad aliena curiosius investiganda : cum sanctos in medium adducerem, qui se ipsos accusabant, aliis vero parcebant, Paulum ipsum dicentem, « Peccatorum primus » ego sum, et cum essem blasphemus, et persecutor, et » contumeliosus, misericordiam Dei consecutus sum[1], » et abortivum se ipsum vocantem, nec se Apostolorum appellatione dignum arbitrantem[2] : Petrum qui dicebat, « Exi a me, quia homo peccator sum[3] : » Matthæum, qui tempore apostolatus publicanum se ipsum vocabat[4] : Davidem, qui clamans aiebat : « Iniquitates meæ super- » gressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ » sunt super me[5] : et Hesaïam qui lamentatur ac luget : « Immundus sum, et immunda habeo labia[6] : » tres pueros, qui in camino ignis confitentur, ac dicunt se peccasse, legem esse transgressos, neque Dei mandatis paruisse : Danielem hoc ipsum deplorantem. Quo tempore tot enumeratis sanctis istis, muscas etiam accusatrices advocavi, ac legitimam exempli causam adjunxi, cum dixi, quemadmodum alienis illæ vulneribus insident, sic et accusatores aliena peccata vellicare, morbumque inde conciliare illis, qui cum ipsis versantur : eos autem, qui contraria facerent, apes appellabam, non quæ colligerent ægritudines, sed quæ summæ pietatis favos concinnarent, ac deinde volantes prato virtutis sanctorum insiderent : tum nimirum, tum inexplebilem præ vobis amorem tu-

[1] 1 Tim. I, 13 et 15. — [2] 1 Cor. XV, 8. — [3] Luc. V, 8. — [4] Matth. X, 3. — [5] Psal. XXXVII, 4. — [6] Isai. VI, 5.

listis. Nam quoniam in prolixitatem sermo noster est productus, ac prolixitatem immensam, et quanta nunquam fuit, sic ut metuerent multi, ne verborum multitudine animi vestri alacritas extingueretur, contrarium penitus accidit. Amplius enim cor vestrum incalescebat, amplius desiderium exardescebat. Unde id constat? Majores quidem certe plausus sub finem fuerunt, et clariores acclamationes, idemque accidit quod in fornacibus. Ut enim illic initio quidem non admodum clarum est lumen ignis : postquam autem ligna omnia, quæ imposita fuerant, flamma corripuit, in magnam tollitur altitudinem : sic et illo die tum temporis hoc evenit. Initio quidem non admodum mihi commovebatur hic cœtus : ubi vero longius sermo productus est, et omnes argumenti propositi partes invasit, ampliorque proseminata doctrina est, tum nimirum ad majorem audiendi cupiditatem exarsistis, ac vehementior plausus erupit. Quo factum est, ut tametsi me ad pauciora dicenda comparaveram, tum modum excesserim : imovero nunquam ego modum excessi : siquidem doctrinæ quantitatem non ex eorum quæ dicuntur multitudine, sed ex affectu eorum, qui audiunt, soleo metiri. Nam qui nauseantes nactus est auditores, licet doctrinam contraxerit, molestiam videtur exhibere : qui vero attentos ac vigiles, licet produxerit longius, ne ita quidem explet cupiditatem : sed quoniam nonnunquam accidit, ut tanto in populo sint imbecilles nonnulli, qui sermonis prolixitatem assequi minime possunt, ad hoc eos statui cohortari, ut cum audierint, quantum capere possunt, et cum acceptis iis, quæ sufficiunt illis, recesserint : nemo quippe vetat, neque cogit, ut ultra quam vires ipsorum ferant, hic maneant; ne nobis ante tempus finiendi sermonem necessitatem imponant. Nam tu quidem expletus es : sed frater tuus adhuc esurit : et tu eorum quæ dicta

sunt copia ebrius es : sed frater tuus adhuc sitit. Neque tuam imbecillitatem gravet ille plura cogendo suscipere, quam tuæ vires ferant : neque cupiditatem ejus vexes prohibendo, ne totum, quod capere potest, admittat.

II. Hoc et in profanis fit mensis : alii citius, alii tardius explentur, et neque illos hi reprehendunt, neque hos illi condemnant. Verum illic quidem cito recedere laudabile est : hic vero cito recedere non laudabile est, sed venia dignum. Illic tardius cessare vituperio ac reprehensioni obnoxium, hic vero tardius recedere laudem et commendationem parit maximam. Quid ita? quod illic quidem tarditas ex ingluvie nascatur : hic vero ex spirituali cupiditate sacroque appetitu constantia concilietur et patientia. Sed jam satis indultum sit proœmiis : nos vero deinceps ad illud debitum pergemus, quod nobis illo die reliquum fuit. Quid igitur illud fuit, quod tum dicebamus? Unam scilicet tum fuisse linguam cunctis hominibus, quemadmodum et naturam unam, neque ullum fuisse vocis alterius, vel alterius linguæ. Unde igitur tanta sermonis diversitas? Ex negligentia illorum, qui donum acceperant : quorum utrumque tum diximus, et ex unitate sermonis, Domini clementiam demonstravimus : atque ex diversitate sermonis, ingratorum improbitatem servorum. Nam ille quidem etsi prævidisset nos donum amissuros, tamen largitus est : at ii quibus creditum est, malitiam suam in depositi conservatione declararunt. Hic igitur unus est defensionis modus, Deum nos illo dono minime privasse, verum nos, quæ data fuerant, amisisse. Secundus ab illo est, quod majora quam fuerant amissa, postea data sint nobis, ac pro laboribus temporariis æterna vita nos remuneratus sit, et effecerit pro spinis ac tribulis, ut fructus spiritus in animabus nostris germinaret. Nihil erat homine vilius, et nihil factum est homine gloriosius. Erat ille pos-

trema pars ratione præditæ creaturæ : sed pedes caput evaserunt, et in thronum regium per primitias sunt evecti. Quemadmodum enim si homo quispiam liberalis ac magnificus, cum viderit aliquem naufragum, qui solum corpus nudum ex fluctibus eripere potuit, supinis manibus eum excipiat et candida veste indutum in summo honoris gradu collocet : ita Deus naturam nostram tractavit. Omnia quæ habebat homo perdiderat, libertatem loquendi ac fiduciam, consuetudinem cum Deo, conversationem in paradiso, vitam calamitatis expertem, et tanquam ex naufragio nudus inde exiverat : sed Deus illum exceptum confestim amiciit, et paulatim manu ductum in cœlum evexit. Atqui non erat venia dignum naufragium. Neque enim ob ventorum impetum, sed ob segnitiem ejus, qui navigabat, tota illa tempestas acciderat. Verumtamen ad hoc non respexit Deus, sed ejus misericordiam calamitatis magnitudo commovit, eumque qui in portu naufragium fecerat, perinde quasi medio in pelago id passus esset, benigne ac liberaliter excepit. Siquidem in paradiso lapsum esse, id vero est in portu naufragium fecisse. Quid ita ? quia cum nondum tristitia, nondum sollicitudo, nec labores, nec ærumnæ, nec innumeri fluctus libidinum in naturam nostram sævirent, supplantatus est et corruit. Et quemadmodum qui in mari navigant malefici homines, exiguo ferro navim sæpe perforantes totum mare in navigium ab inferiori parte immittunt : sic nimirum et navim Adami cum videret diabolus, hoc est, animam multis refertam bonis, accedens tanquam minuto quodam ferro simplici voce perforavit, et omnes ejus opes exhausit, ipsamque cymbam submersit. At Deus effecit, ut lucrum damno majus esset, et ad thronum regium naturam nostram extulit. Quocirca Paulus etiam clamat dicens : « Conre-» suscitavit, et consedere nos fecit in dextera sua in cœles-

» tibus, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abun-» dantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos[1]. » Quid ais? Jam res evenit, et finem habet, et dicis : « Ut ostende-» ret in sæculis supervenientibus? » Annon enim ostendit? Jam quidem ostendit, sed non omnibus hominibus, at mihi qui sum fidelis : infidelis autem miraculum nondum vidit. Tum vero illo die natura omnis humana in medium progressa, quod fiet admirabitur, præcipue vero nobis etiam tum manifestius erit. Jam enim credimus, sed non ex æquo miraculum exprimit auditus et visus. Sed quem-admodum in regibus dum purpuram et diadema, et aureas vestes soliumque regium audimus, admiramur quidem, at multo amplius id nobis accidit, cum con-tractis aulæis ipsum in sublimi præsidentem cernimus tri-bunali : sic et in Unigenito, cum cœlorum viderimus aulæa contracta, et Regem Angelorum inde descendentem a cœlestibus turmis stipatum, tum vero majus miraculum nobis oculorum ministerio apparebit. Cogita namque quale sit naturam nostram Cherubinis invectam intueri, to-tumque angelicum exercitum illi circumfusum.

III. Pauli vero sapientiam quoque mihi considera, quam multa nomina conquirat, ut divinam exprimat benignita-tem. Non enim dixit simpliciter gratiam, neque simpli-citer divitias, sed quid? « Abundantes divitias gratiæ in » bonitate. » Sed neque sic tamen exprimere potuit. Et quemadmodum lævia et lubrica corpora licet innumeris manibus teneantur, nobis elabuntur, et facile effugiunt : sic et Dei benignitatem quantiscumque nominibus com-plecti conemur, ne sic quidem comprehendere possumus, sed verborum nostrorum imbecillitatem ejus magnitudo longo superat intervallo. Quod cum expertus esset Paulus, et ipsius magnitudine verborum vim cerneret superari,

[1] Ephes. II, 6, 7.

uno prolato verbo discessit. Quodnam illud est tandem? « Gratia autem Deo super inenarrabili dono ejus [1]. » Neque enim sermo ullus, neque mens ulla Dei providentiam posset exprimere. Propterea hic quidem inenarrabilem illam ait esse, alibi autem et mentem nostram exsuperare, sic dicens : « Pax Dei, quæ exsuperat omnem mentem, » custodiet corda vestra [2]. » Sed quod dicebam, duo quidem hactenus defensionis reperti sunt modi; unus, quod non Deus ejecerit, sed nos amiserimus : secundus, quod plura quam fuerant a nobis amissa, in nos collata sint bona : volo autem et tertium dicere. Quis ergo tertius est? quod nimirum, licet majora quam fuerant amissa, postea non dedisset, sed quæ data fuerant, tantum abstulisset, cum nos causam dedissemus, hoc enim addatur; hoc quoque suffecisset unum ad ipsius providentiam et curam erga nos ostendendam. Neque enim quod det tantum, sed etiam quod quæ data sunt auferat, maximæ specimen præ se fert benignitatis. Ac si placet, ex sermone de paradiso id ostendere aggrediamur. Paradisum dederat, hoc ipsius curæ fuit : indigni hoc munere visi sumus, hoc nostræ fuit improbitatis. Abstulit munus illis, qui indigni evaserant : hoc ipsius bonitati tribuendum est. Et quæ tandem hæc bonitas est rem datam auferre? Expecta, et omnino audies. Cogita namque quis futurus fuisset Caïn, si post homicidium in paradiso mansisset. Si enim cum ab illa habitatione excidisset, si ad laborem et ærumnas damnatus, et mortis minas intuens imminentes, si cum ante oculos positam parentis calamitatem haberet, et objecta pedibus suis iræ Dei vestigia cerneret, ac tantis malis circumseptus esset, in tantam erupit improbitatem, ut naturam ignoraret, communionis partus oblivisceretur, cum, a quo nulla fuerat affectus injuria, necaret, fraternum sangui-

[1] 1 Cor. IX, 15. — [2] Philip. IV, 7.

nem funderet, dexteram cruentaret, cumque Deus illum admoneret, ut quiesceret, non pareret, sed Conditorem suum probro afficeret, parentibus ignominiam inferret, hic si in paradiso versatus fuisset, expende in quantam nequitiam prorupisset. Nam si tam multis frenis injectis, tot letales saltus dedit; si sublati obices isti fuissent, quo non se ipsum præcipitem egisset? Vis etiam ex matris hujus exemplo discere, quantum bonum extiterit a paradisi habitatione excidisse? Scrutare qualis antea esset Eva, et qualis postea evaserit. Antea quidem deceptorem diabolum, malignum illum dæmonem fide digniorem Dei mandatis existimavit, et solo arboris aspectu illecta latam ab illo legem violavit : postquam autem excidit paradiso, quo pacto melior ac modestior sit facta, considera. Cum enim filium esset enixa, « Possedi, inquit, hominem » per Deum [1]. » Ad Dominum confestim confugit ea, quæ Dominum ante contempserat, neque naturæ rem ascribit, neque matrimonii legibus partum acceptum fert : sed naturæ Dominum agnoscit, eique nato jam filio gratias agit : quæque maritum antea in fraudem illexerat, filium etiam erudivit, eique nomen imposuit, a quo de Dei munere posset admoneri : cumque alterum rursus peperisset, ait : « Suscitavit mihi Deus semen pro Abel, quem occidit » Caïn [2]. » Calamitatis recordatur, neque fert impatienter mulier, sed iterum Deo gratias agit, ac filio nomen ex munere divino imponit, eique perpetuam doctrinæ occasionem præbet. Ita, dum etiam abstulit, Deus majora bona largitus est. Paradiso excidit mulier, sed ad Dei cognitionem hac ejectione deducta est : itaque plus invenit, quam perdidit. Quod si utile erat excidere paradiso, cujus rei gratia paradisum ab initio dedit Deus? Utiliter hoc factum est, mi homo, propter negligentiam nostram : itaque si

[1] Gen. IV, 1. — [2] Ibid. 25.

sibi cavissent illi, ac Dominum agnovissent, et sobrii fuissent ac modesti, permansissent in honore : cum autem datum sibi munus ignominia affecissent, tunc utile fuit, ut ejicerentur. Cur igitur illud initio dedit Deus? ut suam ostenderet benignitatem, seque paratum semper esse nos ad majores honores provehere : nos vero nobis ubique pœnarum et suppliciorum auctores sumus, dum nos ipsos nostra socordia bonis, quæ nobis fuerant concessa, privamus. Ut igitur indulgens pater initio quidem filium suum domi manere sinit, et paternis omnibus frui bonis : postquam autem illum viderit hoc honore fuisse depravatum, arcet a mensa, ac longe a conspectu suo collocat, sæpenumero etiam ex ipsis paternis ædibus ejicit, ut illis privatus, et hac contumelia et dedecore melior effectus, dignum reditu se ipsum rursus efficiat, ac paternam capiat hæreditatem : ita quoque fecit Deus. Paradisum homini dedit : cum se indignum ostendisset, ejecit, ut externa illa habitatione ignominiaque melior effectus ac modestior, dignus reditu appareret. Quoniam igitur postea resipuerat, revocat illum rursus, et ait : « Hodie mecum eris in para» diso [1]. » Vides non quod dederit paradisum, sed quod ejecerit e paradiso maximæ curæ specimen extitisse? nisi enim paradiso excidisset, paradiso dignus rursus non apparuisset.

IV. Hunc igitur sermonem perpetuo memoria teneamus, hunc et in argumento proposito, si lubet, ventilemus. Communem omnibus linguam dedit : hoc ejus fuit benignitatis. Non usi sunt illi dono ut opus fuit, sed in extremam dementiam sunt prolapsi; quod datum fuerat, rursus abstulit. Si enim quod unam linguam haberent, in tantam insaniam inciderunt, ut turrim ad cœlos usque pertinentem ædificare vellent, nisi statim puniti fuissent,

[1] Luc. XXIII, 43.

nonne ipsum quoque cœlorum fastigium occupare cupivissent? Licet enim illis esset impossibile, tamen si animi spectes propositum, scelus illud impium admiserunt. Quæ omnia cum prævidisset Deus, quandoquidem linguæ concordia non ut oportuit usi erant, dissidio linguarum, ut oportuit, illos dividit. Ac mihi clementiam ipsius velim consideres. « Ecce, inquit, vox una omnibus, et hoc facere cœperunt [1]. » Quam ob causam non statim eo devenit, ut linguam divideret, sed prius se excusat, quasi in judicio causam dicturus? tametsi nemo illi dicturus est? Quid fecisti? sed in potestate situm est ipsius, ut cuncta, quæ voluerit, faciat. Attamen quasi rationem redditurus ita excusationem ac defensionem instituit, ut nos doceat humanitatem et clementiam exercere. Nam si Dominus servis se excusat, atque illis qui injuria ipsum affecerant: multo magis nos mutuo excusare oportet, licet vel maxima fuerimus injuria læsi. Vide, quæso, quo pacto se excuset: « Ecce labium unum, et vox una omnibus, inquit, et hoc facere cœperunt. » Quasi diceret: Nemo mihi vitio vertat ista, cum divisam linguam viderit, nemo diversitatem hanc linguarum ab initio fuisse insertam hominibus arbitretur. Ecce labium unum, et vox una omnibus: sed non usi sunt dono, ut oportuit. Atque ut intelligas eum non tam quod factum fuerat punire, quam quod futurum erat prævia cautione corrigere, audi quid adjungat: « Et nunc non deficient ab illis omnia, quæcumque conati fuerint facere [2]. « Horum autem verborum hæc est sententia: Nisi jam pœnas dent, et ab ipsa peccatorum radice refrenentur, nullum facient finem scelera perpetrandi. Hoc enim sibi volunt illa verba, « Non deficient ab illis omnia, quæcumque conati fuerint facere. » Quasi diceret: Alia quoque majora scelera adjicient. Talis enim res est malitia: si

[1] Gen. XI, 1. — [2] Ibid. 6.

cum primum initium duxerit, non cohibeatur, tanquam ignis arida ligna corripiens, sic in immensam assurgit altitudinem. Vides hoc ipsum quoque benignitatis fuisse non mediocris, quod unitatem vocis abstulerit? Dissidium quippe linguarum invexit ne in majorem improbitatem laberentur. Hunc mihi sermonem memoria tenete, nec unquam elabi ex ea sinite, Deum nimirum non modo cum afficit beneficiis, sed etiam cum punit, bonum esse ac benignum. Nam et ipsius pœnæ ac supplicia beneficiorum ejus sunt pars maxima, et providentiæ genus maximum. Cum ergo famem, pestes, aëris siccitates, imbres continuos, et aëris inæqualitates, vel aliud quippiam videris, quo genus humanum puniatur, nec ægre feras, neque indigneris, sed adora rerum illarum Auctorem, atque illum curæ ac sollicitudinis nomine commenda. Ille quippe est, qui hæc omnia peragit, et corpus castigat, ut anima emendetur. An vero Deus hæc peragit? dicet aliquis. Ille vero hæc peragit; quamvis civitas omnis adesset, quamvis universus orbis terrarum, hoc dicere me non pigebit. Atque utinam tuba clarior mihi vox esset, atque in sublimi loco possem consistere, atque omnibus proclamare ac testificari Deum ista præstare. Neque præ nimia arrogantia hæc a me dicuntur, sed assistentem habeo Prophetam mecum clamantem ac dicentem : « Quia non est malitia in civitate, quam » non fecerit Dominus [1] : » est autem nomen æquivocum, malitia, et utriusque appellationis volo vos exactam significationem ediscere, ne forte propter dictionis ambiguitatem naturam confundentes rerum, in blasphemiam incidatis.

V. Est igitur malitia, quæ vere malitia est, fornicatio, adulterium, avaritia, et innumera mala quæ summis criminibus suppliciisque sunt digna. Rursus est malitia, vel

[1] Amos. III, 6.

potius non est, sed dicitur malitia, fames, pestis, mors, ægritudo, et alia ejusmodi. Hæc enim vere non sunt mala: propterea dixi tantum appellari. Quid ita? Quod si mala essent, bonorum nobis causæ non essent, dum arrogantiam reprimunt, torporem excutiunt, et ad diligentiam incitant, dum attentiores nos reddunt. « Cum enim, inquit, » occideret eos, tunc quærebant eum: et diluculo venie- » bant ad Deum[1]. » Malitiam igitur hanc dicit, quæ corrigit, quæ reddit illustres, quæ diligentiores efficit, quæ philosophiam inserit, non illam accusationi et reprehensioni obnoxiam. Nam illa Dei opus non est, sed nostræ voluntatis inventum: hæc autem ad illam tollendam instituta est. Malitiam igitur hanc appellat afflictionem, quæ nobis ex suppliciis oritur, non ex sua natura, sed ex hominum opinione tale illi nomen imponens. Nam quoniam malitiam solemus vocare non furta solum et adulteria, sed etiam calamitates, ex hominum sententia ita rem appellavit. Hoc igitur est, quod ait Propheta, quia « Non est » malitia in civitate, quam non fecerit Dominus[2]. » Hoc etiam per Hesaïam antea significavit Deus, cum dixit: « Ego Deus faciens pacem, et creans mala[3]: » mala rursus calamitates appellans. Hanc etiam Christus malitiam in Evangeliis subindicat, cum Discipulis ita dicit: « Suffi- » cit diei malitia sua[4], » hoc est afflictio, miseria. Liquet igitur undique malitiam hic eum pœnas appellare, quas et ipse nobis dum infert, maximum suæ curæ ac providentiæ genus exhibet. Nam et medicus, non cum ægrum in hortos ac prata deducit, laudandus est tantum, nec cum in balnea, et piscinas aquarum, nec cum opiparam mensam apponit, sed et cum jejunum jubet manere, cum fame torquet, et siti excruciat, cum lecto affigit, et domum

[1] Psal. LXXVII, 34. — [2] Amos. III, 6. — [3] Isaï. XLV, 7. — [4] Matth. VI, 34.

convertit in carcerem, cum ipso lumine illum privat, ac domum undique tapetibus obumbrat, cum secat et urit, cum acerba porrigit medicamenta, ex æquo medicus est. Annon igitur absurdum est, illum tot malis illatis medicum vocare, Deum vero, si quid tale præstiterit, exempli causa, si famem aut mortem invexerit, blasphemare, atque illi curam universi detrahere? Atqui verus medicus est ipse solus et animarum et corporum. Quocirca sæpenumero naturam nostram ex nimia prosperitate insultantem deprehendens, et cui jam peccatorum febris ingrueret, egestate, fame, morte, ac cæteris ærumnis aliisque medicamentis sibi notis ab ægritudine illam liberat. Atqui pauperes soli famem sentiunt, inquit: Sed non sola fame castigat, verum aliis quoque innumeris. Ac paupertate quidem pressum sæpe fame vexatum emendavit: divitem autem, et opibus abundantem, periculis, morbis, acerbis funeribus. Solers enim est, eique varia suppetunt salutis nostræ medicamenta. Ita quoque faciunt judices: non honoribus tantum afficiunt, et coronant urbium incolas, neque dona tantum largiuntur, sed et sæpenumero puniunt. Propterea gladius illorum exacuitur, et barathra parantur, et rota, et equulei, et carnifices, et alia innumera genera suppliciorum. Quod igitur est apud judices carnifex, hoc apud Deum est fames, quæ tanquam carnifex nos castigat, et a vitio revocat. Idem et in agricolis cernere licet. Non enim tantum radicem obtegunt vitis, neque circumvallant sepibus, sed etiam amputant, et multos palmites resecant. Idcirco non ligonem tantum habent illi, sed et falcem aptam ad secandum. Attamen illos non reprehendimus, sed et illos tum maxime laudamus, cum inutilia multa viderimus ab illis resecta, ut superfluis rejectis, quæ remanent saniora reddantur. Annon igitur absurdum est, patrem quidem, et medicum, et judicem, et agricolam

approbare, ac neque illum dum filium pellit ex ædibus, neque medicum dum torquet ægrotum, neque judicem dum castigat, neque agricolam dum amputat, reprehendere vel accusare : Deum vero, si quando nos tanquam capitis gravedine laborantes ex nimia excitare velit ebrietate, quam malitia ingenerat, carpere, et innumeris impetere criminationibus? Annon extremæ dementiæ fuerit, non eamdem permittere Domino causam suam defendendi facultatem, quam conservis nostris permittimus?

VI. Hæc a me idcirco dicuntur, quod eorum ipsorum causa formidem, qui crimini vertunt, ne forte adversus stimulos calcitrantes, pedes cruentent, ne, dum in cœlum lapides jaciunt, capitibus suis vulnera excipiant. Mihi vero aliud longe gravius dicendum suppetit. Omittens enim quærere, ut hoc illis concedam, num utiliter id nobis abstulerit Deus, id dico tantum; si quæ data fuerant abstulisset, ne sic quidem posset ullus Deum accusare : siquidem rerum suarum dominus erat. Quod si hominibus, cum pecunias nobis crediderint, et argentum mutuo dederint, gratias agimus ob illud tempus, quo mutati sunt : nec indignamur ob illud tempus, quo a nobis auferunt, quæ sunt propria : num Deum, quæso, reprehendemus, cum repetere a nobis res suas voluerit? Quis vero non illud extremæ esse dementiæ judicaverit? At non ita magnus ac generosus ille Job fecit; neque enim solum cum accepit, sed etiam cum spoliatus est, maximas agebat gratias, cum ita diceret : « Dominus dedit, Dominus abstulit : » sit nomen Domini benedictum in sæcula[1]. » Quod si pro utroque istorum sigillatim gratiæ sunt agendæ, neque minus utilis est privatio, quam ipsa largitio, qua tandem venia digni erimus, qui tam mitem Dominum, tam benignum, tam sollicitum, et quovis medico sapientiorem, et quovis

[1] Job. 1, 21.

patre indulgentiorem, et judice quovis justiorem, et qui diligentius quam ullus agricola nostras animas excolit, factis contrariis remuneramur, et quem adorare oportuit, adversus eum stomachamur? Quidquam-ne esse potest amentius aut stupidius iis, qui, cum tanto ordine res sint dispositæ, dicunt res nostras Dei esse providentia curaque destitutas? ut enim si quis obscurum ac frigidum solem esse dicat, hac sua sententia extremæ stultitiæ profert indicium: ita si quis de Dei providentia curaque dubitet, multo magis amentiæ crimini est obnoxius. Non ita lucidus sol est, ac Dei providentia manifesta: tamen audent nonnulli dicere dæmones res nostras gubernare. Quid faciam? benignum Dominum habes, mavult a te blasphemiis lacessi, dum ejusmodi verba profers, quam permissa dæmonibus rerum tuarum cura te experientia docere, quo pacto dæmones gubernent. Tum enim probe intelligeres experientia magistra, quanta sit illorum nequitia: imo vero nunc etiam possumus id tanquam exiguo quodam exemplo demonstrare. Occurrerunt Domino quidam a dæmone correpti, ex sepulcris egressi, et rogabant eum dæmones, ut sibi permitteret in gregem porcorum intrare[1]: et permisit, atque illi abeuntes, omnes statim in mare præcipites egerunt. Ita gubernant dæmones. Atqui nihil illis erat rei cum porcis: tecum autem semper irreconciliabile bellum habent susceptum, et pugnam acerrimam, et odium immortale. Quod si illos, quibuscum nihil illis erat commune, ne ad exiguum temporis momentum tolerare potuerint, si hostes suos, et a quibus perpetuo mordentur, obnoxios sibi nos habuerint, quid non facient? quo nos irreparabili incommodo non afficient? Propterea namque Deus in gregem porcorum irruere illos permisit, ut in corporibus rationis expertium animalium, ipsorum

[1] Matth. VIII, 28.

nequitiam discas. Atque illos quidem eadem facturos fuisse dæmoniacis, quæ porcis nisi et in ipsa insania illorum, curam gereret dæmoniacorum Deus, omnibus manifestum est. Et nunc igitur, si quando videris hominem agitatum a dæmone, Dominum adora, nequitiam dæmonum disce : siquidem utrumque in his dæmoniacis cernere licet, et Dei benignitatem, et dæmonum improbitatem. Ac dæmonum quidem improbitatem, cum turbent et exagitent animam dæmoniaci : Dei vero benignitatem, cum ita sævum inquilinum, et hominem præcipitare cupientem retineat et coërceat, neque omni sua potestate uti permittat, sed tantam vim sinat ostendere, ut et hominem castiget, et illorum nequitiam manifestet. Vis etiam et altero rursus exemplo conspicere, qua ratione dæmon gubernet, cum a Deo illi permittitur, ut potestatem suam exerceat ? Veniant tibi in mentem armenta, et greges Job, quo pacto uno temporis momento cuncta assumpserit, miserabilis liberorum ejus mors, inflicta corpori ejus plaga : et crudelitatem, inhumanitatem ac sævitiam nequitiæ dæmonum intuebere, atque inde manifeste cognosces, si hoc etiam universum Deus illorum permitteret potestati, futurum, ut cuncta confunderent, et turbarent, et ita nos tractarent, ut porcos, et armenta illa, sic ut ne exiguo quidem temporis momento saluti nostræ possent parcere. Si dæmones gubernarent, nihilo meliori essemus in statu quam dæmoniaci : imovero deteriori in statu quam illi. Neque enim illos in universum illorum tyrannidi exposuit Deus, alioqui multo istis graviora passi essent, quam nunc patiantur. Ego vero lubens ex iis qui ista dicunt sciscitarer, quam tandem in rebus præsentibus confusionem cernant, ut negotiorum nostrorum regimen omne dæmonibus tribuant ? At enim solem videmus per tot annorum curricula ordinate quotidie gradientem : varium siderum chorum qui

suum ordinem servat, lunæ cursus nunquam interruptos, noctis ac diei successionem accuratam, omnia cum supera, tum infera tanquam in concinna quadam chorea, vel potius multo melius et exactius singula suum locum servare, neque suum ordinem transgredi, quem illis Deus ab initio præscripsit.

VII. Sed quid ista prosunt, dicet aliquis, quod cœlum quidem et sol, et luna, et cœtus astrorum, et alia cuncta multum ordinem præ se ferant, res autem nostræ confusionis ac perturbationis sint plenæ? Cujus tandem confusionis, mi homo, aut perturbationis? Ille dives est, inquit, et vim facit, rapit, et fraudat, pauperum facultates absumit quotidie, neque quidquam illi mali accidit; alter modeste vivit, temperantiam et justitiam exercet, ac cæteris bonis ornatus est, et paupertate, morbis et extremis malis affligitur. Hæccine sunt ergo, quæ te scandalizant? Hæc sunt, inquit. Si ergo multos ex iis, qui rapiunt affligi videas, et ex iis qui virtute præditi vivunt nonnullos, vel etiam innumeros bonis abundare, cur non sententiam hanc deponis, neque Dominum laudas? Quia nimirum hoc ipsum est, quod me amplius scandalizat. Cur enim, cum duo sint improbi, unus punitur, et alter evitato supplicio discedit, et cum duo sint boni, unus honoribus cumulatur, alter continuis pœnis affligitur? Hoc ipsum etiam providentiæ divinæ opus est maximum. Si enim improbos omnes hic puniret, et omnes bonos honoribus hic afficeret, supervacaneus judicii dies esset. Rursus si nullum improbum puniret, nec ullum bonum honore afficeret, et pravi pejores fierent ac deteriores, ut qui multo sint probis negligentiores: et qui blasphemare vellent, Deum magis accusarent, planeque res nostras negarent Dei providentia gubernari. Nam si nunc etiam cum improbi nonnulli puniuntur, et honorantur boni, æque dicunt res hu-

manas Dei providentia minime regi : si ne hoc quidem fieret, quid non dicerent? quæ verba non effutirent? Propterea quosdam punit, quosdam non punit ex improbis : et quosdam honore afficit, quosdam honore non afficit ex bonis. Non punit omnes, ut tibi resurrectionem esse persuadeat; quosdam vero punit, ut negligentiores per aliorum supplicium timore perculsos diligentiores efficiat. Rursus nonnullos ex bonis honore afficit, ut cæteros ad amorem virtutis honoribus illis alliciat : non omnes autem honoribus afficit, ut alterum tempus esse cognoscas, quod omnibus mercedem persolvet. Si enim omnes in hac vita, quæ meruerunt, acciperent, sermoni de resurrectione fidem habere recusarent; quod si nemo quæ meruerat, recepisset, plures certe negligentiores evasissent. Propterea quosdam punit, quosdam minime punit, et cum eis qui puniuntur, tum eis qui non puniuntur prodest. Nam istorum quidem reprimit improbitatem, illorum vero supplicio modestiores cæteros reddit. Atque hoc ex illis, quæ dixit Christus ipse, manifestum est. Cum enim renuntiatum illi esset collapsam turrim homines quosdam obruisse, ait ad illos : « Quid » existimatis, quia et ipsi peccatores fuerint solum? Non, » dico vobis : sed si pœnitentiam non egeritis, et vos eadem » patiemini[1]. » Vides ut illi quoque propter peccata perierint, et cæteri propter justitiam non evaserint, sed ut illorum supplicio fierent meliores? Itaque injuria sunt affecti, inquit, illi, qui pœnas dederunt. Poterant enim et ipsi non puniti, aliorum supplicio fieri meliores. Atqui si meliores illos per pœnitentiam evasuros scivisset, nequaquam illos Deus punivisset. Si enim cum prævideat multis suam longanimitatem nihil profuturam, tamen eos multa cum patientia tolerat, suas partes agens, et illis concedens, ut a stultitia sua resipiscant : quomodo eos, qui

[1] Luc. XIII, 4.

cæterorum supplicio meliores evasuri erant, eo fructu privaret, qui ex pœnitentia percipitur? Itaque nulla isti læsi sunt injuria, quod et illorum malitia sit supplicio repressa, et quod leviores propterea futuræ sint pœnæ, quas in altero sæculo luituri sunt, quod in isto mala sustinuerint. Rursus illi qui puniti non sunt, nulla sunt injuria læsi. Licuit enim ipsis, si quidem voluissent, longanimitate Dei ad optimam uti mutationem, patientiam ejus laudando summam ejus tolerantiam revereri, et ad virtutem aliquando converti, atque ex aliorum supplicio salutem suam lucrifacere. Quod si in nequitia perseverant, non Deus est in causa, qui propterea patienter fert, ut eos sibi reconciliet, verum illi venia sunt indigni, qui Dei longanimitate, ut oportuit, non sint usi. Neque vero rationem tantum istam afferre possumus, ob quam in hac vita mali omnes minime plectuntur, sed et aliam nihilo ista minorem. Quam tandem? Quod nimirum, si confestim post peccata pœnas sumeret Deus, sublatum esset e medio genus humanum, neque continua successione ad hæc tempora pervenisset. Atque ut hoc verum esse cognoscas, audi Prophetam dicentem: « Si iniquitates observaveris, Domine, » quis sustinebit[1] ? » Quod si lubeat hoc dictum examinare, omissa in singulorum vitam exacta inquisitione, neque enim fieri potest, ut quæ quisque gesserit in vita sciamus, quæ sine contradictione cuncti peccamus, ea in medium proferamus, et ex hoc nobis liquebit, quod si ob singula peccata puniremur, jam olim periissemus. « Qui fratrem » suum fatuum appellarit, reus est gehennæ ignis[2], » inquit. An igitur est aliquis nostrum, qui hoc peccatum non commiserit? Ergo-ne subito e medio tolli oportuit? Itaque sublati omnes essemus e medio, atque deleti quondam et jam dudum. Rursus is qui jurat, inquit, etsi recte ju-

[1] Psal. cxxix, 3. — [2] Matth. v, 22.

ret, rem agit, quæ a Malo est[1]. Quis igitur est, qui non jurarit? imovero, quis est qui non aliquando pejerarit? Qui mulierem, inquit, aspicit lascivis oculis, adulter perfectus est[2]. Atque hujus sane peccati multos offendere possumus reos. Cum igitur hæc quæ in confesso sunt, talia tamque intoleranda sint, et horum singula seorsim supplicium nobis accersant inevitabile, si ea quoque nobiscum reputemus, quæ occulte peccavimus, tum præsertim divinam providentiam agnoscemus, quæ non in singula nobis peccata supplicium inferat. Itaque si quem videris rapientem, fraudantem, et cum minime puniri, excute tu quoque conscientiam tuam, reputa tecum vitam tuam, et tua delicta percurre, tum probe intelliges tibi primo non expedire, ut in peccatis singulis puniaris. Idcirco enim severe multi loquuntur, quod non sua prius quam aliena considerent: sed nostris omissis omnes in res aliorum inquiramus. Verumtamen ne amplius id agamus, sed plane contrarium. Ac si quidem justum aliquem puniri videas, Job recordare. Etsi enim justus sit aliquis, nec tamen justior illo erit, neque vel modicum illi proximus erit: ac licet innumera sit mala passus, necdum tamen quidquam tale passus est, quale vir ille.

VIII. Hoc igitur mente versans, desine Dominum accusare, cum intelligas Deum, non quod illum deserat, talem sinere malis affligi, sed quod illum corona donare, atque illustriorem velit reddere. Si vero peccatorem videas castigari, recordare paralytici, qui triginta jam annos in lecto decubuerat. Nam illum propter peccata tum traditum illi morbo fuisse, audi quo pacto Christi verba testentur: « Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne de» terius tibi aliquid contingat[3]. » Vel enim eorum quæ commisimus, luimus pœnas, dum castigamur: vel occa-

[1] Matth. v, 37. — [2] Ibid. 29. — [3] Joan. v, 14.

sionem accipimus coronarum, si dum recte vivimus, malis affligimur. Itaque sive in justitia, sive in peccatis vitam degamus, utile nobis est puniri, quod id aliquando illustriores nos reddat, aliquando modestiores efficiat, ac futurum supplicium nobis mitiget. Posse namque aliquem, qui fuerit in hac vita punitus, et cum gratiarum actione cuncta pertulerit, gravitatem supplicii in altera vita subeundi mitigare, disce ex his Pauli verbis : « Ideo inter vos » multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Quod » si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur : » dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non » cum mundo damnemur[1]. » Hæc igitur omnia cum explorata sint nobis, ita de providentia Dei philosophemur, eisque qui contradicunt os obturemus. Quod si quid accidat, quod mentem nostram excedat, ne idcirco res nostras divina regi providentia negemus, sed cum eam ex parte comprehenderimus, in iis quæ comprehendi minime queunt, investigabili ejus sapientiæ cedamus. Si enim hominis artificium homo imperitus assequi minime potest, multo magis impossibile est, ut immensam Dei providentiam intelligat mens humana. « Inscrutabilia quippe sunt » judicia ejus, et investigabiles viæ ejus[2]. » Verumtamen cum ex paucis de toto possimus probationem ac fidem certam accipere, pro cunctis quæ accidunt Deo gratias agamus. Nam et alia ratione possumus absque ulla contradictione de providentia divina philosophari, si velimus : Interrogemus enim adversarios, an sit Deus ? Quod si dixerint non esse Deum, ne illos responso dignemur. Ut enim furiosis æquum non est, ut quidquam respondeamus, ita nec illis qui Deum non esse dicunt. Nam si navigium, in quo pauci nautæ fuerint et vectores, fieri nequit ut incolume servetur, ne ad unius quidem stadii spatium abs-

[1] 1 Cor. xi, 30. — [2] Rom. xi, 33.

que manu gubernatoris : multo magis tantus hic mundus, qui tot in se corpora continet ex elementis conflata, tanto tempore non durasset, nisi esset aliqua providentia, quæ illi præesset, et hoc universum tueretur semper ac regeret. Quod si communem omnium sententiam et ipsam rerum experientiam reveriti Deum esse fateantur, hoc illis dicamus : Si sit Deus, ut profecto est, sequitur eum etiam justum esse. Nisi enim justus sit, ne Deus quidem est. Quod si justus sit, unicuique pro meritis reddit. Atqui videmus non omnes hic pro meritis recipere: proinde necesse est alteram nobis repositam retributionem speremus, ut cum pro meritis unusquisque receperit, appareat justitia divina. Hæc enim oratio non de providentia solum, sed etiam de resurrectione philosophiam nobis introducit. Hæc igitur scientes, cum ipsi de providentia et resurrectione meditemur, tum cæteros doceamus, et omne studium in id conferamus, ut iis, qui adversus Dominum insaniunt, os occludamus, eumque nos in omnibus glorificemus. Sic enim majorem ejus curam ac patrocinium promerebimur, et multum auxilium obtinebimus, atque ita vera malitia liberabimur, et futura bona consequemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

Ad eos qui objiciunt, cur e medio sublatus non sit diabolus; et quod hujus malitia nihil nos lædat, si attendamus; et de pœnitentia.

I. Isaac quidem cum exoptasset aliquando prandium filii manibus paratum comedere, filium ex ædibus ad venationem emisit : hic vero noster Isaac cum exoptasset prandium sumere manibus nostris paratum, non ex ædibus nos emisit, sed ipse nostram ad mensam accurrit. Quis majorem paternum amorem unquam exhibuit? quis humilitatem majorem eo, qui tam ardentem dignatus est ostendere charitatem, tantumque voluit se demittere? Quamobrem nos etiam, qui et vocis intentionem, et pedum firmitatem matutina sermocinatione depressimus, paterni vultus aspectu recreati, continuo infirmitatis obliti sumus, torporem excussimus, voluptate commoti sumus et erecti, splendidam vidimus canitiem, et anima nostra luce repleta est. Propterea quoque prompto et alacri animo mensam apponimus, ut nos, cum comederit, benedicat. Non hic furtum est et dolus, ut illic tum fuit : alius quidem afferre jussus est, alius vero attulit; sed ego afferre jussus sum, ego quoque attuli. Tu vero benedictione spirituali benedic nobis, pater, et ea quam accipere optamus omnes, quæque non modo tibi, sed et mihi, et omnibus his sit utilis : communem omnium nostrum dominum precare, ut vitam tuam ad prolixam Isaac senectutem producat : hoc enim et mihi et istis rore cœli ac pinguedine terræ multo pretiosius est et fructuosius.

Verum enimvero jam tempus est, ut mensam apponamus : quæ porro illa est ? reliquiæ nimirum eorum, quæ nuper Charitati Vestræ dicta sunt : adhuc enim, adhuc, inquam, de diabolo sermonem habemus, quem ante duos hos dies instituimus, quem et mane ad eos habuimus, qui mysteriis initiantur, cum de abrenuntiatione, deque aggregatione apud istos dissereremus. Hoc autem agimus, non quod delectet nos de diabolo verba facere, sed quod tuta sit nobis quæ de eo doctrina profertur. Est enim inimicus et hostis noster : illud porro securitatem magnam parit, si nobis res inimicorum plane sint notæ. Diximus nuper eum per violentiam non vincere, neque per tyrannidem, neque necessitatem afferendo, nec cogendo : quoniam si ita esset, omnes utique perderet : hujusque rei protulimus argumentum porcos[1], in quos nihil agere dæmones potuerunt, antequam a Domino permissum esset ; armenta Job, et greges ; neque enim hæc diabolus ausus est perdere, quousque desuper potestatem accepit. Unum igitur hoc primum didicimus, eum per vim aut necessitatem non vincere. Secundum post illud addidimus, eum, quamvis fraudibus vincat, non tamen hac ratione cunctis superiorem evadere, et rursus athletam ipsum in medium protulimus Job, cui licet mille machinas admoverit, non eum tamen hac ratione superavit, sed et victus abscessit. Una jam restat quæstio ; quænam illa tandem ? quod licet per vim, inquiunt, non vincat, attamen fraudibus vincit : ideoque melius foret, ut penitus deletus esset. Quamvis enim Job superior evaserit, Adam tamen deceptus est et supplantatus. Quod si semel e medio sublatus esset, ne Adam quidem supplantatus unquam fuisset : jamvero, dum manet, ab uno quidem superatur, ac multis superior evadit : decem illum vincunt ; sed ab eo mille superantur,

[1] Matth. VIII, 31.

et expugnantur : sin autem illum e medio sustulisset, neque mille isti periissent. Quid igitur ad hoc respondebimus? Multo nimirum pluris esse faciendos, qui vincunt, quam qui superantur, licet hi plures sint, illi pauciores. « Melior enim est, inquit, unus qui faciat voluntatem » Dei, quam mille iniqui[1]. » Deinde vero quod adversario sublato victor ipse per illud damno afficiatur. Nam si adversarium quidem manere permittas, ignaviores non ob eos, qui magis strenui sunt, sed ob ignaviam suam damna patiuntur : sin autem sustuleris adversarium, qui magis strenui sunt, ob ignavos afficiuntur injuria, neque virtutis suæ specimen edunt, neque coronas adipiscuntur.

II. Nondum fortasse percipitis, quæ dixi : quamobrem clarius eadem est necesse dicantur. Sit pugil unus; sint et athletæ duo qui cum eo sint luctaturi, atque ex his duobus athletis unus quidem sit ingluvie corruptus, contemptus, viribus defectus, enervatus : alter vero qui strenue se gerat, bene habito sit corpore, in palæstra versetur, in multis gymnasiis, omnique se athletica exercitatione corroboret : si adversarium ergo sustuleris, utri horum injuriam inferes? num ignavo et negligenti? an strenuo, qui tot labores exantlaverit? haud dubium, quin strenuo : nam hic quidem propter ignavum adversario sublato damnum est passus; at ignavus illo manente non jam ob strenuum injuria est affectus; quippe qui propter ignaviam suam conciderit. Dicam et aliam quæstionis hujus solutionem, ut intelligas non diabolum injuriam inferre, sed propriam ignaviam eos, qui minime attenti sunt, ubique supplantare. Relinquatur diabolus admodum malus non natura, sed animi proposito ac sententia. Malum enim natura non esse diabolum ex nominibus ipsis cognosce. Diabolus namque, hoc est accusator, dictus

[1] Eccli. XVI, 3.

est ab accusando: hominem enim apud Deum accusavit. « Num gratis Job te colit? inquiens; sed mitte manum » tuam, et tange quæ habet : si non in faciem te blasphe- » mabit [1] : » accusavit rursus Deum apud hominem, « Ignis » cecidit de cœlo, inquiens, et combussit oves [2] : » siquidem illi persuadere nitebatur, desuper e cœlis bellum istud in eum esse commotum, et servum cum domino collidebat, dominumque cum servo: imovero non collidebat, sed conatus est quidem, at non valuit: ut cum alterum videris servum cum domino commissum, et odio in eum commotum, Adam scilicet in Deum, ejusque calumniæ fidem habentem, non ex propria virtute, sed ex illius eum ignavia, socordiaque discas robur acquisivisse. Diabolus igitur idcirco dictus est, id est, accusator: porro accusare, et non accusare natura non est, sed actio, quæ fit, et esse desinit; quæ accidit et accidere desinit: res autem ejusmodi non naturæ, neque substantiæ conditionem sunt nactæ. Scio multis comprehensu difficilem hunc esse de substantia deque accidentibus sermonem: sed sunt qui subtilius audire possunt; quam ob causam et nos hæc diximus. Vultis et ad alterum nomen veniam, ac videbitis illud quoque non substantiæ neque naturæ nomen esse? Malus vocatur: malitia vero non est naturæ, sed arbitrii ac propositi : nam et ipsa nonnunquam inest, et nonnunquam inesse desinit. Noli enim dicere in illo eam perpetuo manere: nam et in illo ab initio non fuit, sed postea accessit, quamobrem et Apostata dicitur : tametsi cum multi sint homines mali, solus ille per excellentiam Malus dicitur. Quam tandem igitur ob causam sic appellatur? quod nullatenus a nobis injuria lacessitus, cum nihil exiguum, nihil magnum posset objicere, cum honore affectum vidisset hominem, continuo bonis ejus invidit.

[1] Job. 1, 9, 10. — [2] Ibid. 16.

Quid igitur hac malitia nequius fingi possit, quam cum nulla legitima de causa odium ac bellum exoritur? Relinquatur itaque diabolus; et creaturam in medium proferamus, ut discas non causam nobis malorum esse diabolum, si animum attendere velimus: ut intelligas eum, qui proposito animi est imbecillis, negligens, et ignavus, etiamsi diabolus non sit, concidere et in multa vitiorum barathra se ipsum præcipitem agere. Diabolus malus est, scio equidem, et in confesso est apud omnes: sed attende diligenter ad ea, quæ nunc dicturi sumus: non enim res sunt vulgares, sed de quibus a multis sæpenumero multis in locis habentur sermones; de quibus multa sæpe contentio et bellum exoritur, non fidelibus tantum adversus infideles, sed et fidelibus adversus fideles: hoc enim est, quod dolorem inurit.

III. Diabolum igitur malum esse fatentur omnes: quid de creatura ista bona et admiratione digna dicemus? an etiam malam esse creaturam? et quis ille adeo scelestus? quis adeo stupidus, ac mente captus, ut creaturam accuset? quid ergo de illa dicemus? non enim mala est, sed et bona, et sapientiæ Dei, virtutis, ac benignitatis est argumentum. Audi ergo quo pacto illam admiretur Propheta dicens, « Quam magnificata sunt opera tua, Do»mine! omnia in sapientia fecisti [1]. » Non sigillatim percurrit; sed incomprehensibili divinæ sapientiæ immensitati cessit. Utiliter autem adeo bonam et magnificam illam a Deo factam esse ut noveris, audi quempiam dicentem: « Ex magnitudine et specie creaturarum per pro»portionem Creator illarum videtur [2]: » audi Paulum dicentem, « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per »ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur [3]. » Horum enim quisque per ea, quæ dixit, nos ab ea, quasi manu

[1] Psal. cm, 24. — [2] Sap. xm, 5. — [3] Rom. i, 20.

duci ad Dei cognitionem, subindicavit, quod illa efficiat, ut dominum agnoscamus. Quid igitur? si bonam hanc et admirabilem creaturam multis impietatis causam extitisse videamus, num illam accusabimus? nequaquam, sed eos qui medicina, ut oportuit, non sunt usi. Quomodo ergo causa impietatis erit illa, quæ ad Dei cognitionem nos provehit? « Obtenebrati sunt, inquit, in cogitationibus suis » philosophi, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius, » quam Creatori [1]. » Nusquam diabolus hic, nusquam hic dæmon, sed creatura sola divinæ cognitionis magistra in medio proposita est. Quonam ergo pacto causa impietatis est facta? non ex natura sua, sed ex eorum incuria, qui ad res suas attenti non erant. Quid igitur? tollemus-ne, quæso, creaturam quoque? sed quid ego de creatura loquor? ad membra nostra veniamus: nam et ipsa causam esse perditionis reperiemus, nisi animum attendamus, non ex propria natura, sed ex ignavia nostra. Ac vide quæso; datus est oculus, ut creaturam intuens, Dominum glorifices: at si oculo recte non utaris, adulterii tibi conciliator evadit. Lingua vero data est, ut laudes, ut celebres Creatorem: at si recte non attendas, blasphemiæ tibi fit administra. Manus datæ sunt, ut ad preces illas extendas: sed si sobrius non sis, ad rapinam eas extendis. Pedes dati sunt, ut ad bona opera curras; sed si negligens fueris, eorum ope malas actiones exequeris. Vides infirmum cuncta lædere? vides infirmum remedia salutaria præcipitem in mortem agere, non ex natura sua, sed ex illius imbecillitate? Cœlum condidit Deus, ut opus admirans, Dominum adorares: at alii, Conditore derelicto, cœlum ipsum adorarunt: id vero propter eorum ignaviam et insipientiam accidit. Sed quid ego creaturam dico? enimvero quid salutarius cruce fieri possit? atqui crux ista

[1] Rom. 1, 21.

scandalum infirmis est facta. « Verbum enim crucis per-» cuntibus quidem stultitia est : iis autem, qui salvi fiunt, » Dei virtus est ; » et rursus, « Prædicamus Christum cru-» cifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem » stultitiam [1]. » Quid ad docendum aptius Paulo fingi possit et Apostolis ? At isti Apostoli multis odor mortis sunt facti : ait igitur, « Aliis quidem odor mortis in mortem : » aliis autem odor vitæ in vitam [2]. » Vides infirmum a Paulo etiam lædi, validum autem ne a diabolo quidem affici damno ?

IV. Vis etiam de Christo sermonem instituamus ? Quid cum illa salute conferri potest ? quid illo adventu fructuosius ? atqui hic ipse adventus salutaris, et utilis multis accessio pœnarum est factus. « In judicium enim, inquit, » in hunc mundum veni : ut qui non vident, videant, et » qui vident, cæci fiant [3]. » Quid ais ? lux cæcitatis causa facta est ? non lux facta est causa cæcitatis, sed oculorum animæ imbecillitas recipere lumen non valuit. Vides infirmum undique lædi ; validum autem undique utilitatem decerpere ? nam ubique voluntas est in causa, ubique nostrum arbitrium est auctor : quandoquidem diabolus, si nosse velis, etiam utilis nobis est, si eo, prout oportet, utamur, magnamque nobis utilitatem parit, neque mediocre nobis inde lucrum obvenit. Hoc multoties et ex ipso Job ostendimus : potest autem ex ipso quoque Paulo intelligi : sic enim ait de fornicatore scribens : « Tra-» dite hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus » salvus sit [4]. » Ecce etiam salutis auctor factus est diabolus : tametsi non ex ipsius mente, sed ex artificio Apostoli. Nam quemadmodum medici viperas sumunt, et, perniciosis membris resectis, theriaca medicamenta conficiunt : ita

[1] 1 Cor. I, 18 et 23. — [2] 2 Cor. II, 16. — [3] Joan. IX, 39. — [4] 1 Cor. V, 5.

quoque Paulus fecit; quidquid inerat utile ex illato a diabolo supplicio sumens reliquum omisit. Ut enim intelligas non esse salutis auctorem diabolum, sed illum in id incubuisse, ut hominem perderet ac devoraret, Apostolum autem sapientia sua gulam ei fregisse, audi quid in secunda ad Corinthios Epistola de eodem fornicatore dicat: « Confirmate in illum charitatem, ne forte abundantiori » tristia absorbeatur, qui ejusmodi est, et circumvenia- » mur a Satana [1]: præripiamus ex belluæ faucibus hominem. Tanquam enim carnifice persæpe diabolo usus est Apostolus: carnifices autem maleficos quidem puniunt, at non quantum volunt, sed quantum judices sinunt: ea quippe lex est carnificis, ut ad judicis nutum attendens pœnam inferat. Vides ad quantam ascenderit Apostolus dignitatem? qui circumdatus erat corpore, incorporeo tanquam carnifice utebatur; et quod diabolo communis Dominus Job ita præcipiens ait, « Tange carnem ejus, ve- » rumtamen animam ejus ne tetigeris [2], » limites mensurasque pœnarum præscribens: ne cum procax et effrenata sit bellua, insolentius impetum faciat: hoc etiam agit Apostolus: cum enim tradidisset ei fornicatorem, ait, « In » interitum carnis [3], » hoc est, animam ejus ne tetigeris. Vides auctoritatem servi? noli ergo diabolum timere, licet incorporeus sit: impegit enim; at nihil imbecillius est eo, qui impegerit, licet minime corpore sit circumdatus; quemadmodum neque robustius est quidquam eo, qui libere et cum fiducia possit agere, licet mortale corpus circumferat.

V. Hæc a me nunc dicta sunt omnia, non ut diabolum crimine liberarem, sed ut vos ab ignavia liberos redderem: siquidem magnopere contendit ille, peccatorum ut nostrorum in ipsum culpam rejiciamus: ut hac spe lac-

[1] 2 Cor. II, 8. — [2] Job. II, 6 — [3] 1 Cor. V, 6.

tati, cum omne genus scelerum pervaserimus, multa supplicia nobis augeamus, nec ullam ideo veniam impetremus, quod culpam in eum transtulerimus, sicut nec Eva impetravit. Nos vero nequaquam id agamus, sed nos ipsos agnoscamus : vulnera agnoscamus; sic enim et medicamenta poterimus adhibere : nam qui morbum non novit, nihil de ægritudine sollicitus erit. Multa peccavimus, scio equidem, omnes enim pœnis obnoxii sumus : at venia nobis negata non est, nec a pœnitentia excidimus : adhuc enim stamus in scammate et in pœnitentiæ certaminibus versamur. Senex es, et ad ipsum exitum vitæ pervenisti? Ne tum quidem a pœnitentia te arbitreris excidisse, neque de tua salute desperes, sed latronis tibi veniat in mentem, qui in cruce libertate donatus est. Quid enim brevius illa hora, in qua coronatus est? attamen hæc etiam illi ad salutem suffecit. Juvenis es? noli confidere juventuti, nec existimes longum te vitæ spatium habiturum : dies enim Domini sicut fur in nocte, ita veniet [1]. Propterea incertum nobis obitum reddidit, ut certum studium ac sollicitudinem adhibeamus. Non vides eos, qui præmaturo in dies obitu abripiuntur? Idcirco admonet quidam, « Non tardes converti ad Domi» num, et ne differas de die in diem : ne forte dum cunc» taris, conteraris [2] : » adhortatio illa seni adhibeatur; hac juvenis admonitione doceatur. At in tuto versaris, et divitiis affluis, pecuniis redundas, neque mali tibi quidquam accidit : verum audi quid dicat Paulus : « Cum dixerint » pacem et tranquillitatem, tunc repentinus eis superve» niet interitus [3]. » Multa laborant vicissitudine ac mutatione res humanæ : non est in potestate nostra obitus, sit in potestate nostra virtus : benignus est Dominus noster Christus.

VI. Vultis etiam pœnitentiæ vias commemorem? multæ

[1] 1 Thess. v, 2. — [2] Eccli. v, 8. — [3] 1 Thess. v, 3.

sane sunt illæ, variæ, ac differentes, et omnes ad cœlum ducunt. Prima est pœnitentiæ via damnatio peccatorum : « Dic enim tu primus peccata tua, ut justificeris [1]. » Propterea quoque dicebat Propheta : « Dixi : Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei [2]. » Damna igitur et tu ea, in quibus peccasti : hoc Domino sufficit ad excusationem : qui enim ea damnat, in quibus peccavit, tardius in eadem rursus incidit : domesticum accusatorem excita conscientiam tuam, ne accusatorem illic habeas coram Domini tribunali. Hæc igitur una est optima pœnitentiæ via : adhuc autem et altera est nihilo inferior ista, ut acceptarum ab inimicis injuriarum memores non simus, ut iræ imperemus, ut conservorum peccata dimittamus : sic enim et quæ in Dominum commissa fuerint, dimittentur : en alteram etiam peccatorum expiationem. « Si enim dimiseritis, inquit, debitoribus vestris, dimittet et vobis Pater vester cœlestis [3]. » Vis et tertiam pœnitentiæ viam discere ? oratio fervens, et accurata, atque ex intimo corde promanans. Non tu viduam illam vidisti, quo pacto impudentem sibi judicem illum conciliarit [4] ? at tu mansuetum nactus es Dominum, benum, et clementem : illa adversus inimicos postulabat ; tu vero non adversus inimicos, sed pro tua salute postulas. Quod si quartam etiam nosse velis, eleemosynam dicam : multam enim ea et copiosam vim habet : siquidem Nabuchodonosori, qui ad omne improbitatis genus provectus erat, et omnem impietatem molitus erat, ait Daniel : « Rex, consilium meum placeat tibi : peccata tua in eleemosynis redime, et iniquitates tuas in miserationibus pauperum [5]. » Quid cum hac benignitate conferri queat ? post innumera

[1] Isaï. XLIII, 26. — [2] Psal. XXXI, 5. — [3] Matth. VI, 14. — [4] Luc. XVIII, 5. — [5] Dan. IV, 24.

peccata, post tot et tantas iniquitates placatum iri se pollicetur ei, qui offenderat, si erga conservos suos benigne se gesserit. Et vero si modeste agat quis, et humilis sit, hoc non minus quam quæ dicta sunt omnia, peccatorum naturam absumit: cujus rei testis est Publicanus [1], qui recte facta quidem commemorare non poterat, sed omnium loco humilitatem obtulit, et grave peccatorum onus deposuit. Ecce quinque pœnitentiæ vias indicavimus; primam peccatorum damnationem, secundam cum proximis peccata dimittimus, tertiam quæ in oratione consistit, quartam quæ in eleemosyna, quintam quæ in humilitate. Noli igitur otiari, sed quotidie per has omnes incede: sunt enim faciles viæ, neque paupertatem potes obtendere: sed licet in egestate graviori vitam traducas, et iram deponere, et humilitatem præ te ferre poteris, et assidue precari, et peccata damnare, neque paupertas uspiam impedimentum affert: quid dico hic, quandoquidem nec in illa pœnitentiæ via, in qua pecunias licet erogare, eleemosynam dico, ne illic quidem nobis ad mandatum exequendum objicit impedimentum paupertas? id vero vidua demonstravit, quæ duo minuta misit [2]. Cum igitur assiduam hanc vulnera nostra curandi rationem didicerimus, hæc medicamenta adhibeamus, ut vera sanitate recuperata, sacra mensa cum fiducia perfruamur, et multa cum gloria Christo regi gloriæ occurramus, æternaque bona consequamur gratia, misericordia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem, et cum quo Patri gloria, imperium, honor una cum sancto, bono, ac vivifico Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. XVIII, 13. — [2] Marc. XII, 42.

HOMILIA II.

Quod ex desidia improbitas, ex diligentia virtus oriatur : quodque nec improbi homines, nec ipse diabolus homini vigilanti nocere possint. Demonstratio autem petitur tum aliis multis ex locis, tum ex iis, quæ Adamo et Jobo contigerunt.

I. Ante hesternum quidem diem de diabolo nobis apud Charitatem Vestram est instituta oratio; alii vero eodem die, cum nos hic ea de re disseremus, in theatris sedentes, diaboli pompam spectabant : illi meretriciarum cantilenarum, vos doctrinæ spiritualis participes eratis: illi impurissimis diaboli escis vescebantur, vos unguento spirituali pascebamini. Quis ergo illos aberrare fecit? Quis a sacro ovili segregavit? Num illos quoque diabolus decepit? Quomodo igitur vos non decepit? Et vos et illi homines estis, secundum naturam loquor : eadem utrique natura præditi estis, iisdem naturalibus cupiditatibus : quomodo igitur non idem vestrum eorumque studium? Quia non eadem utrisque voluntas : ideo illi decepti sunt, vos non item. Neque ita loquor, ut diabolum e crimine eruam, sed ut vos a peccatis liberos reddam. Malignus est diabolus, id ego fateor; sed sibi ipsi malignus, non nobis, si vigilemus. Talis quippe est malignitatis natura, ea præditis solum est perniciosa; virtus autem contra, non ipsa præditis tantum, sed etiam proximis utilis esse potest. Ut vero discas improbum sibi improbum, bonum autem aliis etiam esse bonum, proverbiale tibi testimonium proferam : « Fili, » inquit, si malus sis, solus hauries mala; sin sapiens, et

»tibi ipsi et proximo eris sapiens[1]. »Illi decepti sunt in theatris: at vos non decepti estis. Magnum illud ex rebus ipsis argumentum, clara demonstratio, et ratiocinatio non dubia, voluntatem ubique dominam esse. Hac tu item argumenti ratione utere: et si videas hominem in nequitia vivere, atque improbitatem omnem sectari: ac deinde providentiam Dei criminari dicereque, eum fortunæ et fati necessitati dæmonumque tyrannidi nostram subjecisse naturam, et undique culpam a se amoliri, atque in Creatorem, qui universo huic providet, eam transferre: ejus os obtura, non verbo, sed facto, ostendeque illi alium conservum probe ac temperate viventem. Non opus est longa oratione, non opus concinno apparatu, non syllogismis; sed operibus fit demonstratio. Dic illi: Et tu servus es ut ille, tu homo ut ille: in eodem mundo versaris, sub eodem cœlo, iisdem vesceris cibis: Cur tu in nequitia degis, ille in virtute? Ideo permisit Deus malos bonis permixtos esse, nec aliam bonis terram, alium malis orbem dedit; sed hos illis commiscuit, rem utilissimam operatus. Nam boni probatiores apparent, dum in medio hominum, qui eos a recta vivendi ratione avocant, et ad malum trahunt, versantur, et tamen virtutem sectantur. «Oportet enim, in»quit, hæreses esse in vobis, ut qui probati sunt, mani»festi fiant in vobis[2]. »Ideo igitur malos in medio reliquit, ut boni magis splenderent. Vides-ne quantum lucrum? sed non ab improbis lucrum, sed a constantia bonorum. Idcirco Noë admiramur, non quod justus atque perfectus esset tantum, sed quod in generatione illa prava atque perversa virtutem servasset: cum nullum virtutis exemplum haberet, cum omnes eum ad malitiam evocarent. At contrariam ipsis viam tenebat, velut si viator quispiam, magna multitudine eodem itinere cum impetu pergente, contra-

[1] Prov. IX, 12. — [2] 1 Cor. XI, 19.

rium carpat iter. Quapropter non simpliciter dixit, « Noë » justus et perfectus, » sed adjecit, « In generatione sua[1], » perversa scilicet et desperata, ubi nullum virtutis commercium erat. Itaque ab improbis id bonis lucri accedebat : sic et arbores a contrariis ventis agitatæ robustiores fiunt. Est etiam improbis a bonorum consortio lucrum : verecundantur nempe, pudore afficiuntur et erubescunt ab eis ; etiamsi vero a nequitia non absistant, attamen latenter solum audent facinora perpetrare : nec parum est iniquitatis audaciam tolli : aliorum quippe vita illorum nequitiam criminatur. « Molestus est nobis vel dum conspi- » citur[2]. » Neque id minimum est emendationis initium, cum ejus præsentia torquentur : nisi enim eis molestus esset illius conspectus, non ita loquerentur : nec modicum illud impedimentum est, quominus malitia sua libere utantur. Vidisti quantum lucrum bonis per improbos, improbis per bonos accedat ? Ideo non separavit eos Deus ; sed commixtos reliquit.

II. Idem itaque nobis etiam de diabolo sit sermo. Ideo enim illum hic esse sivit, ut te fortiorem redderet, ut splendidiorem athletam faceret, ut majora forent certamina. Si quis igitur dicat : Cur diabolum reliquit Deus ? Hæc illi responde, Quia iis qui vigilant et sibi attendunt, non modo nihil nocet, sed etiam utilis est, non arbitrio suo, quod malum est, sed illorum fortitudine, qui ejus malitia ut par est utuntur. Siquidem et cum Jobo conflixit, non ut illum clariorem redderet, sed ut supplantaret : ideoque malus est, quod tali sit proposito ac voluntate : attamen nihil justum læsit ; sed hic potius lucrum ex tali pugna reportavit ; ut jam ostendimus : atque dæmon nequitiam, justus vero fortitudinem exhibuit. At multos supplantat, inquies : ob illorum scilicet infirmitatem, non

[1] Gen. VI, 9. — [2] Sap. II, 15.

autem virtute sua, quod jam pluribus demonstratum est. Tuum ergo recte dirige animum, et nunquam ab aliquo detrimentum accipies, imo maxima lucraberis, non a probis modo, sed etiam ab improbis. Ideo enim, ut antea dixi, commixtos reliquit Deus homines, maxime bonos cum malis, ut hos ad suam propriam reducant virtutem. Audi quid Discipulis dicat Christus: « Simile factum est regnum » cœlorum mulieri, quæ acceptum fermentum abscondit » in farinæ satis tribus[1]. » Itaque justi vim fermenti habent, ut ad suam conditionem improbos transferant. Sed pauci sunt justi, quia et fermentum parvum est; verum illa paucitas massam non lædit, sed totam farinam pro insita virtute in suam transfert conditionem. Sic justorum virtus non in numero sita est, sed in gratia Spiritus robur totum habet. Duodecim erant Apostoli, vides-ne quam modicum sit fermentum? Totus orbis in infidelitate versabatur: vides-ne quanta massa? Sed illi duodecim totum orbem ad se converterunt. Fermentum et massa ejusdem sunt naturæ, sed non ejusdem qualitatis. Quamobrem inter justos reliquit improbos, ut quemadmodum hi ejusdem naturæ sunt atque justi, sic ejusdem propositi fierint. Hæc memoria teneatis, his os obturate ignavis illis, dissolutis, segnioribus, qui virtutis labores refugiunt, qui communem nostrum Dominum incusant. « Peccasti, in- » quit, quiesce[2]: ne adjicias aliud gravius peccatum. « Non ita grave est peccare, quam post admissum peccatum Dominum accusare. Agnosce peccati auctorem, nullumque alium reperies, quam te qui peccasti. Ubique bono opus est proposito voluntatis. Id autem vobis comprobravi, non solum ratiociniis, sed exemplo conservorum, qui in hoc mundo vivebant. Hac et tu utere demonstratione. Sic et communis Dominus nos judicabit. Hunc demonstrationis

[1] Matth. XIII, 33. — [2] Gen. IV, 7.

modum discite, et nemo vobis poterit verba dare. Fornicatur quispiam? ostende illi alium continenter agentem. Avarus est alius et rapax? Eleemosynam erogantem ipsi exhibe. In livore et invidia versatur? ab hoc morbo liberum ei ostende. Iracundus est? In medium adduc eum, qui cum philosophia vivit. Non enim veteres solum historias repetere est opus; sed a præsentibus exempla sumenda sunt. Nam hodieque per Dei gratiam non minora prioribus sunt præclara opera. Incredulus est, et mendaces putat esse Scripturas? Non credit Jobum talem fuisse? ostende illi alium hominem, qui illius Justi imitetur vitam. Sic et nos Dominus judicabit. Conservos cum conservis constituit, nec suo judicio fert sententiam, ne quis dicat iterum, quemadmodum ille famulus, cui talentum creditum fuerat, et pro talento accusationem retulit: « Quia » austerus es[1]. » Cum enim ingemiscere oportuisset, quod talentum non duplicasset, gravius admisit peccatum propriæ segnitiei accusationem contra dominum adjiciens. Quid enim ait? « Sciebam quia austerus es: » O miser, o infelix et ingrate et ignave: cum ignaviam tuam accusare deberes, et sic prius peccatum minuere; tu, contra dominum accusationem vertens, loco talenti peccatum duplicasti.

III. Idcirco Deus servos et servos statuit, ut hi illos judicent, et illi ab his judicati, non habeant ultra unde Dominum accusent. Propterea dicit, « Venit Filius hominis in » gloria Patris sui[2]: » Vide gloriæ æqualitatem, non dixit, in gloria simili gloriæ Patris, sed «In gloria Patris; Et congre» gabit gentes omnes; » terribile tribunal, terribile peccatoribus et reis; nam sibi consciis de bono opere, desiderabile dulceque est; « Et constituet oves a dextris, et » hœdos a sinistris[3]: » et hi et illi homines sunt. Cur itaque

[1] Matth. xxv, 24. — [2] Id. xvi, 27. — [3] Id. xxv, 32.

illi oves, hi hœdi? Non ut differentiam naturæ, sed ut voluntatis discrimen ediscas. Cur autem ii, qui eleemosynam non erogarunt, hœdi sunt? Quia infructuosum est animal, quod neque lactis ministerium, neque prolem, neque pilorum utilitatem possit afferre dominis, quia ob præmaturam ætatem talis proventus expers est. Ideo eos qui nullum eleemosynæ fructum ferunt, hœdos vocavit: eos autem qui a dextris, oves. Ab illis enim ingens proventus, ex lana, ex prole, ex lacte. Quid igitur ait illis: « Esurientem me vidistis, et nutrivistis me; nudum, et » induistis; hospitem, et collegistis[1]. » Rursum ad illos contraria: et quidem tam illi, quam hi homines erant, easdem utrique acceperant promissiones, eadem utrisque bene operantibus præmia proposita. Idem ipse pro his et pro illis venit, eadem cum nuditate ad utrosque, eadem fame, hospes itidem: omnia sunt et his et illis æqualia. Cur ergo finis non similis? Quia id voluntatis propositum non permisit: illud enim solum distinctionem illam fecit. Hujus causa, illi in gehennam, hi in regnum pergunt. Quod si diabolus ipsis auctor peccatorum esset, non utique alio peccante et ad peccatum impellente, hi supplicio afficiendi erant. Vides-ne quomodo conservos videntes, obmutuerunt? Age ad aliud exemplum sermonem transferamus. Virgines, inquit, decem erant[2]. Hic rursus voluntates sunt quæ bene operantur, et quæ delinquunt; ut ex opposito et harum peccata videas, et illarum bona opera: comparatio enim hæc clare exhibet. Et hæ et illæ virgines: et hæ et illæ quinque, lampadas utræque habebant, omnes sponsum expectabant. Cur aliæ ingressæ, aliæ non ingressæ sunt? Quia illæ quidem inhumanæ erant, hæ vero mansuetæ et humanæ. Vides-ne rursum voluntatis propositum causam fuisse finis, non autem dia-

[1] Matth. xxv, 35. — [2] Ibid. 1-13.

bolum? vides ex opposito judicia, et ex similibus calculos ferri? conservi conservos judicabunt. Vis-ne tibi ostendam etiam ex dissimilibus fieri comparationem? Fit enim et ex dissimilibus, ut condemnatio sit clarior. « Viri Ninivitæ, » inquit, surgent et condemnabunt generationem hanc[1]. » Non ultra similes sunt ii de quibus judicium fertur. Nam alii barbari sunt, alii Judæi: hi propheticam doctrinam assecuti erant; alii nunquam de divinis audierant. Neque hoc tantum interest discriminis; sed quod ad illos servus, ad hos Dominus venerit. Et ille quidem futuram subversionem prænuntiabat; hic vero regnum cœlorum prædicabat. Quos ergo credituros esse verisimilius erat; Barbaros-ne illos, insipientes, qui nunquam divinæ doctrinæ participes fuerant; an eos qui a teneris, in propheticis Libris educati fuerant? Nemini non videtur Judæos potius credituros; sed contrarium accidit. Hi quidem non crediderunt Domino regnum cœlorum prædicanti; illi vero crediderunt conservo subversionem comminanti, ut clarius et eorum æquitas, et horum improbitas appareret. Numquid dæmon? numquid diabolus? numquid fortuna? numquid fatum? numquid sibi quisque causa fuit tum nequitiæ tum virtutis? nisi enim illi rei futuri essent, nequaquam dixisset, « Condemnabunt generationem hanc: » nequaquam dixisset reginam Austri condemnaturam Judæos esse. Non solum enim populi populos, sed unus homo sæpe integrum populum condemnat: quando ii, qui facile decipi posse videbantur, non decepti fuisse deprehenduntur, et qui omni modo vincere debebant, tamen superantur. Ideo Adami et Jobi mentionem fecimus. Jam enim ad illud argumentum redire necesse est, ut quod reliquum est expediamus. Adamum igitur nudis tantum verbis, Jobum factis aggressus est: hunc enim omnibus divitiis spoliavit

[1] Matth. XII, 41.

filiisque orbavit, illi nec minimum nec magnum quidpiam abstulit. Quin potius ipsa verba perpendamus, et insidiarum modum. « Accessit, inquit, serpens et dixit mulieri : » Cur dixit vobis Deus : Non comedetis ex omni ligno, quod » est in paradiso[1] ?» Illic serpens, illic uxor Jobo insidiatur : hic multum interest inter consiliarios discriminis. Nam ille quidem servus, hæc vitæ particeps : hæc auxiliatrix, ille vero subditus erat. Vides-ne quam nullus sit veniæ locus? Illam enim subditus ac servus devicit : illum nequidem consors et auxiliatrix vincere potuit. At videamus quid dicat : « Cur dixit vobis Deus : Non comedetis ex omni » ligno?» Atqui non id Deus dixerat, sed prorsus contrarium. Considera itaque vafritiem diaboli : dixit quod non dictum fuerat, ut edisceret quod dictum fuerat. Quid igitur mulier? Cum oportuisset illi os obturare, vel non respondere, stulte dominicam sententiam aperuit : hincque illi magnam præbuit ansam.

IV. Vide quantum malum sit sese temere inimicis et insidiatoribus tradere : ideo Christus dicebat, « Nolite dare » sancta canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante » porcos, ne forte conversi disrumpant vos[2]. » Hoc autem Evæ contigit : dedit sancta cani, et porco : ille verba conculcavit, et conversus fœminam disrupit. Animadverte autem quam vafre loquatur : « Non morte moriemini, » inquit. Illic vero animum advertite : potuit mulier fraudem intelligere : statim enim inimicitiam et bellum adversus Deum denuntiavit, statim ei contradixit. Esto, prius Dei sententiam ediscere volenti dicebas ; at ipsum contraria postea dicentem : Cur sequebaris? Dixerat Deus, « Morte morie- » mini : » his contradixit ille, his verbis, « Nequaquam » morte moriemini. » Quid hoc bello clarius? Undenam poterat melius cognosci inimicus et hostis, quam quod

[1] Gen. III, 1. — [2] Matth. VII, 6.

contraria Deo loqueretur? Confestim ergo decipulam hanc fugere par fuit, a laqueo resilire oportuit. « Nequaquam » morte moriemini, inquit. Scit quippe Deus, quod qua » die comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut » dii [1]. » Spe majoris promissi etiam bona, quæ in manibus erant, perdidit. Promiserat ille se Deos effecturum, et in mortis tyrannidem conjecit. Unde ergo mulier diabolo fidem habuisti? Quid boni perspiciebas? Annon sat tibi erat auctoritas legislatoris, quodque Deus creator et opifex esset, ille vero diabolus et inimicus? Necdum diabolum dixerim serpentem enim tantum esse putabas. Serpentem-ne tanti facere oportuit, ut dominicam ipsi sententiam denuntiares? Vides potuisse fraudem videre; at noluit ipsa. Atqui Deus jam multa beneficentiæ suæ argumenta dederat, operibusque providentiam curamque suam demonstraverat. Namque hominem, qui antea non erat, efformavit, animam ipsi inspiravit, ad imaginem suam illum fecit, principem omnium, quæ in terra essent, constituit, adjutricem dedit, paradisum plantavit, et usu cæterorum lignorum concesso, unum tantum ne attingerent vetuit : quod ipsum ad ipsorum utilitatem prohibuit. Diabolus vero neque minimum, neque magnum quidpiam boni opere præstitit : sed nudis tantum verbis mulieris animum extollens, vanaque spe inflans, ita decepit. Quæ tamen diabolum Deo fide digniorem existimavit, etsi Deus operibus benevolentiam suam demonstrasset. Ei, qui nuda verba, nihilque præterea obtulit, fidem habuit mulier. Vides-ne ex stultitia tantum et ignavia, non autem vi, fraudem profectam esse? Utque clarius ediscas, audi quomodo Scriptura mulierem accuset. Non enim dixit, decepta; sed conspicata lignum, quod pulchrum esset, comedit. Itaque crimen illud intemperantis aspectus erat, non fallaciæ dia-

[1] Gen. III, 4, 5.

bolicæ tantum. A propria namque concupiscentia, non a dæmonis malitia superata est. Ideo veniam non est consecuta : sed cum dixisset, « Serpens decepit me[1], » extremas tamen pœnas luit. Penes illam enim erat non cadere. Quod ut clarius evadat, age ad Jobum sermonem convertamus, a victis ad victorem, a superatis ad superantem. Ille namque majores nobis animos faciet, ut manus cum diabolo conseramus. Illic serpens erat, qui decipiebat, et vicit; hic mulier, quæ non prævaluit; tametsi ad persuadendum aptior, quam ille. Ac Jobo quidem post pecuniarum jacturam, filiorum amissionem, necnon bonorum omnium, machina admovebatur. Illic vero nihil erat ejusmodi : filios non amiserat nec pecunias Adam, neque in fimo sedebat; sed in paradiso voluptatis habitabat, et omnis generis lignorum copia fruebatur, fonte item, fluviis, aliisque omnibus commodis : nusquam labor, non tristitia, non mœror, non contumeliæ et convicia, neque innumera illa mala, quæ Jobo immissa sunt. Attamen cum nihil adesset hujusmodi, lapsus et supplantatus est. Annon liquet id ex ignavia accidisse? Eodem modo cum ille iis omnibus instantibus et prementibus fortiter stetit, annon planum est id ex animi vigilantia ortum esse?

V. Utrinque igitur, charissime, magnum lucrum decerpere possis: Adamum imiteris cave, gnarus quanta ex segnitie mala oriantur. Jobi pietatem imitare, cum didiceris quanta ex diligentia bona nascantur. Hunc semper tecum reputa victorem coronatum, atque in quovis dolore et calamitate magnam habebis consolationem. Quemadmodum enim in communi orbis theatro constitutus beatus ac generosus ille, omnes per ærumnas suas hortatur, ut quæ accidunt omnia fortiter ferant, neque calamitatibus ingruentibus cedant. Non est ullum, non est, inquam, ul-

[1] Gen. III, 13.

lum mali genus, in quo non possimus inde consolationem mutuari. Omnes quippe in toto sparsæ orbe ærumnæ in hoc unum corpus congestæ sunt. Quæ igitur venia ei, qui non potest vel partem quamdam eorum, quæ ipsi inflicta sunt, cum gratiarum actione ferre, cum ille non partem solum, sed universa hominum mala pertulisse videatur? Ac ne me ut nimia dicentem damnes, age singulas ærumnas pertractantes, dictis fidem faciamus. Et si placet, quod omnium maxime intolerabile videtur, in medium adducamus, paupertatem, inquam, et dolorem inde partum. Id enim homines ubique deplorant. Quid ergo Jobo pauperius fuit, qui etiam iis, qui in balneis adjecti sunt, vel in cinere camini cubant, et omnibus prorsus hominibus pauperior erat? Hi enim vestem saltem scissam habent, ille vero nudus sedebat, et quod solum a natura vestimentum habebat, carnis amictum, gravi putredine undique corruperat diabolus. Rursum hi pauperes saltem sub tectis vestibulorum in balneis, saltem latibulo teguntur; ille vero sub dio nocte dieque semper degebat, neque simplicis tecti solatium nactus : quodque gravius est, hi quidem multorum sibi malorum conscii sunt; ille vero nullius sibi concius erat. Hoc autem in singulis quoque casibus observandum est : quod sane majorem ipsi dolorem, majoremque anxietatem pariebat, quod ne causam quidem contingentium malorum nosset. Illi, inquam, de multis se accusare potuerunt : nec parum illud ad consolationem juvat, cum jure sibi pœnas infligi agnoscitur. Ille autem hac vacuus erat consolatione, et cum vitam virtute plenam duxisset, extrema scleratissimorum supplicia luebat. Ili, qui penes nos sunt, pauperes jam olim a principio huic calamitati sunt assueti; ille vero inopinatam tulit paupertatem, confestim divitiarum jacturam passus. Quemadmodum igitur causam calamitatum nosse magnum affert ad

consolationem momentum; ita non minorem parit in paupertate degenti pristina ejusdem paupertatis exercitatio : utrorumque autem Justus ille expers erat, neque tamen sic animo concidit. Vidisti eum in extremam redactum paupertatem, cui similis nulla esse potest? Quid enim nudo, tectoque carente pauperius fuerit? Imo ille ne quidem solum quo gauderet habebat, neque enim in terra, sed in fimo sedebat. Itaque cum te videris paupertate afflictum, cogita Justi illius calamitatem; statimque animum eriges, et omnem mœroris cogitatum repelles. Atque hæc quidem calamitas omnium malorum quasi fundamentum hominibus esse videtur. Altera vero posterior, imo prior, erat corporis plaga. Quis unquam hoc morbi genere laboravit? quis talem ægritudinem tulit? Quis talem excepit plagam, aut alium excipientem vidit? Nemo sane. Paulatim ipsi corpus absumebatur, membra undique vermibus scatebant, perpetuus erat ille fluxus, et fœtor undique gravissimus, corpusque dum sic paulatim interiret, et tanta putredine tabesceret, ingratos etiam cibos reddebat, famesque illi erat insolita incredibilisque. Neque enim oblato cibo frui poterat. «Fœtorem enim, inquit, video esse cibos meos[1]. » Cum ergo in morbum incideris, o homo, recordare corporis illius sanctæque carnis. Sancta quippe erat atque pura, licet his vulneribus affecta. Si quis in exercitu positus injuste nullaque saltem probabili de causa, ligno suspensus, latera sibi lacerari videat, nequaquam id ignominiæ loco habeat, neque se dolore confici sinat, Sanctum illum memoria repetens. At ille, inquies, summam habuit consolationem, quod sciret Deum hæc sibi infligere. Atqui hoc ipsum magis illum turbabat affligebatque, quod cogitaret justum Deum, quem ipse omni modo coluisset, secum pugnare. Nec ullam vel

[1] Job. VI, 7.

probabilem eorum, quæ accidebant, causam reperire poterat. Nam ubi demum causam didicit, vide quantam pietatem exhibuerit. Cum enim illi Deus dixit : « Alio-ne putas » modo me tibi oracula fudisse, quam ut justus appare- » res[1] ? » perculsus ille respondit : « Manum ponam super » os meum, semel locutus sum, secundo non addam : » ac » rursum, « Usque ad auris auditum audivi te antea : nunc » autem oculus meus vidit te. Quare me ipsum vilem repu- » tavi, et extabui : reputavi autem me ipsum terram et ci- » nerem. »

VI. Quod si hæc satis ad consolationem esse putas, poteris et ipse hac consolatione frui. Nam licet non pro Deo aliquid mali sustineas, sed ex hominum nocumento, si gratias egeris, nec blasphemaveris in eum : qui impedire quidem poterat, sed ad tuam probationem permisit, sicut ii, qui propter Deum patiuntur coronantur, sic et tu eamdem consequeris mercedem, quia illatas tibi ab hominibus calamitates fortiter tulisti, et ei qui cum illas prohibere posset, noluit tamen, gratias egisti. Ecce igitur et paupertatem et morbum, supra modum omnem Justo illatum vidisti. Vis-ne etiam ut bellum, quod ipsi natura intulit, eodem cum impetu fortem virum invasisse ostendam? Decem filios perdidit, decem simul, decem eodem juventutis flore, decem virtute præditos, nec communi naturæ lege, sed violenta miserabilique morte. Quis talem calamitatem exprimere valeat? Nemo sane. Cum ergo, et filium et filiam simul amiseris, recurre ad Justum illum, multamque nancisceris consolationem. Num hæc tantum ipsi accidere mala? Amicorum insuper defectio et proditio, scommata, convicia, derisiones, sanni. Ab omnibus autem divexari quam intolerandum fuerit? Non enim ita ærumnarum natura, ut ii, qui nobis ærumnas exprobrant,

[1] Job. XL, 3.

mordere solet. Non modo non aderat, qui consolaretur; sed multi undique instabant conviciantes. Videsque illum hac de re conqueri, ac dicere : « At vos invaditis me[1], » eosque immisericordes vocat his verbis : « Quia abnegave- » runt me proximi mei; et domestici mei contra me loque- » bantur, et filios pellicum mearum vocabam : illi vero re- » siliebant. Alii, inquit, conspuebant in me, ac ludibrium » factus sum omnibus : et ipsa, inquit, vestis mea me abo- » minata est[2]. » Hæc ne auditu quidem ferenda, nedum ipso rerum facto sustinenda. Paupertas extrema, morbus intolerandus, novus et inauditus, tot et talium filiorum amissio tali modo facta, convicia, scommata, vituperia ab hominibus. Alii quidem irridebant, non inimici tantum, sed amici; non amici tantum, sed et domestici. Neque solum irridebant et convicia jactabant, sed etiam abominabantur; hæc porro non duobus, vel tribus, vel decem diebus, sed multis mensibus : et quod illi uni contigit, ne noctis quidem consolationem habebat, sed diurnis ærumnis accessionem majorem faciebat nocturnarum formidinum phantasia. Quod enim vel in somnis graviora passus sit, audi illum dicentem : « Quare me terres in somnis, et » in visionibus me consternas[3]. » Quis tam ferreus homo, quis adamas hæc mala sustinere possit? Nam si quodlibet eorum seorsim consideratum intolerandum est, quantum tumultum omnia concurrentia attulerint tecum reputa. Attamen ille hæc omnia tulit, et in nullis eorum, quæ sibi accidebant, peccavit, neque in labiis ejus fuit dolus.

VII. Sint itaque illius ærumnæ malorum nostrorum remedia : et graves quibus agitatus ille est fluctus, calamitatum nostrarum portus sint : atque in singulis, quæ nobis accidunt, Sanctum reputemus : ac videntes unum corpus universa orbis hausisse mala, fortiter in singulis affecti eri-

[1] Job. XIX, 14. — [2] Id. XXX, 9. — [3] Id. VII, 14.

mus. Et velut ad matrem amantissimam undique manus extendentem, et liberos exterritos excipientem, ac recreantem, sic ad hunc librum semper confugiamus : etiamsi omnium miserrimis malis afficiamur, magnam in omnibus adepti consolationem, sic discedemus. Quod si dicas : Ille Job erat, et ideo hæc tulit : ego non illi sum similis : his dictis majori te dignum reprehensione reddis, et laudem illius justi viri extollis. Par esset enim hæc te potius perferre, quam ipsum. Quare? Quia ille quidem ante gratiam, et ante legem, quo tempore non ita diligenter vita instituebatur, quo non tanta erat Spiritus gratia, quo expugnatu difficile peccatum erat, quo maledictum obtinebat, quo mors terribilis erat. Nunc autem faciliora certamina reddita sunt, post adventum Christi, his sublatis omnibus. Quare post tantum tempus, tantum incrementum, post tot dona nobis a Deo collata, si non possimus ad eam virtutis mensuram pertingere, nulla nobis superest excusatio. Hæc igitur omnia considerantes : quod gravioribus ille malis premeretur, et cum difficilius certamen esset, tunc se ad pugnam ille comparaverit, et manus conseruerit; omnia, quæ nobis accidunt, fortiter feramus, et cum magna gratiarum actione, ut possimus easdem, quas ille coronas consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

AD STAGIRIUM A DÆMONE VEXATUM LIBRI TRES.

LIBER I.

Oratio adhortatoria ad Stagirium ascetam (1), *a dæmonio vexatum.*

I. Oportuerat quidem, o amantissime omnium Stagiri[1], nos tibi nunc adesse, atque in ærumnarum tuarum consortium transire, et opere juvando, verbis exhortando, cunctaque reliqua pro virili nostra parte inferendo obsequia, partem aliquam lenire mœroris : quoniam vero et corporis mala valetudo, et invectus in caput nostrum dolor, domi nos manere compulerunt, nobisque tanti lucri ministerium abstulerunt : jam quod reliquum est pro consolatione tua, et pro utilitate nostra hoc ut facultas feret, inducere non negligemus. Profuerit enim id tibi fortasse magis ad præsentes adversos casus fortissime ferendos. Sin vero nihil tale perfecerimus, certe vel in nullo nos officium deseruisse, nihilque omisisse diligentiæ nos consolabitur, meliorique animo esse in reliquum faciet. Is enim, qui cuncta impleverit, quæ ad levandos dolores maxime

[1] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 186-200.

conferre arbitratus fuerit, etiamsi nihil aliud peragat, vel cogitationis saltem atque conscientiæ accusatione liberatur, criminumque onere deposito solam mœstitiæ sarcinam perferre cogitur. Si igitur ex illorum essem numero, qui Deo familiarius conjuncti, plurimum apud illum possunt, nunquam profecto orare et obsecrare pro mihi charissimo capite desisterem : quoniam autem hujusmodi vires atque confidentiam mihi scelerum meorum multitudo abstulit, verborum consolationem tibi afferre conabor. Nam et in iis qui corporea mala valetudine laborant, cum medicorum sit fugare dolores, infirmitatemque compescere ; non tamen famulis, qui sunt in ministerio, interdicitur verborum consolatio : imovero hi maxime sunt, qui plurimis in consolando verbis utuntur, cum erga dominos bene affecti sunt. Si quid itaque dictum fuerit a nobis, quod hunc immensum dolorem tuum possit extinguere, factum erit ut optamus : sin vero hujusmodi nihil invenire aut loqui potuerimus, voluntatem tamen nostram, ac propositum ille approbabit, qui per beatum Paulum flere cum flentibus[1], humilibusque condolere jussit. Videtur itaque una esse causa mœroris tui, nequissimi scilicet hujus dæmonis insania : verum ab hac veluti radice plurima tristia oriri, si quis recte perspexerit, animadvertet. Quod non ex me ipso modo colligo, sed ex illis, quæ dum adesses coram, te sæpius conquerentem audivi. Primo te nuper, cum sæculari more viveres, nihil tale passum esse ; sed cum te ipsum mundo crucifixisti, tunc in morbi sensum venisse, quæ sane res possit in perturbationem inque desperationem conjicere. Secundo, quod quam plurimos noveris, dum delicate viverent, hac peste correptos : eos tamen parvo post tempore ita ea infirmitate liberatos, ut perfectæ integritati restituti et uxores ducerent, et pluri-

[1] Rom. XII, 15.

mos procrearent liberos, omnibusque vitæ præsentis commodis fruerentur, nihilque postmodum tale paterentur: contra, tu cum tantum tempus in jejuniis ac pernoctationibus, et reliqua vitæ austeritate contriveris, nullam ærumnarum tuarum liberationem hactenus inveneris. Tertio, quod cum sanctus ille vir tantam in reliquis viris potentiam ostenderit, nihil ejusmodi potuerit in tua dilectione perficere, neque ipse, neque ii qui cum illo erant, illo etiam in hoc genere potentiores, verum omnes re infecta abs te cum rubore discesserint. Ad hæc alia ex parte nimium te angi dicebas, quod ita animum tuum vis mœroris occupaverit, ut sæpius parum absit quin ad laqueum, fluvium et præcipitium accurras. Quinto deinceps loco, quod æquales tuos et contubernales, qui tecum vitam hanc inierunt, tranquille agentes aspicis: te vero sævissimæ procellæ adhuc expositum, et quod omnium profecto miserrimum est, carceri addictum. Neque enim his qui ferro vincti sunt, ita lacrymandum asserebas, ut iis, qui hujusmodi catena colligati fuerint. Aiebas et aliud esse præterea, quod maxime te turbaret: vereri enim ac tremere, ne si ista pater sentiat, maximis injuriis atque incommodis afficiat sanctos illos, qui te a principio susceperunt. Quippe summis viribus atque opibus fretum, atque indignatione concitatum, cuncta adversus eos summa audacia moliturum, parciturum nemini, qui sibi ex illorum numero occurrerit. Et hactenus quidem potuisse matrem rem gestam notitiæ patris subducere, repulisseque illum sæpe, cum de te inquireret: fore autem ut processu temporis deprehendatur cauta hæc matris simulatio, jamque ille et ipsi, et monachis acerrime immineat. Postremo quod omnium malorum supremum culmen est, nullam tibi certam esse futurorum confidentiam dicebas, neque apertius scire, si quando futura sit morbi hujus absolutio,

atque liberatio, cum sæpius hac expectatione habita, rursus in eamdem miseriam incideris. Talia sunt profecto ista, quæ animum maxime perturbare possint, ingentique implere tumultu, sed animum remissum, imperitum ac desidem. At vero nos si perspicere paululum voluerimus, cogitationesque pias admovere, has omnes mœroris causas veluti tenuissimum pulverem excutiemus. Cave autem putes me modo ista idcirco tanta facilitate polliceri, quod extra dolorem hunc, procellamque verser. Etsi enim quibusdam fortassis incredibilia dicere videbor, dicam tamen : neque enim cum reliquis tu mihi quoque fidem non habebis. Cum ab initio scelestus ille dæmon animam invasit tuam, atque cum cæteris prostravit orantem, non equidem tunc præsens aderam, gratiasque ago clementissimo Deo, didici tamen omnia diligentissime, non secus ac si ipse affuissem. Nam Theophilus Ephesius utriusque nostrum amicus, profectus ad me, cuncta mihi per ordinem retulit, distortas manus, torvos oculos, oris spumam, horrendam illam et confusam vocem, corporis tremorem, diuturnam sensus privationem, visumque terribile quod ea nocte ostensum est. Suem enim quemdam ferocissimum maxima vi luti inquinatum in te insilire jugiter, atque tecum concertare aiebat. Cumque is qui juxta obdormiebat, ea visione turbatus, experrectus esset, invenisse te rursum a dæmone vexari.

II. Cum igitur hæc ille denuntiaret, tantam fateor mœroris nebulam mihi offudit, quantam hic ipse durissimus dæmon charitati tuæ. Postea vero quam me ex acerbo ac diutino dolore collegi, nihil mihi jam in mundo grave, nihil dulce videbatur : sed cum olim vanitatem sæculi contemptui habuerim, ac reprehendere solitus sim, tunc maxime id passus sum, majorque affectus, ac desiderium subiit dilectionis tuæ : quippe ea est casuum tristium na-

tura, quæ amicitiam peraugere consuevit: idque ex eo liquet, quod inimicitias quoque facile revocare in gratiam possit. Nullus enim fere tam immanis, tamque insanus est, qui si videat gravi aliquo casu angi inimicum, adversus illum servare odium possit. Quod si inimicorum quoque miscremur, eosque amicorum habemus loco, cum grave aliquid atque insperatum illos perpeti videmus: considera, quæso, diligenter quid me pati, quove esse animo necesse fuerit, dum cum, quem ex omnibus maxime diligo, quemque non minus quam me charum habeo, vexari acerrime, ac mœrore deficere audirem. Noli itaque putare nos vexationis tuæ immunes, fomenta tibi consolationis admovere. Etsi enim a perturbatione illa, ac dejectione diaboli sum Dei gratia liber, hujus tamen mœstitiæ ac doloris æquas partes mihi tecum vindico: atque in hoc mihi credent, qui ita ut oportet diligere noverunt. Age ergo excutiamus hunc pulverem: ita enim erit tolerabilis, ac levis hujusce vis mœroris, si noluerimus cedendo ægritudini, trahi ad præcipitia, sed vigilare potius, et quid facto opus sit cogitare. Plurima enim ex iis quæ videntur acerbissima, priusquam examinentur diligentius, gravia putantur, et intolerabilia: si quis tamen ea ratione discutiat, inveniet esse longe opinione leviora: quod modo quoque futurum non despero. Tu tantum te ipsum erige, neque vanæ ac stultæ vulgi opinioni acquiescens, fortiorem contra nos inimicum statuas. Igitur si quidem ad aliquem infidelium mihi sermo esset, vel eorum qui casu ferri omnia existimant, vel eorum qui nequissimis dæmoniis mundi providentiam assignant, plus mihi negotii incumberet, repellendaque prius erronea opinio fuisset, atque veritate providentiæ ostensa, tum demum consolatio subinferenda esset. Quoniam vero Christi gratia instructus ab infantia sacras didicisti Litteras, veraque et

salutaria dogmata ex majorum tuorum successione suscepisti, credis absque ulla hæsitatione Deo curam esse de omnibus, et de his maxime, qui sibi fide juncti sunt, itaque omissa hac parte, aliunde sumamus initium. Principio cum Angelos crearet Deus, imovero ut altius ducatur oratio, antequam Angelos conderet, cœlestesque reliquas Virtutes, Deus erat sine ullo unquam existendi principio. Cum vero nullius rei egens semper esset, id quippe proprium Divinitatis est, creavit Angelos, Archangelos, omnesque reliquas incorporeas substantias. Creavit vero ob aliud nihil, nisi sola bonitatis suæ causa. Quorum enim obsequio non indigebat, nunquam eos profecto creavisset, nisi supreme bonus esset. Post illorum vero creationem fecit hominem, ipsa scilicet atque eadem causa, mundumque hunc omnem, quem cum innumeris bonis insigniisset, parvum illum atque vilissimum his omnibus præfecit, hoc illum in terra constituens, quod ipse esset in cœlo. Quod enim ait : « Faciamus hominem ad imaginem et si» militudinem nostram [1], » nihil aliud profecto, quam sub ditione ejus posita terrena cuncta significat. Cum igitur ita illum conditum in tanto honore locasset, veluti regi regiam paradisum ipsi terrenorum omnium pulcherrimam sedem assignavit. Volens præterea ipsi alia quoque ex parte ostendere, quantum animantes reliquas honore transcenderet, adducit ad illum omnes, ac nomina singulis imponere jubet, nullumque ex his in adjutorium dat illi, causamque protinus adjiciens : « Non enim, inquit, inventus » est adjutor similis ei [2]. » Cum vero per hæc omnia medium utriusque naturæ eum esse docuisset, quodque omnibus esset ipse honoratior, nihilque esset illi simile : tunc et mulierem creat, et in hoc illum rursus honorans, manifestumque faciens, quod illam quoque ipsius gratia

[1] Gen. I, 26. — [2] Id. II, 20.

creasset, sicut et Paulus ait : « Non, inquit, creatus est » vir propter mulierem, sed mulier propter virum [1]. » Non autem his tantum illum honoravit, verum et sermonem illi uni ex omnibus largitus est, suique illum notione dignatus est, ac suo dedit frui consortio, quantum frui homo poterat. Immortalitate præterea donandum promisit, summaque implevit sapientia, spiritualem illi gratiam adjiciens, adeo ut nonnulla etiam prædiceret. Hæcque illi omnia largitus est, cum tamen ab eo nulla ante recte facta manavissent. Quid igitur ille post tanta, tamque singularia beneficia? Benefico suo fide digniorem inimicum arbitratus est, spretoque mandato Conditoris, fallaciam illius prætulit, qui se perdere omnino, bonisque omnibus ejicere cupiebat. Prætulit autem, cum tamen nullum neque magnum neque parvum beneficium ab eo esset consecutus, solaque verbum ejus aure percepisset. Num vero delevit illum Deus tanta ingrati animi signa ab initio statim, atque ab ipsis, ut ita dixerim, stadii carceribus præ se ferentem? Hoc enim justitiæ ratio postulabat, ut is qui innumeris antea affectus beneficiis ab inobedientia statim atque ingratitudine vitæ initia cepisset, deleretur, atque de medio auferretur. Deus vero non minus quam antea bene illi facere perstitit, ostendens per hoc, quod nos etsi millies peccemus, illumque aversemur, ipse tamen saluti nostræ prospicere nunquam desistit, ut si quidem conversi fuerimus, servemur : sin autem in vitiis perseveraverimus, ipse tamen quod suum erat fecisse advertatur. Itaque videntur quidem ejectio illa e paradiso, lignique vitalis inhibitio, mortisque mulctatio, cruciantis esse, atque punientis : sunt autem providentiam gerentis non minus quam priora. Etsi enim mirabile id quod dicimus videtur, verissimum est tamen : ea quippe quæ fiebant,

[1] 2 Cor. II, 9.

cum contraria viderentur, uno tamen concordique fine sibi invicem consentiebant. Exempli causa : quod illum exclusit a paradiso, quod contra paradisum collocavit, et vetuit lignum vitæ, quod mortalem fecit, quod interim ea sententia superior visus est. Hæc, inquam, omnia necnon quæ ex his consequuntur, pro ejus salute et honore gesta sunt. Ac de prioribus quidem nihil dixerim, cum id cuivis palam sit. De posterioribus solum ratio reddenda est.

III. Quonam ergo modo scire poterimus posteriora quoque ipsi utilia fuisse? Si consideremus quid passus esset, nisi hæc ita contigissent : nam si pollicente diabolo æquales illos Deo se ostensurum, post prævaricationis reatum in eodem honore perstitissent; in tria profecto suprema mala incurrisset. Primo enim Deum malevolum, seductoremque et mendacem existimasset : secundo illum vere seductorem, malevolentiæque et mendacii et invidiæ parentem, beneficum atque amicum putavisset : postremo peccandi deinceps nunquam finem fecisset. His autem omnibus tunc hominem liberavit, cum ex paradiso ejecit. Ita fere et medicus si vulnus negligat ac deserat, purulentum amplius reddit : sin vero incisione utatur, ulterius progredi saniem ac morbi virus vetat. Quid igitur? Non his contentus fuit; imo et sudores illi adjecit et labores : nihil enim minus otio et quieti natum est, quam hominis natura. Si enim his addicti, ne sic quidem peccare desistimus : quo scelerum progressa non esset audacia nostra, si præter delicias otium nobis concessisset Deus? « Omnia » enim, inquit, mala otiositas docuit[1]. » Attestantur autem nostræ huic rationi et quæ quotidie fiunt, et quæ majoribus nostris contigerunt. « Sedit, inquit, populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere[2]. » Ac rursum :

[1] Eccli. xxxiii, 29. — [2] Exod. xxxii, 6.

« Incrassatus est et impinguatus, et recalcitravit dilectus[1]. » Consona his quoque beatus David loquitur, dicens : « Cum » occideret eos, tunc exquirebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum[2]. » Ad Jerusalem quoque per Jeremiam loquitur Deus : « Per omnia erudire, » Jerusalem, ne recedat anima mea à te[3]. » Quod autem non solum malis, verum et bonis humiliari atque incurvari salutare sit, rursum significat Propheta, cum dicit : « Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas[4]. » Post hunc et Jeremias hæc eadem, sed non eisdem verbis exclamat : « Bonum, inquiens, viro, » cum portaverit jugum grave a juventute sua : sedebit solitarius, et tacebit[5], » et de se ipso Deum obsecrat dicens : « Non sis tu mihi parcens in alienationem, in die mala[6]. » Beatus item Paulus, qui tanto munere gratiæ effulsit, tantumque naturam excessit humanam, boni tamen hujus utilitate indigebat ; quocirca dicebat : « Datus est mihi » stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet, » ut non extollar. Propter quod ter Dominum rogavi, et » dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in » infirmitate perficitur[7]. » Poterat certe sine persecutionibus, et pressuris, laboribusque et sudoribus prædicatio perfici : sed tamen id noluit Christus, prædicantibus parcens. Quocirca dicebat illis : « In mundo pressuram habebitis[8]. » Cupientibusque cœleste regnum ingredi[9], angustam viam arripiendam jubet, quasi non aliter intrare liceat : ideo pressuræ et tentationes, et quæcumque nobis tristia contingunt, non minus Dei providentiam indicant, quam læta et jucunda. Quid autem dicam pressuras hujus temporis, cum non minus ipsa quoque gehennæ com-

[1] Deut. xxxii, 15. — [2] Psal. lxxvii, 34. — [3] Jerem. vi, 8. — [4] Psal. cxviii, 71. — [5] Thren. iii, 27. — [6] Jerem. xvii, 17. — [7] 2 Cor. xii, 7-9. — [8] Joan. xvi, 33. — [9] Matth. vii, 13.

minatio, quam promissio regni, ineffabilem ipsius clementiam commendet? Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facile quispiam cœlestibus bonis potiretur. Neque enim sufficit sola gaudiorum repromissio ad excitandos ad virtutem animos, nisi etiam eos pœnarum timor impellat, qui negligentius affecti ad illam sunt. Quocirca primum hominem quoque a principio e paradiso expulit, quia ex honore sibi præstito deterior effectus esset, si post spretum violatumque mandatum immotus ille, stabilisque durasset. Jamvero ut Adam omittamus, quid non fecisset Caïn in paradiso degens, tantisque deliciis fruens, quando his omnibus privatus, patrisque supplicium ante oculos habens, ne sic quidem emendatus est, in majoremque nequitiam prorupit, ut homicidium ipse primus invenerit, ausuque nefario impleverit: homicidium, inquam, omnium sceleratissimum? Neque enim paulatim, vel post diuturnum tempus novum hoc facinus aggressus est: sed repente ac subito verticem et culmen iniquitatis occupavit: eumque qui ex eodem utero processerat, qui in nullo ipsum læsĕrat, nisi honorare Deum, id sit lædere; appetiit insidiis, ac necavit. Velim hic rursus consideres clementiam Dei. Cum enim sibi injuriam intulisset, verbis illum admonet, tristemque consolatur. At ubi insania fertur in fratrem, tunc jam severius ulciscitur, pœnasque infert. Et certe priora illa eodem digna erant cruciatu, imovero longe graviore. Si enim in hominibus conservus aliquis meliora quæque sibi servet, ac domino suo deteriora offerat, rem indignissimam, plenamque contumeliæ facere arguitur; quanto id magis in Deo? Caïn vero non in hoc solum, verum in alio quoque non minus deliquit, quod fratris honorem ægre et indigne tulerit. Nam si utpote qui peccasset, pœnitentiam egisset, accepta profecto fuisset hæc illius optima mutatio: nunc vero non pœnitentiæ

erat illa confusio, sed invidiæ ac livoris, quod rei exitus docet. Nam Deo quodam modo irascebatur, quod injuriis affectus non se honoraret, quod moderato intemperantem non præferret. Verum cum hæc illius scelera vehementissima animadversione punienda essent, longe clementius quam merebatur delinquentem tractat, tumentesque animos illius comprimere nititur : erat indignatione plena illa dejectio : idcirco loquitur ad illum : « Quiesce. » Hoc autem cum diceret, sciebat quidem quo progressurum esset malum, cæterum ingratis occasionem omnem amputare volebat : si enim ab initio ille punitus esset, hujusmodi multi plurima dixissent : Non poterat admonere verbis, et corripere, ac terrere prius, atque tunc demum si perseverasset in malis, supplicium inferre? Ingentis crudelitatis est iste cruciatus. Idcirco suas æquanimiter injurias tolerat, ut una et illorum obstruat os, et ipsius Caïn parentem quoque sola bonitate se corripuisse ostendat[1], prætereaque ut ejusmodi benignitatis exemplo posteros ad pœnitentiam provocet. Postea vero quam secundum duritiam suam, et cor impœnitens thesaurizavit sibi iram, illum tunc ulciscitur : sin vero post scelus homicidii mansisset impunitus, etiam ad aliud majusque flagitium progressus esset. Neque enim dicere possumus per ignorantiam illum deliquisse : nam quod junior intelligebat, ipse major natu qui ignorare poterat? Esto autem, per ignorantiam peccaverit prius ; postquam audivit, « Quiesce, » postquam prioris culpæ venia potitus est, ex qua ignorantia ad parricidium prorupit, terramque infecit, ac leges naturæ subvertit? Vides-ne ut prior etiam culpa non de ignorantia, sed de malignitate et nequitia, supremaque sceleris audacia venerit? Quænam vero fuit hujus pœna ? « Eris gemens ac tremens super terram[2]. » Videtur tamen

[1] Gen. IV. — [2] Ibid. 12.

esse grave supplicium : sed non jam ita videbitur, si peccatum consideremus, et ipsam pœnam diligentius intueamur. Cum enim ille male obtulisset ; ægre tulit, quod post injuriam Deo illatam honoratus ab illo non est, corripientem respuit , parricidiumque primus patravit : imovero facinus parricidio longe sceleratius : parentes enim incredibili dolore confodit, ac Deo etiam mentitus est. « Num» quid enim, ait, custos sum fratris mei[1] ? » Et pro his omnibus solo timore ac tremore cruciatur. Attamen Dei benignitatem non ex eo solum manifestari dixerim, quod mitiorem pœnam tanto sceleri adhibuit : sed quod in ipsa pœna lucrum haud spernendum inesse videatur. Id vero lucrum erat, quod ex ea ipsius castigatione cuncti postmodum admoniti sunt resipiscere a malis, fierique meliores. Idcirco ergo non occidit illum, quia par utilitas profecto non fuisset, audiri quod Caïn fratre interempto, morte mulctatus esset, et videre parricidam ipsum pœnas exolventem. Fortasse enim id auditum ob immanitatem sceleris creditum minime fuisset. Nunc vero dum videtur, dum coram adest, plurimos longoque superstites tempore, pœnæ suæ testes relinquit : manifestum certe ac credibile, et suæ ætatis hominibus, et postea futuris omnibus id facinus constituit. Quid ergo, inquies, hoc illi contulit ? Maxime quidem illius saluti prospiciebat, cum ejus rabiem, quantum in se fuerit, coërceret castigatione verborum. Verum ne ipsa quidem illata illi pœna, si quis diligentius inspiciat, maxima ipsius utilitate vacat. Si enim statim illum occidisset, nullum ipsi pœnitentiæ tempus, per quam melior evaderet, dedisset : nunc vero cum metu ac tremore vitam ducens, nisi nimis insensatus, ac bellua potius quam homo esset, ex hujusmodi vita plura capere potuit emolumenta. Præterea futurum supplicium levius

[1] Gen. IV, 9.

præsentis temporis pœna constituit: ea enim quæ nobis in hac vita inferuntur supplicia, divinitus futurorum cruciatuum partem haud exiguam succidunt. Atque harum rerum testimonia de Scripturis divinis afferre facile possumus. Nam Christus Dominus cum Discipulos alloquens, de Lazaro dissereret, Abraham retulit, cum rogaretur a divite, ut mitteret Lazarum, qui extrema digiti parte paululum aquæ ardenti linguæ instillaret, dixisse ad illum: « Fili, recordare quia recepisti tu bona in vita tua, et La» zarus mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cru» ciaris[1]. » Paulus quoque; (Paulum vero quoties dico, rursus Christi præcepta replico : Christus enim profecto, mea quidem sententia, beatam illius movebat animam) dum Corinthiis scriberet, aliquando jubet eum, qui gravissime fornicatus fuerat, tradi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi[2]. Rursusque cum eosdem de iis qui indigne sacra mysteria percipiebant, admoneret: « Propterea, inquit inter vos » multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Nam si » nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur. Cum » judicamur autem a Domino, corripimur, ut non cum hoc » mundo damnemur[3]. » Vidisti-ne ineffabilem clementiam, immensasque divitias benignitatis? Vidisti ut omnia agat atque moliatur Deus, ut post peccatum quoque mitiore quam debuimus, plectamur pœna, aut etiam omnino liberemur.

IV. Porro si quis id curiosius inquirat, cujus rei gratia veterem illum seductorem non continuo deleverit, id quoque pro summa in nos cura factum comperiet. Si enim sceleratus ille vi dominaretur, esset fortasse rationabilis ista inquisitio : sin autem hac potentia privatus, tantum persuadere atque allicere potest : illius vero sua-

[1] Luc. XVI, 24. — [2] 1 Cor. V, 5. — [3] Id. XI, 30-32.

sionis illecebras renuere in nobis est : cur tu meriti argumentum tollis, coronarumque materiam præscindis? Ad hæc si illum sciens fore insuperabilem, cunctosque devicturum, ita illum dimisisset Deus, ne sic quidem de his movenda quæstio esset. Nam tum quoque quod ille obtineret, quod vinceret non reluctantes, sed sponte sibi cedentes atque succumbentes, a nobis profecto manasset : verumtamen his qui ingrate agere volunt, ne id quidem satis esset. Quod si plurimi quidem illius potentiam ac vires frangunt, complures item posthac illum superaturi sunt : quid tu futuros probatissimos, clarissimaque victoria insignes, tanto privas honore? Idcirco enim illum dimisit, ut eum dejiciant qui fuerant ab eo prius superati, quod illi omni supplicio gravius est, ipsumque ad extremam condemnationem deducet. At non omnes, inquies, illum superaturi sunt. Quid hoc ad rem? Profecto enim multo convenientius est justis occasiones suppeditari, quibus voluntatem ostendant suam : eos vero qui non sunt hujusmodi, ex propria puniri negligentia, quam istorum causa illis etiam damnum afferri. Nam modo is qui malus est, si lædatur, non adversarii viribus, sed suo potius torpore superatur : quod indicat victorum multitudo. Tunc vero probi quique improborum causa meritis honoribus fraudati fuissent, non habentes illorum culpa, ubi vires exercerent suas : veluti si agonotheta quis athletas duos nactus, alterum quidem adversario congredi paratum, omnemque tolerantiam ostendere, coronamque ex certamine referre : alterum labori illi et ærumnæ otium deliciasque præferentem, adversario de medio sublato, ambos re infecta dimittat. Sic enim strenuus ille, propter alterius ignaviam gravi damno affectus esset. Ignavus autem non fortissimi socii causa malus esset, verum ob socordiam suam. Sed enim hæc istorum quæstio, cum de

diabolo agitari videatur, si suo ordine procedat, plurimis in rebus Dei providentiam insimulat, cunctamque simul creaturam traducit. Namque oris atque oculorum creationem incusabit : quippe cum per hæc quæque illicita concupiscant, atque in adulterium corruant plurimi : per hoc autem blasphement alii, atque perniciosa dogmata proferant. Num ergo sine oculis et lingua ideo debuerunt homines fieri? Pedes quoque abscindere, et amputare manus necesse erit, cum istæ plenæ sint sanguine, illi vero ad malum currant. Nec ipsæ quidem aures immanitatem hanc effugere poterunt. Nam inania percipiunt, et corruptionem dogmatum ad animam mittunt : itaque et istæ auferendæ erunt. Quod si dabimus, cibos quoque ac potus, cœlum, terram, mare, solem, lucem, lunam, stellarumque chorum, atque omnium animantium genera tollamus necesse erit. Ad quid ista enim omnia erunt necessaria, cum is cujus causa facta sunt, adeo miserabiliter truncus jaceat? Vides-ne qui risus, quæ deliramenta rationem istam necessario sequantur? Diabolus nempe sibi ipsi, non nobis est malus. Nos enim si velimus, plura etiam commoda per illum consequemur, illo etiam invito ac renuente : quod est profecto mirabile, et in hoc divinæ bonitatis magnitudo conspicitur. Nam si cum meliores efficimur, mordet id quidem, ac per se solum excruciat diabolum, quando hoc ipsum per eum nobis suppeditatur, hoc detrimentum ferre non potest. Quomodo autem ex illo proficimus? Dum illius immanitatem, perpetuasque insidias, ac fraudes varias solliciti metuimus, somnum immodicum excludimus, vigilamus, semperque Domini reminiscimur. Quod autem hæc mea non sint, sed beati Pauli, ipsum audi, eisdem fere verbis fideles dormientes excitantem. Nam Ephesiis cum scriberet, sic ait : «Non »est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed

» adversus principatus et potestates, adversus mundi rec-» tores tenebrarum hujus sæculi, adversus spiritualia ne-» quitiæ in cœlestibus[1]. » Hæc autem cum diceret, non dejicere studebat auditorum animos, sed potius erigere. Petrus item : « Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius » vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens » quem devoret, cui resistite fortes in fide[2]. » Hoc autem dixit, ut nos fortiores efficeret, et ad majorem cum Deo familiaritatem induceret. Qui enim imminere sibi cernit inimicum, majori ad illum currit desiderio, a quo defendi possit. Ita fere infantes pueri, cum quid horrendum viderint, ad matrum sinus protinus fugiunt, illarumque pendentes vestibus, eis se tuentur ac protegunt, atque ita ut sæpius retrahentibus plurimis inde avelli non possint. At vero quando nihil ejusmodi perturbat, ne vocantes quidem illas exaudiunt, neque trahi patiuntur : imo appellantes respuunt, et cum plurima illæ moliantur, ut ad se eos pertrahant, semper eas aversantur, appositamque mensam despiciunt. Quocirca matrum plurimæ, cum nihil obsecrando proficere se viderint, larvas quasdam horroris-que figmenta parant, atque illos demum ad reditum impellunt, persuadentque ad se iterum recurrere. Hoc autem non in solis pueris contingit, sed etiam in nobis. Quando enim malignus ille perterrét nos atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc nos ipsos agnoscimus, tunc ad Deum omni studio recurrimus. Quod si deletus ab initio nequam ille fuisset, atque sublatus e medio, fortasse nec præterita credidissent plurimi : puta quod hominem fefellisset, quod bonis illis innumeris cum ejecisset, Deumque hoc invidia et livore commotum fecisse arbitrarentur. Quando enim ne modo quidem desunt, qui post tanta illius seductionis indicia id audent dicere, si non illius

[1] Ephes. VI, 12. — [2] 1 Petr. V, 8, 9.

nequitiæ et astus experimenta cepissent, quid non dixissent? quid non oblocuti fuissent? Quod si diligenter his quæ fiunt animum intendere velimus, inveniemus minime ad omnia nos diabolum impellere : sed cum plurimorum ille nobis lapsuum sit auctor, plurima item nosmetipsos per nostram solam socordiam ac negligentiam pati. Ubi enim, ut ad priora revertamur, ad Caïn diabolum accessisse, fraternamque cædem suggessisse legimus? Nam matri quidem illius visus est loquens fraudemque concinnans : huic autem minime, nisi forte quispiam malas illum cogitationes dicat immisisse; id tamen totum illius culpa contigit, qui suggerentem admisit, illique paruit, atque principium sui invadendi præstitit. Attamen nec sic illum dimisit Deus, verum ex iis, per quæ punire videbatur, admonere potius atque corripere non desiit. Quid autem Caïn viri unius supplicium dico, quandoquidem etiam diluvium, in quo tot periere viri, Dei nobis providentiam apertissime potest asserere? Primum enim non temere neque insperate hujusmodi mala induxit, sed fore prædixit : idque non ante breve tempus, sed ante centum et viginti annos. Tum vero ne ex longitudine prædictionis in oblivionem ac negligentiam inciderent, ædificari arcam in oculis omnium præcepit, voce omni clarius clamantem, Deique minas omnibus annuntiantem. Caïn quippe hominum mentibus exciderat : illa vero ante omnium oculos posita, jugiter imminentium sibi malorum illos admonebat : nec sic tamen illi emendati sunt, sed in vitiis perseveraverunt, supplicia sibi ipsis conseiscentes atque attrahentes. Deus enim diluvium ipsum neque comminari, neque inferre voluisset, sicuti nec gehennam ipsam. Verum omnium nos ipsi nobis causa sumus, quod cum Sapientissimus quidam videret, dicebat : « Deus mor-

» tem non fecit, nec lætatur in perditione viventium[1]. » Ac Deus ipse per Prophetam ait : « Nolo mortem peccato- » ris, sed ut convertatur et vivat[2]. » At vero nos nisi convertamur, damnationem nobis ipsis ultro mortemque congerimus, non Deus qui nos perire noluerat, quique viam effugiendi nobis ostenderat. Ergo-ne id solum habemus, quod de diluvio dicere possimus, nullaque ex eo prodiisse emolumenta dicemus? Dici profecto non potest, quantum utilitatis et iis qui illa inundatione periere, et cæteris qui postea fuere, inde provenerit. Illi enim ulterius in vitiis ac flagitiis progredi permissi non fuerunt : qui autem post illos secuti sunt, majora quam illi lucra retulerunt, fermento, ut ita dixerim, materiaque malorum e medio sublatis extinctisque peccatoribus. Nam si etiam sine exemplis mala homines per se facile inveniunt : quid non facturi erant, si plurimorum exemplo ad perniciosos actus invitati fuissent? Quod utique ne fieret, ne tot scelerum magistros hi, qui postea futuri erant, haberent, eos omnes una perdidit.

V. Verum enimvero, quænam est illorum sapiens, imo plena stultitiæ ratio, qui cum nihil boni agere velint, omnia perquirunt et dicunt, ut suorum delictorum causam ad Deum referant? Nisi permisisset Deus, aiunt, nequaquam accessisset diabolus, nunquam decepisset ab initio. Sed neque cognovisset Adam, quantum boni ante habuisset, neque suam illam arrogantiam unquam deseruisset. Qui enim se ipsum in tantum culmen honoris erexerat, ut fieri se Deum expectaret, quo non prorupisset audaciæ, nisi fuisset ad sanam mentem reductus? Fingamus nihil diabolum consuluisse, nihilque penitus Evæ de ligno locutum fuisse : num sine peccato perstitissent, si istud non ita contigisset? Minime vero : nam cui mulier tam

[1] Sap. I, 13. — [2] Ezech. XVIII, 24.

facile quod volebat persuasit, ipse etiam diabolo non existente, ex se ipso quamprimum in peccatum corruisset, quo majori quoque pœna mulctari meruisset. Præterea ne nunc quidem diaboli solius fuit omnis illa seductio, sed sua etiam concupiscentia mulier corrupta corruit, atque hoc Scriptura sacra indicat, quæ dicit : « Viditque » mulier quod bonum esset lignum ad edendum, gratum- » que oculis ad videndum, ac speciosum ad consideran- » dum, et accipiens de fructu illius comedit [1]. » Neque vero ego nunc ista loquor quasi diabolum insidiarum criminibus purgare cupiens, sed indicare volens eos, nisi sponte cecidissent, a nemine unquam potuisse dejici. Nam qui tam facile propinatam sibi ab altero fallaciam suscepit, is ante fallaciam negligenter et remisse se habuisse ostenditur. Neque enim tantum ille potuisset, si sobrium vigilantemque animum allocutus esset. Sunt autem plurimi, qui in hac parte confutati, diabolo omisso, ad mandatum transeunt, et cum a peccante homine abstineant, Deo crimen impingunt, dicentes : Quid enim eis præceptum dabat, quos peccaturos noverat? Ista revera sunt diaboli verba, et impiæ mentis inventa. Nam quod præceptum dare longe majoris providentiæ sit, quam non dare, hinc palam est. Esto Adam voluntate, et animo tam negligenti, quam finis ostendit, nullum suscipiat mandatum, sed in deliciis persistat; ex hujusmodi licentia imbecillitas tanta atque negligentia ad meliora-ne, an ad deteriora prorumpet? Liquet profecto illum ad summum fastigium vitiorum evasurum, si absque cura sit. Nam si necdum de immortalitate securus, eamque spem dubiam pendere non ignorans, in tantam arrogantiam atque amentiam elatus est, ut Deus fieri speraret : istudque cum id promittentem nulla ex parte fidelem cerneret, si securam

[1] Gen. III, 6.

immortalitatem putasset, quo non progressus esset arrogantiæ? quid non peccásset? quandonam Deo obtemperasset? Tu vero dum ista criminaris, idem profecto facis, ac si quis fornicationem prohibentem reprehenderet, ideo quod plurimi ista audientes fornicaturi essent. Nonne sunt hæc verba extremæ dementiæ? Si enim nullo mandato suscepto diabolus ad illum accedens, recedere a Deo consuluisset, id illi facile persuasisset. Nam qui post acceptum mandatum præcipientem sic contempsit, si nihil ab illo penitus audisset, cito etiam se sub domino esse ignorasset: idcirco mature Deus ex iis quæ præcipit, docet habere illum dominum, in cunctisque illi parere oportere. Et quid amplius hinc secutum, inquiunt? Etiamsi nihil aliud secutum esset, non id docenti Deo esset imputandum, sed potius homini non suscipienti optimam hanc disciplinam. Verum ne sic quidem inutilis fuit, etiam post prævaricationem præcepti exhibitio. Nonne illæ latebræ, illa confessio delicti, illa viri ad mulierem, mulierisque ad serpentem studiosa causæ traductio: illa, inquam, omnia metuentium sunt atque trementium, Deique auctoritatem agnoscentium? Porro quantum lucri fuerit ex diabolica illa expectatione, in tantum timoris illos fuisse translatos, nullus ignorat. Qui enim æqualitatem cum Deo prius meditatus fuerat, ipse jam ità contrahebatur humiliter, ut pœnam cruciatumque metueret, ac peccatum confiteretur suum. At vero non absque sensu peccare, delictumque cito agnoscere, non parva res est: sed via quædam est atque principium ad emendationem atque ad mutationem in melius ducens. Omnem itaque in nos Dei benignitatem neque discere, neque narrare possibile est: eorum tamen quæ novimus, summam dicturus sum. Post talem enim inobedientiam, post tanta scelera, cum jam orbis totus tyrannide peccati premeretur, cum

extrema jam luenda pœna esset, cum delendum omne mortalium genus, nomenque ipsum hominum merito exterminari posset; tum vero maximum omnium beneficium nobis ostendit, Unigenitum suum pro inimicis, pro alienatis a se, pro se odio habentibus atque adversantibus morti tradens, sicque reconciliationem nostram operans, cœlorumque regnum et æternam vitam, aliaque bona innumera nobis se daturum spondens, « Quæ nec oculus vidit, » nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt [1]. » Quid igitur huic providentiæ, huic clementiæ, huic bonitati comparari possit? Propterea et ipse dicebat : « Quantum » distat cœlum a terra, tantum distat via mea a viis vestris, » et cogitatio mea a cogitationibus vestris [2]. » David quoque mitissimus, cum de clementia illius loqueretur, aiebat : « Secundum altitudinem cœli a terra corroboravit » Dominus misericordiam suam super timentes se. Quan» tum distat Ortus ab Occidente, longe fecit a nobis ini» quitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, mi» sertus est Dominus timentibus se [3]. » Non parem solum amorem indicans, sed quia summæ dilectionis exempla alia non novimus; illo tamen exemplo majus aliud profert Hesaïas, nempe matris quæ misericordia erga prolem patrem superare solet, sic loquens : « Numquid obliviscetur » mulier infantuli sui, ut non misereatur filio uteri sui? » Sed et si illa oblita ejus fuerit, ego tamen tui non obliviscar, dicit Dominus [4] : » Ostendens Dei misericordiam affectus omnes naturales longissime excedere. Et Prophetæ quidem sic : Ipse autem Christus cum Judæis loqueretur, aiebat : « Si autem vos cum sitis mali, nostis bona data » dare filiis vestris : quanto magis Pater vester cœlestis da» bit bona petentibus se [5]? » Nihil profecto aliud per ista

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Isaï. LV, 9. — [3] Psal. CII, 11-13. — [4] Isaï. XLIX, 15. — [5] Matth. VII, 11.

significans, nisi tantam esse divinæ providentiæ et gubernationis paternæ differentiam, quantum interest inter bonos et malos. Verum neque hactenus stes velim, sed mente ad ulteriora progredere. Nam id quoque pro captu et modo tuo dictum est : quippe cujus intelligentia est infinita, et bonitas similiter, atque clementia erga homines. Quod si hanc per singula quæ fiunt non perspicimus, et hoc signum illius infinitatis est. Plurima enim et magna quotidie pro nostra salute disponit, quæ ipsi soli sunt cognita. Quia enim bonitatis suæ gratia generi nostro bona largitur, nihil nostris indigens laudibus, nullaque alia remuneratione opus habens, plurima nos latere permittit. Sed et si aliquando hæc revelat, et illud nostræ utilitatis causa facit, ut gratias illi semper habentes amplius nobis attrahamus illius auxilium. Non igitur de his solum quæ novimus, sed de iis etiam quæ nescimus, gratias illi referamus : neque enim volentes solum, verum invitos quoque beneficiis consuevit afficere. Quod Paulus cum sciret semper et in omnibus gratias agere monebat. Quod autem non communiter solum omnium curam gerit, sed seorsum singulorum, ipsum audias licet dicentem : « Non est voluntas coram » Patre meo qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis is- » tis [1], » de iis dicens, qui in illum credunt. Cupit ipse quidem et eos qui non credunt salvos fieri, mutarique in melius, et credere, sicut Paulus ait : « Qui vult omnes » homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire [2]. » Et ipse ad Judæos : « Non veni vocare justos, sed pecca- » tores ad pœnitentiam [3] : et, Misericordiam volo, et non » sacrificium [4]. » At vero si post tantæ curæ ac providentiæ fruitionem noluerint meliores fieri, veritatemque agnoscere, ne sic quidem illos deserit : sed quoniam æternæ vitæ

[1] Matth. xviii, 14. — [2] 1 Tim. ii, 4. — [3] Matth. ix, 13. — [4] Osee. vi, 6.

participatione ipsi se sua sponte privarunt, vel præsentis vitæ bona illis omnia largitur, solem suum oriri faciens super bonos et malos, et pluens super justos et injustos, aliaque præstans quæ ad præsentis vitæ statum pertinent. Quod si inimicis quoque tanta cura prospicit, fideles suos, et qui totis ei viribus serviunt, quomodo unquam contemnet? Non ita, non ita est : verum istos maxime ex omnibus fovet; « Vestri enim, inquit, et capilli capitis omnes » numerati sunt [1]. »

VI. Quoties ergo tibi in mentem venit, parentes te, et patriam, domum, amicos, propinquos, opesque innumeras, et gloriam illam ingentem abjecisse propter Christum, deindeque hujusmodi vexationem pati : noli dejicere te ipsum. Nam ex quibus cogitationum hæsitatio gignitur, ex eisdem rursus solvetur. Quonam modo? Impossibile est mentiri Deum, promisit autem ille vitam æternam ista relinquentibus. Reliquisti tu omnia ista, et abjecisti : quid igitur prohibet de hujusmodi confidere promissione? Num ea qua nunc probaris tentatio? et hæc ad promissionem quid? Non enim hic æternam repromisit vitam : imovero si in terris quoque ejusmodi promissio implenda esset, ne sic quidem ægre ferre debueras : siquidem fidelem ac religiosum virum adeo constanter et firmiter promissa Dei tenere convenit, ut quantumlibet effectus contrarios aspiciat, ne sic quidem perturbetur, neque desperet eventum. Intuere denique cujusmodi pollicitationem fidelis Abraham acceperit, et qualia facere sit jussus. Nam promissio quidem erat ex Isaac implendum esse orbem universum, jussio autem hunc ipsum Isaac immolare urgebat, ex quo orbis totus erat implendus. Quid igitur? istud-ne perturbavit justum virum? Minime vero, imo cum tanta dissonantia et repugnantia esset præcepti cum promisso, non

[1] Luc, XII, 7.

turbatus est, neque hæsitavit, neque aliquid hujusmodi locutus est : Alia promisit mihi Deus, alia facere jubet : ex puero isto nepotum ingentem multitudinem mihi promiserat, et hunc ipsum modo necare mihi præcipit? Quomodo igitur hoc erit excisa radice? Fefellit me igitur, atque delusit. Nihil prorsus hujusmodi locutus est, sed ne cogitavit quidem : Et merito sane. Cum enim Deus aliquid pollicitus fuerit, etiamsi millia sint quæ pollicitationem tollere videantur, turbari minime convenit, aut desine dubitare. Hoc enim maxime Dei potentiam commendat, dum in rebus ambiguis exitum reperit : sicuti tunc Beatus ille secum reputabat. Quocirca fidem illius maxime admirans Paulus, aiebat : « Fide obtulit Abraham Isaac » dum tentaretur, » Unigenitumque offerebat is, qui promissiones acceperat. Hæc ipsa scilicet insinuans, atque subindicans, quæ nunc a me sunt dicta. Non modo autem ipse, verum ipsius quoque pronepos Joseph, cum per longum tempus, et varios casus promissionem periclitari perspiceret, immobilis perstitit : sola enim promissa intuebatur : quod si humanis cogitationibus locum dedisset, de fine desperasset. Nam ostensa sibi visio, et fratrum et parentum adorationem pollicebatur : quæ vero illi contingebant, non erant hujusmodi, sed ab his longissime remota. Primum enim illi ipsi fratres, quos se præviderat adoraturos, in lacum illum injiciunt, ac barbaris hominibus venditum in alienam ac remotissimam regionem emittunt, atque adeo contraria promissis ea quæ contingebant videbantur, ut miseri illi subsannantes eum, dicerent : « Ecce somniator ille venit : nunc ergo venite, occi- » damus eum, et projiciamus in lacum, dicemusque : Fera » pessima devoravit eum, et videbimus quid somnia sua » ipsi proderunt[1]. » Postea vero ii, qui illum emerant, non

[1] Gen. XXXVII, 18-20.

saltem libero homini, sed servo illum regio vendunt iterum. Neque hactenus adversa steterunt, sed in dominæ calumniam incidit, damnatusque carcerem annos plurimos habitat, et effugientibus cæteris ampliore illic tempore ipse perdurat. Cumque tanta essent quæ illius animum perturbare possent, constans tamen perseverat. Ejusmodi vero etiam nostra sunt, imovero longe perplexiora. Quæ enim promissa sunt nobis, regnum cœlorum, et vita æterna, et incorruptio, et infinita sunt bona: quæ autem interim contingunt, valde ab his remota, atque aliena sunt: mors scilicet et corruptio, pœna et supplicium, et tentationes variæ, ac frequentes. Cujus ergo rei gratia hoc facit Deus, permittitque contraria promissis advenire? Nimirum ut ex hoc duo maxima bona eliciat, ex altero certissimum potentiæ ipsius argumentum præbens, quod scilicet possit desperatissima promissa sua, spe atque opinione melius perficere; ex altero autem nostros animos erudiens, ut in cunctis ipsi credamus, etsi dictis facta contraria videantur emergere. Nam spei virtus ejusmodi est, ut cum qui sincere illi adhæreat, nunquam confundi permittat. Si enim ii, qui promissa in hoc sæculo acceperunt, ita insigniter affecti sunt, multo magis id nos facere necesse est, qui non in præsenti vita, sed in aliis sæculis bonorum exitum expectamus. In hoc enim sæculo pressuras nobis angustiasque promisit. Quid ergo est quod te perturbet? Qua ratione suspecta habeas promissa Dei? Nam cum dicis te ab eo negligi, cujus causa mundum omnem despexisti, liquido ostendis te illi non credere, eumque suspectum habere, fallacemque promissionem ejus existimare. Id autem vere est a dæmone corripi, ac gehennæ ignem provocare. Sed sunt qui sæculi negotiis dediti quiete vivunt. Et istud quoque prædixit Christus: « Amen, amen dico, inquit, vobis, quia plorabitis et fle-

» bitis vos, mundus autem gaudebit[1]. » Sed et in prioribus generationibus Babylonii cum Deum ignorarent, opibus, potentia et gloria pollebant : Judæi vero captivitate, servitute, extremisque calamitatibus premebantur. Et Lazarus ille[2], qui regno cœlesti dignus, ulceribus plenus canum linguis erat expositus, atque perpetuo cum fame pugnabat : dives vero in honore ac frequenti satellitio, et requie, et deliciis vitam ducebat. Verum ut huic nihil apud inferos illa omnia profuere : ita nec Lazaro fames, aut ulcera, quo minus probe viveret obstiterunt : sed veluti quidam athleta fortis in æstu gravissimo et algore luctans, et vicit, et coronatus est. Quocirca vir quidam Sapiens aiebat : « Fili, si accedas ad servitutem Domini, præpara » animam tuam ad tentationem, dirige cor tuum et sustine, » et ne festines in tempore inductionis. » Et post pauca : « Quoniam, inquit, igne probatur aurum, homines vero » acceptabiles in fornace humiliationis[3]. » Rursumque alio loco scriptum est : « Fili, noli negligere disciplinam Dei, » neque deficias cum ab eo corriperis[4]. » Qui enim aurum in fornacem mittit, novit quatenus illud incendi, et quando ex igne oporteat educi. Ideoque hic quidem ait : « Ne festines in tempore inductionis : » Salomon autem hoc ipsum docens, « Neque deficias, inquit, cum ab eo » corriperis. » Magnum quid revera, magnum, inquam, pressura est ad virum spectabilem efficiendum, atque ad docendum patientiæ virtutem. Quid ergo, inquies ; si illius nos magnitudo evertat, atque dejiciat? « Fidelis est » Deus, qui non patietur nos tentari supra quam possumus, » sed faciet cum tentatione exitum, ut possimus sustinere[5]. » Nam si ex dilectione correptio, ex odio vero derelictio est : neque ejusdem est quempiam simul et amare

[1] Joan. XVI, 8. — [2] Luc. XVI. — [3] Eccli. II, 1, et seqq. — [4] Prov. III, 11. — [5] 1 Cor. X, 13.

et odisse, neque corripere simul et derelinquere. Quomodo ergo, inquies, multi corruerunt? Se ipsos illi Deo privaverunt, non autem a Deo derelicti sunt. « Ecce enim, » inquit, qui elongant se a te peribunt[1]. » Elongant se vero a Deo, qui correctiones illius non sustinent, sed irascuntur atque indignantur : ac veluti perversi filii, cum a patribus traditi magistris, vel impatientes laboris, vel fugientes verbera, parentum aspectus declinant, nihil inde lucrantur, sed gravioribus incommodis se implicant, atque in aliena regione famis et erroris, ac morborum, ignominiæque et servitutis ærumnas subire coguntur : ita et qui Dei disciplinam non grato animo tolerant : indignanturque et graviter ferunt, præterquam quod nihil ex ea lucrantur, summis se calamitatibus afficiunt. Quocirca tolerare admonemur, et dirigere cor nostrum. At multo graviora te perpeti dices. Ne pædotribæ quidem, omnes æqualiter atque eodem modo exercent, sed imbecillioribus imbecilles, fortioribusque sui similes tradunt. Nam qui suis viribus minorem antagonistam fuerit nactus, etiamsi tota die illi congrediatur, inexercitatus tamen permanet. Cur ergo, inquies, non omnes qui eamdem elegere vitam, eisdem etiam laboribus certare fecit? Quia non una apud Deum est exercitationis species, neque omnes eisdem opus habent, etiamsi in eodem vitæ genere sint : quippe et plurimi cum eisdem morborum incommodis laborent, non eisdem tamen indigent medicamentis, sed alia quidem istis, alia illis apponuntur. Atque adeo et flagellorum modi varii sunt atque differentes, et alius quidem morbo diuturno probatur, alius gravissima inopia, vi atque injuria alius : hunc juges atque perpetuæ liberorum propinquorumque cæterorum mortes excruciant; hicque ab omnibus abjicitur, nulliusque rei dignus æstimatur :

[1] Psal. LXXII, 27.

ille quod de iis accusetur, quorum nihil sit sibi conscius, malæque famæ pondus ferat : atque alius aliter affligitur. Neque enim possibile est omnia nunc adamussim numerare. Videntur autem tibi horum singula, si tuis ærumnis conferantur, levia ac nulla esse. Verum tu si hæc expertus esses, addisceres profecto id, quod nunc te angit, his omnibus tolerabilius esse. Sed et si qui sunt, quorum sit levior quam nostra castigatio, non ideo perturbemur. Nam adjectio laborum, incrementum præmiorum est, ac firmissimum munimen nostrum, quo freti nunquam sive sponte, sive etiam inviti corruamus. Namque tumorem comprimit, negligentiam avertit, prudentioresque ac religiosiores efficit. Sane si quis omnia enumerare velit, plurima tentationum emolumenta reperiet : nullusque unquam ex iis, qui Deo acceptabiles fuerunt, sine pressuris vixit, etiamsi non ita nobis videatur.

VII. Nam si beatus Paulus tantum negotii sustinuit, nullus vero Paulo major est, aut etiam æqualis : qua tandem ratione illi credantur hujusmodi auxilio non indiguisse? Sin autem quidam ex istis tribulationibus emendati non sunt, non hoc illi imputandum est, qui emendationem intulit, sed illorum potius negligentiæ? Nam si illis non fuisset adhibitum medicamentum, per negligentiam periisse viderentur. Nunc vero non parum actum est, cum nemo medicum accusare possit, sed ægrotos potius, ipsorumque incuriam. Si qui vero antequam tentarentur, gradientes recte, post tentationem corruerunt : aliique cum omnibus essent peccatis obnoxii, nulla tribulatione vexati sunt; alii vero a prima statim ætate usque ad ultimum vitæ spiritum innumeris calamitatibus contriti sunt; a nulla hujusmodi re dejiciamur aut perturbemur. Etenim si omnem providentiæ illius dispensationem scire valeremus, aut deberemus, ista ignorantes, mœroris ac perturbationis non

immerito causam habere videremur. Sin vero is qui tantorum arcanorum particeps, ad tertium cœlum raptus fuerat, ad hanc tamen abyssum hærens substitit, inspiciensque in profundum divitiarum sapientiæ ac scientiæ Dei, obstupuit solum, atque inde resiliit : quid nos ipsos frustra concidimus, perscrutantes inscrutabilia, atque investigabilia curiose inquirentes? Certe cum medicus contraria iis quæ nobis salubria videntur præcipit, sive algens membrum fonti subjicere jubeat, sive alia hujusmodi inexpectata faciat, nunquam reluctamur : sed cum nobis antea persuaserimus, artis illum ratione id facere, prompte ac libenter cedimus, cum tamen ille sæpius fallatur : Deum vero qui tantum in omnibus a nobis distat, qui est ipsa sapientia, qui nunquam falli potest, magna curiositate perscrutabimur? Cumque illi simpliciter credamus, a quo facti rationem exigere jure possemus, ab illo, cui solum credendum est, eorum quæ gesserit causas ac rationes requiremus, atque hujusmodi ignorantiam indigne feremus? Hæccine sunt religiosæ mentis, ac piæ? Ne, quæso ac supplico, ne ad tantam vesaniam progrediamur, sed in omnibus in quibus ambigimus, illud dicamus : « Judicia tua » abyssus multa[1]. » Nam et hoc ipsum, quod non omnia aperte scimus, divinæ sapientiæ profecto est. Si enim omnium quæ fiunt, causa et ratione cognita, ita demum Deo pareremus, non magna merces esset, neque fidei exhibitio ea res videretur. Cum vero nihil horum penitus noscentes, ita quoque summa affectione mandatis ejus omnibus cedimus, ex legitima obedientia fideque integerrima : maxima animabus nostris emolumenta conciliamus. Hoc enim solum nobis persuadere debemus, omnia nobis utiliter a Deo inferri, modum non amplius inquirentes, neque hujus ignorationem graviter vel cum mœrore feren-

[1] Psal. xxxv, 6.

tes. Neque enim possibile est ista scire, neque utile : illud, quia mortales sumus : hoc, quia cito in arrogantiam extollimur. Plurima nos facimus, quæ cum liberis nostris noxia esse videantur, utilia sunt tamen : quorum neque illi causas quærunt addiscere, neque nos illis antea persuadere studemus, id expedire quod facimus : sed hoc solum illos admonemus, ut in omnibus cedant, quæcumque præceperint patres, nihilque ulterius inquirant. Quod si parentibus nostris, qui ejusdem atque nos naturæ sunt, ita morigeri sumus, neque ulla ratione indignamur : Deo-ne indignabimur quod non illius omnia nobis explorata sint, qui tanta excellentia nobis præcellit, quantum inter Deum et homines discrimen intercedit? Et quid huic impietati par fuerit? Adversus hujusmodi homines sane beatus Paulus indignans dicebat : « Alioquin, o homo, tu quis es qui » respondeas Deo? Numquid dicet figmentum factori suo : » Cur me ita fecisti[1] ? » Equidem filiorum exemplar proposueram, ipse vero multo majus posuit, figuli scilicet, atque ab eo in formam redacti luti. Sicut enim lutum quocumque manu se formantis duxerit, sequitur : ita hominem quæcumque Deus jusserit, ea sequi, et quæ ille intulerit, grato animo perferre convenit, nihil omnino reluctando, vel curiose addiscere quærendo. Neque enim nobis solis ista ambigua sunt : verum et iis, qui ante nos fuerunt, sanctis illis ac mirabilibus viris. Ait enim Job : « Ut quid » impii vivunt, divitiisque veterascunt[2] ? » Beatus autem David : « Pene, inquit, effusi sunt gressus mei, quia zelavi » super iniquos pacem peccatorum videns. Quia non est » respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum. » In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non » flagellabuntur[3]. » Post hunc Jeremias quoque dicebat : « Justus es Domine, verumtamen judicia loquar ad te.

[1] Rom. IX, 20. — [2] Job. XXI, 7. — [3] Psal. LXXII, 2-5.

» Quid est quod via peccatorum prosperatur[1] ? » Ambigebant isti quidem atque inquirebant, sed non ita ut faciunt impii : neque enim accusabant Deum, neque ex iis quæ fiunt, illum injustitiæ arguebant. Sed alius quidem aiebat : « Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus » multa[2]. » De alio, cum tanta passus esset, scriptum est : « Non dedit insipientiam Deo[3]. » Et in eodem libro incomprehensibilem sapientiam illius et dispensationem enarrans, cum de creatione disseruisset : « Ecce istæ sunt » partes viæ ejus, et ad humorem verbi audiemus in eo[4]. » Idipsum quoque Jeremias providens ne quis unquam suspicaretur, interrogationi judicium suum præposuit, dicens : « Justus es, Domine, » hoc est, scio quidem a te omnia fieri juste : modum autem ignoro, quo fiunt. Quid igitur? amplius-ne illi didicerunt? Nempe de iis nullum responsum retulerunt, quod beatus David indicat, cum dicit : « Et existimabam ut cognoscerem, quia hoc labor » est ante me[5]. » Idcirco autem responsa super his non acceperunt, ut posterioribus sæculis futuros homines docerent etiam ipsi interrogatione abstinere. Atque illi quidem unum tantum inquirebant, cur scilicet impii in copia rerum omnium et prosperitate viverint, et ne sic quidem didicerunt : at vero isti longe plura, quam illi curiose scrutantur. Ea enim quæ nunc proponuntur, multo graviora sunt. Itaque manifesta horum ratio illi permittatur, qui novit omnia antequam fiant.

VIII. Si tamen opus sit nos, ex iis quæ jam nota nobis sunt, solutionem quæsitorum, et consolationem excogitare propter eos qui tam curiose illa sciscitantur, illud dixerim, indignum esse quærere, cur boni in pressuris, mali contra in requie persistant, cœlesti jam revelato regno,

[1] Jerem. XII, 1. — [2] Psal. XXXV, 6. — [3] Job. I, 32. — [4] Id. XXVI, 14. — [5] Psal. LXXII, 16.

futurique sæculi præmio nobis ostenso. Nam cum in illa vita singuli digna suis meritis recipiant, quid jam eis rebus perturbamur, quæ hic bonis aut malis contingunt? Deus enim eos qui sibi adhærent, veluti fortissimos athletas hujusmodi laboribus exercet: imbecilliores vero ac tardiores, et qui nihil durorum laborum perferre possunt, prius ad bona opera hortatur. Quod si contrà nonnunquam evenit, plurimique justi hic in requie vitam cum honore agunt: mali vero in ignominia summisque adversitatibus perdurant, interim quidem prior illa objectio, quæ affligi bonos, malos vero jugiter esse in deliciis conquerebatur, hac ratione eversa profligatur. Sin autem et hujus rei causam inquirere velimus, id profecto dixerim, Deum nostra omnia non uno modo solitum esse disponere, sed rerum copia instructum, plures nobis ad salutem vias sternere. Cum itaque plures sint, qui futuri sæculi ac resurrectionis doctrinam admittere pertinaciter renuant: veluti in brevi tabula hic judicii futuri imaginem ostendit, cum punit malos, bonos remunerat. Quod cum in judicio illo supremo generaliter futurum sit, etiam nunc ex parte aliqua ideo fit, ut qui circa longinquum illud judicium spe lapsi sunt, vel iis quæ in hoc sæculo contingunt admoniti, mansuetiores atque meliores fiant. Si enim nullus hic omnino puniretur malus, nullusque honoraretur bonus, plurimi ex iis qui resurrectionem non credunt, virtutem veluti malorum causam fugerent, vitiositatem vero veluti bonorum causam persequerentur: si rursum hic singuli juxta merita reciperent, superfluam jam falsamque existimarent judicii doctrinam. Itaque ne huic non crederetur, ne ingens vulgarisque turba ex contemptu deterior fieret, multos hic peccatores ulciscitur, quosdamque pro recte factis remunerat, ut ex eo quod non in omnibus id facit, judicii asserat fidem: ex eo vero quod

ante judicium quoque malos aliquos suppliciis afficit, profundissimo quasi somno sepultos excitet. Nam et malorum quidem punitione, plurimi timore corriguntur, ne patiantur eadem. Ex eo autem quod non omnibus pro merito hic retribuatur, cogitare compelluntur hujusmodi præmia in aliud tempus esse reservata. Nunquam enim profecto cum justus sit Deus, tot sperneret, sive malos impunitos ex vita migrare, sive bonos hic innumeris incommodis affici, si non utrisque alium in futuro sæculo statum parasset. Quocirca non omnes vel supplicio vel honore afficit, sed quosdam, sicut et in Persarum rege, et in Ezechia contigit, quanquam fuerint plurimi et Assyrio impietate, et Ezechiæ pietate ac virtute pares. Sed non erga omnes hoc agit Deus, cujus rei causa est, ut dixi, quod nondum adsit judicii tempus. Quod autem ista doctrina mea non sit, ab eo qui nos tunc judicaturus est modo audies. Nam cum profecti ad eum quidam, mortem illorum qui sub turre obruti fuerant, Pilatique vesaniam annuntiassent, quam in eos qui mortui fuerant ostendit, sacrificiis illorum sanguinem miscendo tum ait: « Putatis quod hi Ga» lilæi peccatores præ cæteris Galilæis fuerint qui talia » passi sunt? Non, dico vobis, sed nisi pœnitentiam ege» ritis, omnes similiter peribitis. Aut illi decem et octo » super quos cecidit turris Siloë, et occidit illos, putatis » quod ipsi præ omnibus, qui habitant Jerusalem, debito» res fuerint? Non, dico vobis, sed nisi pœnitentiam ege» ritis, omnes similiter peribitis[1]. » Hæc dilationis causa est. Idcirco non omnes qui eisdem suppliciis sunt digni, una punire consuevit, ut reliqui eorum casibus admoniti, meliores fiant. Atque ista quidem interim solvisse sufficiat. Sed enim tu fortassis ea etiam quæ paulo ante proposuimus, multo etiam perplexiora, ut similiter enodemus,

[1] Luc. XIII, 1-3.

inquiris. Sed cum priora pro viribus patefecerimus, ad illa etiam solvenda, fundamenta quædam jacta fuisse arbitramur. Quid ergo illud est, in quo hæres et fluctuas? Quod plurimi ex primordiis ætatis ad finem usque variis calamitatibus sint affecti. Ego et de his et de prioribus dixerim, præcipue quidem illos ob propria vitia puniri, deinceps vero ut alii quoque illorum exemplo emendentur. Quod si non in omnibus id fit, nihil est quod mireris: nondum enim judicii tempus advenit. Quid ergo de illis dices, inquis, qui antequam per ætatem bona vel mala discernere possint, quasi maxime peccaverint, suppliciis afficiuntur? Hujus quidem rei non una est causa, sed plurimæ ac variæ. Nam et ex parentum intemperantia, et ex nutritiorum negligentia, et ex intemperie atque inæqualitate aëris, et ex aliis plurimis hujusmodi casibus id contingere potest. Præterea cum plurimos illorum futuros nequam præsciverit Deus, eos veluti compedibus quibusdam hujusmodi supplicio coërcet. Annon vides et mendicorum plurimos inter pressuras ipsas et angustias innumera perpetrantes scelera, quorum tamen omnium causa non afflictio paupertatis est, sed sola nequitia? Audivi ego quosdam aliquando, cum dicerent hujusmodi homines mulierem quamdam honestam et forma liberali in solitudine nactos, ei violenter ac petulanter illusisse. Atqui qua necessitate, qua calamitate ad hoc inducti sunt? Quæ isti scelera non admisissent, si non hujusmodi quasi vinculis continerentur? Eorum vero qui carceribus inclusi sunt, quis facile vesaniam et rabiem perferre possit? At ii qui a dæmone corripiuntur, nihilo minora his faciunt: non autem ea modo memoro quæ tunc agunt, cum a dæmone apprehenduntur, sed quæ posteaquam illa vexatio cessaverit. Nam et edacitatem sequuntur, et furantur, et inebriantur, et plurima his etiam turpiora

admittunt. Denique sicut malefactorum plurimos carcerem diutissime incolere permittit judex, adeo ut plerumque vitam illic finiant, et cum ex multis aliquos puniri vult, unum ex illis, aut etiam duos eminentiori loco statuens, circumstantibus omnibus, ita demum ad mortem duci præcipit, neque ad terrorem cæterorum sic malos omnes punire necesse habet : ita Deus quoque cum nos emendare vult, non omnes una malos punire necessarium existimat, sed aliquos rapiens ex eis quos nunquam corrigendos novit, potentiam atque iram ostendit suam, plurima ex hoc utilia perficiens. Quippe et malos ad deserenda, si velint, vitia hortatur, et bonos cautiores efficit, et longanimitatem ostendit suam, resurrectionisque doctrinam, ut ante diximus, omnibus insinuat. Quid ergo hæc, inquies, ad eos, qui a prima infantia nutriti in calamitatibus, priusquam bona vel mala per ætatem discernere possint, e vita migrant? Et quid mali, quæso, isti patiuntur, qui necdum quid patiantur, sentiunt : neque dolere aut gaudere didicerunt? Ego vero non hoc solum pro hujusmodi solvenda quæstione dixerim, verum parentes ipsos etiam et fratres, et propinquos hujusmodi liberorum cladibus emendatos novi. Id vero non minimi lucri est, ex iis, quibus nemo læditur, alios maximam utilitatem consequi. Verisimile autem est aliam esse causam secretiorem, quam solus novit rerum opifex Deus.

IX. Unum reliquum est explicandum, quam scilicet ob causam, ii qui recte, priusquam tentarentur, incedebant, post tentationem lapsi sint. Quis, oro, plane novit qui recte incedant, nisi qui corda nostra singula finxit, intelligitque omnia opera nostra[1]? Fit enim sæpius, ut plurimi ex iis qui boni esse videntur, pejores omnibus sint, atque id quidem et in hoc sæculo deprehenditur;

[1] Psal. xxxii, 15.

sed in nonnullis casu aliquo ac necessitate ingruente. Cum vero is qui corda et renes probat, vivus et efficax, et acutior omni gladio ancipiti[2], pertingens usque ad divisionem animæ et corporis, artuum et medullarum, discretor cogitationum et intentionum judicans sederit : tunc vero non paucos ex pluribus, sed omnes aperte videbis : neque tunc ovina pellis lupum, neque sepulcri dealbatio internam inquinationem occultare poterit. Nulla enim creatura est invisibilis coram eo, qui tunc judicaturus est : sed nuda et aperta sunt omnia oculis ejus, quod Paulus indicat cum Corinthiis scribit : « Itaque nolite ante tempus » quidquam judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et » illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit con- » silia cordium[2]. » Ut autem hypocritis omissis, ad eos tandem qui recte revera incedunt veniamus : unde nobis constat quod etiam si bona reliqua egerint, summum tamen omnium virtutum culmen humilitatem non neglexerint? Idcirco autem dimisit illos Deus, ut discant illa se, non propria virtute, sed Dei gratia præstitisse. Quod si dicat quis melius fuisse illos cum recte agerent extolli, quam post lapsum humiliari : is mihi maxime videtur jactantiæ detrimenta atque humilitatis lucra ignorare. Nosti enim plane hominem arroganter bona operantem, si tamen bona facere arrogans possit, quamprimum in summam perniciem lapsurum. Is vero qui labi permissus fuerit, atque ex ruina humiliari didicerit, resurget, ac si quidem voluerit, lapsus sui damna cito reparabit. Porro is qui cum jactantia recte putatur operari, nihil patiens adversi, ne sensum quidem ullum propriæ iniquitatis recipiet unquam, sed augebit malum : atque dum nesciet, hinc vacuus proficiscetur : sicuti Pharisæus ille qui ascendit in templum[3], putans se bonis omnibus esse locupletem,

[1] Hebr. IV, 12. — [2] 1 Cor. IV, 5. — [3] Luc. XVIII, 10.

descendit vero Publicano pauperiorem meritis se esse percipiens. Est et alia species pestis, quæ plurimum roboris habet ad evacuanda bona nostra, quæ multo sudore colligimus, ventus scilicet inanis gloriæ. Nam revera venti instar ingressa thesauros omnes virtutis exsufflat. En et secunda nobis occasio lapsus, recte gradientium, ut tu dicebas. Plurimi enim ex iis qui apud nos ingentes videntur virtutis causa tolerasse labores, ac revera tolerant, cum omnia ad honorem hominum non pro Dei gloria facerent, permissi sunt in tentationem labi, ut multitudinis gloria nudati, propter quam detrimenta omnia perpessi sunt, ejusque gloriæ naturam in nullo flore fœni esse meliorem addiscentes, jam Deo soli vacent, atque ipsius causa faciant omnia. Sunt præterea et aliæ causæ atque rationes, et quidem longe his plures, cæterum, ut dixi, nobis incognitæ, sed omnium opifici Deo bene notæ. Non igitur in iis quæ contingunt indignemur, sed gratias agamus : hoc enim gratorum fideliumque servorum est. At vero tu dum admiraris, cur non antea potius cum delicate viveres atque illa sæculi pompa stipatus incederes : sed nunc quando abjecisti illa omnia, ac te ipsum totum Deo devovisti, pessimus te ille dæmon invasit : idem prorsus facis ac si admireris, cur spectatoribus nullus molestus esset, sed qui in pugilum numero ascriptus exercitatusque in certamen descendisset, hunc solum ex omnibus colluctator expeteret, percutiens caput, faciemque concidens. Non hoc ergo aut miraculo aut mœrore dignum est, si nos ille pugil adortus, premit et urget : quippe ista est pugnantium lex. Verum si ille dejiciat atque prosternat, ac præmia laborum tollat : hoc grave est. Quandiu vero non prævalet, non solum nobis nihil nocuit, sed profuit plurimum, conflictu illo suo summa nobis ornamenta concilians. Namque et in castris ille præstare cæteris putatur, qui

plura vulnera præ se ferre potest, ac singularia certamina adversus quoslibet hostium fortissimos suscipere. Eos itidem athletas maxime miramur, qui cum inexpugnabilibus, sic enim appellant contentiosiores quosque antagonistas, viriliter congrediuntur. Sed et venator ille maxime præcellit, qui ferocissimas belluas excipit. Impudens est atque imperterritus hic dæmon : at ego propterea te mirari ac stupere non desino, quod hujusmodi adversarium nactus tam violentum, lapsus non es, neque in deditionem venire tolerasti : sed firmus perstitisti, nulla ex parte illius improbitati cedens.

X. Porro quod non assentandi studio nunc ista loquar, sed quod vere maxima ex hujusmodi afflictione ceperis emolumenta, patere, quæso, nos fiducia tantisper in loquendo uti : neque enim aliter hujus rei documenta afferre possem. Nosti sane ac memoria tenes priorem tuam conversationem, qua ante hujuscemodi tentationem degebas. Hanc itaque velim diligenter examines, ac præsenti, qua nunc vivis, componas : videbis profecto quantum lucri ex isto conflictu consecutus sis. Nunc enim jejuniis, vigiliis, lectioni, orationibusque perpetuis intentissime incumbis, gravitatemque et humilitatem excellenter consecutus es. Antea nulla tibi librorum ratio, sed studium omne et laborem pomarii arboribus devoveras. Audivi ego tunc plurimos, qui te objurgantes, arrogantem ac superbum dicerent, atque in hac parte nobilitatem generis, patrisque claritudinem, et quod in opibus plurimis fuisses educatus, causarentur. In vigiliis vero quam tunc negligens fueris, ipse melius nosti. Sæpe enim aliis profunda nocte statim exurgentibus, ipse gravi somno mersus dormiebas, et cum te alii excitarent, indignabaris : at nunc ex quo bellum hoc et pugnam subivisti, illa omnia soluta sunt, atque in melius mutata. Quod si quæras ex me quamob-

rem cum in deliciis ageres, ac mundi rebus omnino intentus esses, non tunc tibi dæmonem istum immiserit Deus : illud ego respondebo, hoc quoque illius actum esse providentia. Sciebat enim tunc te imbecillum superandum facile, ac mature periturum. Atque ideo non statim ad hanc luctam vocavit, cum ad monachorum vitam accessisses, sed exerceri prius te permisit, ac longum agere tempus : posteaquam vero robustissimus factus es, tunc ad laboriosum hoc stadium pertraxit. Adhuc igitur eorum qui sunt in sæculo, mentionem facis, famulumque tuum in medium adducis. Illum enim te significare voluisse reor, cum diceres plurimos sæculares viros, cum in hunc morbum incidissent, celeriter atque integerrime fuisse liberatos. Verum famulus tuus, o amantissime, et quotquot eosdem subiere casus, non eadem ex causa cum hujusmodi malo conflictati sunt, qua tu modo. Illi enim ac cæteris similibus solum terrendi causa, ut ex hujusmodi timore meliores fierent, hanc belluam immisit Deus. Tibi vero ut pugnares fortiter et strenue, ac vinceres, coronamque patientiæ referres. Porro victoria tunc est, non cum quis adhuc theatro constante, luctando se ipsum adversario subducit : sed cum se ad congrediendum paratum luctatori semper offert, qui adversarius absurdas cogitationes præ mœrore suggerens, nihil perficere possit. Quod vero res ita se habeat, sic probe colligo. Constat profecto omnibus, quantumlibet tu te per humilitatem dejicias, a servi tui vita tuam longissime differre, ac esse meliorem : Deo itaque major tui quam illius cura sit necesse est. Hoc cum palam sit, id quoque similiter constabit; nempe si esset odii permissio illa, nunquam profecto ei quem magis diligeret, illam auxisset, postquam eum qui longe fuerat deterior, tam cito dæmoni eripuerat. Neque enim ex hoc solum id asseveraverim, sed ex quibus a Deo te desertum

putas, ex eis maxime illi curam tui summam esse conabor ostendere. Nam si non studiosissime cuncta hactenus egisses; si non peregrinationes longinquas, ut sanctis illis viris, ad ejusmodi solvenda vincula potentissimis, congredereris, suscepisses, merito fortasse quidam dubitassent, cum non satis aperta videretur esse causa, cur tantum temporis te reliquerit : postea vero quam Martyrum loca frequens adiisti, ubi plurimi ex iis quoque, qui homines devorabant, sæpe sanati sunt : plurimumque temporis apud viros illos mirabiles ac strenuissimos, qui curationem nunquam frustra tentaverant, degisti : nihilque omnino omisisti, quod ad hanc liberationem conferre posse ulla ratione videretur, reversusque es ferens tecum inimicum, apertum ac certissimum divinæ circa te providentiæ documentum, eis quoque qui valde insipientes sunt conspicuum retulisti. Nunquam enim profecto tantam impedivisset Deus gratiam, nunquam servos suos ita pudore suffundi passus esset, nisi id tuæ et probationi et utilitati vehementer expedire cognovisset. Itaque quod divinæ derelictionis signum videtur, id ejus summi in te affectus et amoris est argumentum.

LIBER II.

Ejusdem ad Stagirium, quod tristitia dæmone ipso sit gravior.

I. Et ista quidem de Dei providentia[1], utque ille non aversans et execrans, sed et admodum diligens hoc te exerceat modo, dixisse sufficiat. Quoniam vero alia etiam ex

[1] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 212-231, et p. 236-238.

parte vehementer te angi questus es, quod sæpenumero dæmon vel pelago, vel præcipitio, vel alio quovis leti genere vitam tibi eripere suadeat : age de hujusmodi quoque cogitationibus, paucis disseramus. Neque enim solius dæmonis est illud consilium, sed etiam mœroris : imovero plus mœroris quam dæmonis, fortasse vero mœroris solius. Id ex eo profecto constat, quod plurimi etiam ab hujusmodi insectatione liberi, ex dolore solo hæc deliberant. Hunc igitur ex animo tuo fuga ac penitus elimina, ac nullam vim deinceps ille habebit, non solum ad persuadendum ista, verum ne ad suggerendum quidem. Nunc quippe quemadmodum ii qui parietes suffodiunt, noctis tempore, extincto lumine, et furari opes, et earum dominos cum omni facultate jugulare possunt: ita et hic vice noctis ac tenebrarum, mœrorem effundens, cogitationes omnes, quæ ad munimen nostrum esse possunt, subducere prius ac furari nititur, ut desertam et sine adjutorio animam invadens, plagis eam innumeris confodiat. At vero cum quis spe in Deum fultus has tenebras disjecerit, atque ad Solem justitiæ confugiens, illius radios in anima sua recipere studuerit, protinus cogitationum suarum tumultum in latronem illum transfundet. Nam et qui facinora talia aggrediuntur : cum quis illos deprehenderit, ac lumen ostenderit, tremunt, fluctuant atque perturbantur. Et quomodo, inquies, possit quis hoc dolore liberari, nisi prius eripiatur a dæmone agitatore? Non dæmon est qui mœrorem movet, sed mœror potius vires dæmoni administrat, cogitationesque malas suggerit. Attestatur huic rationi nostræ beatissimus Paulus : non enim dæmonem, sed immoderatum dolorem metuens, Corinthiis scribit, ut parcant demum peccanti, « Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui talis est[1], » inquit. Cæterum ut con-

[1] 2 Cor. II, 7.

cedamus dæmonem acrius instare, ex animo tamen tuo pulsum esse mœrorem : quid jam erit ex hoc detrimenti ? Quid hic per se solus aut parvum aut magnum possit contra nos? At vero mœror absente dæmone multa per se horrenda efficit, plurimosque eorum qui sibi nexuerunt laqueos, consciverunt gladios, vel fluvii se undis dederunt, vel alio quovis genere perdidere se ipsos, solo dolore in violentam mortem impulsos reperiemus. Quod si inter eos quispiam fortassis fuerit arreptus a dæmone, hujus quoque perditio non dæmoni, sed mœroris tyrannidi ac violentiæ merito imputanda erit. Et quomodo, inquies, possum non mœrore affici? Si a multitudinis opinione de hujusmodi re longissime recedens, sola superna sentias. Nunc enim idcirco ea res gravis atque horrenda tibi videtur, quia vulgus ita existimat. Atqui si omissa inani fallacique existimatione ipsam rem diligentius considerare volueris, invenies nullam inesse ei mœstitiæ occasionem : quod jam sæpe superius ostendimus. An vero æqualium tuorum gratia afficeris? reor enim te intuentem illorum lætitiam ac fiduciam cum fratribus, confundi, atque ex tristitia concidere. Atqui ego id veraciter dixerim, si quidem iis in continentia et sobrietate, atque in reliqua vitæ philosophia degentibus, ipse in lupanaribus, in ludis et in aleis, et comessationibus tempus omne consumeres, rationabilis profecto esset hic mœror tuus : sin autem eamdem incedis viam, quid causæ est quod angaris? Equidem si mihi ad aliquem ex iis sermo esset, qui facile extolluntur laudibus, ea quæ modo dicturus sum profecto tacuissem. Quoniam vero ea mihi de te spes est, quod quantumlibet quis te laudet atque admiretur, nunquam modestiam deseres, atque nihilominus inter extremos te ipsum statues : cuncta nihil metuens aut dissimulans loquar. Tanta enim audio tibi accessisse pietatis incrementa, ut non jam cum ado-

lescentulis illis, sed cum magnis admirandisque viris virtute contendas. In nullo te illis inferiorem aiunt, non ratione jejunii: quo enim pacto, cum panem et aquam tantum in cibum sumas, idque alternis diebus? non vigiliarum prolixitate, cum ut ipsi plures una noctes insomnes transigas: non diurno instituto, quo te quoque plurimos illorum transcendere fama est. Audio ex iis qui isthinc adveniunt, tibi omne tempus in lacrymis perpetuisque orationibus consumi: Et quemadmodum ii qui silentio se devoverunt, seque ipsos tugurio brevi incluserunt, nihil loquuntur: ita et te aiunt in tanta versantem multitudine persistere. Porro contritionem cordis tui, squallorem ac dolorem, et hi qui enarrant, exhorrescunt, plurimosque hic, dum tua narrarent instituta compunxerunt. Nullum unquam ingredientium, aiunt, respicit, nihil ex consuetis laboribus relaxat. Sæpius veriti sumus ne oculos perpetuis lacrymis excæcaret, ne vigiliis nimiis, irremissoque et jugi lectionis studio cerebrum offenderet.

II. Hoc ergo te mœrore conficit atque perturbat, quod æquales tuos tanta excellentia superas, quod acerrimum et impudentem nactus adversarium, tanto spatio tecum pariter currentes excessisti. Annon merito dicebam mœrorem hunc præsumptæ solum esse opinionis, si examinetur vero summas nobis lætitiæ ac tranquillitatis occasiones præbere? Quæ enim utilitas, quæso te, a dæmone non corripi, si vitæ institutum negligatur? quod damnum corripi, si vita recte instituta et accurata sit? At fortasse confunderis ac erubescis, cum te sub oculis quorumdam dejicit? sed hoc tibi ex eadem ratione contingit, quod multitudinis opinione negotium hoc, non ratiocinio metiris. Namque cadere non id est, quod tu te pati dicis, sed in peccatum corruere. In hoc sane casu dolere, in hoc erubescere convenit. Nos contra in iis quæ nullam habent vere-

cundiæ rationem, confundimur : quæ autem revera sunt turpia, execrationeque ac supremo digna cruciatu, ea dum perpetramus, nihil nos mali pati arbitramur. Atque anima quidem singulis diebus peccatorum vi corruente, nullus est qui lugeat : si quando vero corpus hoc aliquid patitur, id vero durum atque intolerabile esse videtur. Nonne id potius est a dæmone corripi, si adeo miserabiliter animus afficiatur, atque ita circa rerum judicia fallatur ? Nam si id quidem ex ebrietate patereris, confundi merito ac mœrere debuisses : quippe id voluntatis crimen esset : sin autem alterius violentia id fit, non is qui vexatur atque eam violentiam tolerat, sed is qui illam infert, erubescere debet. Nam et in platea si quando commissa pugna alter alterum impellens dejicit, non cadentem, sed impellentem accusamus omnes. Utile quidem est erubescere, sed tum profecto cum aliquid gesserimus quod ille dignum cruciatu judicet, qui nos judicaturus in fine est. Quandiu autem nihil hujusmodi nobis conscii fuerimus, cujus rei gratia confundimur ? Neque enim si quis sine ratione, nihilque læsus te cæderet, aut in terram dejiceret, tuque omni mansuetudine tolerans abires, confusionis ea res esset, sed philosophiæ maximarumque laudum. Quod si hominibus injurias inferentibus, id perferre gloriosum est, eone qui omnes nequitia transcendit, hoc ipsum faciente, qui illius vesaniam fortiter tulerit, quasi rem vituperatione dignam fecerit rubore perfundetur ? Et quid hac contrarietate dici irrationabilius possit ? Si enim ex casu illo exurgens turpe aliquid aut facere inducereris, aut loqui, ne ipse quidem super his te lugere ac dolere prohiberem. Sin autem omnia cum gratiarum actione toleras, atque ad orandum te statim convertis, quid est quod tibi verecundiam aut confusionem pariat ? Sed fortassis dura et dolenda judicantur probra ab aliis in nos conjecta. Et quid ejus-

modi hominibus dici vituperabilius possit, qui neque digna exprobratione rite possunt discernere? Isti enim revera insani sunt, ac dæmonio pleni, qui rerum naturam ut sese habeat, intueri nunquam didicerunt : sed ea quæ sunt laudibus dignissima, vituperant : et quæ sunt exprobranda, in laudabilium transferunt ordinem. Plurimis et phrenetici præsentes maledictis insectantur : sed qui illa audiunt, nullas se pati contumelias existimant. Et tu igitur cum amentes illos ita loqui audis, noli contumeliam aut confusionem eam rem existimare ; ne tunc maxime probris te dignum constituas, dum contra te Deum provocas. Cum enim ea quæ pro nostra emendatione et utilitate a Deo inferuntur, probro tibi esse arbitraris, vide quo hoc malum emerget.

III. Quod si vis qui sint revera confusione et exprobratione digni perspicere, paucos e multis tibi conabor ostendere. Eos inspice, qui mulierum formæ omni studio addicti sunt, qui pecuniis usque ad insaniam inhiant, qui potentiæ ac gloriæ sunt cupidissimi, utque ista consequantur, agere omnia et pati sustinent, qui livore et invidia tabescunt, qui nihil se lædentibus insidiantur, qui atram bilem patiuntur, qui vitæ præsentis vanitatem summa rabie sectantur. Ista revera atque his similia vesaniæ sunt opera, supplicioque digna : ista probris atque irrisione insectanda. Porro si quis dum perturbatur a dæmone, sic quoque summam in vita philosophiam exhibeat, non solum non exprobrandus, verum admirandus, coronandusque ab omnibus est, qui tot tantisque præpeditus vinculis, cursum adeo laboriosum currit, arduamque et asperam conscendit virtutis viam. Cæterum nescio quo pacto me pene et aliud effugerit, quod ipse plus habes quam fratres reliqui. Id autem est hujusmodi. Si quid a te peccatum est, facile per hanc pressuram id omne deletur ac remittitur. Atque

a me hoc antea ostensum est, cum de Lazaro, et de illo, qui apud Corinthios fornicatus est, sermonem haberem. Sed patri, inquies, timeo: etsi omnia mea modeste ac leniter perferre possim, quomodo illius casum ac vesaniam feram, si quando quid horum senserit? Hactenus quidem nihil persensit. Est autem maximæ pusillanimitatis, eorum gratia quæ eventura sunt, mœrore jam nos ac dolore conficere. Unde enim nobis constet hæc ad illius perventura notitiam? imovero sit hoc plane perspicuum, concedamusque, si vis, cuncta illum nosciturum, plurimaque atrociter facturum. Laudo te equidem, si illius doleas vicem; cæterum nolo id cum tuo detrimento facias. Quippe eos qui ea quæ sursum sunt sapiunt, et non quæ super terram, non solum ab ira et concupiscentia, cæterisque perturbationibus, sed a mœrore etiam abstinere convenit. Hic enim longe pluribus, quam perturbationes illæ, nos incommodis afficit: prorsusque necesse est adversus illum nos fortissime insurgere, nisi omnino perire velimus. Nam si quidem ipse hujusmodi calamitatum patri auctor futurus esses, recte sane trepidares ac tremeres, qui tantæ illi perditionis causa esses: sin autem ipsemet summis malis atque incommodis affici vult, nihil te horum penitus tangit, nisi in quantum patri pie condolendum est. Præterea nescimus quomodo hujusmodi nuntium ille laturus sit. Plurima enim sæpe contra, quam sperabatur, emerserunt. Nam et illud unum est ex iis, quæ raro accidunt; at hoc probabile est, ac plerumque solet evenire. Unde id colligi potest? Habet adulterinos filios, quos et plurimi facit; porro hæc illius amoris vis ejusmodi mœrorem facillime lenire poterit. Ne igitur frustra te ipsum curis excrucies. Nam si patris causa dolendum est, ejus profecto rei gratia dolendum est, quod irrationabilibus sumptibus, quod comessationibus, quod

fastu et tyrannide, quod præsenti adulterio deditus sit. An tu modicum scelus existimas uxore, matre vestra, incolumi, alterius puellæ maculari concubitu, filiosque ex illicito procreare matrimonio? Ista luctu, ista lacrymis digna, quæ aperta sunt, atque in finem pessimum desinent: quæ vero tui causa futura sunt, fieri potest ut gravia sint; fieri item, ut opinione leviora: summæ vero esset amentiæ in rebus adeo incertis certo se jam cruciatu conficere. Ut autem concedamus interim illum vehementissima indignatione concitandum: at citissime sedabitur, et antequam plane incendatur, extinguetur. Homo enim tot deliciis deditus, maximarumque rerum curis implicitus, parasitos et assentatores nutriens, puellæque illius amore incensus, ex qua vobis ex medietate fratres habet, etiam si tuos casus perceperit, dolorem minimum et nihili faciendum capiet. Idque non ex iis solum quæ dixi, sed ex præteritis conjicio. Nosti enim, plane nosti, cum te ille nimium antea diligeret, teque omnium loco haberet, ex quo te ad monachorum vitam transtulisti, affectus omnis ille quam extinctus sit. Rem enim ille te facere turpem, ac majorum suorum splendore indignam, gloriamque suam te deturpare dicebat: et nisi naturæ illum necessitas cohibuisset, te forsitan abdicasset. Itaque, nisi tamen nimis ineptum quod dicam videatur, arbitror illum rem gestam cum voluptate auditurum, quasi pœnas dederis, quod orante illo sæpius, atque a vitæ istius tolerantia te removere cupiente, consilium ipsius nunquam admiseris.

IV. Et de patre quidem ac timore tuo, quo de illo maxime sollicitus es, ista habui quæ dicerem, sufficientia, ut reor, ad omnem hujuscemodi metum excludendum. Quoniam vero malorum tuorum summam esse asserebas, quod neque de futuris posses considere, neque scires hu-

jusmodi-ne unquam vinculis solvendus esses, an in finem usque pugnare te ille decrevisset, qui tibi certamen hoc proposuit, ne ipse quidem exploratum ac certum aliquid dicere, aut futurorum eventus aperire possum. Illud tamen scio manifeste, tibique persuasum cupio, utrumvis horum contingat, pro nostra utilitate futurum. Quod si hoc animo fueris, cito supremum hunc malorum, ut ais, verticem abs te arcebis. Ad hæc illud quoque tibi cogitandum est, præmiorum et coronarum tempus esse futurum sæculum, colluctationum vero ac laborum præsens. Quod nobis apertius insinuare volens beatus Paulus dicebat : « Sic curro non quasi in incertum : sic pugno, » non quasi aërem verberans : sed castigo corpus meum, » et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse » reprobus efficiar [1]. » At vero cum ad finem certaminis venisset, demum beatam illam emisit vocem : « Bonum » certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, » jam reposita est mihi corona justitiæ [2] : » ostendens vitam omnem in certaminibus et laboribus nobis esse agendam, si cupimus æterna requie bonisque illis innumeris perfrui. Sin autem aliquis ita negligens sit, ut putet se et hujus vitæ voluptatibus, et præmiis ac gaudiis quæ in cœlis parata sunt iis, qui labores sustinuerint, frui posse; hic se ipsum prorsus fallit ac decipit. Nam sicut in athletis, qui tempore certaminum requiem quærit, confusionem sibi perpetuam atque ignominam parat : qui vero in stadio labores omnes fortiter tolerat, coronam et gloriam et laudes et in ipso certamine, et post solutum theatrum a spectatoribus consequitur : ita in nobis quoque fit. Nam is qui laborum tempus quieti dedicat, tunc ingemiscet et stridebit dentibus, quando in æterna requie debuisset finem laborum nancisci, atque extrema supplicia luere cogetur.

[1] 1 Cor. IX, 26, 27. — [2] 2 Tim. IV, 7.

Qui vero pressuras omnes prompte ac libenter tulit, et hic et in futuro sæculo clarissimus erit, veraque et immortali gloria beatus. Nam si in sæcularibus qui rerum tempora confundi, omnibus sibi propositis commodis excidet, atque innumeris se calamitatibus exponet, longe id magis in rebus spiritualibus patietur, qui temporum ordinem ignorat. Dixit enim Christus : « In mundo pressuram ha» bebitis[1]. » Beatus vero Paulus : « Et omnes, ait, qui pie » volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur[2]. » Non solas hominum persecutiones dicens, sed et dæmonum insidias. Job quoque, « Tentatio, inquit, est vita » hominis super terram[3]. » Quid ergo angeris, quod in ærumnæ temporibus vexeris? Tunc enim dolendum esset, si quod Christus pressuræ tempus deputavit, id nos deliciarum et quietis faceremus : si quo tempore pugnare ac laborare jussi sumus, eo torperemus : si latam incederemus viam, cum ille per angustam præceperit eundum. Ita enim necessario jam nobis ferendus esset cruciatus ille sempiternus. Quid ergo, inquies, de illis dicis, qui et in isto sæculo gradiuntur in latitudine, et in futuro requiem habituri sunt? Quem tu mihi talem dabis? ego enim soiius Christi verbis acquiesco dicentis : « Angusta et arcta via » est, quæ ad vitam ducit[4]. » Quod autem per angustam viam late iri non possit, omnibus profecto liquet. Si enim in exterioribus certaminibus nullus absque sudoribus coronam retulit, cum tamen ejusdem naturæ consortes habeat adversarios : ubi nobis virtutes illæ nequam obluctantur, quo pacto sine summis laboribus pressurisque et angustiis illarum insaniam superare poterimus?

V. Sed enim nos quandiu rationibus ista ventilamus, cum liceat confugere ad beatos illos ac fortissimos, qui

[1] Joan. xvi, 33. — [2] 2 Tim. iii, 12. — [3] Job. vii, 1. — [4] Matth. vii, 14.

prioribus fuere temporibus? Examina diligentius eos, qui fuerunt nominatissimi, videbisque omnes in angustiis fiduciam erga Deum habuisse. Atque primo, si placet, primi parentis inspiciamus filium, agnum Christi Abel. Is cum in nullo jus violasset, ea passus est quæ merentur ii, qui gravissime peccaverint. Nos enim peccatorum nostrorum pœnas damus, tentationes scilicet : at vero Justus ille nulla alia causa cruciatus est, nisi quia justus erat. Ac quandiu nullum excellens virtutis suæ documentum dedit, agnoscebat illum frater : ubi vero ex sacrificio clarus meritis eluxit, tum jam naturam quoque ipsam ille ignoravit, invidia scilicet cæcatus. Unde vero nosti an modo quoque eadem causa diabolum adversum te concitaverit, vitæque tuæ fulgor illum ad hanc pugnam evocaverit? Quod si rideas ista loquentem, laudo quidem humilitatem tuam ; non tamen ab hac sententia desistam. Si enim ille adipem offerens ita Deo charus acceptusque fuit : is qui nihil extrinsecus, sed se ipsum totum obtulit Deo, multo profecto magis adversum se provocavit inimicum. Deus autem te illum invadere permisit sicuti et tunc cædem illam haudquaquam impedivit : sed passus est justum in sanguinarii manus incidere, neque eum eripuit, qui propter se atque ob honorem suum mactabatur. Noluit enim illi coronas suas minui : quocirca ad finem usque illum currere permisit. Et quis, inquies, cruciatus est mors? Utinam quidem hunc et ego subirem cruciatum! Ista nunc dicis, amantissime : at prius res omnium gravissima esse putabatur, omnique pœna miserabilior. Idcirco in Lege Moysi ii qui maxima quæque deliquissent, ac venia indigna, morte mulctabantur. Sed et apud ipsos quoque externos legumlatores, qui in maximis turpissimisque flagitiis deprehenduntur, non alio supplicio afficiuntur, sed tamen perditissimorum hominum supplicium

Justus ille perpetitur, imovero eo gravius, quod et fraterna dextra percussus occubuit. Quid autem de Noë dicimus? nam et ipse justus ac perfectus fuit, cunctisque corruptis, solus placuit Deo, reliquis omnibus illum offendentibus. Innumeras plane « Tribulationes pertulit mul»tas et malas. » Neque enim ut Abel continuo mortuus est, neque id passus quod leve tibi videtur; sed longissimam vitam toleravit, tot annos iis qui ferunt onera gravissimoque semper pondere premuntur, nihilo levius aut quietius affectus. Hoc autem statim apertissime probabo, hinc initium sumens. Annum integrum iste carceri addictus fuit, carcerique peregrino et horrendo. Ut enim ferarum et serpentium multitudinem omittam, quibuscum tanto tempore vixit in tantis relictus angustiis, quid illum animi habuisse putas inter adeo ingentes tot tonitruorum fragores atque nimborum? Quippe inferior abyssus disrumpebatur, superior summa impetus vi demittebatur, cum intrinsecus ille cum liberis sederet solus. Etsi enim de fine confideret, per eorum tamen quæ fiebant vehementiam, metu fere præmortuus erat. Ubi enim nos cum habeamus domos in terra altius fundatas, urbesque inhabitemus : tamen si videamus pluviam vel paulo vehementius solito demitti, concidimus metuque constringimur : quid ille passus æstimetur, cum solus intus esset, abyssumque illam horrificam, ac varia eorum, quæ suffocabantur, genera consideraret? Denique sufficere solet ad feriendos summo pavore animos, urbem unam, vel domum etiam vi aliqua inundationis absorptam undisque opertam cernere : at vero quando id orbis universus passus est, dici non potest qui affectus sit vir ille cum in mediis fluctibus circumferretur. Totum ergo annum illum in eo metu egit. Cum vero tandem diluvium cessasset, paulatim quidem jam cedebat metus, sed mœror augebatur,

prodeuntemque ex arca tempestas alia excepit priore non minor, cum intueretur horrendam illam solitudinem, necemque illam violentam : atque interfectorum corpora limo ac luto permixta, cunctosque pariter homines, et asinos, et cætera his etiam ignobiliora animantium genera, uno prorsus miserabili sepulcro obruta. Nam etsi admodum peccatores fuerant, qui talia perpessi erant : homo tamen erat Noë, contribulesque suos non poterat non miserari. Quippe et Ezechiel cum justus esset, atque Israëlitas maxime omnium cognosceret, videns tamen illos jugulari, et corruere, hoc idem passus est, atque illacrymavit : etiamsi antea Deus omnem ipsi illorum impietatem revelasset, atque ipsis oculis intuendam præbuisset, ut cum illos puniri inspiceret, eam calamitatem fortiter perferret. Sed tamen cum tanto præscientiæ solatio præparatus esset, ita quoque angebatur eorum cladibus, corruensque clamabat : « Heu mihi, Domine, deles tu reliquias » Israël[1] ? » Non semel autem solum perpessus est, sed et secundo cum Jechoniam cerneret occisum. Itaque et Noë tametsi innumera sciebat illorum esse scelera, non tamen Ezechiele sive Mose fortior erat : quippe et ille sæpe eadem quæ Propheta passus est; peccantes intuens Hebræos, tunc eos maxime miserabatur, quando puniendi erant, magisque ipse quam qui puniebantur, angebatur. At tempore Noë calamitas longe erat gravior, quippe illis solis ejusmodi mors illata est. Cum igitur tot premeretur malis, solitudine, miseria gentis suæ, pereuntium multitudine, mortis genere, terræ totius desolatione, atque undique mœror incresceret, qui se vehementissime concuteret : adjicitur continuo nati contumelia, res quidem intolerabilis, turpitudinis et doloris incredibilis. Quanto enim amicorum probra graviora quam inimicorum sunt, tanto

[1] Ezech. IX, 8.

injuriæ a filiis acceptæ, illis etiam intolerabiliores sunt. Cum enim quem genuerat, quem educaverat, quem erudierat, cujus gratia labores plurimos ac dolores curasque toleraverat, eum præ cæteris contumeliosissime se tractare cerneret, ne ferre quidem animi dolorem poterat. Contumelia quippe libero homini, tum per se est intolerabilis, tum si a filiis manaverit, in stuporem animi convertit, utpote atrocissima. Tu velim non id modo facinus consideres, sed ex eo ipso conjicias, quam ille contumeliose priori omni tempore patrem habuerit. Qui enim præsentem adhuc tantæ cladis terrorem habebat, ac nuper ex carcere illo exierat, orbisque totius calamitatem videbat, ac ne sic quidem emendatus fuerat, sed eum quem minime omnium debuerat, contumeliis afficiebat; neque infinitorum mortalium nece, neque solitudine, neque Dei ira, neque alia ulla earum rerum quæ tum contigerant melior effectus fuerat, cujusmodi ille ante diluvium fuit, cum plurimos haberet, qui se hortarentur ad vitia? Tunc enim profecto, tunc molestiores fluctus Justus ille pertulit, quam fuerint qui post in diluvio contigerunt, cum per filium suum, tum per alios omnes. Nam in diluvio quidem sola illum aquarum multitudo angustabat: ante diluvium autem undique nequitiæ abysso comprimebatur, ac vehementius, quam fluctibus insidiis nequissimorum hominum collidebatur. Solus enim relictus in tanta scelestorum hominum flagitiosorumque multitudine, etsi nihil aliud patiebatur, irrisiones tamen plurimas, ac dicteria quotidie ferebat. Idque si non antea, tum maxime quando illis de arca et de futuris cladibus verba faciebat. Istud vero quantam vim habeat ad perturbandos animos, testatur qui ex utero matris sanctificatus est Jeremias, qui propterea prophetiam quoque ipsam relinquere meditabatur.

« Dixi enim, inquit, non prophetabo[1]. » Præterea id solum, quod nullus illi erat unanimis, nullusque suis moribus conformis, quantum illi tædii, quantum putas mœroris offuderat? Neque ideo tantum angebatur, verum ex illorum miseratione cruciatus innumeros patiebatur. Non enim tunc solum mœrent viri justi, cum pravos morientes aspiciunt, sed etiam cum peccantes vident. Imovero multo amplius hoc quam illo cruciantur, quod ex Prophetis facillime animadverti potest. Alius quippe illorum amare ingemiscens : « Væ, inquit, anima, quia periit pius de » terra, nec est in hominibus, qui quod rectum est fa- » ciat[2]. » Alius ad Deum loquebatur : « Quare ostendisti » mihi labores et dolores videre[3]? » Et de iis qui injuriis opprimebantur, nimium condolens lugebat dicens : « Fa- » cies homines ut pisces maris non habentes ducem[4]. » Quod si tunc ista contingebant, cum leges constitutæ essent, et principes, et judicia, et sacerdotes, et Prophetæ, et supplicia : considera quanta impudentiæ magnitudine sub Noë cuncta scelera committebantur, cum nullo horum adhuc homines cohiberentur. Et sub Prophetis quidem non valde longæva erat vita : sed septuaginta vel octoginta annis terminabatur : tunc vero ad sexcentos annos et ultra humana vita pertingebat. Ut igitur alia omittam, quot negotia subire cogebatur, qui adeo prolixum iter gradiens currebat, ac viribus totis intendebat in tanta viæ longitudine ne parum quidem divertere, cum plurima essent quæ prohiberent? Et quid dico plurima, cum tota prorsus vita a finibus ad fines terræ esset hujusmodi, tota scopulis, sentibus, belluis, squallore, peste, algore, maleficisque plena? Equidem facilius existimaverim angustissimam semitam profundissima nocte semper incedere, quam illis temporibus virtutis viam : tot homines erant,

[1] Jerem. xx, 9. — [2] Mich. vii, 2. — [3] Habac. i, 3. — [4] Ibid. 14.

qui gressus illius conarentur evertere. Cum enim omnibus quæcumque velint agère licitum sit, unus vero solus contrariam omnibus incedat viam : quando is ad finem pervenire poterit, cunctis illum retro impellentibus, atque pulsantibus? Cujus enim difficultatis sit cum plurimis degendo recte operari, documento nobis sunt ii, qui modo quoque solitudines occupant : cum tamen recte vivendi formam ubique disseminatam, concordiamque et mutuum amorem non exiguum cernere in promptu sit. Tunc vero nihil horum inveniri poterat : sed contra illum omnes feris omnibus immaniores erant.

VI. Quid igitur hac vita luctuosius? quid laboriosius? Equidem ostensurum me promiseram illum nihilo meliore conditione fuisse iis qui semper onera ferunt, et nunquam requiescunt : sed oratio multo amplius effecit : non solum enim non meliore, sed et longe graviore ac deteriore conditione fuisse nobis patefecit. Videtur plurimis Abraham ætatem omnem prospere ac tranquille vixisse. Quocirca feliciores quosque et undique florentes illi comparare solent. Age ergo inquiramus diligentius, quæ illi contigerunt. Hic mihi videtur longe graviora quam Noë, quamque Abel perpessus : sed ego satius esse ac melius judico nihil interim dicere, quoad rerum diligens discussio sententiam ferat. Quæ igitur illi in Perside et usque ad septuagesimum annum contigerunt tristia, nullus aperte scire potest : neque enim beatus Moyses ejus nobis temporis historiam tradidit, sed illa omni ætate omissa, a septuagesimo anno narrationis suæ cepit initium. Quod tamen et ipse paria iis quæ Noë perpessus sit, cum inter tot impios ac barbaros solus pietatem coleret, hoc sane incertum, ut reliqua, obscurumque non est : imo id insipientissimi quoque facile conjectare possint. Verum ista quoque modo omittamus : atque ab ipsius peregrinatione ordiamur, illud

primo inquirentes diligentius, quanto itineris spatio Chaldæorum terra a Palæstina distet, aut quænam fuerit viæ illius conditio, quomodo tunc sibi misceri illi potuerint: quis fuerit vivendi modus. Non enim quia facile tunc Justus ille obedivit, res ideo facilis existimetur : neque quoniam breviter Moses rei gestæ digessit ordinem, opus ipsum verborum brevitatem putes imitatum. Ista enim dicere et narrare facillimum est: agere autem, laboris difficultatisque plenissimum. Viæ igitur istius longitudinem regionumque intercapedinem diligentius nobis enarrare possent, qui inde ad nos pervenissent; si quidem ulli tales essent: nam hactenus illorum nemini congressi sumus : unum vero ex iis, qui ex citeriore provincia adveniunt nacti, cum ab illo inquireremus, quantum itineris agere coactus esset, triginta et quinque dierum numerum audivimus : et Babylonem quidem ille nunquam se vidisse ait, audisse tamen ab iis qui ibi fuerant, tantumdem itineris restare conficiendum, ut eo perveniretur. Atque hujusmodi distantia locorum et tunc erat et nunc est: porro itineris conditio non ea modo est, quæ tunc fuisse creditur. Nunc enim et mansionibus perpetuis distinctum est, et urbibus ac villis frequentibus ornatum, viatoresque plurimos offendunt, qui illuc proficiscuntur, quod non minus ad securitatis rationem valet, quam mansiones, urbes atque villæ. Præterea et ex provincia civitatum principes deligunt viros, corporis magnitudine et robore cunctis præcellentes, jaculoque et funda tantum valentes, quantum vel sagittarii sagittis, vel armati pilis : statutisque ducibus quibus illi obtemperent, hoc eis unicum injungunt munus, solamque itineris tuendi curam custodiamque permittunt. Ad hæc aliam longe his omnibus diligentiorem curam excogitarunt. Habitacula enim mille passibus ab invicem distincta itinere toto fabricantes, nocturnos illic statuere custodes,

per illorum labores et vigilias maximum contra latronum impetus munimen viatoribus constituentes. Tunc vero nihil horum erat, non villæ perpetuæ, non urbes, non mansiones, non diversoria, non itineris socii, non aliquid denique hujusmodi. Libet nunc omittere semitæ asperitatem, aërisque inæqualitatem, quæ, etsi desint alia, per se viatoribus sunt molestissima. Testes mihi sunt, qui vehiculis jumentisque vehuntur: et ne sic quidem consueta itinera audent incedere, nisi prius ea strata lapidibus viderint, foveasque relictas a torrentibus impleverint, et cuncta complanaverint. Cæterum tunc inhabitabili regione erat via illa desertior, ipsis montibus asperior: præruptisque omnibus et præcipitiis periculosior. Nondum id quod est omnium gravissimum dixi, qua conditione commercia tunc essent, quod graviora negotia facessebat, quam ipsæ viæ, cum omnes tunc per gentes, imovero, ut verius loquar, per civitates divisi essent. Neque enim sicuti nunc in maxima orbis parte uni imperio, uniusque ditioni mortales omnes serviebant, eisdemque gubernabantur legibus: sed veluti corpus in multa membra concisum, ita hominum genus disgregatum erat, hostesque ex hostibus Justus ille mutare in dies cogebatur, etiam antequam priores effugeret, rursus in alios incidens, cum alibi quidem plurimorum dominatus, alibi nullus dominationis ordo servaretur. Quid igitur hoc vitæ genere molestius? Non enim sibi soli metuebat ac pavebat, verum patri et uxori et nepoti. Servorum quoque non exigua erat cura, etiam cum domi essent, nedum tunc quando per aliena ferri cogebantur. Ac si quidem exploratum ille habuisset, quando hic error finem fuisset habiturus, non adeo graves illæ curæ fuisse viderentur: nunc vero cum simpliciter atque indefinite audisset, « In terram, » non istam, vel il-

lam, sed « Quam monstravero tibi[1] : » omnia mente circumibat, ingentesque tumultus animo accipiebat, cum nusquam sistere cogitationem posset, sed suspicari plurima, curisque angi cogeretur. Credi enim potest ad orbis terræ fines, Oceanumque ipsum se profecturum expectasse. Itaque etsi non omnem perlustravit terram, curam tamen hujusce sibi perficiendi itineris sustinuit. Neque enim animo ita paratus erat, quasi ad solam usque Palæstinam profecturus : sed quasi ubique jubentem secuturus, etiam si orbem totum pervagari juberetur, etiamsi ad eas quæ extra habitatam sunt insulas accedere. Quod si sperare contrarium præcepto indefinito suaderetur, id rursus erat molestissimum. Is enim qui grave aliquid toleraturus est, multo fert levius, si aperte sciat quid sibi sustinendum sit, et ad quid sese præparare debeat, quam si per omnia cogitationibus jactetur ambiguis, et nunc læta, modo tristia expectet : nec possit cuiquam horum confidere, cum utrumque pariter incertum haberi possit.

VII. Et ista quidem antequam in repromissam terram perveniret : cum vero tandem in Palæstinam venisset, et se jam quieturum speraret, tunc vero major illum in portu tempestas excepit. Est autem ea non minima doloris ratio, imo omnium intolerabilissima cum quis adversis se ereptum putans, atque ad finem ipsum pervenisse, cura jam omni et cogitatione solutus, rursus initium aliud malorum experiri compellitur. Nam qui ad ferenda adversa adhuc paratus est, æquiore animo ista cum sibi inferentur, excipiet. At vero si positis curarum cogitationibus, aliquid hujusmodi contingat, duabus ex partibus turbatur, ac expugnatu facilis est, tum quia inexpectata res est, tum quia omnem curam et apparatum deposuit. Quænam ergo ista tempestas fuit? Fames ita valida Palæstinam occupa-

[1] Gen. XII.

verat, ut inde continuo exurgere coactus sit, atque in Ægyptum proficisci. Quo cum pervenisset, veluti malorum finem inventurus, alia illum rursus fame acerbior calamitas invasit, adeo ut de summa rerum periclitaretur : atque eo timoris deductus sit, ut quod gravissimum est omnium, uxorem scilicet alienæ libidini exponere, metu coactus eligeret. In tantam enim tunc necessitatem devenit, ut etiam simulatione uteretur : quo quid dici miserabilius possit? Quo enim animo illum fuisse existimas, cum uxori ita consulere cogeretur, et diceret : « Scio ego, quod » mulier decora facie sis. Erit ergo cum te viderint Ægyp» tii, dicturi sunt, quia uxor illius est, et interficient me, » et reservabunt te. Dic ergo, quia soror illius sum, ut » bene mihi sit propter te, vivatque anima mea ob gratiam » tui[1]. » His verbis usus est, qui propter Deum, et patriam, et domum, et amicos, et cognatos, aliaque domestica omnia dimiserat, qui hujusmodi ærumnam, tantumque laboris tam prolixo tempore in itinere perpessus fuerat : et tamen nihil hujusmodi locutus est, puta ; Reliquit me Deus, et aversatus est, suaque cura et providentia exclusit : sed fortiter omnia ac fideliter pertulit : et qui maxime omnium, uxore per summam vim contumeliis affecta, irasci debuerat, agebat omnia ne contumelia manifesta fieret. Hoc vero cujusmodi mœroris ac doloris sit, sermone explicari nequit. Norunt id omnes qui uxores duxerunt, atque in zelotypiæ unquam suspicionem inciderunt. Sed et Salomon quænam sit hæc passio testatur, dicens : « Ple» nus enim zelo furor viri ejus, non parcet in die judicii, » neque ullo pretio inimicitias solvet, neque donis pluri» mis reconciliabitur[2]. » Et rursus : « Fortis ut mors dilec» tio, durus ut infernus zelus[3]. » Quod si zelotypus ita excandescit : is qui tantis pressus erat incommodis, ut co-

[1] Gen. XII, 11-13. — [2] Prov. VI, 34. — [3] Cant. VIII, 6.

geretur eis quoque adulari, qui se contumeliis afficerent, et quos ulcisci debuerat, cuncta facere, ut libidines explerent, suaque uxore fruerentur, quo non dici potest miserabilior? Interea cum ista quoque tristia finem accepissent, alia rursus adversa gignebantur, famique bellum successit. Omitto nunc rixas et jurgia pastorum, separationem a fratris filio: quamvis ista quoque, si cum cæteris examinentur, mœrorem non mediocrem inferre possint. Cum enim is qui servatus ab eo fuerat, tantisque per illum potitus commodis, qui sibi cedere per omnia, pastoresque suos increpare debuerat: hic optione proposita, fertiliorem sibi regionem elegit, incultam illi ac desertiorem relinquens: quis oro, facile ferret, non dico detrimentum, sed injuriam, cum videret se, qui ipsum honorasset, parum honorifice tractari, ac minorem accipere partem? Id quidem omni detrimento gravius censetur: sed hæc tamen universa prætereo. De Patriarcha enim, non de quovis homine nobis sermo est.

VIII. Successit illi fami Persicum bellum, cogiturque adversus hostes victoria elatos militem ducere is, qui principio non affuerat belli, integris adhuc utrisque partibus: sed victoria jam potitis hostibus, cum eos nemo ferre posset, sed alii quidem passim interfecti essent, alii se latebris et fugæ dedissent, et reliqui in servitutem abducti fuissent. Sed tamen nihil horum illum ut domi maneret induxit, sed vehementi mœrore perculsus profectus est, ipse quoque ejusdem calamitatis particeps futurus, seque ipsum haud dubiæ neci expositurus. Nam velle cum trecentis servis suis, vel modice pluribus, adversum hostem numerosissimum dimicare, nihil aliud profecto erat, quam se et captivitati, et supplicio, et morti acerbissimæ exponere. Profectus itaque est; ut ipse quoque barbaricam immanitatem experiretur. Verum Dei clementia ser-

vatus, fusis hostibus, prædæ ac cognati compos cum remeasset, sua rursus incommoda flere cogebatur, cum ob defectum liberorum nullum relinqueret hæreditatis successorem. Noli enim existimare cum cum audis conqueri, et ad Deum dicere : « Quid mihi dabis? Ego autem sine » liberis pereo[1] : » hanc illi recentem fuisse ac novam molestiam. Hæc enim cura et sollicitudo cum sponsa una in domum Justi illius introïerat, imovero ante ipsum ingressum sponsæ. Quippe omnes consuevimus, cum incipimus de uxore cogitare, jam tunc rei ipsius curis omnibus tentari, quarum omnium suprema est, sterilitas, metusque ille ex ea die nostros animos exagitat. Quod si contingat post matrimonium solemniter peractum, primum et secundum, sive tertium annum sine liberis transire, tunc jam augetur dolor, ac læta spes minuitur. Rursus elapso majori tempore omnino spes nos illa deserit, solus mœror animum occupat, omniaque vitæ jucunda simul obnubilans, nullum nobis voluptatis sensum permittit. Itaque etsi nihil contigisset adversi, cunctaque ad votum successissent : ista liberorum orbitas lætis illis rebus admota, cunctam illam prosperitatem obnubere ac dejicere sola potuisset. Nam promissio illa divina ad extremam senectutem, quando maxime desperabatur impleri posse, facta est : priori autem toto tempore a luctu et mœrore nunquam vacaverat : quantoque amplius augeri divitias videbat, tanto lugebat vehementius, cum non esset, qui his omnibus succederet. Quid vero illum tunc passum putas, quando audivit : « Peregrinum erit semen tuum in terra » non sua, et in servitutem eos redigent, et affligent, at- » que humiliabunt annis quadringentis[2] ? » Uxor autem ancillam suam nunc viri amplexibus jungens, nunc post eam conjunctionem expostulationibus illum et querimo-

[1] Gen. xv, 2. — [2] Ibid. 3.

niis agitans, Deumque adversus eum vocans : et eam quæ tori particeps fuerat, cum jam filium paritura esset, domo deturbare cogens, quemnam in mœrorem acerbissimum non præcipitasset? Ista si cui fortasse levia videntur, is cum cogitaverit familias et domos integras harum rerum causa sæpius eversas, Justum illum admirabitur. Etsi enim timoris divini causa fortiter ferebat omnia, homo tamen erat, et iis rebus non poterat non angi atque cruciari. Rursus autem in domum ancilla regreditur, illique nothum parit, efficiturque Abraham pater post illud adeo prolixum tempus : ineratque rei voluptas quædam, sed major causa doloris. Nothus enim ille filius legitimi eum admonebat, majusque illius desiderium inji ciebat. Quod enim illi dictum erat : « Non erit ille hæres tuus, sed qui » egredietur ex te[1], » de Ismaële dictum fuisse arbitrabatur : nullum enim eatenus de Sara responsum acceperat. Cum vero demum clariorem de Isaac promissionem accepisset, tempusque partus definitum esset, rursus antequam ejus spei voluptatem ullam sentiret, Sodomorum clades ingentem illi mœroris nebulam offudit. Nam quod res ipsa justum virum immodice turbaverit, ex verbis illis ac prece quam pro eis fudit, omnibus profecto constat. Cum vero lapsum e cœlo imbrem illum omnino terribilem cerneret, cunctaque in pulverem et cinerem conversa, neque in se ipso jam erat. Nam si cum procul domos aliquas conflagrare incendio videmus, stupemus ac dolore conficimur : quid illum passum arbitramur, urbes integras et regiones cum habitatoribus incendio non consueto, sed novo ac terribili ardere conspicientem? An tibi non videtur Justi hujus affectus æquoreos decumanosque fluctus imitari? Sicut enim in mari antequam fluctus alii quieverint, alii rursus montis instar intumescunt : ita et per to-

[1] Gen. xv, 4.

tam viri vitam contigisse perspicies. Nam cum adhuc Sodomorum recens esset illa desolatio, rex Geraræ eadem, quæ Pharao, in Saram committere conatus est, rursusque mulier ad miserandam simulationem compellitur : atque in opus prorupisset ea contumelia, nisi prohibuisset Deus. Cum autem in partu illius et uxor simul et filius, ac tota familia lætaretur, solus ille in tanto omnium gaudio tristis esse ac mœrore cogebatur, ancillam cum filio ejicere compulsus. Etsi enim nothus erat, atque ex ancilla natus Ismaël, naturalis tamen vis amoris ex indignitate nihilo minor erat, neque imbecilliorem paternorum viscerum dolorem fecerat ignobilitas matris. Istudque ex ipsa historiæ serie possumus addiscere. Ille enim fortis, ille severissimus et qui unigenitum propriis manibus postea mactandum suscepit, uxore sibi hoc præcipiente ægre ferebat : ac nunquam illi cessisset, nunquam obtemperasset ; etsi tunc major accessisse videretur auctoritas ; nisi illum timor Dei vehementer impulisset. Itaque cum audis illum Deo jubente ancillam emisisse cum filio, cave putes doloris sensu caruisse, hoc enim erat impossibile : verum illius potius singularem admirare obedientiam, quod cum etiam miserationis affectu retraheretur, Deo tamen non contradixit, sed emisit cum filio matrem, quorsum profectura esset nesciens. Tolerabat autem atque sustinebat mœrens : neque enim ille natura superior evaserat.

IX. Hoc autem et in legitimo passus est filio : nullus enim eum non doluisse dicat, neque paterno affectu fuisse commotum, ne, dum ultra modum illius ostendere nititur philosophiam, illum summa laudum omnium privet. Nam si in flagitiis turpissimis deprehensos, ac longissimo tempore vita petitos, ignotosque, et quos nunquam antea vidimus, cum repente conspicimus ad mortem duci, misericor-

dia ac dolore conficimur, sæpe autem etiam illacrymamur: is qui unigenitum atque charissimum filium, qui præter spem, qui post tantum temporis, qui ad extremam senectutem natus erat; hæc enim omnia excitant majorem doloris flammam; hunc adhuc juvenem suis manibus mactare et incendere jussus, nihil humanum passus existimetur: quid ista dicentibus ridiculosius? Namque si lapis esset, si ferrum, si adamas denique, posset-ne non moliiri, non frangi ad decorum filii aspectum? Erat enim ætatis flos cum verborum prudentia et religione conjunctus. Interrogavit patrem, « Ecce ligna et ignem : ubi est ovis? » audivit : « Deus providebit sibi ovem in holocaustum, fili »mi[1] : » nihilque perquisivit amplius. Aspiciebat patrem se ligantem, nec reluctabatur : impositus rogo non resiliebat : videbat gladium contra se vibrari, neque terrebatur. Quid hoc animo religiosius? Audebit-ne ergo quisquam adhuc dicere nihil in hujusmodi omnibus perpessum esse Abraham? Si enim inimicum, si hostem interfecturus esset, etiam si bellua fuisset immanis, num ista sine dolore perpetrasset? Non est ita, non est. Noli justum virum tantæ crudelitatis arguere : dolebat profecto atque disrumpebatur. « Deus, inquit, providebit sibi victimam in ho- »locaustum, fili. » Quanta miseratione verba ista plena fuisse arbitraris? Continebat se tamen, ac premebat doloris vim : atque ista omnia ea alacritate patrabat, qu facerent, qui nullo istiusmodi impedimento continerentur. Immolatum interea filium; quippe devotione illum immolaverat; sanum rursus atque incolumem restituit matri : quem illa suscipiens, antequam affatim dulci nato frueretur, excessit e vita : id Justo illi maximo mœrori fuit. Etsi enim longo simul vixerant tempore, nihil tamen persuadere poterat, ut cum casum levius ferret : imovero hoc

[1] Gen. xxii, 7.

ipsum ampliore illum dolore conficiebat. Namque consuevimus eos, qui plurimo nobiscum tempore vixerunt, summaque virtutis suæ et amicitiæ nobis documenta dederunt, maxime omnium ac summo desiderio requirere. Quodque ista sic se habeant, ipse Patriarcha nobis indicat, qui fletu ac lamentatione illam prosecutus est. Quis jam reliquas curas recensere possit, quas pro filio, pro ejus uxore, pro fratribus illius suscepit; aliaque omnia : quæ qui ad amussim considerare velit, longe laboriosiorem Justi hujus vitam, curisque cumulatiorem perspiciet, quam ejus, quem paulo ante indicavimus. Præcipua enim tantum Scriptura narrans, cætera nobis omnia examinanda reliquit, quæ diebus singulis verisimile est domi contingere, ubi servorum est multitudo, vir uxor ac filii, multarumque rerum cura ac sollicitudo. Ita sane, inquies, sed illi solatium ferebat in singulis hujusmodi adversis, quod propter Deum illa omnia paterentur. Et te ipsum igitur illud consolabitur. Nullus enim profecto, nisi Deus tibi hanc inferri tentationem permisit. Nam si nec porcos quidem invadere nequissimi dæmones ausi fuerint[1], nisi prius ille permitteret : multo minus pretiosam animam. Sicut igitur viro illi quod fortiter omnia et cum gratiarum actione ferret, id multam contulit mercedem; ita pariet et tibi, si modo non graviter atque indignanter feras, sed in omnibus gratias agas clementissimo Deo. Nam et beatus Job ea quæ passus est, Deo permittente perpessus est : coronis tamen non ideo tantum donatus est, quia passus est : verumetiam quia contra adversa omnia fortis atque inviolabilis perstitit : admiramurque illum omnes, non quod privatus omnibus a diabolo fuerit, sed quia inter hæc omnia non peccaverit, ne quidem in labiis suis.

[1] Matth. VIII, 31.

X. Quoniam vero de Job mentionem feci, vellem quidem longa ipsius lamenta, passionumque vehementiam persequi. Verum ne prolixior sim, ad Isaac redeo. Porro si cupis illius omnia diligentius addiscere, librum ipsum in manibus sumens, aspice in abyssum altissimam calamitatum viri, plurimamque ibi consolationem invenies. Quanto enim melior Justus ille est quam nos, tanto majorem vim expugnandam habuit, eoque vehementius contra illum tunc nequissimus ille concitatus est. Cæterum recte facta non tam tentationum numero, quam rerum virtute æstimantur. Itaque etsi inferius istud certamen est, nihil id tuas coronas poterit minuere : nam et is qui duo talenta obtulit, nihil minus retulit, quam is qui obtulerat quinque. Cur id ? quia etsi non idem proventus, eadem tamen alacritas fuit. Quocirca et eodem honore uterque potitus est, audiens : « Intra in gaudium domini tui[1]. » Quid ergo Isaac ? peregrinationem quidem illam longissimam subire exemplo patris, terramque suam derelinquere coactus non est : sed plane supremum malorum omnium ipse sustinuit, metum scilicet, ne sine liberis decederet. Postea vero quam per orationem eo metu liberatus est, alius continuo eum excepit timor longe major. Neque enim par metus est pro conjugis sterilitate, et pro radice ipsa trepidare. Sic enim partus doloribus disrumpebatur, ut vita morte omni illi esset acerbior. Et hoc ipsam audias licet dicentem : « Si mihi ita futurum erat, ad quid mihi vi» vere[2] ? » Famis autem et iste experimentum cepit, etsi non ut pater in Ægyptum descendit ; sed quod ille vere in Ægypto pertulit, et iste pati periclitabatur, uxorem scilicet amittere. Et patrem quidem venerabantur finitimi omnes, hunc vero non secus atque inimicum et hostem exagitabant, neque propriis illum laboribus perfrui sine-

[1] Matth. xxv, 21. — [2] Gen. xxv, 32.

bant; verum cum illum angustiis undique concluderent, licenter ipsi laboribus ipsius fruebantur. Tandem vero cum sibi illos amicos nactus esset, filiosque adultos cerneret, tunc certe, tunc quando summam se consolationem inventurum sperabat, optimosque senectutis suæ curatores habiturum, in supremum corruit mœrorem. Primum enim major natu filius uxorem sibi alienigenam contra patris votum cepit, et eo ipso quod pugnam et bellum in domum introduxisset, illum summa et incredibili vi doloris affecit. Innumeris enim malis mulieres illæ soceros afficiebant: quæ omnia Scriptura devitans, uno verbo cuncta signavit, cum diceret: « Cum Rebecca con» tendebant[1]; » reliquitque id dictum eis intelligendum, qui domos habent, ac filios jam uxoratos. Illi enim maxime omnium noverunt quantum mali sit, quantumque detrimenti, si socrus et nurus mutuo rixentur: idque tunc maxime, cum ambæ eamdem inhabitent domum. Hoc autem juge illis erat incommodum. Ad hæc illi gravior quoque molestia adjecta est, cæcitas scilicet, quæ cujusmodi sit, illi soli sciunt, qui patiuntur. Præterea dum benediceret filiis, contra quam volebat, matris astu et arte, minorem pro majore benedixit: qua in re ita indoluit, ut amarius quam is qui passus fuerat, clamaret, excusaretque ignorantiam, quod non illum sciens benedictione fraudasset, verum circumventus. Hæc autem omnia scenæ tragœdiam præferebant, fabulamque Thebanorum adolescentium signabant. Nam et hic etiam senectutem, occæcationemque patris major natu contemnens, juniorem fratrem deturbavit domo. Etsi enim non ille necavit, id matris impedivit sapientia: et hic enim comminatus est cædem, patrisque mortem operiebatur. Quod cum mater cauta didicisset, patrique retulisset, illum ejus

[1] Gen. XXVI, 5.

manibus eripuit[1] : et cum quidem qui se venerabatur, benevolusque sibi erat, parentes fugæ committere coguntur : improbum autem, qui sibi amaram reddebat vitam, hoc enim ipsa Rebecca indicat, apud se jugiter tenebant. Igitur cum ille effugisset, in domo semper educatus ; erat enim innocens habitans domi ; atque ut plurimum cum matre domi manserat, quibus lamentis, quo dolore, quo gemitu Rebeccam jam affici necesse fuit, recordantem semper filii, virumque intuentem, et per ætatem, et per infirmitatem nihilo meliore conditione, quam mortuum ? Quibus item luctibus senem detentum putas dum communes suas et uxoris calamitates flere cogeretur? cum vero illa moritura esset, quid non dixit ? quid non locuta est? Etiam lapides ipsius verba liquefacere potuisse puto, cum non videret prope astantem filium, atque illacrymantem oculosque sibi comprimentem, atque os contrahentem, aliaque omnia agentem, quæ parentibus morte ipsa videntur gsaviora. At vero Isaac, dum illam ita efflare animam cerneret, quo animo fuisse putandus est et tunc, et post ipsius mortem ?

XI. Talis ille nobis fuisse ostensus est, quem multis fuisse feliciorem putabamus. Jamvero Jacob ipsius vita cujusmodi fuerit, absque discussione aliqua ipsius verba indicant, qui cum Pharaonem alloqueretur, aiebat : « Dies mei parvi et mali, et non pervenerunt ad dies pa- » trum meorum[2] : » hoc est, et breviorem, et laboriosiorem vixi vitam. Verum et absque hac illius sententia ita sunt apertæ calamitates ejus, ut pauci admodum sint, qui illas nesciant. Avus namque ejus etsi longinquam peregrinationem emensus est, jussu Dei hoc fecit ; quæ res maximo ipsi solatio fuit : hic autem fratrem fugiens insidiantem, parricidiumque meditantem, summos itineris labores

[1] Gen. XXVII, 46. — [2] Id. XLVII, 9.

passus est : atque ille quidem necessario victu nunquam indiguit : huic vero in voto erat, indumento ac pane solo non indigere. Servatus autem, atque itineris fatigationibus liber, cum tandem ad affines suos pervenisset, qui in tanta rerum copia nutritus fuerat, servire cogebatur. Non ignoras autem servitutem, cum semper molesta sit, tum maxime videri molestissimam, cum quis propinquis ac paribus servire cogitur : idque cum ejus rei nunquam periculum fecerit, sed priorem omnem ætatem in libertate ac deliciis egerit. Quod cum intolerabile esse videretur, forti tamen et magno animo ferebat. Porro quid ærumnarum in vita illa sua pastorali passus sit, ipsum audias licet dicentem : « Ego persolvebam a me ipso furta diei, » et furta noctis. Per diem urebar æstu, et nocte gelu, » recedebatque somnus ab oculis meis : ista mihi fuerunt » annis viginti [1]. » Hæc ille passus est, qui vitam vixerat simplicem, qui semper fuerat domi. Postque tot labores, tot incommoda, post longum illud servitutis tempus, fraudem illam amarissimam pertulit, qua sibi altera alterius loco tradita uxor est. Nam si non servisset annis septem, si non ea passus fuisset, quæ socero conquestus dixit : si non amavisset puellam, hoc ipsum tamen quod sibi formosiore promissa, tradita ipsi pro illa deterior fuit ; quantum putas mœroris, quid indignationis, quid doloris Beato illi tunc præstitit? Sane si quis alius id passus esset, nunquam eam fraudem atque injuriam tulisset : sed omni prius affinium eversa domo, se ipse cum illis una interfecisset, aut alio quovis modo perdidisset. Quoniam vero patientissimus, ac longanimis erat Jacob, nihil hujusmodi fecit, sed ne initium quidem ejusmodi cogitationi dedit : imovero septem annos alios iterum servire jussus prompte obedivit, adeo mitis erat ac mansuetus. Quod si puellæ amor

[1] Gen. xxxi, 38-41.

mansuetudini morum obsecundabat, rursus mihi mœroris magnitudinem asseris. Considera enim, quæso, quantum ille doloris passus sit, cum ejus quam ita vehementer diligebat, fraudatus amplexibus, illiusque connubia desiderans, septem rursus annorum dilatione cruciatur, frigora et æstus et vigilias, et detrimenta perpetua patiens. Ea tamen ipsa potitus tandem, vivensque apud socerum vitam ærumnis et laboribus plenam : sic quoque invidiæ patuit, et secundam fraudem in mercedibus passus, ut ipse quoque illum arguerit, dicens : « Decepisti me decem agnis[1]. » Una vero cum socero uxorum fratres, magis etiam adversus illum efferati excandescebant. Quod autem erat omnibus gravius, uxor illa tam dilecta, cujus gratia bis septem annis servire delegerat, præ molestia suffocabatur, cum sororem suam parientem cerneret : se vero omni pariendi spe destitutam, atque in tantum tunc excessum ex animi mœrore devenerat, ut criminibus et querelis agitaret virum, mortemque sibimet obventuram minaretur, nisi pareret, « Da mihi, inquiens, liberos, alioqui » moriar ego[2]. » Quomodo ille lætari poterat, cum ea quam diligebat, sic affecta esset, fratresque illius ipsi insidiarentur, omniaque molirentur, ut ille ad extremam deveniret inopiam ? Nam si ea, quæ sine sudore dotis nomine traduntur uxoribus, cum quis abstulerit, maximo mœrore afficimur : is qui periclitabatur ea quæ summis laboribus quæsierat amittere, quo animo ferre ea detrimenta poterat? Cum igitur haud obscure suspectus esset, eosque se intuentes cerneret, clam fugam iniens discessit. Quo quid dici miserabilius possit? Nam et ex paterna domo et ex aliena, cum metu ac periculis migrans, in eadem prærupta rursus cogebatur incidere. Quippe fratrem fugiens, se ad socerum contulerat; a quo iterum exagitatus, ad

[1] Gen. xxxi, 41. — [2] Id. xxx, 1.

fratrem redire cogebatur, propheticum illud passus, quod de die Domini dicit Amos : « Velut si quis fugiat a facie »leonis, et occurrat ei ursus, ingressusque in domum »suam, et parieti manus applicans, mordeatur a colu»bro[1]. » Quis autem eum tremorem enarrare possit, quem perpessus est comprehensus a Laban, itinerisque angustias, cum se tam numerosum pecus filiique sui sequerentur? Cæterum cum fratris faciem esset inspecturus, nonne idem passus est, quod apud Poëtas, qui fictum caput Gorgonis vident? Nonne ita per omnia affectus erat, ac si ad mortem venisset? Audi sane illius verba, atque ex eis insitam illius animo timoris flammam addisce : « Deus, erue »me, inquit, de manu Esaü fratris mei, quia valde eum »timeo, ne forte superveniens interficiat me, ac matrem »cum filiis. Tu autem mihi dixisti : Bene tibi faciam[2]. » Quam non lætitiam hic metus exclusisset, etiam si priori omni tempore tranquillissime vixisset? At nunc omnis illa vita, ex qua die benedictionem accepturus, metu pene fuerat mortuus, per calamitates varias insidiasque texebatur. Tantus denique tunc illum timor invaserat, ut post congressum fratris, quantumlibet ille præter spem benigne et humaniter eo usus esset, confidere ne sic quidem posset, anxietatemque deponere. Denique cum obsecraret ille, ut secum se ire permitteret, non secus quam a fera aliqua liberari cupiens, ut recederet orabat, dicens : « Nosti, »Domine, quia infantes teneriores sunt, ovesque et boves »mecum fœtæ, si ergo urgeam eas, die una morientur »cuncti greges. Præcedat dominus meus ante servum »suum, et ego invalescam in via secundum tarditatem »profectionis, quæ coram me, et juxta pedes parvulorum »meorum, donec veniam ad dominum meum in Seïr[3] : » respiransque ex illis periculis modicum, in alium longe

[1] Amos. v, 19. — [2] Gen. xxxii, 11, 12. — [3] Id. xxxiii, 13, 14.

maximum timorem incidit. Rapta quippe illius filia, primum quidem puellæ contumeliam ægre ferebat : sed cum id facinus lenisset, quod eam regis filius ducturum se uxorem pollicereturque, eamque sententiam laudasset Jacob, fœdera violavit Levi cum fratre suo, civesque viritim ad unum jugulantes, in id tremoris patrem induxerunt, ut inde protinus migraret, eo quod omnes adversum se bellaturos timeret. « Dixit enim, ait Scriptura, Jacob ad » Symeonem et Levi : Odiosum me fecistis, ut iniquus sim » omnibus habitantibus terram, Chananæisque et Phere» zæis. Ego autem sum minimus numero, congregatique » contra me simul concident me, deleborque ego, et do» mus mea[1]. » Quippe omnes illos una finitimi necassent, nisi illorum indignationem Dei clementia continuisset, finemque cladibus imposuisset. « Factus est, inquit, timor » Dei super omnes per circuitum civitates, neque persecuti » sunt post filios Israël. » Quid ergo cum hoc metu liberatus esset? Num tandem respiravit? imovero tunc supremus eum malorum omnium vertex invasit, mors scilicet amantissimæ conjugis et immatura simul et violenta. « Peperit enim, inquit, Rachel, parturiensque la» borabat. Factum est autem cum parturiens periclitaretur, » dixit illi obstetrix : Confide, et hic enim tibi filius est. » Et cum efflaret animam, moriebatur enim, vocavit nomen » ejus, Filius doloris mei[2]. » Cumque luctus adhuc recens esset, adjecit mœrori Ruben, patris torum contumeliose impetens. Quod ille tam graviter tulit, ut moriens quoque mala imprecaretur filio, tum scilicet, quando filiis parentes majore misericordia affici consueverunt, idque cum ille primogenitus esset omnium, quod etiam ad affectum non parum valet. Sed tamen hæc omnia vis mœroris exclusit, vocansque illum dixit : « Ruben primoge-

[1] Gen. xxxiv, 30. — [2] Id. xxxv, 17-19.

» nitus meus, fortitudo mea, et initium filiorum meorum, » durus ad ferendum, durusque et audax : injuriam intu- » listi, sicut aqua non effervescas. Ascendisti enim in cu- » bile patris tui, tunc maculasti stratum, ubi ascendisti[1]. » Cum autem adolevisset amantissimæ uxoris filius, solarique illius desiderium hujus contubernio speraret, tunc ipsi multiplices parantur ærumnæ : fratres enim illius tunicam intinctam sanguine patri ostendentes, magno illum luctu confecerunt. Neque enim solam lugebat mortem, sed ipsum quoque mortis genus : plurimaque erant quæ illius animum exagitabant, quod amatæ illius filius, quod melior reliquis, quod maxime dilectus, quod in ipso ætatis flore, quod ab eo missus, quod neque in domo, neque in lecto, neque patre coram assistente, neque dicens aliquid et audiens, quod non communi morte omnium, quod vivens a ferarum immanitate discerptus fuerat, quod ne reliquias quidem illius reperire poterat, et humo condere : quod ista illi non in juventute contigissent, quando melius ferre potuisset, sed in senectute ultima. Eratque miserandum omnino spectaculum, videre canos pulvere fœdatos, senileque pectus discissa tunica nudatum, lamentaque admittentia consolationem nullam. « Scidit enim, inquit, » Jacob vestimenta sua, et circumposuit cilicium lumbis » suis, lugebatque filium diebus plurimis. Congregati sunt » autem omnes filii ejus, et filiæ, et venerunt consolari » eum : noluitque consolari, dicens : Descendam ad filium » meum lugens in infernum[2], » quasi vero possibile non esset vacare a mœrore animum ipsius. Cum cœpisset ea plaga curari, fames valida incumbens, terramque universam occupans, primum quidem vehementi illum mœrore turbaverat : cum autem reversi ex Ægypto filii, rei frumentariæ copia famis incommoda solati essent, aliam

[1] Gen. xlix, 3, 4. — [2] Id. xxxvii, 30-34.

item consolationi mixtam doloris causam attulerunt, voluptatemque, quam ex famis levamine tulerat, absentia filii premebat atque obscurabat. Neque id solum, sed Benjamin ipsum postulabant : quo ille unico solatio et uxoris defunctæ, et a fera devorati filii lenire mœrorem poterat. Erat autem non ea sola causa detinendi Benjamin secum, verum ætas quoque ipsa, et educationis ratio. « Non des- » cendet enim, inquit, filius meus vobiscum, quoniam frater » ejus mortuus est, et ipse solus derelictus est, contin- » getque illum infirmari in via qua vos pergitis, deducetis- » que canos meos cum dolore ad inferos[1]. » Primum igitur omnino renuebat, illum nunquam se daturum asserens : cum vero vehementissima fames urgeret, graviorique necessitate tangeretur, quanquam nimium mœrens : « Quid enim, inquit, me afflixistis, nuntiantes homini, » quod esset vobis frater? » verbaque illa miseranda locutus : « Joseph, inquiens, non est, Symeon non est, et » Benjamin hunc assumetis? in me venerunt ista omnia[2] : » dolens scilicet quod post Joseph et Symeon, etiam Benjamin a se niterentur avellere; ostendensque omnia se potius passurum, quam dimissurum a se filium : victus tandem suis cum manibus tradidit, dicens : « Et fratrem vestrum » assumite, surgentesque descendite ad virum. Deus autem » meus det vobis gratiam in conspectu viri, emittatque » vobiscum fratrem vestrum unum, et Benjamin. Ego » enim sicut liberis orbatus sum, liberis orbatus sum[3]. » Ita vehementer summis illis angebatur incommodis, ut visceribus etiam dicerptis, paulatimque imminutis filiis, universa deteriorum accessione toleraret. Majore enim ex hujusmodi adversis dolore angebatur, quam ante ex Joseph. Quippe ea calamitas, quæ meliorum spe et expectatione caret, etsi vehementiore dolore nos cruciat, ille ta-

[1] Gen. XLII, 38. — [2] Ibid. 36. — [3] Id. XLIII, 13, 14.

men ipse dolor cito lenitur, dum animo desperatio hujus corrigendæ ingeritur : quæ vero suspensa est animum requiescere non sinit, futurorum incertitudine anxietatem jugiter nobis augens et renovans : idque ex beato David facile animadvertere possumus, qui cum adhuc vivente plangeret filio, eo ipso mortuo se a fletu continuit : quod cum servi illius mirarentur, causamque requirerent, hanc ipsam rationem allegavit, quam ego modo. Merito igitur Jacob his metuebat magis atque tremebat. Sed aspectus ille desiderabilis, ac Joseph facies voluptatem illi et quietem postmodum præbuit. Et quid inde voluptatis consecutus est? Sicut enim vehementissimo igni adusta membra quantumlibet quis refrigerare moliatur, nihil proficit : ita et illius mœstum animum nimiique doloris flammis adustum, nihil erat quod recreare posset, maxime cum ea ætate nullus fere sit voluptatis sensus : quod Berzelli excusans, dicebat ad David : « Quot dies annorum vitæ meæ » illic erunt mihi, ut ascendam cum rege in Jerusalem? » Filius octoginta annorum sum hodie, num discernam » inter bonum et inter malum? Num gustabit servus tuus » quæcumque comederit aut biberit? Num audiam cantantium virorum aut mulierum voces? Et quare servus tuus » gravis sit domino meo regi[1]? » Verum quid hoc ex aliis conjicimus, cum liceat ipsum audire de se profitentem? Postea enim quam filium viderat, a Pharaone de vitæ suæ annis interrogatus : « Parvi sunt, inquit, et mali dies » mei, et non pervenerunt ad dies patrum meorum[2] : » adeo vivacem rerum gestarum memoriam secum semper gerebat.

XII. Sed enim filius iste clarus et gloriosus Joseph, cujus calamitates non suarum magnitudine calamitatum operuit? Nempe enim pater ejus unum tantum fratrem

[1] 2 Reg. XIX, 34, 35. — [2] Gen. XLVII, 9.

insidiatorem passus est, hic autem multo plures : atque ille quidem per priorem omnem ætatem in summa rerum copia et requie nutritus est : hic in alienam puer adductus regionem, itineris ærumnas perferre cogebatur. Ac Jacobo quidem aderat mater, insidias leniens : hic adolescentulus, quando illi matre opus erat, tunc maxime isto adjutorio desertus et destitutus est. Ad hæc Esaü quidem usque ad comminationem tantum Jacobum perterruit : at vero Josephi fratres insidias in apertum opus perduxerunt, atque ante insidias invidia commoti detrahere illi nunquam destiterunt : quo quid acerbius esse possit, quam eos quibuscum habitas, inimicos pati ? « Detulerunt » enim illum crimine malo (2), et videntes quod a patre » cæteris liberis suis plus diligeretur, oderant eum, nec » poterant ei quidquam pacifice loqui [1]. » Neque enim, quod sub negotiatorum regiique eunuchi manu fuit, tam gravi illi fuisse dixerim : multo enim clementius illo usi sunt, quam fratres. Attamen ne sic quidem quievit calamitatum sæva hyems, quippe vehementior procella irruens ipsum rursus fere demersit. Fortasse me quispiam hoc in loco insidias dominæ dicturum existimet : ego vero ante eam quoque tempestatem aliam sæviorem dicam. Grave quidem, revera grave, calumnias hujusmodi criminum pati damnarique, et carcerem tam prolixo tempore incolere puerum liberum, nobilem, ejusque necessitatis hactenus ignarum : sed sane gravius his omnibus illi visum puto, fluctus ætatis compescuisse. Si enim nulla flagranti concupiscentia motus, illius amores blanditiasque respuisset, non mihi ita laudandus atque admirandus videretur, Christi scilicet sententiæ credenti. Neque enim ille eos qui natura sunt eunuchi, sed qui se ipsos castraverunt, dignos regno cœlorum dixit [2]. Sin vero secus,

[1] Gen. xxxvii, 4. — [2] Matth. xix, 12.

quam ille victoriam retulisset? adversus quem dimicans coronam reportaret? quonam hoste superato victor proclamaretur, si nullus esset qui obluctaretur, eumque niteretur dejicere? Neque enim eos qui ab animantium coïtu abstinuerunt, castitatis ratione prædicamus, quod naturæ insita non sit hujusmodi concupiscentia. Si igitur beato illi adolescenti ejusmodi ignis nihil molestus fuit, quid est quod illius castitatem ita admiramur? Quod si eo tempore, quo vehementius hujusmodi flamma succenditur; agebat quippe tunc vigesimum ætatis annum, et cum nullis admotis aliis fomentis, intolerabilis per se est ista vis, tunc maxime impudica mulier castissimo adolescenti insidiata est, tantum huic flammæ virium ex suis illecebris et ornamentis adjiciens, quantum illi erat per naturam: quis jam tum illius fluctus, tumultus et anxietatem enarrare sufficiat, cum intrinsecus quidem et natura illum et ætas perturbarent, arsque Ægyptiæ extrinsecus pelliceret, istudque non uno die, vel duobus, sed plurimo tempore perferret? Equidem reor ipsum tunc non sibi tantum timuisse, sed illi etiam indoluisse, quod ad tantum præcipitium pervenire festinaret. Atque illud ex verbis quæ mulieri plena modestiæ respondit, nobis constare poterit. Etenim licebat illi profecto, si voluisset, et contumeliosius et audacius ad illam loqui: si quidem illa per nimiam amoris vim facile cuncta tolerasset: verum nihil hujusmodi locutus est, aut cogitavit: sed piis cogitationibus admotis, ea solummodo locutus est, per quæ putabat illam posse pudore affici, nihilque amplius adjecit. « Ecce enim, inquit, do» minus meus, propter me nihil scit eorum quæ sunt in » domo sua: et omnia quæ sua sunt dedit in manu mea, » nihilque in domo sua plus habet quam ego: neque ali» quid quod non dederit in potestate mea, præter te, eo » quod uxor illius sis: et quomodo faciam hoc verbum ma-

» lum, ut peccem coram Deo [1] ? » Et tamen post tantam modestiam, tantaque castitatis indicia, falsi criminis calumniam subivit, Deusque istud fieri permisit. Vinctus est, nec sic prodidit insidias, injustamque mulieris calumniam. Volebat enim copiosiora præmia, coronasque clariores præparare, atque ideo ipsis quoque servis regiis dimissis ipse inclusus perseverabat. Tu nolo mihi custodis clementiam objicias, verum ipsius verba diligentius examines, et inspicies animi dolorem. Nam cum somnium interpretatus esset, regio pincernæ dixit : « Sed memento mei per temet- » ipsum, cum tibi bene fuerit, faciesque super me mise- » ricordiam, et suggeres Pharaoni de me, et educes me de » carcere isto, quia furto sublatus sum de terra Hebræo- » rum : et hic non feci quidquam, sed innocentem injece- » runt me in domum lacus hujus [2]. » Etsi enim claustra carceris facile ferebat, cum eis hominibus vivere, puta sepulcrorum violatoribus, furibus, parricidis, adulteris, homicidis; his enim atque hujusmodi plenum erat illud habitaculum; gravius illi ac molestius erat. Neque id solum, sed quod plurimos intueretur frustra et inaniter illic macerari et confici. Sed tamen, id quod tute modo quereris, servus quidem vinculis cripiebatur, liber autem in ærumnis persistebat. Quod si quis regni mentionem faciat, hic mihi rursus curarum examen, vigiliarum et mille negotiorum difficultates in medium adducet. Quæ omnia iis qui quietam curisque vacuam vitam diligunt, non nimium jucunda sunt. Præterea sanctis illis quidem si quid lætum contingebat, mirum profecto non erat, cum necdum cœleste regnum planum et apertum esset, nec futurorum bonorum promissio manifesta. Nunc vero quando tanta bonorum copia proponitur, resque cunctis manifesta est, audebit-ne, obsecro, jam quispiam dolere, si in præsenti

[1] Gen. xxxix, 8, 9. — [2] Id. xl, 14, 15.

vita jucundis nullis perfruatur : aut prorsus in hac vita dulce aliquid existimabit, qui illa noverit? Et quid hoc animo dici abjectius potest, si sperans paulo post in cœlum se migraturum, hujus mundi requiem inquirat, ac prosperitatem umbra nulla meliorem? « Vanitas enim vanitatum, inquit, et omnia vanitas[2]. » Quod si is, qui præsentis vitæ voluptates præ cæteris hominibus fuerat expertus, hanc adversus illas sententiam tulit : multo magis nos ita affici et sentire convenit, quibus nihil est commune cum terra, quibusque in superna inscriptis civitate, totamque illic mentem transferre jussum est.

LIBER III.

Ejusdem ad Stagirium, de tristitia.

I. Sufficere quidem poterant ea quæ dicta sunt[2], ad extinguendam mœroris flammam, atque persuadendum meliore ac tranquilliore esse animo : verum ut consolatio sit cumulatior, et hunc librum adjicere institui, illud abs te primum inquirens : Dic, oro, si quis te ad regnum terrestre vocaret, atque ante ingressum ejus civitatis, vel antequam coronam acciperes, in stabulum divertere necesse esset, ubi luti ac fumi plurimum viatorumque tumultus esset, et latronum perturbatio, summaque pressura et angustia : num ad illa tristia cogitatione converteris, annon illa omnia quasi nihil essent, contemneres? Quomodo igitur non absurdum fuerit, terrenis rebus potiturum, spe regni elatum nihil his quæ interim adversa

[2] Eccle. I, 2. — [3] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 245-267.

inciderint contrahi, ad cœlos autem accersitum, per singula quæ in diversorio contingunt tristia decidere atque perturbari? Profecto enim diversorio ac stabuli habitatione nihilo præsentis vitæ status melior, idque cum Sancti nobis indicare cuperent, hospites ac peregrinos se ipsos appellabant, his verbis nos erudientes, et læta sæculi præsentis et tristia deridere, atque a terra longissime remotos, toto animo cœlestia ambire, atque ad ea totam transferre cogitationem. Age itaque ad Sanctos ipsos veniamus, a Joseph ad Mosem orationem transferentes. Hic enim omnium qui in terra versabantur mitissimus, gignitur gentilibus quidem suis vi durissimæ servitutis oppressis : alienatus autem a parentibus, ignoransque a quibus genitus esset, priori omni ætate a barbaris viris educatur. Quo quid gravius Hebræo, singularique prudentia prædito adolescenti potuit contingere, etsi millies filius regis esse putaretur? Non autem hoc solo angebatur ille tunc, verum quod intueretur gentem suam summis calamitatibus opprimi. Qui enim sine illorum salute ne vivere quidem, neque in Dei libro conscribi patiebatur, quomodo aulæ regiæ, regnique bonis frui potuisset, cum tanta omnes tempestate jactari gentiles cerneret? Nam si nos quoque post tam multa sæcula exortos, nullamque hujusmodi causam commiserationis erga Judæos habentes, tanta subit occisorum puerorum commiseratio ; quid Beatus ille non passus est, qui tam singulari affectu genti suæ astrictus, ipsas eorum clades oculis percipiebat, ac eos præterea qui tantis illos malis afficiebant, parentum titulo honorare cogebatur? Reor ipsum miseros illos tunc infantes plus luxisse, quam fecerint parentes ipsi : quod ex ipsis liquet quæ postea gessit. Cum enim eum qui pater esse putabatur, nec suadendo flectere, neque cogere valeret, ut feralem, tyrannicamque jussionem removeret,

ipse una malorum communium voluit esse particeps. Neque istud est quod ego nunc tantopere admiror, sed ex cæde illa conjiciens, quam præterito tempore mœroris flammam aluerit, id admodum stupeo. Nam qui ex maxima doloris vi ad homicidium protinus erupit, ex eo opere qui prius animi dolor fuerit, ostendit. Neque enim tanta illos vehementia ultus fuisset, nisi plus quam patres ipsi eorum malis contabuisset. Quid igitur posteaquam illos ultus est, num vel parum animus ex mœrore illo relaxatus est? Potuit-ne diutius frui consolatione illius ultionis? Vix dies altera illuxerat, cum Beatum illum dolor alius, et quidem priore longe gravior excepit, tantusque metus, ut ipsum Ægypto tota deturbaret. Durum quidem ac molestum est, a quovis homine maledictis lacessi: verum cum beneficiis quispiam affectus, beneficia ipsa exprobraverit: « Numquid occidere me tu vis, inquit, » quemadmodum Ægyptium heri occidisti[1] ? » tunc, jam tunc efficitur ea contumelia intolerabilis ita ut possit illa læsum suffocare, tantam iram dolori conjunctam affert. At vero in Mose præter hæc aliud quoque tertium inerat, regis videlicet metus, qui adeo Justi occupaverat animum, ut universa illum regione exturbaret. Efficitur fugitivus regis filius; itaque si quis regiæ illum educationis causa beatum putaverit, is modo prioris abundantiæ recordetur, atque illam justo viro doloris ingentis et angustiæ materiam fuisse videbit. Neque enim idem est quempiam in privata nutritum domo, plurimis jam laboribus multisque peregrinationibus et ærumnis exactis, longos iterum labores, atque ea incommoda quæ extra patrium solum necessario subeunda sunt, perpeti: et eum qui ista ne minimum quidem fuerit expertus, sed in rerum abundantia omne tempus educatus, idipsum pati. Multo enim gra-

[1] Exod. II, 14.

vior ei fuga videbitur, quam illi, si quando experiri hanc necessario cogetur : quod illi quoque tunc contigit. Itaque profugus effectus, alienigenæ et idololatræ viri hospitio fruitur, quod non mediocre est tristitiæ argumentum; tam longo scilicet tempore dæmoniorum sacerdotis hospitem esse. Tradita autem sibi pascendi gregis custodia, quadraginta annis ita perstitit. Porro si hoc durum non esse alicui videatur : is velim eos examinet, non qui metus, aut timoris causa peregrinantur, et latebris abduntur, sed qui sponte sua modo abstrahuntur, quam moleste, quam graviter agant, quantumque commodi in reditu reponant. Cum vero illi et metus affuerit, et vita ærumnis plena : istaque onerosa et molesta reditu isto suavissimo leviora judicaverit : considera, quæso, calamitatis ejus magnitudinem. Neque enim simpliciter audies, « Pascebat, » sed recole nunc Jacobi verba, quæ ad socerum conquerens dixit : « Ego a me ipso reddebam furta diei, »et furta noctis : die urebar æstu, nocte gelu, recedebatque somnus ab oculis meis [1]. » Hæc enim omnia illi etiam contigisse putandum est, et annis pluribus, et majori cum difficultate : quippe est ea regio longe desertior atque incultior, quam Mesopotamia. Quod si non ita querebatur Moses, nec Beatus quidem ille questus unquam fuisset, nisi summa necessitate compulsus, atque ob ingratum soceri animum in hæc verba prorumpere necessario coactus esset : Sufficit quidem et ipsa per se alienæ terræ habitatio ad eum humiliandum virum, qui necessitatis tantum causa peregrinatur. Sicut enim avis cum ex nido suo avolaverit, facilius capitur [2] : ita et homo cum a sedibus propriis longius profectus fuerit, servitio subjicitur. Tunc vero nec de propria salute securus esse poterat ille, sed ut servus aliquis crudelissimum dominum

[1] Gen. xxxi, 39. — [2] Prov. xxvii, 8.

effugiens, pavet semper ac trepidat ne capiatur : ita et beatus Moses in metu semper erat : idque ex eo maxime liquet, quod Deo post tantum temporis præcipiente, ut rediret in Ægyptum, hæret ac titubat : idque cum audisset, « Defunctus est qui quærebat animam tuam. »

II. Postea vero quam paruit et excessit, atque uxorem ac liberos relinquere coactus est, rursus querimoniæ et contumeliæ et minæ ab eo qui tunc regnabat in Ægypto, criminaque et maledicta ab eis ipsis quos beneficiis fovebat. Ille enim aiebat : « Quare Moses et Aaron avertitis » populum ab operibus suis ? recedite unusquisque ves- » trum ad opera sua[1]. » Israëlitæ autem : « Videat, aie- » bant, Deus et judicet vos, quia execrabilem fecistis » odorem nostrum coram Pharaone et coram servis suis, » ut daretis gladium in manus eorum ad interficiendum » nos[2]. » Gravia quidem erant hæc et molesta : sed illud omnium gravissimum, quod ingressus ad suos, innumeraque promittens bona, libertatem, incumbentium malorum ereptionem, fallax esse putabatur. Non solum enim illis tunc levatum non est imminentis servitutis onus, verum gravius est adjectum : et qui gentem omnem liberaturus sperabatur, idque promiserat, is cruciatuum et verberum causa, insidiator et corruptor esse putabatur. Quis non mœrore tunc fuisset absorptus, cum pollicitus tot malorum ereptionem, post pollicitationem diriora videret cumulari ? Dolebat quidem quantum par erat eum qui talia audiret et videret : non ea tamen perturbatione dejiciebatur, sed manebat immobilis : et quidem cum promissionibus ea quæ contingebant, non solum non consentirent, verum et maxime obluctarentur. Accedens autem ad Deum, et de his loquens, ac multum ingemiscens, « Domine, inquit, quare afflixisti populum tuum, et quare

[1] Exod. v, 4. — [2] Ibid. 21.

» me misisti ? Ecce enim ex quo ingressus sum ad Pha» raonem, ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum » tuum, nec liberasti eum[1]. » Hæc ergo cum ille lamentatus esset, atque eadem iterum audisset, annuntiat quidem ea rursus Israëlitis : sed illi minime tolerant, eo quod animæ illorum labore premerentur, ac mœrore deficerent· « Non, inquit, audierunt Mosem præ angustia et laboribus » duris[2]. » Hoc autem parum illum affligebat. Ut vero ad signa ventum est, sæpius a Pharaone delusus, eam irrisionem fortiter tulit. Cum vero liberatus tandem ex Ægypto, atque una cum Judæis jam fere securus videretur, antequam plene respirasset, priore, imovero longe graviore metu correptus est. Vix enim tertia effluxerat dies, cùm repente Barbaros omnes armatos cernunt super se irruere : atque idem passi sunt, quod fugitivi servi, dum in aliena regione repente dominorum oculos offendunt : vel certe quemadmodum si illi ipsi aliquando somniassent se lætari, et esse ea servitute liberatos, ac demum experrectos in Ægypto, atque in eisdem malis invenissent. Imovero nescio quid illi somnium reputasse existimandi sunt potius, tridui-ne illam liberationem, an præsentem rerum faciem horrendam ac pavendam : tanta oculis omnium offusa erat mœroris nebula. Interea Moses multo majoribus tenebris offusus erat. Non enim solos Ægyptios metuebat, ut reliqui, verum ipsos una Israëlitas : utraque enim gens illum jam ut seductorem ac versipellem aggressura erat, Ægyptii quidem irridentes atque invadentes, Israëlitæ vero exulcerati ac mœrore confecti. Sed quid me necesse est dolores angustiasque viri conjecturis colligere, cum possimus ex illa ipsa superna voce cunctum ipsius dolorem intelligere ? Tacenti enim illi, neque labia aperire audenti, dixit Deus : « Quid

[1] Exod. v, 22, 23. — [2] Ibid. 6.

» clamas ad me[1] ? » Tumultum animi ipsius nobis hoc verbo significans.

III. Postea vero quam is etiam solutus est metus, majora iterum parabantur adversa. Nam per omne illud iter sævius atque immanius illo usi sunt ii qui ab eo regebantur, innumerisque per illum bonis fruebantur, quam fecisset Pharao ipse et Ægyptii. Ac primum quidem instabant vehementius illum suffocantes, ægyptiasque carnes requirentes, ingratique præsentia fastidiebant, et præterita desiderabant, quod erat sane omnium gravissimum. Quid enim pati poterat acerbius, si amentium insanientiumque hominum dux constitutus fuisset? Et tamen omnia Beatus ille fortiter ferebat, et nisi illos summo affectu dilexisset, tolerabile malum erat, cum pro suis tantum doluisset injuriis: cum autem erga illos non secus quam pater afficeretur, ex hujusmodi affectu aliam rursus molestiam subire cogebatur, nempe de illorum perversitate ac nequitia. Neque enim tam illum angebant contumeliæ, quam quod illi ipsi contumeliosi essent. Grave quidem revera fuerat, etiam ante cibi illius mirabilem largitionem ingratos esse: verum illi etiam inter media miracula nequitiam ostendebant suam, iniquitatem et infrenatam cupidinem, quam colligentes manna præ se ferebant, atque cum parum processissent, rursus murmurabant, rursus Dei beneficiis ingrati querebantur. Cum vero per singula quotidie peccarent, Beatus ille lugebat plus, quam illi, mœstus. Nam cum vitulum fecerunt, ipsi quidem ludebant ac lasciviebant: Moses autem lugens, ac mœrore affectus, maledictum illud terribile sibi imprecabatur, nihilque omnino ipsi persuadere poterat, ut a miserationis affectu abstineret. Cum igitur sic dilectos in deteriora semper progredi conspiceret, quanto illum in dolore, quibus lacrymis ju-

[1] Exod. XIV, 15.

giter versatum putas? Si enim unum quis tantum habens filium, vivere sine dolore non potest, cum illum semper in vitia pronum animadvertit, etiam si ipse omnibus nequior sit : is qui tot millia hominum in filiorum ordine locaverat, imovero plusquam filios amabat : nullus enim pater, sicut ille, cum filio una perire cupit, cum præcipue nihil peccaverit : is, inquam, qui tot habebat filios, mala aversans, ac bona studiose diligens, quid passus esse putandus est, cum eos omnes veluti ex quodam condicto, ad vitiorum præcipitia currere intueretur? Neque enim nisi tenebris offusus animaque ex intimo doloris sensu caligine turbata, tabulas de manibus unquam abjecisset atque contrivisset. Sed cito clades illa sedata ab eo est. Quonam, quæso, remedio? Nempe enim etiamsi curationis illo genere sanatum fuerit vulnus, ipse tamen erat semper in lacrymis. Nullus enim fere ita esset lapideus, qui nihil pateretur fratres et cognatos a suis interfici, atque ad viginti trium millium numerum eam cædem progredi conspiciens. Nos quippe cum liberos nostros in aliquo peccasse deprehendimus, tormentis quidem ac flagris illos subdimus : verum id non sine dolore facimus, nec minus, quam qui patiuntur, affligimur.

IV. Cum ergo et illum et castra maximus luctus occupasset, alia rursus anxietas adjecta est. Deus enim se non jam illis parciturum, sed eos derelicturum, Angeloque daturum illorum curam minabatur. Id vero Mosi visum est omnium acerbissimum. Audi namque quid ille ad Deum locutus sit : « Nisi ipse venias mecum, ne educas me hinc[1]. » Vides-ne ut timoribus timores, mœroresque mœroribus semper successerint? Neque tamen hactenus steterunt adversa, verum cum id quoque persuasisset Deo, annuissetque ille clementius, ac præstitisset gratiam, aliis rursus

[1] Exod. xxxiii, 13.

doloribus affligitur. Deum jam propitium illi irritantes, sese summis calamitatibus exposuerunt : nam post cædem illam lacrymabilem ita Deum rursus offenderunt[1], ut contra se incendium illud provocarent, ex quo omnes fere consumpti periissent, nisi summa erga illos clementia usus esset. Mosem vero duplex semper mœstitia angebat, quod et illos perire, et reliquos corrigi nolle, nihilque ex pereuntium casibus lucrari conspiceret. Necdum enim clades illa finem acceperat, cum ii qui reliqui fuerant, ceparum memores, datas sibi escas ægre ferebant dicentes : « Quis nos cibabit carnibus? Recordamur pisces quos in » Ægypto comedebamus, cucumeresque et pepones et » porros, et cepas et allia. Nunc autem anima nostra arescit, » nihilque oculi nostri intuentur nisi manna[2]. » Hic jam non tulit ingratos Moses, imovero dolore superatus, illorum regimen recusat, morique optat potius quam in tanta amaritudine vivere. Audi denique ipsius verba. « Et dixit, in- » quit, Moses ad Deum : Quare afflixisti servum tuum? et » quare non inveni gratiam coram te, ut imponeres im- » petum universi populi hujus super me? Num ego in utero » accepi omnem populum istum, aut genui eum? quia » mihi dicis : Accipe illum in sinu tuo, veluti nutrix lac- » tentem, in terram quam juravi patribus eorum. Unde » mihi carnes, ut dem omni populo isti? quia flent adver- » sum me dicentes : Da nobis carnes ut comedamus. Non » potero ferre populum istum solus, quoniam grave mihi » est verbum hoc. Quod si non ita facis mihi, obsecro, oc- » cide me, si inveni gratiam coram te[3]. » Ista ille locutus est, qui dixerat : « Et nunc siquidem dimittis eis pecca- » tum, dimitte : sin autem, dele me de libro quem scrip- » sisti[4] : » adeo illum mœror perturbaverat. Quod et pa-

[1] Exod. xxxiii, 16. — [2] Num. xi, 5, 6. — [3] Ibid. 11-15. — [4] Exod. xxxii, 31, 32.

rentes sæpe patiuntur, cum iis indignantur, quæ a filiis fiunt. Nam quod nec postea unquam desierit illorum misereri, liquet ex iis quæ postea gessit. Cum enim illum, post missos exploratores, occidere tentarent, ipsumque lapidibus obruere, effugiens illorum manus, rursus ad orandum pro eis convertebatur, Deumque illis propitium fieri, qui se necare cupiebant, precabatur : adeo quoque naturali amore vehementior illi inerat affectus. Itaque exploratoribus mortuis, ac ingentis adhuc luctus necdum hora præterita, rursus illi alias nectebant mœroris causas. Primo enim pugnare prohibenti non obtemperaverunt, secundo ab Amalecitis concisi sunt, et ante bellum istud et bilis et gulæ causa maxime consumpti sunt. « Nam » occidit, inquit, plurimos eorum, cum adhuc esca esset » in ore eorum[1]. » Ingenti autem hac illorum cæde inspecta, cum necdum hic dolor quievisset, alio rursus invaditur luctu, tantaque necessitate constrictus est, ut istos ipsos tam dilectos atque amatissimos, novo aliquo ac peregrino mortis genere vitam finire precaretur. Ita alii quidem erumpente igne repente incendio conflagraverunt, alii terræ hiatu absorpti sunt : neque pauci aliquot, sed plura quam quindecim hominum millia ista passi sunt. Hoc peracto, quo animo illorum cognatos et amicos adversum Mosem fuisse putandum est? quo item Mosem ipsum cum cerneret pupillos filios, et uxores viduas ex ea calamitate fieri videret : item fratrem suum ac sororem vita excessisse, illiusque filios prævaricationis alicujus causa ignis ustione periisse? Horum sane singula, nihil etiam antea perpessum animum afficere dolore potuissent, nedum tot jam malis exercitum. Ut autem Chananæo superato longum iter circumire cogebantur, rursum murmuravere Judæi rursumque periere, non jam quidem morbis

[1] Psal. LXXVII, 30 et 34.

ut prius, non igne aut hiatu terræ, sed venenatorum serpentium morsibus : qui profecto omnes perdidissent, nisi rursus accedens ad Deum Moses precibus suis ejus avertisset iram. Postea vero quam ex hac peste liberati sunt, vatisque imprecationes effugerunt, rursum se ipsos per durissima prærupta jecerunt, atque post benedictiones Balaam, imovero Dei; neque enim illius voluntatis ea verba fuere, sed moventis se divini afflatus; fornicati sunt cum alienigenarum filiabus, et initiati sunt Beelphegor. At Moses hujusmodi scelus confusionemque non ferens, eos rursus se invicem concidere ac necare jussit. « Interficite, in- » quiens, unusquisque proximum suum, qui initiatus est » Beelphegor[1]. » Non secus quam in vulnere, quod plurimis sectionibus ustionibusque susceptis, nihil melius habuerit, jubet quisque rursus quod reliquum est secare atque urere. Cæterum tu cum has difficultates audis, noli putare ista tantum contigisse : siquidem et ipse ex his quæ scripta sunt non pauca præterco, puta bella, inimicorum obstacula, longissima itinera, sororis contumeliam, ejusdem pœnas, quibus mitissimus ille Moses tunc maxime indoluit. Sed ea tamen omnia si quis diligentissime in unum congerat, ne millesimam quidem partem ex iis quæ contigerunt, scriptam fuisse putet. Si enim qui in una domo paucis præest servis, innumeras quotidie et irritationum et mœroris occasiones habet, qui tot millibus quadraginta annis præesse coactus est, idque in deserto, ubi neque aër, neque aqua erat : quot negotia singulis diebus obire cogebatur? quot curas, quot mœrores et viventibus illis, et vita functis? Vidit enim omnes, quos ex Ægypto eduxerat mortuos, præter duos viros solum : eosque qui ex illis nati fuerant, dignus habitus non est in terram repromissionis introducere. Cæterum vidit quidem eam terram ex

[1] Num. xxv, 5.

vertice montis Nabau, naturamque illius optime didicit, frui autem illa cum reliquis Israëlitis permissus non est, sed extra eam mansit ac mortuus est, idque ipse Israëlitis conquerens dicebat : « Et Dominus Deus iratus est mihi » de iis quæ dicebantur a vobis, juravitque ut non transeam » Jordanem istum, nec ingrediar in terram, quam Domi- » nus Deus dat tibi in sorte. Ego enim morior in hac terra, » nec transeo Jordanem hunc. Vos autem transibitis, et » hæreditate possidebitis terram hanc optimam[1]. » Quodque omnium erat acerbissimum, cum dolore ipsum in infernum deduxit, cum illi futura Judæorum mala præostendit, idolorum scilicet cultum, captivitatem, et calamitates innumeras, ut non solum de gestis quæ viderat, sed etiam de iis quæ necdum contigerant, affligeretur animo. Denique a prima statim ætate ita dolere ac mœrere incœpit, ut nunquam desisteret, vitamque cum mœstitia finiret.

V. At vero successor ejus Josuë, omnium, ut ita dixerim, tristium cum eo una periculum fecit. Si quid tamen illum, eo quod junior esset, effugit, hoc sane post mortem illius in eo cumulatius impletum est. Non solum autem dum viveret Moses, vestimenta scidit, cineremque capiti aspersit : sed etiam postquam ille defunctus est, eadem, imo longe majore necessitate id facere coactus est, non brevi tempore, sed die tota pronus in terra jacens. Audi utique verba etiam illius et ploratus : « Et scidit, inquit, Jesus vestimenta sua, » prociditque in faciem super terram coram Domino usque » ad vesperam, ipse et seniores Israël, miseruntque pulve- » rem super capita sua, et dixit Jesus : Obsecro, Domine, » ut quid traduxit puer tuus populum hunc trans Jorda- » nem, ut traderes eum Amorrhæo ad perdendum nos? » Utinam permansissemus, et collocati essemus citra Jor-

[1] Deut. IV, 21, 22.

» danem. Et quid dicam postquam vertit Israël terga ini-» mico ? Audiet Chananæus, et omnes qui habitant terram, » et circumdabunt nos, et delebunt de terra[1]. » Talia orantem audiens Deus causam illi, cur superati fuerant, aperuit : quam ille cum didicisset, perdidit una omnes, non eum qui peccaverat solum, sed cognatos quoque et propinquos, omnemque familiam cum pecorum multitudine. Id autem haud parum illius perturbavit animum. Nam si nos cum alienos quoque puniri cernimus, ne videre quidem toleramus : quid ille non passus est, qui contribules, et commilitones tantis afficiebat malis? Quid autem Gabaonitarum fraus tribuumque trans Jordanem habitantium suspicio ? quid perpetua bellorum atque pugnarum exercitatio ? Quem ista statum animi non evertissent ? Etsi enim vincebat jugiter, victoriæ tamen voluptatem reliquorum bellorum cura offuscabat : sortiumque distributio summos illi labores ingentesque difficultates pariebat. Norunt ista qui vel minimam substantiam fratribus, aut quibus libet alicujus hæredibus distribuendam susceperunt. Plebis autem reliquas deinceps calamitates nec referendas existimo. Neque enim est propositi nostri, ærumnas singulorum numerare, sed eorum tantum, qui Deo admodum placuere.

VI. Quocirca, si videtur, Heli omittamus, quippe et is per filiorum vitia, imovero per suam negligentiam offendit Deum. Neque enim ideo quod malos haberet filios puniebatur, sed quia ultra debitum increpationi pepercerat : et cum Dei leges violarentur, severius in illos ultus non est. Cujus rei et ipse sibi conscius, post ingentes illas minas aiebat : « Dominus ipse, quod bonum est in oculis suis fa-» ciet[2]. » Eo itaque omisso, ad Samuëlem veniamus. Is a puero nutritus in templo, Deo semper charus et gratissi-

[1] Josuë. VII, 6-9. — [2] 1 Reg. III, 8.

mus fuit tantaque virtutis indicia a prima statim ætate prætulit, ut antequam ad viriles annos evaderet, inter mirabiles Prophetas inscriberetur: idque cum ea res tunc defecisse omnino videretur. « Non enim erat, inquit, visio » discernens, eratque verbum pretiosum[1]. » Hic ergo Samuëlqui post multas lacrymas natus fuerat, primum quidem cum intueretur magistrum in mortem illam miserabilem devectum, ita confusus utque turbatus est, ut decebat gratum amicumque discipulum. Postea judaïcas calamitates flere cogebatur. Porro filii ipsius cum iniqui et mali essent, atque ad culmen iniquitatis pervenissent, et hoc ipso mœrore illum afficiebant, et quod sibi præstiti honoris hæredes esse non possent. Successit huic mœrori, imovero non successit, cum prior nondum quievisset, sed adjectus est alius, Israëlitarum scilicet injustissima petitio. Qua in re ita concidit, ut ingenti consolatione indigeret : audi itaque quid illi dixerit Deus : « Non te spreverunt, » sed me[2]. » Post hæc tamen iste parcebat illis, ita ut diceret: « Mihi autem absit ut peccem, et desistam pro vobis » orare[3]. » Istos igitur ita dilectos a se cum opprimi conspiceret, atque in bellis superari, Deumque contra se provocare: quam sentire voluptatem poterat? quidnam temporis absque mœrore et lacrymis vivere? Cum vero Saül constituisset regem, alterni ipsi perpetuique gemitus adjiciebantur. Namque cum sacrificium ille præter Dei voluntatem obtulit, et cum superatis Amalecitis, illorum pepercit regi, idque contra jussionem Dei : ita animo perculsus est, ut ex eo jam non viderit virum, sed usque ad ultimum diem de eo luxerit, et lacrymatus sit, quando etiam ob doloris vehementiam a Deo increpatus est. « Quousque enim, inquit, tu luges Saül, et ego repuli il- » lum[4]? » Si autem his ita contingentibus lugebat, quo

[1] 1 Reg. III, 1. — [2] Id. VIII, 7, et seqq. — [3] Id. XII, 23. — [4] Id. XVI, 1.

animo tunc fuisse existimandus est, cum tot sacerdotes sine causa interfecit? quando cum qui se multis beneficiis nullisque injuriis affecerat, secundo ut interficeret profectus est? quando nudum illum prophetantem, ac decidentem vidit, cum audivit David in familiari congressu multa contra illum conquerentem?

VII. Postquam vero de David mentionem feci, nescio quid agam, lamenta-ne illius longa et assidua quæ in Psalmis scripta sunt, in medium adducam? an ista tibi in otio recensenda permittens, ipsius potius calamitates explicem? Is igitur plurima quidem, cum greges pasceret, adversa perpessus, adversusque aëris intemperiem, et beliuarum feritatem reluctatus est. Quorum alterum ex iis quæ Jacob dixit, alterum ex iis quæ ad Saül de leone et ursa locutus est, possumus animadvertere. Postea vero quam omissa vita illa pastorali belli negotia intempestivus miles arripuit, omitto fratrum invidiam, etsi molestissima ea res fuit, cum clarissimam illam admirabilemque victoriam adeptus esset, vehementiorem dejecto Goliath invenit inimicum Saül, cum a se beneficiis affectus esset. Neque enim palam adversus eum præliabatur, sed amantium sibi personam assumens ipsiusque honori et dignitati prospicere se simulans, ita adversus illum inimici more affectus erat. Porro quantum malum sit pro bonis mala recipere, audi beatum Prophetam lamentantem jugiter, et ægre ferentem ac dicentem: « Si redduntur mihi mala pro bonis[1]. » Sane etiam nullo alio præsente malo, illud solum molestissimum erat, quod dux exercitus suspectum se cerneret regi, qui se torvis oculis intueretur. Ecquid dico dux exercitus regi? nam si idipsum nos a servis patiamur, indigne ferimus. Cum autem ex odio insidiis vitam impetunt, quæ vita illa acerbior fuerit? Ferebat tamen ille omnia et to-

[1] Jerem. XVIII, 20.

lerabat, aderatque illi qui se perimere meditabatur, atque illius bella gerebat. Postea vero quam recessit atque a belli curis se ipsum removit, hoc ipso quidem quod se procul removerat, apertasque inimicitias constituerat, nonnihil plus fiduciæ habebat : verum cum adversus tantas copias cum quadringentis viris dimicare cogeretur, metu ampliore quam prius tenebatur. Nam cui neque urbes, neque munimentum, neque socii, neque reditus erant : considera quo animo erat, cum adversus fretum his omnibus pugnare cogeretur, nec præter deserta et speluncas, quo confugeret, reperire posset. Nam cum urbem Ceïla nomine occupasset[1], ex ea protinus resiliit, sacerdotis responsis admonitus : quod si illic manere pergeret, Deus illum e Saülis manibus non erepturus esset. At vero sacerdos ille ipse erat, qui Saülis manus effugerat, et qui cladem luctuosissimam quæ in Nomba contigerat, annuntiavit regi, quando in amarissimam quoque illam erupit vocem : « Ego enim sum reus cunctarum animarum domus patris » tui[2]. » Itaque cum illo jugiter congressus, nihil aliud erat quam luctus illius monimentum. Cum enim in illum intuebatur, necis sacerdotum semper meminerat. Porro ipsius cædis memor, ejusque causam sibi imputans, damnatis omnibus infelicius degebat. Etsi enim nihil aliud illum perturbasset, sufficere id poterat ad vulnerandum suffocandumque animum, quod se ipsum tot sacerdotum peremptorem existimaret. Hac vero cogitatione saucius, quæ diu noctuque plusquam tinea ipsius corrodebat animum, et alia deinceps vulnera continua ac perpetua suscipiebat, quippe cum Nabal per servos suos eum contumeliis afficeret, fugitivumque, perfugum atque ingratum servum appellaret, non sine dolore verba illa percepit. Et cum ad Anchus profectus insanum se simulans concideret[3], versaret-

[1] 1 Reg. XXIII. — [2] Id. XXII, 22. — [3] Id., XXIX, 1.

que oculos, atque spumæ plurimum ex ore dimitteret, longe amplius cruciabatur, quam illi qui revera corripiuntur a dæmone, cum secum reputaret in quam ille se necessitatem deduxisset, quem summis beneficiis foverat. Cum vero paululum apud hostes quievisset, esseque in hostem illorum deducendus exercitus, invidia commoti adversus eum Satrapæ, atque illi apud regem suum detrahentes, suo illum exercitu deturbant, veluti inutilem sibi, et insidiatorem proditoremque futurum. « Irati sunt, in» quit, adversus illum Satrapæ alienigenarum, dixeruntque » regi : Emitte virum, et revertatur ad locum ubi tu illum » statuisti, nec veniat nobiscum ad bellum, et non sit insi» diator in castris. In quo enim iste reconciliabitur domi» no suo, nisi in capitibus virorum illorum[1] ? » Quibus ille verbis perculsus, accepta summa contumelia recessit mœrens, ac domum rediens, tanta mala offendit, ut pene mœrore suffocaretur. Quæ enim tunc contigerunt adversa, ea erant, ut possent prævisa etiam illius animum tenebris obducere. Porro ex insperato supervenientia duplo, quam erant, graviora videbantur, neque jam tolerabilia. Abierat enim ille quasi quicturus domi, mœroris præteriti consolationem inventurus, uxores scilicet ac liberos : cum repente, audivit illos in servitium ab hostibus abductos, viditque ignem, fumum, sanguinem, cadavera, atque antequam istos lugeret, captivosque defleret, irruunt in eum feris omnibus immanius habitatores civitatis, quærentes singuli casuum suorum consolationem ex illius capite. Et quemadmodum cum venti contrarii in mare irruunt, ingens et sæva procella ex ea pugna concitatur : ita et tunc tristitia et metu Justi hujus perturbantibus animum tempestas maxima, tumultusque harum passionum invicem se collidentium jugiter inerat. Cum autem, his elapsus

[1] 1 Reg. xxix, 4.

malis uxores ac natos captivitatemque omnem recepisset, antequam victoriæ illius voluptate frueretur, mœstissimo percussus est nuntio, mortem Jonathæ comperiens : quæ illius animum tanto dolore prostravit, quantus ex illius lamentatione cognoscitur. « Incidit enim, inquit, super » me dilectio tui, quasi dilectio mulierum[1]. » Quid autem lamentationes prosequar? Qui enim patrem illius insidiatorem suum atque inimicum, et qui millies mortem suam concupierat, ita flevit : quid passus existimetur, cum illum, qui sibi in illis periculis semper astiterat, ac sæpissime patris insidiis eripuerat, secretorumque suorum particeps fuerat, cum quo pacta plurima inierat, cum illi acceptorum beneficiorum vicem restituere valeret, tum e vita decessisse didicit.

VIII. Cum adhuc vigeret illa perturbatio, alio rursus mœrore dux illum suæ militiæ excruciat, dum Abenner, qui sine labore, imo et cum facilitate omni totum illi exercitum se præbiturum pollicitus fuerat, ante impletam pollicitationem occupans, fraude interimit. Cui cædi in tantum condoluit, ut ex tunc mala Joab imprecaretur, et ipso mortis suæ tempore filio imperaret, ut ultionem ab eo tanti sceleris exigeret : at verba ipsa lamentationis suæ perturbationem animi illius facile nobis insinuare possunt. « Elevavit enim rex, inquit, vocem suam, ac flevit super » tumulo Abenner, et dixit : Si secundum mortem Nabal » morietur Abenner, manus tuæ non fuerunt vinctæ, neque » pedes tui in compedibus, neque accessisti sicut Nabal : » coram filio iniquitatis corruisti[2]. » Quid igitur post hæc? Dolo interficitur Memphibosthe, successitque hinc mœror; quippe et illum ita luxit postea, ut interfectores ejus morte multaret : cohors item claudorum objecta, illum immodice turbavit[3]. Eis tamen aliisque hostibus nonnullis su-

[1] 2 Reg. I, 26. — [2] Id. III, 33, 34. — [3] Id. V, 6.

peratis, arcam ingenti cum lætitia reducere instituit. Verum cum ea reduceretur, gaudentibus omnibus, in medio lætitiæ, res contigit, quæ voluptatem obscuraret omnium, regisque animum ingenti dolore ac metu confoderet. Oza enim cum vellet arcam labantem erigere, Dei confestim iracundia percussus ac mortuus est: usque adeo autem regis animum metus iste commovit, ut non prius auderet arcam ad se introducere, quam addisceret quonam modo erga eum se gereret, qui illam susceperat Abeddara[3]. Postea mortuo Ammanitarum rege, rem boni ac benigni hominis faciens, misit qui consolarentur filium ejus, persuaderentque patris obitum patienter tolerare. Tum ille pro honore suscepto, injuriis abeuntes prosecutus dehonestatos remisit ad regem. Parum-ne hoc tibi videretur ad feriendum dejiciendumque animum? Annon bellum hinc et non alia de causa secutum id ostendit, quod in tantum vehementiæ progressum est, ut innumeris illum malis afficeret. Sufficere quidem et ista poterant, etiamsi eis quispiam innumera jucunda permisceat, ad illius vitam inter eos numerandam, qui in luctu et miseriis vixerunt: at talia postmodum secuta sunt, ut nec olim vere tristia pati cœpisse videatur. Quippe fabulas omnes, omnemque tragœdiam vicerunt regis hujus calamitates: adeo portentosa et frequentia domui ejus contigere mala, cum calamitates aliarum calamitatum remedio curarentur. Considera, quæso: Adamavit sororem Thamar Amnon, amatam vi oppressit, oppressam odio habuit, eamque violationem nefariumque concubitum, ipse patefecit alicui ex servis mandans, ut invitam pelleret domo, ac per plateam emitteret clamantem, plorantemque. Id cum didicisset Absalom, ad prandium fratres invitat universos, inter quos et stuprator ille sororius aderat, edentem illum cum

[3] 2 Reg. VI.

cæteris atque bibentem per servos jugulat. Inde quispiam exurgens, nec plene rei gestæ ordinem noscens ob tumultum, regi mortuos omnes illius filios annuntiat. Tunc ille sedens filiorum, quæ non erat, lugebat cædem. Postquam rem vere gestam novit, filio quidem interminatus est mortem; cum vero ille effugisset, totumque triennium in aliena vixisset regione, toto illo tempore rex permansit iratus: et ne tunc quidem illum accercisset, nisi eum ducis sui sapientia flexisset. Eo autem accersito, nec sic quidem extincta est doloris flamma, sed duos rursus annos illum aspectu removit suo, vixque post adeo prolixum tempus a duce exoratus, suis illum aspectibus dignatus est. At vero ille harum rerum memoria indignatus, sive alias tyrannidem affectans, insurgit in patrem, illumque rursus ad fugas erroresque, quos perpessus erat sub Saül, revocat: imo illi multo molestior ea fuga, quam prior fuit. Nam prius quidem dux cum esset, ista perpessus est: nunc autem cum annis plurimis regnasset, hostesque fere omnes superasset, migrare cogebatur, ac profugus fieri: qui autem illum profugum agebat, non alienus quispiam, sive hostis erat: sed qui ex ipsius utero egressus fuerat, sicut et ipse lamentabatur plorans. Et olim quidem cum in fervore esset ætatis, ferre universa fortiter poterat: nunc autem illo tempore emenso, quando senectutis suæ solatium scelestum illum habere debuerat, tunc maxime insidiosum, sibique infestissimum sentiebat. Egrediebaturque cum paucis, pedibus nudis rex, se præ pudore occultans, ac lacrymas fundens. Bellum quippe illud non calamitatis tantum, sed confusionis quoque materia illi erat. Tanto enim contumeliosius quam Saül, impius filius cum Beato illo tunc agebat, ut patris quoque concubinas violaret: idque non clam, sed in solario domus videntibus omnibus, ut jura naturæ legesque concubitus per nimiam,

qua in patrem ferebatur insaniam, perverteret: atque amentia ebrius, bello nec dum confecto, quasi jam vicisset, captivosque duxisset adversarios, ista audebat, ac præ se ferebat. Sic igitur mœstum et metuentem Siba cum invenisset, turbavit amplius, dominum calumniatus suum, asserensque illum tyrannice sentire.

IX. Huic successit Semeï vir quidam sceleratus et ingratus, innumerisque illum probris respersit, verbis lapides admiscens. « Egredere, inquiens, vir sanguinum, et » vir nequam. Convertit in te Dominus omnem sanguinem » domus Saül, qui regnasti pro eo, et dedit Dominus reg- » num in manu Absalom filii tui, ostenditque tibi malitiam » tuam, quia vir sanguinum es tu[1]. » His ille auditis atque toleratis, tabescebat quidem; quod ex ipsis lamentis manifeste comprobatur: verum nihil ultra facere audebat. sed cum dixisset: « Dimitte illum maledicere mihi: Do- » minus enim dixit illi, ut videat humilitatem meam, re- » tribuatque mihi Dominus bona pro maledictione diei » hujus[2], » vivum ab se abire permisit. Ipse autem Chusi adventum præstolabatur, sollicitusque ac tremens rei expectabat exitum. Ut autem et ista nuntiata sunt, bellum instruebatur, bellis omnibus quæ unquam contigerunt insolentius, ænigmati quam veritati similius. Eum enim qui causa fuerat malorum omnium, ejusque belli totam materiam præbuerat, et quo mortuo adversa omnia finiebantur, eum, inquam, ducibus suis tota providentia et cura commendabat, ista illis jugiter replicans: « Parcite, aie- » bat, filio meo Absalom[3]. » Quid hac hæsitatione et ambiguitate deterius? Quid ea difficultate miserabilius? Suscipere bellum cogebatur, in quo et vincere et vinci æque illi molestum erat. Nam neque superari volebat, qui tantas copias emiserat: neque rursum superare, qui belli auc-

[1] 2 Reg. XVI, 7, 8. — [2] Ibid. 10. — [3] Id. XVIII, 5.

torem necari prohibebat. Verum discreto bello, ac fine quem voluit Deus consecuto, ac parricida illo interfecto : reliquis omnibus in lætitia et gaudio agentibus, solus rex lugebat et lacrymabatur, ac se ipsum includens defunctum compellabat filium : ferebatque graviter, quod pro illo ipse non occubuisset. « Quis enim, aiebat, mihi mori »pro te dabit, Absalom fili mi[1]? » Quid hac calamitate perplexius unquam auditum est? Quando fratrem ille necaverat, ipsum interficere quærebat : quando autem contra se vesanus ferebatur, tunc filio parcebat. Neque flere quidem destitisset mortuum, nisi ingressus Joab indignitatem rei arguisset, ac vehementius alloquens erexisset illum, exercitumque decenti habitu suscipere persuasisset. Ne tum quidem clades suæ finem acceperunt, sed primo adversum se versi in seditionem milites divisique sunt. Postea vero quam vix et per summas blanditias cessarunt, resilientes rursus adjecti sunt Sabee, bellumque aliud conflari cœpit, cum adhuc prioris reliquiæ remanerent : quibus rebus perturbatus David, coactis copiis eas cum ducibus misit: Joab autem et ex hoc bello peracta victoria non permisit victoriæ voluptatem sine mœrore contingere. Namque ducem una secum constitutum, qui omnem populum subjecerat Davidi, innocentem, et qui in nullo se læserat, invidiæ stimulis agitatus occidit. Quæ res ita gravis ac molesta fuit regi, ut filio moriens mandarit, Amessæ sanguinem ulcisci. Quod vero longe gravius est, ita affectus, neque mœroris sui causam dicere audebat, eo quod adversus innumera incommoda jam obluctatus esset. Etenim post bellorum tumultus, fames cunctam regionem excepit, et cum ejus mali solutionem quæreret, cogebatur filios Saül ad mortem tradere. Quippe hoc cœleste oraculum præcipiebat : « Super Saül, inquiens,

[1] 2 Reg. XVIII, 33.

» et super domum ejus hæc injustitia, eo quod Gabaonitas » morti addixerit[1]. » Quod si quis recolat, quantum Saülis mortem defleverit, animadvertet quid tum quoque passus sit, cum filios tradidit Gabaonitis. Attamen et ista tolerabat, ulteriusque calamitates procedebant. Nam post famem protinus insurrexit pestis, ceciderunt que in dimidio diei septuaginta millia virorum, quando miseranda illa verba locutus est rex. Cum enim vidisset Angelum districtum gladium tenentem, dicebat : « Ecce ego pastor peccavi, » et ego pastor male feci : isti, qui sunt grex, quid fecerunt? » sit in me manus tua, et in domum patris mei[2]. » Denique ipsius ærumnas diligentius enumerare possibile non est : neque enim omnes conscriptæ sunt, verum ex ipsius lamentis et gemitibus possumus conjicere calamitatum quoque omissarum magnitudinem, utque Justus ille nunquam plangere ac dolere desierit. Quid enim ille ait? « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si » autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum, » labor et dolor[3]. » Sin vero tu dixeris, per hæc illum verba non suam solum, sed communem vitam omnium reprehendisse : plus aliquid quam ego velim concedis, plurimisque nos controversiis liberas, ipse consentiens non illius solum, sed ne alterius quidem cujusquam vitam inveniri posse, cujus non multo sint plura tristia, quam jucunda. Siquidem ille, ut tu quoque rite confiteris, non suas solum calamitates, sed aliorum quoque in commune considerans, ita demum hanc sententiam tulit, eadem quæ patriarcha locutus, nisi quod iste majori cum vehementia, Quam enim ille de parte, hic de omnibus protulit. Aiebat ille : « Parvi et mali sunt dies mei[4] : » hic autem, « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni : »

[1] 2 Reg. XXI, 1. — [2] Id. XXIV, 17. — [3] Psal. LXXXIX, 10. — [4] Gen. XLVII, 9.

hoc est, omnium hominum, « Et amplius eorum, labor et » dolor. »

X. Verum enim vero hæc, ut dixi, tibi diligentius in otio examinanda relinquens ego, ad Prophetas veniam reliquos : tametsi nusquam vitam suam illi nobis conscriptam reliquerunt, ob malorum tamen quæ illos oppresserunt magnitudinem, vel ex uno verbo omnem illos vitam in laboribus, ærumnis, et doloribus egisse reor ostendi posse. Ac primum, quod commune illis omnibus fuit, torti, verberibus affecti, secti, lapidibus obruti, carceribus inclusi, in occisione gladii morientes, circumeuntes in melotis et pellibus caprinis, egentes et pressi, et afflicti per omnem vitam perstiterunt[1]. Ad hæc aliam quoque mœroris adjectionem hac acerbiorem habuere, quod illorum nequitiam, qui se ita afficiebant, semper ad deteriora progredi intuerentur. Qua ex re longe plus, quam ex ærumnis angebantur. Et alius quidem aiebat : « Execratio et mendacium, et » furtum et adulterium, et homicidium effusa sunt in terra, » et sanguinem super sanguinem admiscent[2] ; » per hæc verba malitiæ licentiam perplexitatemque et copiam nobis insinuans. Alius rursus clamabat ; « Væ mihi, quia factus » sum sicut qui colligit stipulam in messe, et sicut race- » mum in vindemia, cum non adsint botri[3] : » per hæc raritatem bonorum hominum deplorans. Item alius alia similia queritur. Porro caprarius ille non eorum vitia lugebat solum, verum plus in illorum calamitatibus, quam in suis tentationibus mœrebat, ac Deum obsecrabat, dicens : « Propitius esto, Domine, qui ssuscitabit Jacob, quia par- » vulus est ? Pœniteat te, Domine, super hoc[4]. » Et ne sic quidem precum suarum effectu potitus est. Dixit enim, « Et » non fiet, dicit Dominus. » Hesaïas vero cum audisset, quia deserta erit omnis terra, ne consolari quidem voluit,

[1] Hebr. xi, 37. — [2] Osee. iv, 2. — [3] Mich. vii, 1. — [4] Amos. vii, 2.

sed assidue lugebat, dicens : « Dimittite me, amare flebo, » nolite contendere, ut consolemini me[1]. » Jeremiæ autem lamentationes et seorsum conscriptas, et per omnem prophetiam dispersas, ac partim de civitate, partim de se ipso compositas, quis possit sine lacrymis legere? Nam nunc quidem aïebat : « Quis dabit capiti meo aquam, et » oculis meis fontem lacrymarum, et plangam populum » istum die ac nocte? » Nunc autem : « Quis dabit mihi in » deserto mansionem extremam, et derelinquam populum » istum, et recedam ab eis? Omnes enim adulteri sunt[2]. » Nonnunquam vero mœrens clamabat : « Væ mihi, mater, » ut quid me genuisti virum, qui discernat, et dijudicet » omni terræ[3] ? » Aliquando diei quoque nativitatis suæ maledixit, dicens : « Maledicta dies, in qua natus sum in » ea[4]. » Sed et cœni lacus, et vinculorum pressuræ, et verbera, et insidiæ, irrisionesque perpetuæ ita illum excruciabant, ut jam pene desperaret. Quid autem quando capta urbe, providentia et honore a barbaris dignatus est? num ista sentiebat? Imovero tunc maxime amara illa lamenta conscripsit, mortuos et abeuntes lugens. Neque minora illi visa sunt sequentia mala præteritis, cum ii qui ex bello reliqui fuerant, rursus per sua scelera Deum irritarent. Cum enim polliciti essent se illi per omnia obtemperaturos, nihilque reluctaturos, in Ægyptum rursus descenderunt, oraculo contraria præcipiente : Prophetamque secum deduxerunt, ac per suam ingratitudinem illum sibi longe graviora prioribus dicere atque imprecari coëgerunt. Quid vero Ezechiel? Quid Daniel? nonne in captivitate tempus omne vixerunt? Quorum quidem prior fame ac siti pro alienis cruciabatur malis, uxoreque defuncta eum casum absque lacrymis perferre jubebatur. Porro quid gravius dici possit, quam in suis adversis casibus ne flere

[1] Isaï. xxii, 4. — [2] Jerem. ix, 1, 2. — [3] Id. xv, 10. — [4] Id. xx, 14.

quidem permitti? Omitto autem modo, quod in fimo panem suum comedere coactus sit, et quod super unum latus centum et nonaginta diebus jacere, aliaque hujusmodi tolerare sit jussus [1]. Etsi enim illi ex iis quæ vel omisimus, vel diximus, nihil triste contigisset : certe id solum quod inter hostes ac barbaros impurosque homines vir justus et sanctus jugiter versatus sit, omni erat illi supplicio acerbius. At veto Daniel summis quidem honoribus frui, et quasi non in captivitate, sed in regia jugiter versaretur aula, esse potentissimus videbatur. Cæterum si quis illius orationem audiat, jejuniumque consideret, facieique immutationem, ac juges precationes, agnoscatque diligenter quorum gratia ista faciebat : animadvertet hunc omnium maxime in doloribus angoribusque vixisse. Neque enim illum præsentia tantum mala excruciabant, verum et futura perturbabant : quæ etiam cum nectum contigissent prænoscere dignus est habitus, atque propheticis oculis aspicere. Cumque necdum priori servitute liberatos Judæos cerneret, aliam illis rursus captivitatem prævidere cogebatur : et quæ nondum ædificata fuerat, eam urbem capi cernebat, sacrificiisque contaminatum templum ac desolatum, omnemque eversam sanctificationem : idcirco lugebat et lacrymabatur, dicens : « Nobis confusio faciei, » et patribus nostris, quia peccavimus tibi, Domine [2]. »

XI. Verum nescio quo pacto me pene inter Prophetas effugerat cœlestis ille animus, qui sic in terra versabatur, ut in cœlo semper esset. Nihil enim illi terrenum præter meloten erat. Quid igitur summus iste atque admirabilis vir, si virum illum vocare oportet? Nam post ingentem illam fiduciam, qua adversus Achab usus fuerat, post ignis illam e cœlo demissionem, post necem sacerdotum, posteaquam clauserat et aperuerat cœlum, quo tempore

[1] Ezech. IV, 12. — [2] Baruc. I, 15. — [3] 3 Reg. XIX.

utrumque voluerat, post tanta ac talia recte facta et signa fiduciæ, ita metu mœrorisque magnitudine detinebatur, ut hæc verba loqueretur : « Tolle animam meam a me : » non enim sum melior ego quam patres mei [1]. » Ista ille, qui hodieque necdum mortuus est. Neque istud solum, sed in desertum profectus obdormiebat, præ doloris ac mœroris onere lassus ac fatigatus. Porro hujus discipulus non solum spiritum magistri duplicem accepit, sed et pressuras longe etiam majores. Hos denique paulo ante beatus Paulus ostendens, illorumque ærumnas enumerans, aiebat : « Quibus dignus non erat mundus [2]. » Peropportune nunc Pauli fecimus mentionem : qui enim per se solus inspectus ad consolandum sufficere posset, hic post alios veniens, cujus non dolorem ac mœrorem evanescere faciat? Ejus nempe famem, sitim, nuditatem, naufragia, desertique habitationes, timores ac pericula, insidias, carceres, verbera, vigilias, innumeras mortes, et alia quæ prædicationis causa perpessus est, ne referenda quidem arbitror. Ista enim etsi pressuras illi exhibebant, non tamen erant absque voluptate quadam. At vero quando illum Asiatici omnes aversati sunt, quando Galatæ perversi sunt, gens integra, et eatenus acceptabilis, quando suam Ecclesiam Cofinthii plurimas in partes sciderunt, fornicatorique teterrimo per suas blanditias pudoris quoque sensum abstulerunt : quid illum perpessum putas, quantas illius animo tenebras offusas arbitraris? Sed quid nos ista conjecturis colligimus, cum illius verba audire liceat? Corinthiis enim scribens, dicebat : « Quoniam ex multa » tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas » lacrymas. » Et rursum : « Ne forte cum venero, humiliet » me Deus, et lugeam multos qui ante peccaverunt, et » non egerunt pœnitentiam [3]. » Galatis vero : « Filioli, in-

[1] 3 Reg. xix, 4. — [2] Hebr. xi, 8. — [3] 2 Cor. ii, 4, et seqq.

» quit, mei, quos iterum parturio, donec formetur Chris-» tus in vobis[1]. » De Asiaticis vero scribens ad discipulum, queritur et ingemiscit. Neque enim ista solum tunc illum mœrore afficiebant, sed et datus illi stimulus ita eum vexabat atque affligebat, ut sæpe pro hujus absolutione Deum deprecatus sit. Quod enim hic ait, « Ter[2], sæpius significat. Prorsus vero quando ille respirare potuit, qui fratris quoque absentiam lugebat? « Ex eo enim, ait, quod » non inveni Titum fratrem meum, non habui requiem[3]. » In alterius item morbo hoc idem passus est : « Deus enim » misertus est ejus, » de Epaphra scribens Philippensibus, « Non illius autem solum, sed et mei, ne tristitiam super » tristitiam haberem. » Et de seductoribus, ac sibi reductantibus graviter mœrens, ad Timotheum scribit : « Alexan-» der, inquiens, ærarius multa mihi mala ostenit, reddat » illi Deus juxta opera sua[4]. » Quam igitur iste vel brevem mœroris ac doloris habere requiem poterat? Neque enim ea sola quæ dicta sunt, obsidere animum ejus poterant, sed et alia quæ mœrorem illi assiduum præbebant. Et ea rursus ipse aperuit, cum dicit : « Præter ea quæ fo-» ris sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium » Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis » scandalizatur, et ego non uror[5] ? » Si igitur ille per singulos eorum, qui scandalizabantur, urebatur, profecto ea adustio extingui ex illius animo non poterat. Neque enim unquam deerant qui scandalizarentur, ignique illius materiam subministrarent. Nam si et urbes et gentes sæpe integræ lapsæ sunt, multo sane magis unum semper et alterum qui hæc paterentur, inveniri necesse erat, cum tot essent Ecclesiæ per orbem. Concedamus autem, si placet, neque scandalizatum fuisse aliquem, neque ab eo dis-

[1] Galat. IV, 19. — [2] 2 Cor. II, 13. — [3] Philip. II, 27. — [4] 2 Tim. XIV. — [5] 2 Cor. XI, 29.

junctum aliquando, neque aliud aliquid hujusmod tristium illi contigisse, ne sic quidem mœrore vacuum invenire poterimus. Qua in re nullus iterum testis aptior occurrit, quam ipse qui passus est. Quid enim ille ait? « Optabam » anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis » meis secundum carnem, qui sunt Israëlitæ[1]. » Quod autem dicit, hujusmodi est : Optabilius mihi erat in gehennam incidere, quam Israëlitas infideles et incredulos videre. Hoc enim est; « Optabam anathema esse. » Is autem qui eligebat gehennæ cruciatum, ut Judæos omnes ad fidem posset inducere, liquet profecto quod non potitus voti sui, gravius afficiebatur, quam ii, qui in gehenna cruciantur : quandoquidem potius hoc quam illud cupiebat.

XII. Tu velim per singula quæ dicta sunt, non solum materiam cogites, ex qua mœstitia viris illis gignebatur, sed mensuram etiam doloris, multo illum majorem aspicies, quam tuus sit. Quod enim modo quæritur, hoc est, gravius-ne illi angerentur : porro mœstitiæ mensura non ex occasione qua nata est solum, sed ex verbis etiam et rebus probari consuevit. Nam plurimi cum solum amisissent pecunias, magis, quam modo charitas tua, doluerunt, atque ex iis alii se aquis suffocaverunt, alii laqueo sibi vitam extorserunt, detrimenta non ferentes. Aliorum vero etiam oculos mœroris hujus vis ac magnitudo cæcavit. Et certe longe levius ac tolerabilius videtur pecunias amittere, quam perturbari a dæmone : sed tamen plurimi cum hæc fortiter tulissent, ab illo superati sunt. Neque enim velim ista nunc ex animo tuo metiaris, neque quoniam tu pecuniarum detrimenta irrides, alios etiam ita affectos arbitreris. Quippe earum amissio plurimos in insaniam, et summa detrimenta perduxit. At enim fortem animum, neutrum horum dejicere valet : imbecillis vero ac sæculo

[1] Rom. IX, 3.

addictus, illo potius quam isto cruciatur. Cur id? Quia idem non est, famem semper metuere, et paucis diebus agitari hoc morbo. Nam hic quidem brevi temporis parte fit violentia omnis, non secus quam febris cujusdam, aut rigoris, vel alterius imminentis periculi, imo minus temporis occupat, quam ista omnia. Sed fortasse vincit vehementia? Atqui plurimos tibi possem equidem ostendere laborantes febribus, qui cum eo igne corripiuntur, multo magis quam ii, qui perturbantur a dæmone, exagitantur. At vero indigentiæ metus, ne desint necessaria, veluti vermis assiduus jugiter perturbans atque assidens, pauperum cor rodit animum. Et quid ego paupertatem dicam? Omnes hominum calamitates si dinumerare velimus, non ipsi solum, sed tu quoque lamenta tua ac ploratus fortasse ridebis. Denique non solum omnes, sed ne brevissimam quidem earum partem eloqui nobis possibile esset. Neque enim scimus illas, neque si sciremus, tempus omne narrationi sufficeret : verum paucas ex plurimis pro viribus colligens, ex his tibi eas etiam quæ dictæ non sunt, conjiciendas relinquam. Memento, quæso, senis illius amicissimi, Demophilum dico, ex magna illustrique familia. Hic jam quintum et decimum annum agit, ex quo nihil facere plus potest, quam mortui, nisi quod tremit jugiter et loquitur, sensumque perfectum suorum habet malorum. Cæterum in summa paupertate vitam agit, ministro tantum uno adolescente comitatus, bono quidem, ac domini sui studioso; non tamen qui calamitatem illam solari possit. Neque enim inopiam juvare potest, neque resolutionis tremorem sistere, sed buccellam tantum ori domini apponere; quippe neque ad hoc illum juvare possunt manus; et offerre calicem, et purgamenta narium abstergere prævalet, aliud autem plus inferre nihil. Et iste quidem, ut dixi, quindecim jam annos in ejusmodi ærumnis degit: ego

autem illum considero, qui triginta et octo annis hoc morbo detentus fuerat[1]. Tu velim præterea Aristoxenum quoque ex Bithynia cogites. Huic enim corpus nondum resolutum est ut illi seni, verum languor alius imminet, longe paralysi illa molestior. Namque alvi contractiones quædam doloresque tormentis omnibus acerbiores, nunc quidem verubus omnibus acutius pungentes, nunc igne vehementius urentes, diebusque singulis ac noctibus eum exagitantes, apud ignaros ejus morbi vesanum illum videri faciunt; adeo torquent illius pupillas, adeo manus pedesque contrahunt, mutum illum constituunt. Porro clamores illius, ac gemitus; nam post illam privationem vocis nonnunquam in clamorem erumpit; lamenta parturientium superant, adeo ut sæpius ii etiam, quibus longinquius ab illius habitaculo remotis infirmi sunt, præ vigiliarum tædio turbati mittant culpantes, quod ex illius clamoribus infirmis suis deterius sit. Illi vero non ex longinquis intervallis, sed sæpius diebus singulis ac noctibus contingit, sextusque jam hic annus vertitur, ex quo molestissimo huic flagello addictus est, neque servus ullus adest, qui curam ejus habeat; neque medicus, qui consoletur : id, propter inopiam: istud quia superat omnem artis industriam is morbus. Plurima enim plurimi cum egerint; erat enim antea pecuniis fretus; nihil profecerunt. Quodque his omnibus gravius est, neque amicorum aliquis eum jam videre vult, sed eum omnes deseruerunt, et ii qui plurimis antea ab eo beneficiis fuerant affecti. Quod si quis unquam ingreditur, protinus resilit : tanto fœtore domus illa plena est, eo quod nullus adsit, qui curam ejus gerat. Una enim et sola illi ancilla assidet, tantum illi ministrans, quantum potest mulier, cum sit et sola, et ex opere manuum vivens. Quænam ergo dæmonum vexatio illius

[1] Joan. v.

ærumnis comparari potest? Etsi enim eum horum nihil perturbaret, quid non pateretur considerans adeo prolixum tempus, quo jam in lectulo decubat, ingentesque sumptus, qui se in supremam redegerunt inopiam, amicorum contemptum, famulorum atque obsequentium solitudinem : et id quod maxime nunc doles, certamque nullam fiduciam habet, an finem clades istæ habituræ sint : imovero certam notitiam, quod se vivente ac spirante nunquam finientur? Quippe ejus morbi vis, et quotidianus in deteriora progressus, hoc pollicentur.

XIII. Verum ne per singulos enumerans eos qui hujusmodi adversis casibus afflicti sunt, fastidium legentibus faciam : perge, quæso, ad illum cui xenodochii cura permissa est, ac jube te ad ibi jacentes introduci, ut omnem morborum inspicias radicem, novaque infirmitatum genera, omnesque materias mœroris. Inde te ad carcerem confer, cunctisque illius habitaculi diligenter exploratis, proficiscere ad balnearum vestibula, quo in loco, fimo et stipula pro vestibus et domo utentes jacent nonnulli nudi, frigore, morbo, fameque perpetua obsessi, aspectuque solo, ac tremore corporis, et sonitu se collidentium dentium, prætereuntes ad misericordiam flectentes, neque vocem emittere, neque manum extendere valentes, eo quod jam his malis penitus attriti sunt. Neque hactenus persistas velim : sed ad pauperum diversorium, quod ante urbem est, egredere : perspicies profecto eum, quo nunc detineris, mœrorem portum esse tranquillissimum. Quid enim dicere necesse est, vel elephantia consumptos viros, vel cancro mulieres? Ambo enim isti morbi et longi sunt, et insanabiles. Horum vero uterque quos occupaverit, suis urbibus eliminat, neque lavacri eos, neque fori, neque alterius cujuspiam intra positi loci participes fieri fas est. Neque istud solum acerbum est, verumetiam, quod

neque confidere possunt, necessaria victui sibi non defutura. Quid vero illos memorem, qui frustra sæpius ac sine causa ad metalla damnati sunt? Nempe isti omnes multo graviore dolore cruciantur, quam qui a dæmone corripiuntur. Si vero non credis, nihil mirum est. Nostra enim non eadem sententia, qua aliena incommoda judicare consuevimus: cum illa quidem verbo solum et aspectu, nostra vero experimento, ac sensu, cum nostri ipsorum miseratione conjuncta, didicerimus. Atque idcirco ista graviora esse, minusque tolerabilia, quam illa censemus, tametsi valde levia sunt et tolerabilia. Si vero quispiam ab omnibus liber, illorum naturam diligentius consideret, et eos qui in illa inciderunt animadvertat, hic profecto nobis de hujusmodi feret incorruptam sententiam. Sed fortasse dicturus es omnes illos morbos circa corpus versari solum, hanc autem pestem ipsam animam attingere, illisque omnibus esse ditiorem. Nempe hoc ipso imprimis eam inveniemus illis omnibus esse leviorem. Neque enim hæc ut illi corpus corrumpit, sed solum animam brevi tempore exagitat. Cæterum illi ipsi morbi, quos modo numeravimus, cum in carne gignantur, eam omnem pestem non eatenus sistunt, verum ad animam emittunt, torquentes illam jugiter, et per dolores ac mœroris aculeos corrumpentes. « Ut enim, inquit, ulceri acetum mi» nime convenit, ita et morbus in corpus invectus perturbat » cor. » Non igitur id solum dixeris, hos tantum gigni ex corpore: sed illud potius ostende, quo pacto pestem omnem et corruptionem ad animam non mittant. Quippe et fames cum non gignatur ex corporibus, corrumpit et perdit corpora, virusque serpentum, cum ex eis prodeat, perdit item nos: ita et in his morbis sentiendum est, qui cum gignantur ex corpore, malitiæ suæ venena in animam nostram transfundunt. Omni namque obsessione

diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo. Namque et dæmon quoscumque superat, per mœrorem superat : eum si auferas, nihil a dæmone quisquam lædi poterit. Et quomodo, inquies, fieri potest, ut mœrore vacem? Ego contra te interrogabo, quid causæ est quod non liceat a mœrore vacare. Nam si adulterium, si homicidium, si scelus aliquod hujusmodi perpetrasses, quod te regnis cœlestibus excluderet, recte mœreres, ac justa tibi causa lugendi esset, nullusque te prohiberet.

XIV. Quod si per Dei gratiam ab his omnibus longissime remotus es, quid frustra te ipsum concidis? Mœrorem quoque Deus inseruit naturæ mortalium, non ut abs re et intempestive illo in rebus contrariis utamur, neque ut nos ipsos perimamus, verum ut ex eo maxima emolumenta consequamur. Quonam vero modo illa consequemur? si illum tempestive assumamus. Porro mœroris tempus non tunc est, cum aliquid patimur adversi, sed cum male operamur. At vero nos ordinem pervertimus, temporaque immutavimus, qui cum innumera mala perpetremus, ne breviter quidem dolore contrahimur : sin vero quippiam a quoquam patiamur mali protinus concidimus, hæremus, liberarique et cedere ex vita festinamus. Gravis igitur et onerosa ea res videtur, non secus quam iracundia et concupiscentia. Nam et hæc damna importarunt ii, qui rebus recte non sunt usi. Contingitque idem quod in medicamentis, quæ a medicis traduntur : quippe et illa si non suo ordine et tempore, ac pro quibus morbis parata sunt, sed pro aliis imponantur alia, non solum infirmos languore non liberant, sed infirmitatem potius aggravant : ita prorsus et mœror facit, ac merito sane. Nam cum austerum sit corrodensque medicamentum, atque, ut ita dixerim, vitiorum quæ in nobis sunt purgatio, si admoveatur otioso ac delicato animo, ingentique peccatorum pondere op-

presso, maximam illi afferet utilitatem : sin autem animo decertanti, dimicanti, laboribus exercito, curis oppresso, et plurima perpesso adhibeatur : præterquam quod nihil prodest, maxime nocet, imbecilliorem illum faciens, atque expugnatu facilem. Quocirca stantibus et acriter pugnantibus Paulus cum scribet, dicebat : « Gaudete in Do» mino semper, iterum dico : Gaudete[1]. » Porro dissolutis ingentemque habentibus tumorem : « Et vos, inquit, in» flati estis, et non potius flevistis[2] ? » Itaque is quidem qui peccatorum sagina impinguatur, extenuetur ac siccetur hoc medicamento : qui vero bonæ habitudinis est, atque in decenti statu se ipsum servat, quid est causæ, cur per mœrorem bonam suam valetudinem corrumpat ? Adeo est enim ille acer atque efficax, ut etiam ope sua indigentibus, si plus temporis quam necesse sit immoretur, maximorum malorum causa sit. Quod et beatus Paulus metuens, cito illum, postquam fecerat quod suum erat, auferri jussit, causamque adjecit eam : « Ne forte, inquit, abundan» tiori tristitia absorbeatur. » Porro si nimius mœror irruens, eos etiam quibus erat necessarius ; sæpius perdidit : quid illis faciet, qui cum non indigeant, sponte illum sibi consciscunt ? Ita sane inquies, novi hoc et ipse, sed quo pacto illum excludam, atque ab anima mea amoveam, nescio. Et cujus hoc difficultatis, amantissime ? Nam si concupiscentia esset aliqua, si corporum insanus amor, si inanis gloriæ tyrannis, vitium profecto superatu difficillimum, aut aliquid perturbationum hujuscemodi, merito esses de hujusmodi liberatione sollicitus. Eos enim qui his capti fuerunt, non quidem est impossibile, difficillimum tamen ea retia diffugere. Cur id ? quia voluptas iis cooperatur, atque illa adjuvat. Ea vero est, quæ semel captis funes plurimos innectit, istudque primum difficultatis

[1] Philip. IV, 4. — [2] 1 Cor. V, 2.

plenissimum est, persuadere animo sic irretito, ut plane ac penitus velit ac cupiat hisce nodis liberari: fitque simillimum, veluti si quis scabiem, ac pruriginem depositurus, morbo suo delectetur, et in eumdem ipsum sese injiciat. Cæterum ad effugandum mœrorem id non parum confert; si interim ingrate illum admittamus. Nam qui re aliqua gravatur, cito illam ab se excutere studebit. Quid ergo si quis eam ab se ejicere studeat, nec possit? non remittat studium, et cito poterit. Cogita enim Christianum, si quando tristetur, duas tantum justas habere mœroris causas, vel cum ipse, vel cum proximus offendit Deum. Cum vero præsens mœror tuus nullam hujusmodi occasionum radicem habeat, te ipsum frustra discrucias. Et unde id constet, inquies, quod non offensionum nostrarum pœnas exolvamus? Id quidem maxime liquet, sed hoc interim non asserimus. Verum sit, si vis, id non incertum, sed maxime manifestum, ut tu dicis, hanc esse peccatorum tuorum retributionem: num, quæso, idcirco mœres et doles? Atqui gaudere potius debes, quod hic peccata tua tibi remittantur, ne cum mundo damneris. Qui enim dolet, non quia cruciatur, sed quia offendit Deum, dolere debet. Peccata enim separant a nobis Deum, constituuntque nobis illum inimicum. Cruciatus vero nobis illum reconciliat, præparatque ut propitius ac propinquus sit. Quod autem sudor iste tuus non sit peccatorum ultio, sed coronarum potius præmiorumque materia, hinc sane manifestum est. Si enim prius turpiter ac luxuriose vixisses, atque ita te ad monachorum conversationem contulisses, ne sic quidem hæc suspicio locum habuisset. Nam si ob hoc Deus pœnas infert, ut in malis perseverantes ad pœnitentiam provocet, ostensa pœnitentia, superflua jam erit pœna. Tantum enim abest, ut nos punire velit Deus, ut cum sæpenumero pœnis digna faciamus, summaque

conversione opus habeamus, comminatione solum, verbisque terribilibus nos castigare malit : idque facile quispiam animadvertet et in Israëlitica plebe, et in Ninivitarum civitate. Non solum enim supplicia non intulit, cum pœnitentiam ostenderent, sed et minas ipsas statim removit. Multo enim magis vult ipse nihil nos pati mali, quam nos ipsi, nullusque sibi ita parceret libenter, ut nobis omnibus Deus. Deinde is qui sæpius peccantes verbis tantum exterret, nec punit, pœnitentesque hac formidine liberat : te qui tanta religionis, tanta virtutis et probitatis indicia præ te tulisti, non solum his minis, atque hoc terrore non eripuit, verum et reipsa suppliciis exposuit. Et quomodo credi hoc potest? etiam si prior illa tua conversatio corruptissima fuisset ac perdita, ut dixi : quis id vel suspicari auderet? Cum vero deterior illa fuerit quam præsens sit, ornata tamen et ipsa, summaque honestate pollens, profecto nobis omni ex parte constabit colluctationes has tuas, coronarum tibi, majorisque gloriæ occasionem esse. Oportet igitur, ut dixi, et has et hujusmodi cogitationes movere. Convenit item et cum his una, imo ante has, ratiocinationibus perpetuisque precationibus has tenebras dissipare. Nam et beatus David, magnus ille vir atque mirabilis, his medicamentis frequenter usus est, hisque plurimos dolores pressurarum removit ac repulit : nunc quidem orans, ac dicens, « Tribulationes cordis mei multi» plicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me[1] : » nunc piis ac religiosis ratiocinationibus admotis, inquiens : « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? » Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi[2]. » Rursumque ex ratiocinationibus hujusmodi ad orationes conversus : « Remitte, inquit, mihi, ut refrigerer priusquam » abeam, et ultra jam non ero[3], » atque ab orationibus

[1] Psal. xxiv, 17. — [2] Id. xlii, 3. — [3] Id. xxxviii, 14.

ad ratiocinationes : « Quid enim, ait, mihi est in cœlo, et » a te quid volui super terram[1] ? » Ita et Job uxori, quæ verba diabolica suggerebat, ratiocinationibus reluctabatur, illamque increpans, dicebat : « Quare tanquam una » stultarum mulierum locuta es? si bona suscepimus de » manu Domini, mala non sustinebimus [2] ? » Ad Deum vero precibus utebatur : at beatus Paulus utrisque his armis eos, qui in pressuris ac tentationibus erant, juvabat : nunc quidem dicens : « Si autem extra disciplinam estis, ergo » adulterini, non filii. Quis enim filius, quem non corri- » pit pater[3] ? » Nuncque orans, « Fidelis, inquit, Deus est, » qui non patietur vos tentari supra id quod potestis [4] : » et rursum, « Si quidem justum apud Deum est, retribuere » retributionem his qui vos tribulant, et vobis qui tribu- » lamini, requiem[5]. » Si igitur armis his ipse quoque usus fueris, ac te ipsum perfecte undique armaveris : cogitationibus mœroris retundens impetum, orationibus vero tam tuis, quam aliorum te veluti muro fortissimo muniens, celeriter disciplinæ istius percipies fructus. Non enim hoc solum lucraberis, quod præsentia fortiter feras : verum his exercitationibus robustissimus effectus, nullis jam vitæ hujus adversis casibus frangi vel dejici poteris.

[1] Psal. LXXII, 25. — [2] Job. II, 10. — [3] Hebr. XII, 6 et 8. — [4] 1 Cor. X, 13. — [5] 1 Thess. I, 6.

LIBER.

Quod nemo lædítur nisi a se ipso.

I. Scio fore, ut crassioribus, quique præsentibus rebus inhiant, ac terræ sunt affixi, et sensuum voluptatibus serviunt, spiritualibus non admodum dediti, nova hæc, insolensque videatur oratio; ac nos ubertim rideant, et contemnant, ut qui ab initio promissionis minime verisimilia dicamus. Verum non ideo nos a pollicitatione desistemus, quinetiam hanc ipsam maxime ob causam ad comprobanda ea quæ promisimus, magno studio aggrediemur. Si enim voluerint, qui ita sunt affecti, non tumultuari neque obturbare, sed finem orationis expectare, a nobis, sat scio, stabunt, seseque prioris erroris condemnabunt, palinodiam canent, veniam cum excusatione petent, eo quod non veram de rebus tenuerint sententiam, magnamque nobis gratiam habebunt, ut medicis ægri, e morbis, quibus eorum corpus velut obsessum fuerat, recreati. Ne enim mihi quæ te nunc tenet, profer sententiam, sed expecta etiam nostræ orationis contentionem et conatus, ac tum poteris, ignorantia verum judicium non impediente, sincere ferre sententiam. Nam et sæcularium rerum istarum judices, etiamsi videant eum qui prius dicit, oratorem concitato eloquentiæ flumine omnia inundantem, non audent, nisi etiam adversarii responsionibus cum longanimitate auditis, pronuntiare sententiam; sed etiamsi prior justissimam causam habere videatur, integras aures etiam alteri reservant. Siquidem hæc quoque judicum virtus est, ut utriusque partis causa quam accuratissime cognita, tum

demum ipsi suum interponant judicium. Quoniam igitur etiam nunc velut rhetoris cujusdam loco est illa multorum communis et anticipata opinio, quæ longo tempore in animis multitudinis radicata, hæc per totum terrarum orbem declamat, omnia sursum deorsum versa esse, in magnam confusionem genus humanum incidisse, in dies injurias, calumnias, vim, damna afferri, imbecillis a potentibus, pauperibus ab opulentis, et ut fluctus maris numerari non possunt, ita nec multitudo eorum, qui insidiis petuntur, damnis afficiuntur, male mulctantur : ac neque legum correctione, neque judiciorum metu, neque ulla re alia hanc extingui pestem ac morbum, sed malum quotidie augeri, ubique esse gemitus, lamenta, lacrymas eorum qui injurias accipiunt : judices ipsos quibus hujuscemodi rerum emendatio mandata est, tempestatem intendere, morbum fovere : hinc autem multi ex insipientioribus ac infelicioribus, novo quodam furore correpti, Dei providentiam incusant, cum vident moderatum ac probum sæpe trahi, laniari, præfocari; audacem, improbum, infamem, et ex infamibus ortum ditescere, potentiam nancisci, multis formidabilem esse, ac melioribus se infinita mala inferre, atque hæc in civitatibus, in agris, in solitudinibus, terra marique perpetrari : necessario a nobis hæc instituitur oratio, quæ supra dicta refutet, et certamen ineat, novum quidem, ut initio dixi, et inopinatum, sed utile, justum, et auditoribus auscultandi obtemperandique cupidis conducibile. Profitetur enim se ostensuram; sed ne tumultuemini; neminem eorum, qui damno afficiuntur, non ab alio, sed a se ipso lædi.

II. Ut autem dilucidior sit oratio, age primum inquiramus quid sit damnum, et in quarum rerum materia versari soleat : et quid tandem sit humana virtus, quidque eam lædat, quid item videatur lædere, nec tamen lædat.

Exempli causa; exemplis enim oratio perficienda est; singulæ res a singulis læduntur, ferrum a rubigine, lana a tinea, ovium greges a lupis. Ac vini quidem vis labefactatur, cum id depravatur, et in vappam commutatur, mellis vero cum ingenitam amittit dulcedinem, et in amarum liquorem convertitur. Triticeis frugibus obest ærugo, et siccitas, vitium fructui, pampinis et palmitibus malus locustarum exercitus: aliis arboribus eruca, corporibus item rationis expertibus varii morbi: ac ne singulis percensendis longum nectamus sermonem, corpori quoque nostro et febres, et paralysis, aliique morbi plurimi. Quemadmodum ergo hæc singula habent, a quo virtus eorum labefactetur, age videamus quid etiam hominum generi noceat, et quid tandem sit quod hominis virtutem labefactet. Vulgus quidem alia quædam eam lædere opinatur. Nam etiam falsæ opiniones recitandæ sunt iisque confutatis, vera nostrarum virtutum corruptela in medium proferenda, et perspicue ostendendum, id detrimentum, aut id damnum a nemine nobis dari posse, nisi nosmetipsi prodamus. Vulgus ergo pravis imbutum opinionibus diversa existimat nostræ virtuti nocere, alii paupertatem, alii corporis morbum, alii pecuniæ jacturam, alii calumniam, alii mortem, atque hæc perpetuo lamentantur ac deplorant: et eos, quibus illa contigerunt, miserantes, et flentes, et obstupefacti dicunt inter se: Qualia perpessus est ille? repente omnibus fortunis eversus est. Alius de alio vicissim: At ille in gravem morbum incidit, et a medicis, qui ad eum accedebant, desperatus est. Jam alius carceris incolas, alius patria pulsos, et in exilium relegatos: hic libertate exutos, ille ab hostibus in captivitatem abreptos, iste submersum, aut combustum, alius ruina domus oppressum luget ac deflet, at improbe viventes nemo: sed quod omnibus est gravius, eos sæpe quoque

beatos prædicant, quæ etiam omnium malorum causa est. Age igitur, sed ut principio rogavi, ne tumultuemini, ostendamus nihil eorum quæ diximus, nocere sobrio homini, neque virtutem ejus labefactare posse. Quid enim, dic mihi, omnibus opibus spoliato, aut a calomniatoribus, sive a prædonibus, aut etiam improbis servis exuto omnibus facultatibus suis, hoc damnum obfuit, quantum ad virtutem hominis? Sed potius, si ita videtur, primum describamus virtutem hominis, quidnam ea tandem sit, ubi prius ad alias res orationem converterimus, ut eam multitudini ad intelligendum faciliorem et dilucidiorem efficiamus.

III. Quid ergo est virtus equi? numquid aureum habere frenum, et hujuscemodi cingula, stragulorum vincula ex sericis filis contexta, tapetas variegatos auroque intertextos, phaleras gemmis distinctas, jubas aureis funiculis complicatas: an vero cursu esse velocem, cruribus bene firmis, numerose incedere, et ungulas habere generoso equo dignas; fortitudine præditum esse, longis itineribus ac bellis idonea; posse et in acie magno animo stare, et facta fuga equitem incolumem conservare? annon perspicuum est, his, non illis equi virtutem contineri? Asinorum vero et mulorum quam virtutem esse diceres? annon posse onera commode gestare, itinera facile conficere; habere pedes, qui firmitate saxa imitentur? Num ea, quibus extrinsecus circumdati sunt, aliquid ad virtutem ipsorum propriam conferre dicemus? nequaquam. Vineam deinde quam admirabimur? foliis comatam et palmitibus, an fructu onustam? Quam etiam olivæ virtutem esse dicimus? cum magnos habet ramos, et multam foliorum comam, an cum suum fructum uberem et in omnes partes dispersum ostentat? sic igitur etiam in hominibus faciamus. Discernamus virtutem hominis, idque solum damnum existimemus, quod illam violet. Quid igitur est virtus ho-

minis? non pecuniæ ut paupertatem metuas; nec sanitas corporis, ut timeas morbum; non multitudinis opinio, ut suspectam habeas existimationem malam; nec vita per se sola sine adjectione, certoque proposito fine, ut mors tibi formidabilis existat; nec libertas, ut servitutem fugias: sed veræ doctrinæ diligens studium, et vitæ honestas. Hæc vero nec ipse diabolus poterit eripere, si possessor ea, qua par est, cura custodiat: idque nequissimus et truculentus ille dæmon novit. Hanc enim ob causam etiam Job bonis spoliavit, non ut eum pauperem redderet, sed ut blasphemum aliquod verbum efferre cogeret: et corpus concidit, non ut in morbum conjiceret, sed ut animæ virtutem labefactaret. Sed tamen cum omnes suas machinas admovisset, et ex divite pauperem effecisset, id quod nobis omnium maxime horribile videtur, ex multorum liberorum patre orbum, cum totum ejus corpus gravius lacerasset, quam carnifices in prætoriis: neque enim illorum ungulæ ita perfodiunt eorum, qui in manus ipsorum incidunt, latera, ut ejus carnem vermes lacerarunt: cum malam ei existimationem conciliasset: amici enim, qui aderant, non dignas, aiebant, peccatis tuis pœnas dedisti, multisque verbis eum accusabant: cum non urbe exactum aut domo in aliam civitatem tantum transtulisset, sed sterquilinium ei et domus et urbis loco constituisset; non modo ei non nocuit, sed etiam illustriorem per insidias reddidit. Neque tantum quidquam de bonis non abstulit, quanquam tot tantaque abstulisset, sed etiam majores ei divitias virtutis comparavit. Etenim majore deinceps fruebatur fiducia, quippe difficiliori quoque certamine perfunctus. Quod si is, qui tanta perpessus est, detrimenti nihil accepit, ac perpessus non ab homine, sed a dæmone omnibus hominibus nequiore; quid excusationis deinceps habebit quisquam eorum, qui dictitant: Ille mihi damnum

aut detrimentum attulit? si enim diabolus tanta plenus improbitate, omnibus instrumentis adhibitis, omnibus missis telis, omnibus malis, quæ in hominibus erant, magno cum excessu et in familiam justi illius et in corpus congestis, nihil viro obfuit, sed, ut dixi, potius etiam profuit: quî poterunt quidam hunc aut illum accusare, quasi alter ab altero, ac non potius a semetipsis damno affecti?

IV. Quid ergo, dicet aliquis, Adamum non læsit ac supplantavit, et paradiso ejecit? non ille, sed læsi ignavia, qui nec sobrius nec vigilans fuisset. Nam qui talibus ac tantis allatis machinis Job deturbare nequivit, quomodo minoribus superasset Adamum, nisi is per suam ignaviam semetipse dedidisset? Quid igitur? qui a calumniatoribus circumventus et publicatis bonis proscriptus est, an is non damnum accepit omnibus facultatibus spoliatus, amisso patrimonio, colluctans cum extrema paupertate? non damnum accepit, sed lucrum, si sobrius est. Quid enim, quæso, id obfuit Apostolis? nonne cum fame, siti, nuditate continenter luctabantur? et ob hoc ipsum proinde etiam admodum illustres erant et clari, magnumque a Deo auxilium impetrarunt. Quid Lazaro morbus, ulcera, paupertas, solitudo eorum qui assisterent, obfuit? annon his rebus ei magis sunt contextæ coronæ? Quid Josepho mala fama domi forisque collecta? nam et adulter et scortator habebatur: quid servitus? quid exilium? annon ob hæc eum maxime admiramur et obstupescimus? Quid dico exilium, paupertatem, malam famam et servitutem? Mors enim ipsa quid Abel obfuit, et violenta et immatura, et per fratris manum scelerate allata? annon hanc ob rem ubique terrarum celebratur? Vides-ne ut plura quam promiserit, oratio demonstrarit? Non enim tantum declaravit neminem a quoquam damno affici, verumetiam

potius lucrum facere eos qui sibi attendunt. Cujus igitur gratia pœnæ et supplicia? dicet aliquis; cujus gratia gehenna? cujus gratia tot minæ intenduntur, si nemo nec damnum dat, nec accipit? Quid dicis? quid confundis orationem? neque enim dixi, neminem damnum dare, sed neminem accipere. Ecqua ratione fieri potest, inquies, multis damnum dantibus non aliquem accipere? ea qua jam docui ratione. Nam et Josepho fratres damnum dederunt, ipse tamen non accepit: et Abel insidias retendit Caïn, ille tamen iis non est implicitus. Hac de causa pœnæ et supplicia constituta sunt. Neque enim ob eorum qui patiuntur virtutem, Deus pœnas tollit, sed propter improbitatem malitiose agentium, proponit supplicia. Etsi enim qui mali quid ab insidiatoribus patiuntur illustriores evadunt, id tamen non insidiantium menti, sed eorum, quibus insidiæ struuntur, fortitudini tribuendum est. Quocirca his sapientiæ præmia, illis nequitiæ supplicia constituuntur ac præparantur. Spoliatus es pecuniis? dic, « Nudus egressus sum ex utero matris meæ, nudus etiam » revertar[1]. » adde illud apostolicum: « Nihil enim intuli- » mus in hunc modum; haud dubium quod nec auferre » quid possumus[2]. » Male audisti, ac te sexcentis quipiam conviciis onerarunt? recordare illius dicti: « Væ vobis » cum benedixerint vos omnes homines; » et, « Gaudete » et exultate, cum protulerint adversum vos nomen ma- » lum[3]. » In exilium ejectus es? cogita te hic non habere patriam, sed si philosophari velis, jussum esse etiam totam terram pro peregrina ducere. At in gravem incidisti morbum? dic illud apostolicum: « Quanto magis exterior » noster homo corrumpitur, tanto magis interior reno- » vatur de die in diem[4]. » At violentam quis mortem

[1] Job. I, 21. — [2] I Tim. VI, 7. — [3] Luc. VI, 23 et 26. — [4] 2 Cor. IV, 16.

sustinuit? cogita Joannem, et abscissum in carcere caput, in lance allatum, et in meretriciæ saltationis mercedem datum. Cogita remunerationes inde secuturas: omnia enim isthæc damna cum per injuriam inferuntur, et peccata expiant, et justitiam conferunt. Tanta est utilitatis eorum magnitudo in iis, qui generoso ea animo ferunt.

V. Cum igitur neque pecuniæ jactura, neque calumniæ et convicia, neque exilium, neque morbi, neque cruciatus, neque idipsum, quod omnibus terribilius esse videtur, mors, perferentibus damnum afferat, sed utilitatem potius: quibus rebus mihi potes ostendere quempiam lædi, quando his non læditur? Ego enim contrarium demonstrare conabor: nempe, qui maxima damna ac detrimenta, et incurabiles, clades perferant, eos esse qui inferunt. Quid enim miserabilius esse possit, quam Caïn, qui talibus modis fratrem accepit? Quid infelicius uxore Philippi, quæ Joanni caput ascidit? Quid fratribus Joseph, qui eum venumdederunt, et in exilium relegarunt? Quid diabolo, qui Job tot malis affecit? Non enim cæterorum duntaxat scelerum, sed ita quoque non vulgares insidiarum pœnas dabit. Cernis etiam hic plura, quam pollicita fuerat orationem demonstrasse? Non modo nullum incommodum eos, qui perferunt insidias, ab insidiatoribus accipere, verumetiam id omne in caput insidiantium converti? Quoniam enim nec in divitiis, neque in libertate, neque in habitanda patria, neque in cæteris, quæ dixi, hominis sita est virtus, sed in animæ recte factis: merito cum horum fit jactura, nihil detrimenti accipit virtus hominis. Quid igitur, si ipsius animæ philosophiæ jacturam quis faciat? neque hic, si læditur, ab alio læditur, sed a se ipso; Quomodo, inquies, a se ipso? cum quis cæsus a quopiam, aut facultatibus exutus, aut aliquam aliam gravem perpessus

injuriam, blasphemum aliquod verbum protulit, hic affectus est ille quidem damno, eoque maximo, non tamen ab injurio, sed a propria pusillanimitate. Quod enim ante dixi, etiamnum dicam, nullum hominem, mille licet nocendi artibus imbutum, infesto illo dæmone, et implacabili nostro hoste diabolo pejus aliquid cuipiam infligere posse, aut acerbius : at istum sævum dæmonem tamen non valuisse eum qui ante legem, ante gratiam vixit, tot in illum, tamque gravibus immissis undique jaculis, supplantare et dejicere. Tanta est animæ generositas. Quid vero Paulus? annon pertulit tot mala, quæ ne recensere quidem facile est? carceres inhabitans, vinctus catenis, actus et circumactus, flagellis cæsus a Judæis, lapidatus, non loris tantum, sed etiam virgis humeros laceratus, in mare demersus, sæpe in latrones incidens, intestinum bellum ferens, ab inimicis, ab amicis jactatus continenter, infinitis insidiis exagitatus, cum fame ac nuditate luctatus, alios crebros et assiduos casus et afflictiones perpessus : quid opus est multis? quotidie moriens. Sed tamen tot tantaque passus, non modo nullum verbum maledicum edidit, sed gaudebat his rebus et gloriabatur, atque alias, « Gau»deo, inquit, in passionibus meis[1] ; » alias : « Non solum »autem, sed et gloriamur in tribulationibus[2]. » Si igitur ipse tanta perferens gaudebat et gloriabatur, quæ venia dabitur, quæ excusatio tibi, qui nec minimam illorum partem sustines, et tamen maledicis?

VI. Sed variis injuriis afficior, inquies, ac nisi maledicam, direptis bonis ad stipem erogandam nihil mihi fit reliquum. Hoc nihil est aliud, quam prætextus ac species quædam. Si enim hoc tibi dolet, certo scias paupertatem erogandæ stipi non impedimento esse. Etsi enim quam pauperrimus sis, non pauperior es tamen illa, quæ farinæ

[1] Coloss. I, 24. — [2] Rom. V, 3.

tantum pugillum habebat [1], et illa quæ duos tantum obolos, quarum utraque omni re familiari in egentes collata, magnam sui admirationem reliquit: nec tanta paupertas tantæ liberalitati impedimento fuit, sed duorum minutorum stips adeo larga et gloriosa fuit, ut omnes divites obscuraret, eosque qui multos stateras conjecerant, divitiis mentis, et alacritatis opibus superaret. Quare neque hic damnum passus es, sed lucrum habuisti potius, exigua pensione insigniores, quam qui multa contulerunt, coronas adeptus. Verum quoniam, licet hæc sexcentics dicamus, animæ corpus nimis amantes, sæcularibus negotiis libenter implicitæ, præsentium rerum voluptate captæ, non facile poterunt marcescentes flores relinquere; talia enim sunt hujus vitæ gaudia; neque umbras missas facere: sed honestissimi quique tam illa quam ista mordicus retinent; miseriores vero et infeliciores illa quidem majori, hæc vero longe minori ex parte. Age vero speciosis larvis a turpi ac deformi harum rerum facie detractis, meretricis mulieris fœditatem ostendamus. Talis enim est vita ad voluptates, divitias, et potentiam attenta; turpis, deformis, multa fœditate referta, molesta, gravis, amaritudine plena. Hoc enim est, quod hac vita captis omnem adimit veniam, quod ea et molestia et magna amaritudine referta, desideratur ab eis, et magnopere expetitur, infinitis malis plena, periculis, sanguine, præcipitiis, scopulis, cædibus, timoribus, terroribus, invidia, livore, insidiis, perpetua cura et sollicitudine; quæque nullum lucrum, nullum tantorum laborum fructum afferat, nisi pœnam, ac supplicium, et æternos cruciatus. Ac licet ejusmodi sit, multis tamen beata videtur, et maxime appetenda, quæ mente captorum opinio est, non vera rei felicitas. Nam et pueruli dediti intentique sunt ludicris, negotia vero adul-

[1] 3 Reg. XVII, 12.

tis viris digna ne percipere quidem possunt. Verum his quidem ob immaturam ætatem venia concedenda est; illi vero omni excusatione carent, in integra ætate puerilem animum gerentes, illisque dementiores. Dic enim mihi, quamobrem expetendæ sunt divitiæ? nam hinc exordiendum est, quoniam sanitate, vita, populi commendatione, ac bona existimatione, patria, familiaribus, amicis, cognatis, præstabiliores videntur plerisque eorum, qui gravi hoc morbo correpti sunt. Ad ipsas deinde nubes ascendit hæc pyra; terramque et mare caminus iste occupavit. Et quidem qui extinguat flammam, est nemo; qui vero accendant, sunt omnes tam ipsi jam capti, quam nondum capti, ut capiantur. Singulos videre licet, viros ac fœminas, servos ac liberos, divites et pauperes pro viribus onera portare quæ flammæ huic die nocteque multum pabulum præbent; onera non lignorum, neque virgultorum; non enim flamma est ejusmodi; sed ammarum et corporum injustitiæ et iniquitatis. Hæc enim flamma natura ita comparata est, ut istis rebus accendatur. Nam et divites absurdæ huic cupiditati nusquam terminum constituunt, quanquam omnem terrarum orbem comparaverint; et pauperes connituntur illos prævenire: ac rabies quædam incurabilis, furor effrenatus, morbus insanabilis omnium animos obtinet. Hic amor omnem amorem devictum et repulsum ejecit ex animo. Neque amicitiæ ratio habetur, neque cognationis; quid dico, amicitiæ et cognationis? non uxoris et liberorum, quo quid viris esse queat charius? sed omnia humi abjecta, et conculcata sunt, ubi crudelis isthæc et inhumana captorum domina, omnium animos occupavit. Etenim tanquam inhumana eorum domina, tanquam sævus tyrannus, barbara quædam immanis, tanquam meretrix publica et sumptuosa dedecorat, conficit et sexcentis objicit periculis ac pœnis eos, qui illi servire in animum induxerunt. Cumque

sit terribilis, acerba, crudelis, sæva, vultu barbarico, quin potius ferino, et quam lupus ac leo truciore; mansueta tamen et expetenda,, et melle dulcior esse videtur captivis ejus. Cum etiam gladios et arma quotidie contra eos cudat, ac barathra effodiat; ad præcipitia ducat, et scopulos, et infinita supplicii retia texat, beatos eos tamen præstare censetur tum ab ipsis captis, tum a cupientibus capi, atque ut in cloaca et cœno sus cum voluptate et deliciis volutatur, aut ut scarabæi in stercore continenter versantur: ita etiam avaritia capti istis animantibus sunt miseriores. Etenim major hæc est fœditas, et cœnum gravius olens: nam dum in hoc morbo versantur, magnum inde se voluptatis fructum reportare putant: quod non ad rei naturam, sed ad ægrotantem animum referendumest, eaque ex parte illis ratione destitutis sunt deteriores. Quemadmodum igitur in cœno ac stercore, non cœnum ac stercus in causa est, sed rationis penuria immergentium sese animantium: sic etiam de homine ratiocinare.

VII. Ecqua ratione medebimur hunc in modum affectis? si voluerint nobis patefaccre aures, animumque pandere, et amplecti quæ dicuntur. Nam animantes quidem rationis expertes ab impura volutatione transferre et abducere non possumus: rationis enim expertes sunt. At vero mansuetissimum hoc genus, intelligentia et ratione cohonestatum, humanam, inquam, naturam, si velit, facile est valdeque expeditum, cœno et graveolentia, stercore et fœditate illa liberare. Quare enim, o homo, divitiæ tibi magnopere expetendæ videntur? propter voluptatem omnino quæ e mensis hauritur? propter honorem et comitatum eorum, qui divitiarum causa te colunt? propter potestatem ulciscendi qui te offenderint, et ut omnibus sis terrori? neque enim alias causas afferre poteris, quam voluptatem, adulationem, terrorem et ultio-

nem : nam neque sapientiorem, neque temperantiorem, neque mitiorem, neque prudentiorem omnino divitiæ efficere solent; non benignum, non humanum, non iræ potentem, non ventri imperantem, non voluptatibus superiorem; non moderationem docent, non humilitatem, non aliquam aliam virtutis partem in animum inducunt et inserunt. Neque dicere poteris, ob quidnam ex istis earum adeo studiosus sis et cupidus. Nam non modo non norunt plantare aut serere quidquam bonorum, sed etiamsi recondita inveniant, vastant, impediunt, et ut emarcescant, efficiunt; quædam enim evellunt, iisque contraria inducunt, luxum immoderatum, furorem intempestivum, iram injustam, arrogantiam, superbiam, amentiam. Verum de his non dicam. Qui enim hoc morbo correpti sunt, non sustinerent audire de virtute et vitio, si accusarentur simul et convincerentur, cum in voluptate toti sint, ideoque ejus facti servi. Age igitur missa interim de his disputatione, quæ reliqua sunt in medium afferamus, ac videamus, num quam divitiæ voluptatem habeant, num quem honorem, omnia enim contraria video. Ac si vultis, primum in mensas divitum et pauperum inquiramus, rogemusque vescentes quinam maxime pura et liquida perfruantur voluptate ? qui ad dimensum diem super toros accumbunt, cœnas cum prandiis copulant, ventrem disrumpunt, sensus depravant, immodico eduliorum onere navigium demergunt, sentinam inexhaustam et exundantem reddunt, et tanquam in corporis naufragio navem undis obruunt, pedicas, manicas, et linguæ vincula nectunt, totumque corpus suum vinciunt vinculo ebrietatis et luxus graviore quam ferrea catena, ac nec sincerum et purum capiunt somnum : neque ab horribilibus insomniis liberi sunt, furentibusque miseriores, voluntarium quemdam dæmonem in animum inducunt, risui spectantium

famulorum expositi, imovero etiam luctui et lacrymis meliorum inter eos; neminem noverunt eorum, qui adsunt, neque dicere quid, neque audire possunt, sed inter gestantium manus a toris ad lectulum feruntur? an vero sobrii, vigilantes, quique modum necessitate definiunt, secundis ventis navigant, ac pro maximo oblectamento tam in cibis quam in potu famem et sitim habent? Nihil enim ita et ad voluptatem et ad sanitatem facit, ut esurientem ac sitientem, ita demum quæ apponuntur capessere, solam necessitatem pro satietate ducere, neque ejus limites transilire, neque corpori majus quam ferre possit, onus imponere.

VIII. Quod si orationi meæ non habes fidem, consule utrorumque corpora, et singulorum animam. Nonne ita moderate viventium: (ne enim mihi, quod raro contingit, dicas, et si qui ex alia quadam circumstantia ægri sunt, sed ex iis, quæ semper et continenter eveniunt fer sententiam); nonne, inquam, moderate vescentium corpora bene firma sunt, ac sensus integri, quique magna cum facilitate vicem suam impleant; illorum vero nimio humore vitiata omni cera molliora, et agmine morborum obsessa? Nam et podagræ celeriter invadunt, et tremor importunus, et senectus immatura, et capitis dolores, distensiones et stomachorum depravationes, appetitus amissio; perpetuis indigent medicis, continuis medicamentis, et curatione quotidiana. Hæcci-ne voluptuosa sunt? dic mihi. Ecquis sciens quid tandem sit voluptas, dicet esse? voluptas enim percipitur, cum præeunte cupiditate fructus sequitur: quod si fructus quidem extet, cupiditas vero nusquam appareat, voluptas evanescit et extincta est. Quapropter etiam ægri quanquam suavissimi apponuntur cibi, cum nausea tamen degustant, sibique molestiam exhiberi opinantur: quoniam abest cupiditas, quæ fructum jucundissimum reddit. Neque enim ciborum natura, neque potus, sed vescentium

appetitus cupiditatem parere solet, et ut voluptatem afferat a natura comparatus est. Idcirco Sapiens quidam vir, qui voluptatem accurate cognitam habuit, atque de his philosophari poterat, dicebat : « Anima saturata favis illu» dit [1] ; » ut ostenderet non in natura cibi, sed in vescentium affectione voluptatem consistere. Quam ob causam etiam Propheta cum miracula in Ægypto et in solitudine edita recenseret, inter alia hoc quoque dixit : « De petra » melle saturavit eos [2]. » Atqui nusquam apparet petram eis mel fudisse. Quid ergo est quod dixit ? quandoquidem multo confecti labore et itinere, vehementique conflictati siti, in frigidas aquas inciderunt, et pro magna oblectatione habuerunt bibere, ut voluptatem aquarum illarum repræsentaret, aquam vocavit mel, non quod ejus natura in mel commutata fuisset, sed quod voluptas aquæ certaret cum illa dulcedine, quia sitibundi in eam incidissent, qui biberunt. Quæ cum ita sint, nemoque contradicere possit, etiamsi valde sit stupidus : annon clarum est puram, liquidam et genuinam voluptatem esse in mensis pauperum ? in mensis autem divitum, molestiam, fastidium, spurcitiem ? atque ut Sapiens ille vir dixit, « Etiam » dulcia molestiam præbere videntur [3]. »

IX. At divitiæ, dicet quispiam, faciunt ut possessores earum honorentur, atque inimicos ulcisci facile possint. Propterea-ne igitur, dic mihi, expetendæ et omnibus opibus ac viribus comparandæ vobis videntur divitiæ, quod gravissimas nutriant in nobis ægritudines, dum iram ad effectum perducunt, insanum gloriæ amorem quasi quasdam bullas in majorem tumorem efferunt, ad superbiam excitant et extimulant ? Has ergo maxime ob causas eæ non retroversa facie fugiendæ sunt, quod feroces quasdam ac sævas bestias in animum nostrum introducunt, ac vera

[1] Prov. xxvii, 7. — [2] Psal. lxxx, 17. — [3] Prov. xxvii, 7.

quidem, et quæ apud universos conciliari solet, gloria nos fraudant, eique contrariam coloribus illius fucatam deceptis offert, ac suadet ut hanc illam esse existimemus, cum ex natura sua non sit, sed specie tenus esse videatur. Ut enim pulchritudo meretricum fucis et pigmentis comparata, pulchritudine destituta, turpem ac deformem faciem, pulchram et formosam esse facit illis, qui ea decipiuntur, cum pulchra non sit : ita etiam divitiæ faciunt, cum adulationem volunt honorem videri. Ne enim apertas et ex metu blanditiisque profectas laudes intuearis ; hæ enim sunt colores et pigmenta ; sed eorum, qui ita tibi adulantur uniuscujusque conscientiam aperi, et videbis intus infinitos accusatores, qui contra te vociferentur, teque magis aversentur et oderint, quam inimicissimi et infestissimi quique. Ac si quando indutam isto metu larvam superveniens mutatio rerum sustulerit ac detexerit quemadmodum vultus illos sol missis radiis calidioribus, tum sic clare videbis te omni superiori tempore in maximo fuisse contemptu apud eos qui te colebant, tibique visum esse honore affici ab iis qui te maxime oderant, infinitisque apud animum conviciis proscindebant, et in extremis calamitatibus videre cupiebant. Honorem enim nihil ita conciliare solet, ut virtus ; honorem non coactum, honorem non fictum, neque larva aliqua fallaciæ tectum, sed verum et genuinum, quique nulla temporum difficultate refutetur.

X. At ulcisci vis eos qui te offenderunt : hanc ipsam ob causam maxime, quemadmodum ante dixi, fugiendæ sunt divitiæ. Efficiunt enim, ut ensem in te ipsum adigas, et graviores in futuro rationes tibi reddunt, et intolerabiles pœnas parant. Tantum namque malum est ultio, ut etiam Dei benignitatem revocaverit, et jam datam infinitorum peccatorum veniam fecerit irritam. Nam qui decies

mille talentorum condonationem adeptus[1], solaque obtestatione tantam gratiam consecutus fuerat, cum centum denarios exigeret a conservo, hoc est, cum delictorum adversus se admissorum pœnas reposceret, sævitia erga conservum suum, se ipsum damnavit. Neque vero ullam aliam nisi hanc ob rem tortoribus traditus, et cruciatus, et decies mille talenta reddere jussus est : nullum veniæ aut excusationis locum invenit, sed acerbissimum supplicium perpessus est, jussus totum solvere debitum, quod præveniens Dei benignitas condonaverat. Propterea-ne igitur divitiarum adeo cupidus es, quod te facile ad ejusmodi peccatum perducunt? Atqui ob id eæ tanquam inimicæ et hostes, atque infinitis refertæ cædibus, aversandæ sunt. At paupertas, inquit, molestias creat, ac sæpe etiam facit, ut maledica in Deum verba effutias, ac illiberalia negotia suscipias. Non paupertas, sed pusillanimitas : nam et Lazarus pauper erat[2], et admodum quidem pauper, paupertati accedebat adversa valetudo omni paupertate acerbior, quæ paupertatem quoque reddebat graviorem; adversæ valetudini solitudo et penuria eorum, qui ministrarent, quæ cum paupertatem, tum adversam valetudinem faciebat acerbiorem. Horum namque singula per se quoque molesta sunt; cum vero neque qui ministrent, adsunt, major fit calamitas, sævior flamma, dolor acerbior, tempestas atrocior, fluctus vehementiores, caminus ardentior. Quod si quis accurate circumspiciat, aliud etiam his quartum accedebat, nempe divitis in vicinia habitantis licentia et luxus. Sin aliud etiam quintum vis invenire flammæ illius fomitem, id quoque in eo perspicue videbis. Non enim duntaxat genio indulgebat dives ille, verumetiam etsi iterum, tertium, imovero sæpius in die eum videbat: juxta ingressum namque jacebat, spectaculum dirum mi-

[1] Matth. xviii, 24. — [2] Luc. xvi, 20.

scrabilis tragœdiæ, et qui aspectu solo vel lapideum pectus poterat emollire : tamen neque hoc inhumanum illum ad eam paupertatem levandam permovit : sed ille sybariticam apponebat mensam, crateras habebat plenas, merum large diffundendum, nitidos coquorum exercitus, parasitos et adulatores prima luce, et choros canentium, vina infundentium, risus moventium : omne genus helluationis excogitabat, inebriabatur, ingurgitabatur, in luxu vestium, mensæ, aliarumque plurium rerum perpetuo vivebat. Istum vero, quem gravi fame, morbo acerbissimo, obsidione tot ulcerum, solitudine, et malis inde consequentibus in dies singulos premi videbat, ne in animum quidem aliquando admisit : parasiti et adulatores nimiis epulis pene disrumpebantur : at iste pauper et adeo pauper, tot malis cinctus, nec micas ex illa mensa obtinuit, etsi valde cupidus : neque horum quidquam eum læsit, non verbum protulit asperum, non vocem edidit blasphemam : sed ut aurum vehementiore incendio magis purgatum splendescit, sic etiam ille afflictionibus istis vexatus, omnibus fuit superior tam plagis, quam quæ multis nascuntur inde, perturbationibus. Si enim omnino pauperes cum divites vident, tabescunt invidia, et æmulatione conficiuntur, ac vitam sibi non esse vitalem existimant, idque cum necessarius eis victus suppetit, necnon qui ministrent: iste pauper, et quidem pauper ut nullus alius, nec pauper modo, verumetiam æger, quique non habebat qui astaret aut solatium daret, sed in media urbe velut in extrema jacebat solitudine, fame tabescebat acerbissima, illi omnia tanquam ex fontibus affluere videbat, omni humano solatio destitutus, canum linguis ceu perpetua quædam mensa propositus; ita enim omnia ejus membra luxata ac dissoluta erant, ut nec illos arcere posset : quam iniquo animo fuisset, nisi valde generosus ac sapiens extitis-

set? cernis, qui se non lædat, etsi ab omnibus lædatur, nihil mali perpeti? repetam enim eamdem orationem.

XI. Quid namque adversa valetudo? quid solitudo eorum qui astarent? quid accessus canum? quid mala divitis vicinitas? quid magnus luxus, superbia et arrogantia illius athletæ huic nocuerunt? num eum ad sustinenda pro virtute certamina reddiderunt molliorem? quid vero constantiam ejus læsit? nihil usquam, sed eum etiam magis corroboravit, et infinitarum ei materia coronarum, accessio præmiorum, incrementum mercedis, seges majoris remunerationis extitit illa malorum multitudo, divitisque crudelitas. Neque enim ob paupertatem coronatus est tantum, neque ob famem, neque ob ulcera, neque ob linguas canum, sed quod talem vicinum cum haberet, a quo in dies aspiceretur et despiceretur perpetuo, eam tentationem generoso tulerit animo, magnaque constantia, quæ quidem tentatio et paupertati et adversæ valetudini et solitudini non exiguam, sed acerrimam flammam addebat. Quid vero beatus Paulus, dic mihi? nihil enim prohibet iterum meminisse viri. Annon infinitos tentationum tanquam nivium imbres sustinuit? quid ergo inde damni accepit? annon propterea majoribus donatus est coronis, quod esuriisset, quod algore ac nuditate confectus, quod verberibus sæpenumero concisus, quod lapidibus appetitus, quod in mare demersus fuisset? At ille Paulus erat, inquit, et vocatus a Christo : atqui Judas quoque unus erat ex duodecim, vocatus etiam ipse a Christo; verum neque quod esset ex duodecim, neque vocatio Christi quidquam ei profuit, quoniam animum ad virtutem paratum non habebat. Sed Paulus quidem et cum fame luctans, et necessario egens alimento, et tanta in dies singulos perferens, magna cum alacritate viam quæ ad cœlum ducit, currebat. At ille et ante hunc vocatus, et iisdem, quibus ipse, bonis

potitus, suprema philosophia initiatus, particeps mensæ sacræ ac tremendæ illius cœnæ, tantam gratiam adeptus, ut etiam mortuos excitaret, leprosos mundaret, et dæmonas expelleret; crebris de paupertate sermonibus auditis, tandiu versatus cum Christo, cuique pauperum pecuniæ creditæ fuerant, ut inde ægritudinis solatium caperet; fur enim erat; ne sic quidem factus est melior, quanquam tantam expertus indulgentiam. Cum enim sciret Christus eum avarum esse, et amore pecuniæ periturum, non modo ejus rei tum ab eo pœnas non repoposcit, verum ut ipsius ægritudinem deliniret, et minori malo præcaveret majus, etiam pauperum ei pecunias credidit, ut cum haberet unde pecuniæ cupiditatem satiaret, in horribile illud barathrum non corrueret.

XII. Adeo nusquam quisquam lædere poterit eum, qui se ipsum lædere nolit; ei vero qui vigilans ac sobrius esse, suamque operam conferre nolit, nemo unquam proderit. Propterea tibi mirabilis quoque Scripturarum historia velut in effigie quadam sublimi magnaque, et in magnam latitudinem extensa veterum vitas descripsit, narratione ab Adam usque ad Christi adventum producta: ostenditque tibi tam supplantatos, quam coronatos, ut omnium exemplis te doceat, cum qui se ipsum non lædat, a nemine alio lædi posse, etiamsi totus orbis grave contra illum concitet bellum. Neque enim difficultas rerum, nec temporum mutationes, nec potentum injuriæ, neque insidiarum tanquam nivium imbres, neque calamitatum multitudo, neque omnium, quibus homines premuntur, malorum collectus acervus, generosum, sobrium ac vigilantem vel parum labefactare poterit: quemadmodum vicissim ignavum, collapsum, et a se ipso proditum, etiamsi infinitæ curationes admoveantur, nihilo faciunt meliorem. Hoc siquidem etiam insinuavit nobis illa parabola de ho

minibus illis, quorum alter super petram, super arenam alter suam domum ædificavit [1] : non ut arenam et petram intelligamus, nec structuram lapidum, et tectum, neque ut flumina, et pluviam, et sævos spiritus in ædificia irruentes; sed ut virtutem et vitium ex his colligamus, atque etiam hinc perspiciamus, eum qui se ipse non lædat a nemine lædi. Ergo nec pluviæ magna quanquam vi delatæ, neque flumina magno impetu irruentia, neque sævi spiritus vehementi cum insultu adorti, partem ullam domus illius labefactarunt; sed mansit et inexpugnabilis, et immota : ut discas, qui se ipse non prodat, eum nulla tentatione posse labefactari. At illa alterius facile eversa est, non ob tentationum impetum; alioquin alteri quoque idem accidisset; sed ob ipsius vecordiam : non enim quia ventus afflavit, ideo cecidit, sed quod super arenam, hoc est, super ignaviam et nequitiam ædificata fuit, ruinam fecit. Nam prius etiam quam illa tempestas ingrueret, infirma erat et ad casum parata. Hujuscemodi enim ædificia, etiam nemine infestante, dum subtrahitur ac diffluit fundamentum, sua sponte corruunt. At ut aranеæ ultro, nemine ipsis infesto, distrahuntur, adamas contra etiam percussus non frangitur; sic etiam qui semetipsi non lædunt, etsi ab infinitis feriantur, fortiores evadunt : qui vero semetipsi produnt, etsi nemo sit infestus, sua sponte devolvuntur, diffluunt ac pereunt. Quemadmodum Judas quoque non modo nulla infestante hujusmodi tentatione, sed magna etiam curatione adhibita, periit.

XIII. Vis integrarum gentium exemplis hanc orationem illustrem? quanta Judæorum gentis fuit providentia? annon tota quæ videtur creatura ad eorum obsequium fuit comparata? et nova quædam ipsis, ac mira vivendi ratio

[1] Matth. vii, 24.

introducta ? neque enim ad forum mittebant, itaque non numerata pecunia venalibus rebus fruebantur : nec sulcos findebant, neque aratrum trahebant, nec terram proscindebant, nec semina jaciebant, neque pluviis indigebant et ventis et anni temporibus, non solis radiis, non cursu lunæ, non aëris natura, non ulla hujusmodi re alia ; non aream præparabant, non fruges triturabant, non ventos desiderabant ad secernenda grana a paleis, non molam versabant, non clibanum ædificabant, non ligna et ignem domum inferebant, non panifica egebant arte, non ligonem tractabant, non falcem acuebant, non aliqua alia indigebant arte, textoria, inquam, architectonica, et sutoria : sed omnia eis erat verbum Dei. Mensam habebant paratam ex tempore, sudoribus et laboribus vacuam. Ejus enim naturæ erat manna ; nova, recens, nusquam ipsis negotia facessens, neque labore conficiens. Jam vestimenta eorum et calcei et ipsa corporis natura quodam modo suæ fragilitatis obliviscebantur : tempore enim ita longo neque illa terebantur, neque pedes eorum tot tantaque licet itinera decurrentium occalluerunt. Medicorum, remediorum, cæteræque in hac arte curæ ne memoria quidem apud eos erat : adeo longe aberat omnis invaletudo. « Eduxit enim eos in auro et argento, inquit, et »non erat in tribubus eorum infirmus [1]. » Verum quasi relicto hoc mundo, et in alium meliorem orbem inhabitandum translati, sic comedebant, sic bibebant, ac neque radii calidiores effecti capita illorum feriebant : disterminabat enim flammam nubes undique impendens, et omnibus illis familiis gestatorii tecti instar erat. Neque vero noctu face indigebant quæ tenebras discuteret, sed erat eis columna ignis, fons lucis ineffabilis in duplicem usum, tum ut luceret, tum ut iter dirigeret. Neque enim lucida

[1] Psal. cIV, 37.

duntaxat erat, verumetiam omni viæ duce certius infinitum illum populum per solitudinem illam ducebat. Ibant non terra solum, sed etiam mari quasi terra. Ausi sunt transcendere fines naturæ, cum sævum illud pelagus ambularent, quasi per solidam ac firmam petram iter facerent; cumque illis substratum esset elementum illud, solidam terram, camposque supinos, et agros imitabatur: cum vero hostes excepisset, maris munus exequebatur: illis fuit vehiculum, hostibus ipsorum sepulcrum; illos facile transmisit, hos magna cum vehementia submersit. Inordinatus aquarum impetus, virorum ratione præditorum atque prudentissimorum ordinem et obedientiam præ se ferebat, cum jam custodis, jam carnificis vicem obtineret, unoque die contraria repente præstaret. Quid commemorem petras, quæ fluvios effuderunt aquarum? quid nubes volucrum, quæ corporum multitudine totam terram texerunt? Quid miracula patrata in Ægypto? quid prodigia quæ contigerunt in solitudine? quid tropæa et incruentas victorias? Tanquam enim choreas ducerent, non bellum gererent, ita adversarios domuerunt. Ac dominos quidem suos sine armis superarunt; qui vero extra Ægyptum cum ipsis pugnarunt, eos tubis canendo, psallendoque vicerunt: resque illa, chorea potius erat quam bellum, initiatio potius quam pugna. Omnia namque ista prodigia non ob id solum acciderunt ut eis necessarium ferrent subsidium, verum ut doctrinam quoque cognitionis Dei qua eos Moyses instituerat, certius conservarent; undique voces edebantur, quæ Dominum prædicarent. Hæc enim mare declamabat, cum nunc pedestri itinere trajiceretur, nunc ad ingenium rediret; hanc vocem edebant undæ Nili in sanguinem mutatæ, ranæ, locustarum ille exercitus, eruca, et rubigo, hæc omni populo loquebantur: prodigia quoque in solitudine, manna, co-

lumna, nubes, ortygometra, cætera omnia fuerunt eis vice libri et litterarum, quæ nunquam delentur, cum memoriam eis quotidie refricarent, et ipsorum animo insonarent. Verumtamen post tantam tamque multiplicem provisionem, post ineffabilia illa beneficia, post tanta miracula, post inenarrabilem curam, post longam institutionem, post instructionem verborum, post adhortationem ipsarum rerum, post insignes victorias, post admirabilia tropæa, post lautitiam mensarum, post ubertatem illarum aquarum, post ineffabilem gloriam, quam apud hominum genus universum fuerant consecuti : ingrati et stupidi cum essent, vitulum adoraverunt, et bovis caput coluerunt; deosque sibi fieri postularunt, cum recentia beneficiorum Dei in Ægypto acceptorum monumenta tenerent, ac multis etiam aliis adhuc fruerentur.

XIV. Ninivitarum vero populus barbarus cum esset atque alienigena, nihilque horum participasset, non parvum, non magnum, non orationes, non miracula, non res, non verba; vidissetque hominem ex naufragio conservatum, nunquam secum antea versatum, sed tum primum visum, ingressum, ac dicentem : « Adhuc tres dies, » et Ninive subvertetur[1] : » adeo nudis hisce verbis mutati ac meliores facti sunt, et deposita priori vitiositate ad virtutem per pœnitentiam contenderunt, ut decretum Dei revocarent, nutantem urbem sisterent, divinitus impendentem iram propulsarent, omnique afflictione liberarentur. « Vidit enim Deus, inquit, quia aversus est unusquisque de via sua mala, et conversus est ad Dominum[2]. » Quomodo conversus est, dic mihi? atqui magna eorum erat malitia, ineffabilis nequitia, ulcera curatu difficilia; idque ut indicaret Propheta, dixit : « Ascendit malitia eorum

[1] Jon. III, 4. — [2] Ibid.

» usque ad cœlum[1] : » distantia loci magnitudinem malitiæ ipsorum significavit. Sed tamen tantam nequitiam, usque adeo elatam et exaltatam, ut ad cœlum quoque pertingeret, tribus diebus, brevi temporis momento, paucis verbis, quæ ab uno homine audiverant, ignoto, hospite, naufragium passo, ita profligaverunt, ita aboleverunt, ita e medio sustulerunt, ut tali voce recrearentur : « Vidit » Deus quia aversus est unusquisque de via sua mala, et » pœnituit eum super malitia, quam locutus fuerat Deus » ut faceret eis. » Vides-ne sobrium ac vigilantem non modo ab hominibus non lædi, verumetiam iram divinitus impendentem avertere, qui vero semetipse prodat ac noccat, etsi infinita accipiat beneficia, non multum lucri facere? sic enim neque illis profuerunt tanta portenta, neque his obfuit iisdem caruisse. Verum cum natura forent candidi, exiguum nacti momentum, meliores evaserunt, quanquam barbari et alienigenæ, inauditis omnibus divinis oraculis, longeque a Palæstina dissiti.

XV. Quid vero illorum trium puerorum, dic mihi, virtuti supervenientia mala offecerunt? annon adhuc juvenes, et admodum quidem juvenes, in immatura ætate grave illud subiere supplicium et captivitatem, longam peregrinationem peregrinati sunt, a patria, domo, templo, altari, sacrificiis, oblationibus, libationibus, ab ipso quoque psalmorum cantu, ubi in alienam regionem venerunt, separati sunt? non enim domus eis duntaxat eam ob causam inaccessa erat, sed multa quoque divini cultus genera. Annon barbarorum manibus dediti sunt, lupis potius quam hominibus, et quod est gravissimum, in tam longe dissitam ac barbaram abducti terram, et servitutem gravissimam, non magistrum habebant, non Prophetam, non principem? « Non enim est, inquit, princeps,

[1] Jon. I, 2.

» neque Prophèta, neque dux, neque locus sacrificandi » coram te, et inveniendi misericordiam[1]. » Quin etiam in domum regiam, tanquam in scopulum quemdam ac præcipitium, et pelagus saxis petrisque sub aqua latentibus refertum, introducti sunt, sine gubernatore, sine proreta, sine nautis, sine velis, sævum illud mare navigare coacti; atque in aula regia tanquam in carcere inclusi. Cum enim philosophari nossent, et rebus sæcularibus essent superiores, omnem quoque humanum factum conculcassent, alasque sibi leves reddidissent, accessionem malorum, etiam illam commorationem esse existimabant. Si enim foris fuissent, et in domo privata, majori libertate fruituri erant: at vero introducti in illum carcerem; carcere namque omnem illam splendoris et magnificentiæ speciem, et præcipitiis scopulisque nihilo censebant esse meliorem; continuo gravem difficultatem sustinuere. Rex enim eos illius voluptuosæ impuræque et profanæ mensæ suæ jussit esse socios, id quod eis interdictum erat, et morte gravius videbatur: ac soli velut agni in medio tot luporum erant inclusi. Necesse erat aut fame tabescere; imovero ad mortem rapi, aut prohibita edulia degustare. Quid ergo faciunt juvenes, orphani, captivi, peregrini, servi illorum qui hæc imperabant? non existimarunt necessitatem sibi ad excusationem sufficere, neque tyrannidem ejus, qui urbem obtinebat; sed omnia machinabantur moliebanturque, ut peccatum effugerent, omni licet ex parte deserti. Neque enim pecuniis persuadere poterant, utpote captivi; non amicitia et familiaritate, utpote peregrini; non potentia superare, utpote servi; non multitudine vincere, utpote tres tantum. Accedunt igitur ad eunuchum, qui eam potestatem obtinebat, eique verbis persuadent. Cum enim invenissent eum trepidum ac timidum, deque

[1] Dan. I, 38.

salute sua sollicitum, et metus mortis intolerandus animum ejus concuteret : « Timeo enim ego, inquit, dominum » meum regem, nequando videat vultus vestros macilen- » tiores præ cæteris adolescentulis coævis vestris, et con- » demnetis caput meum regi[1] : » eo timore liberatum inducunt, ut daret ipsis eam gratiam. Ac postquam omne officium suum fecissent, Deus quoque deinceps fecit suum. Neque enim solius Dei erat præclarum illud facinus in iis, quorum gratia mercedem illi erant accepturi, sed principium et exordia proficiscebantur ab illorum animo, quem cum præstitissent generosum ac fortem, Dei favorem sibi conciliarunt, et ad finem quod moliebantur perduxerunt.

XVI. Vides, qui se ipse non lædit, ei neminem alium posse nocere? Ecce enim nec juventus, neque captivitas, neque orbitas, neque abductio in regionem alienam, nec solitudo et destitutio eorum, qui ab ipsis starent, nec mandatum grave, nec magnus mortis timor, qui eunuchi cingebat animum; nec paupertas, nec paucitas, non quod in medio barbarorum essent, non quod hostes haberent dominos, non quod in ipsius regis manus essent traditi, neque cognatorum omnium separatio, neque sacerdotum et Prophetarum et aliorum, qui curam ipsorum gerebant, alienatio, nec libationum et sacrificiorum cessatio, neque templi et psalmorum ademptio, neque quidquam horum eis nocuit; sed tum in majori gloria fuerunt, quam cum iis rebus in patria sua fruerentur. Hoc primo certamine perfecto, insigni corona redimiti, lege in aliena quoque regione servata, conculcato tyranni mandato, victo dæmonis terrore, neque ullo ulla ex parte damno affecti; quasi domi sederent, et omnibus illis fruerentur, opere ita libere perfecto, ad alios rursus agones sunt vocati. Iterum

[1] Dan. I, 10.

erant iidem; et certamen priore difficilius ipsis proponebatur, caminus incendebatur, barbaricus adversum eos exercitus cum rege instruebatur velut in acie: tota persica potentia incitabatur, omnia ad fraudem ac vim ipsis afferendam comparabantur; diversa cantionum genera, variæ suppliciorum formæ, minæ, aspectus omni ex parte terribilis, et verba aspectu terribiliora: sed tamen quoniam semetipsi non prodiderunt, sed omnem suam operam contulerunt, nihil unquam damni acceperunt: quinetiam coronis, quam priores fuerant, illustrioribus redimiti sunt. Vinxit enim eos Nabuchodonosor, et in caminum conjecit, non tamen damno, quin potius etiam commodo affecit, et illustriores reddidit. Cumque nec templum; iterum enim eadem dicam; neque altare, non patriam, non sacerdotes, non prophetas haberent, in aliena et barbara regione, in medio camini, totiusque illius exercitus, rege harum rerum auctore spectante, splendidum statuerunt tropæum et insignem reportarunt victoriam, admirabili illa et inopinata cantione decantata, quæ ex illo etiamnum ubique terrarum cantatur, et cantabitur etiam in postera sæcula. Sic ergo si nemo se ipsum lædat, ab alio lædi non poterit: non enim cessabo hoc dictum continenter decantare. Nam si captivitas, servitus, solitudo, patriæ amissio, et omnium cognatorum mors, incendium, tantus exercitus, tyrannus tam crudelis, non valuerunt tribus pueris, juvenibus, captivis, servis, peregrinis, in aliena regione versantibus quidquam nocere quoad suam virtutem, sed majoris etiam loquendi libertatis occasio fuerunt illæ insidiæ: quid sobrium lædere poterit? non est quidquam, etsi totum orbem adversarium haberet. At Deus tum, inquit, eis astitit, eosque ex flamma eripuit: maxime id quidem; tu quoque si omnia, quæ a te requiruntur, præstiteris, divinum auxilium sequetur omnino.

XVII. Verumtamen ego pueros non eo miror, beatosque ac felices æstimo, quod flammam conculcarunt, et vim ignis vicerunt; sed quod verorum dogmatum causa vincti, in caminum conjecti, et igni traditi sunt. His enim eis totum tropæum absolutum est, et simul atque in caminum conjecti sunt, imposita corona, et ab illis verbis texi cœpta etiam ante rerum eventum, quæ magna cum fiducia libertateque loquendi ad regem ducti in medium protulerunt : « Non oportet de hac re respondere » tibi. Potest enim Deus noster qui est in cœlis, quem nos » colimus, eripere nos ex camino ignis ardentis; et de tuis » manibus, o rex, liberabit nos : sin minus, notum sit tibi, » rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, » quam erexisti, non adoramus[1]. » Jam inde ab illis verbis eos victores pronuntio, jam inde ab illis reportato victoriæ præmio ad insignem martyrii coronam, confessioni verborum addita confessione rerum, cucurrerunt. Sin ignis reveritus est immissa eorum corpora et vincula solvit, securum descensum præbuit, suæ virtutis oblitus, et caminus ignis factus est fons frigidarum aquarum : id jam divinæ gratiæ, et supernæ stupendarum rerum operationis miraculum fuit. Quare athletæ quidem prius etiam quam hæc fierent, simul ac flammam ingressi sunt, et tropæum statuerunt, et victoriam reportarunt, et corona redimiti, et in cœlo terraque deprædicati sunt, et nihil eis ad gloriam erat reliquum. Quid ergo dicere poteris? in exilium relegatus es, et patria ejectus? ecce etiam isti. Captivitatem sustinuisti, et sub barbaris dominis fuisti? at hoc quoque istis contigisse reperies. At non habes ibi qui tibi adsit, resque tuas moderetur, neque qui te admoneat et doceat? hac quoque isti cura erant fraudati. At vinctus es? at combustus es? at mortuus es? nihil

[1] Dan. III, 16-18.

enim his potes dicere gravius : at ecce isti quoque per hæc omnia tetenderunt, et per eorum singula illustriores, extiterunt, longeque clariores et cœlestes merces auxerunt. Judæi quidem cum haberent templum, altare, arcam, Cherubim, propitiatiorium, velum, infinitam sacerdotum multitudinem, cultum Dei quotidianum, sacrificia cum matutina tum vespertina, et continenter Prophetas audirent, vivos, mortuos, qui aures ipsorum personabant, miraculorum in Ægypto, in solitudine editorum, omnium aliorum memoriam renovarent, eaque manibus versarent, in postibus inscripta haberent, rebusque multis tum supra naturalem potestatem confectis, cæteraque sui cura fruerentur, non modo nullo emolumento, verumetiam damno sunt affecti, simulacris in ipso templo cultis; mactatis filiis et filiabus sub arboribus, et illis lege vetitis execrandisque sacris in omni propemodum agri Palæstini loco factis, aliisque facinoribus infinitis absurdioribus perpetratis. At vero isti in media barbaria, in terra hostili et inimica, in domo tyrannica versantes, omni illa cura destituti, ad supplicium abrepti, usti, non solum hinc læsi non sunt, non parum, non multum; verum magis etiam claruerunt. His igitur cognitis, horumque similibus e Scriptura divinitus inspirata collectis; multa enim hujuscemodi suppetunt exempla in diversis etiam personis aliis; neque difficultatem temporum aut rerum, neque necessitatem et vim ac tyrannidem potentium sufficere nobis existimemus ad defensionem, quando deliquerimus. Quod enim in principio dixi, in eo nunc quoque orationem terminabo; si quis damnum ac detrimentum accipiat, a se ipso prorsus id, non ab aliis accipere, etsi infiniti sint qui damna et injurias inferant. Nam si quidem hæc a semetipso non accipiat, si totius terræ marisque incolæ communi consilio irruant, ne parum qui-

dem lædere poterunt eum, qui in Domino vigilat ac sobrius est. Simus ergo, quæso, sobrii, et vigilemus semper, et acerba omnia generoso animo feramus, ut æternis illis et immortalibus bonis potiamur, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

ADVERSUS JUDÆOS ORATIONES OCTO.

ORATIO I.

I. Quod reliquum erat materiæ[1], de qua nuper vobis disserui; « Deum comprehendi non posse : » id hodie absolvere et dilucidius docere volebam. De hoc enim, præterita die dominica, tantum verborum, tamque copiose fecimus; productis Hesaïa, Davide, atque Paulo testibus. Nam ille, « Generationem ejus quis enarrabit[2] ? » clamabat; hic quod comprehendi non posset, gratias ipsi agens, « Confitebor tibi, dicebat, quia terribiliter magnifica- » tus es, mirabilia opera tua. » Et rursum, « Mirabilis facta » est scientia tua ex me; confortata est : et non potero ad » eam[3]. » At Paulus non ad ipsam Dei essentiam respiciebat, sed ad ejus duntaxat providentiam : quin hujus etiam particula solum, quam in gentium vocatione demonstrasset, percepta; veluti vastum et immensum mare conspicatus, sic exclamabat; « O altitudo divitiarum et » sapientiæ, et scientiæ Dei ! quam inscrutabilia sunt judi- » cia ejus, et investigabiles viæ ejus[4] ! » Atque hoc satis demonstrationis esse poterat : ego vero non Prophetarum

[1] Vide D. Guillon, tom. XIII, p. 325-333. — [2] Isaï. LIII, 8. — [3] Psal. CXXXVIII, 6 et 13. — [4] Rom. XI, 33.

testimoniis fui contentus, non in apostolicis substiti : sed in cœlum ascendi, chorum Angelorum vobis monstravi, qui diceret : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, in » hominibus beneplacitum[1]. » Audiistis Seraphim rursus cum stupore et horrore clamitare, « Sanctus, Sanctus, » Sanctus Dominus exercituum : plena est omnis terra » gloria ejus[2]. » Addidi et Cherubim clamantes, « Bene- » dicta gloria Domini de loco ejus[3]. » Tres in terris, totidem in cœlis testes, ad Dei majestatem perveniri haud posse, ostenderant. Proinde certa, magno cum applausu, fiebat demonstratio ; theatrum incalescebat : cœtus auditorum inflammabatur. Neque vero ego me laudari gaudebam : sed Dominum meum laudibus cumulari. Nam applausus atque laus ista, animorum vestrorum in Deum amorem commonstrabant. Et quemadmodum servi, herum sincere amantes, hunc laudari si audiant, flagrant desiderio ejus qui prædicat, quia heri amore ardent : ad eumdem etiam modum vos maximo tunc applausu amorem erga Dominum satis declarastis. Volebam igitur et hodie in certamen illud descendere. Nam si veritatis hostes nulla capit satietas conviciorum in beneficum : multo magis nos inexplebili cupiditate celebrandi Deum universorum ardere decet. Sed quid faciam, alius gravissimus morbus, linguæ nostræ medicinam flagitat ; morbus in Ecclesiæ corpore insitus. Is prius est tollendus ; dein domesticorum priusquam exterorum cura gerenda : postea extraneorum habenda est ratio. Quinam est morbus iste ? Feriæ Judæorum miserorum atque ærumnosorum continuæ, et frequentes instant : Tubæ, Scenopegiæ, Jejunia : et multi nostri ordinis, qui se nobiscum sentire dicunt, partim spectatum illas ferias prodeunt, partim etiam una celebrant ; una jejunant : quam pravam consue-

[1] Luc. II, 14. — [2] Isaï. VI, 3. — [3] Ezech. III, 12.

tudinem nunc ab Ecclesia volo arcere. Nam verba contra Anomœos alio tempore fieri poterunt; nec quidquam damni propter moram facietis : Judæorum autem morbo correptos nisi jam curaverimus, dum præ foribus illorum feriæ, propeque adsunt : vereor ne forte quidam, intempestiva consuetudine magnaque ignorantia, illorum nequitiæ consortes fiant, atque deinceps frustra de his verba faciamus. Si enim nihil audiendo hodie cum illis jejunarint : perpetrato peccato, remedium frustra adhibebimus. Quare ad præoccupandum impellor. Idem etiam medici in urgentibus et acutissimis morbis observant, quos prius curare instituunt : omnino autem hoc certamen priori est cognatum. Quia enim impietas Judæorum et Anomœorum affine quid habet : certamina etiam nunc, prioribus affinia, nobis sese offerunt. Nam quod Judæi crimen objiciebant : idem intentant quoque Anomœi. Quid crimini dabant illi? quod Christus Deum, patrem diceret, seque ipsum Dei æqualem faceret[1]. Id in crimen etiam hi trahunt : quin potius non trahunt; sed dictum, ejusque sententiam delent, licet non manu, at cogitatione atque animo.

II. Neque vero miremini, quod Judæos miseros dixerim. Revera enim miseri sunt atque ærumnosi, qui tot bona cœlitus sibi in manus delata repudiarunt, deditaque opera rejecerunt. Ortus est illis matutinus justitiæ Sol; et ipsi quidem, radiis repulsis, in tenebris sedent : at nos, his innutriti, lucem ad nos ipsi pertraximus, errorisque caligine liberati sumus. Illi radicis sanctæ rami erant, sed fracti sunt[2] : nos non eramus radicis participes, et fructum pietatis tulimus. Illi Prophetas ab incunte ætate legerunt, et prophetiis enuntiatum cruci affixerunt : nos, qui nihil de sacris Litteris audieramus, hunc ipsum adoravimus. Ideo miseri illi; quia missa sibi bona, aliis rapientibus

[1] Joan. v, 18. — [2] Rom. xi, 16, 17.

atque ad sese pertrahentibus, ipsi repulerunt. Ac illi quidem ad filiorum adoptionem vocati, in canes degenerarunt : nos, qui canes eramus, brutam naturam, divina gratia, exuere atque ad filiorum honorem ascendere potuimus. Unde hoc liquet? « Non est bonum, inquit Cha» nanæ Christus, panem filiorum capere, et catellis ob» jicere[1] : » illos filios, ex gentibus vero oriundos, canes nuncupans. Verum, quo modo sit inversus ordo, vide : illique canes nos liberi facti simus. « Videte canes, de » illis ait Paulus, videte malos operarios, videte conci» sionem. Nos enim sumus circumcisio[2]. » Cernis quomodo liberi prius, canes evaserint? Vis-ne cognoscere, qui nos e canibus filii facti simus? « Quotquot autem rece» perunt eum, inquit, dedit eis potestatem filios Dei » fieri[3]. » Nihil istis miserius, qui nusquam non saluti suæ adversi currunt. Dum enim legem servari oportuit, conculcarunt : illa nunc cessante, pertinaciter eamdem tueri contendunt. Quid ipsis queat miserabilius esse, qui non transgressione solum, sed et observatione legis Deum exacerbant? Ideo « Dura cervice, inquit, et incircumciso » corde ; vos semper Spiritui sancto resistitis[4] : » non violando leges duntaxat, sed et intempestive servare illas cupiendo. Duri cervice, probe sic eos appellavit : non enim jugum Christi portarunt, licet suave esset, nec quidquam oneris aut molestiæ haberet. Nam « Discite a » me, inquit, quia mitis sum et humilis corde, » et, « Tol» lite jugum meum super vos : quia jugum meum suave » est, et onus meum leve[5]. » Non tolerarunt tamen, ob cervicis duritiem : neque modo non tolerarunt, sed et confregerunt, et ruperunt. Nam « A sæculo, inquit, con» fregisti jugum tuum ; rupisti vincula tua[6]. » Non Pauli

[1] Matth. v, 26. — [2] Philip. III, 2. — [3] Joan. I, 12. — [4] Act. VII, 51. — [5] Matth. XI, 29. — [6] Jerem. II, 20 ; V, 5, et Psal. II, 3.

hæc sunt verba, sed Propheta clamat; jugum et vincula, imperii notas dicens : quia Christi dominium Judæi respuerunt, cum dicerent; « Non habemus regem, nisi Cæ» sarem[1]. » Confregisti jugum, dirupisti vinculum, e regno cœlorum te ipsum ejecisti, et potestati humanæ subjecisti. Velim hic mihi consideres, quam solerti ænigmate effrenatum illorum animum significarit. Non enim, inquit, jugum dejecisti, sed confregisti, quod est brutorum animalium, eorumque petulcorum vitium, quæ frenum respuunt, imperiumque detrectant. Verum unde hæc illis durities? ex crapula et ebrietate. Quis ait hoc? ipse Moses. « Comedit Israël, et repletus et impinguatus est, et recalci» travit dilectus[2]. » Quemadmodum enim animantia bruta, uberiore pabulo distenta, magis refractaria, atque indomita fiunt, et neque jugum, nec frenum, nec aurigæ manum ferunt : ita et populus judaïcus, ex ebrietate et nimia corporis obesitate ad extremam præcipitatus malitiam, lasciviit, neque Christi jugum acceptavit neque doctrinæ aratrum duxit. Quod alius etiam Propheta subindicans dixit; « Sicut vitula » œstro percita insaniit Israël[3]. » Alius ipsos « Vitulum non » edoctum ferre jugum vocavit[4]. » Talia vero bruta animantia, ad operas inepta, ad mactandum sunt apta. Quod his etiam accidit : nam cum ipsi sese ad operationes inutiles redderent; qui mactarentur apti fuerunt. Quare Christus etiam, « Inimicos meos illos, inquit, qui noluerunt me regnare » in se, adducite huc, et mactate illos[5]. » Tum Judæe, oportebat te jejunare, cum ebrietas istis te malis afficeret; cum impietatem pareret crapula, non jam. Nunc enim jejunium est intempestivum et abominandum. Quo auctore? Hesaïa, qui voce edita clamat; « Non hoc jejunium » elegi[6]. » Quid ita? « Quia in judicia et pugnas jejunatis,

[1] Joan. XIX, 15. — [2] Deut. XXXII, 15. — [3] Osee. IV, 16. — [4] Jerem. XXXI, 18. — [5] Luc. XIX, 27. — [6] Isaï. LVIII, 5.

» et percutitis pugno subditos[1]. » Quod si, cum pulsares conservos, detestabile tuum fuit jejunium : Domino abs te mactato; acceptum quî fuerit? qua ratione? Eum, qui jejunat, compositum esse decet, contritum, humiliatum; non ira ebrium : et conservos pulsas? Olim igitur in judicia et pugnas jejunarunt : nunc ad petulantiam atque extremam intemperantiam, dum nudis pedibus in foro saltant; jejunii quidem prætextu, sed ebriorum more. Audi quo pacto Propheta jejunare jubeat, « Sanctificate je- » junium, » inquit, non cum tripudiis celebrate : « Præ- » dicate cultum, congregate senes[2]. » At hi choros mollium cogunt, colluviemque stupro inquinatarum mulierum; theatrum universum, et homines scenicos, ad synagogam pertrahunt. Nam inter theatrum et ipsorum synagogam nihil interest. Equidem scio, fore qui me temeritatis arguant, quod inter theatrum atque synagogam quidquam interesse negarim, at ego illos audaciæ condemno, ni ita sentiant. Damna, si ex me isthæc pronuntio : sin Prophetæ verba dico; enuntiatum approba.

III. Multi, scio, reverentur Judæos, eorumque ritus hodiernos censent esse honestos; quo ipso ad perniciosam istam opinionem radicitus evellendam incitor. Negavi theatro quidquam præstare Synagogam; adducam Prophetæ testimonium : non sunt Judæi Prophetis fide digniores. Quid igitur ille? « Frons meretricis facta est tibi, desiisti » erubescere apud omnes[3]. » Ubi vero scortum prostituitur, is locus est prostibulum. Imo non prostibulum duntaxat, theatrumque est Synagoga : verumetiam spelunca latronum, et latibulum ferarum. Nam « Spelunca hyænæ facta » est mihi, inquit, domus vestra[4] : » nec simpliciter bestiæ, sed bestiæ impuræ. At rursum, « Dereliqui domum meam,

[1] Isaï. v, 4. — [2] Joël. i, 14. — [3] Jerem. iii, 3. — [4] Id. vii, 11, et xii, 8.

» deserui hæreditatem meam[1]. » Quod si Deus dereliquerit : quæ salutis spes reliqua? si deseruerit Deus, locus ille fit habitatio dæmonum. At omnino se quoque Deum adorare dicunt. Sed absit ut hoc dicamus : nemo Judæus Deum adorat. Quis ait hoc? Dei Filius. « Si enim Patrem meum » nossetis, et me nossetis : neque vero me nostis, nec Pa» trem[2]. » Quod testimonium hoc fide dignius adducam? Si Patrem non norunt, Filium crucifixerunt, Spiritus auxilium repulerunt : quis locum istum esse dæmonum diversorium affirmare non ausit? non adoratur ibi Deus, absit : sed idololatriæ deinceps locus est : et tamen aliqui illis tanquam sacrariis adhærent. Atque hæc non conjecturis adductus dico, sed ipsa edoctus experientia. Nam ante hoc triduum mihi credite, non mentior, matronam quamdam honestam, ingenuam, modestam, et fidelem vidi, quam homo quidam impurus, stolidus, opinione Christianus, talia enim audentem, sincerum Christianum non dixerim, Hebræorum ædem intrare, ibique jusjurandum de negotiis sibi controversis dare cogebat. Ut vero illa opem implorabat, et vim sceleratam amoliri cupiebat; sibi enim, quæ divinorum mysteriorum particeps facta esset, illum locum adire, nefas esse : incensus ego zelo, atque ardens, surrexi; nec illam porro ad prævaricationem trahi sum passus, eripuique ab iniqua ista abductione. Postea cum, qui traxerat illam, Christianus ne esset, rogavi. Cui confitenti graviter institi, fatuitatem exprobrans, extremamque dementiam, et asinis illum quidquam præstare negavi, si Christum se adorare profitens, ad Judæorum, qui ipsum crucifixissent, speluncas quemquam traheret. Productoque longius sermone primum, prorsus non licere jurare, neque ad jusjurandum quemquam incitare, ex sacro Evangelio docui[3]. Deinde, non fidelem et

1 Jerem. XII, 7. — 2 Joan. VIII, 19. — 3 Matth. V, 34.

initiatam, quin neque eum, qui nondum sit initiatus, in istam necessitatem trahendum fuisse. Postquam diu multumque locutus animum ejus ab errore opinionis liberavi, causam sciscitatus sum, cur Ecclesia relicta ad Judæorum collegia illam traxerit. At ille, multos sibi dixisse inquiebat, jusjurandum, quod ibi daretur, magis formidandum esse. Ob quæ ingemiscebam, iraque incendebar, deinceps rursus ridebam. Cernens enim diaboli astutiam, ingemui, quod hominibus id persuadere posset : considerata vero eorum qui desiperentur socordia, excandui : et eorumdem quanta esset amentia mecum reputans, risi. Hæc vobis dixi et narravi : quia animo erga eos, qui talia et perpetrant et experiuntur, estis plane inhumano, nec quidquam iis movemini : sique fratrem quempiam vestrum in hujusmodi peccatum incidere videatis ; alienam, non propriam calamitatem esse ducitis. Vosque accusanti purgatos existimatis, dicendo : Quid mihi curæ est? quæ ratio mihi cum illo communis? Quæ verba capitale odium in homines et satanicam crudelitatem sonant. Quid ais, homo cum sis, ejusdemque naturæ particeps; quinimo, si naturæ communio dicenda est, cui unum caput est Christus[1] ; dicere audes, nihil tibi cum membris tuis esse commune? quomodo igitur Christum Ecclesiæ caput confiteris[2]? Nam caput natura omnia membra copulat, et ad se diligenter convertit, colligatque. Si nihil tibi commune est cum membro tuo : neque cum fratre quid commune est tibi, neque caput habes Christum. Judæi vos tanquam parvulos pueros terrent, et non animadvertitis. Nam quemadmodum parvulis illis multi scelerati servi larvas ostendunt terribiles, et ridiculas, quæ natura non sunt terrori, sed simplicibus animis tales videntur, magnumque risum movent : sic Judæi rudiores Christianos larvis suis territant.

[1] Coloss. I, 18. — [2] Ephes. V, 23.

Quomodo enim terricula sint apud ipsos ea, quæ magno dedecore, et risu plena, quæque hominum impingentium, cùm ignominia rejectorum, et damnatorum sunt?

IV. Nostra haud sunt talia : sed revera terribilia, et horroris plena. Ubi enim Deus est qui vitæ ac necis potestatem habet, is locus est terribilis[1] : ubi sermones habentur infiniti de pœnis æternis, de fluminibus igneis, de venenato verme, de vinculis rumpi nesciis, de tenebris exterioribus[2]. Illi vero nihil horum ne somniando quidem sciunt, ventri dediti, præsentibus inhiantes, porcis hircisque nihilo meliores, præ lascivia nimiaque crapula. Hocque unum norunt, ventri servire, ebrii esse ; pro saltatoribus contundi, pro aurigis vulnerari. Hæccine sunt gravia et terribilia? Quis hoc dixerit? Unde ergo nobis visa sunt terribilia, nisi et servos ignominia notatos, quibus nulla est loquendi libertas, quique domo herili exciderunt, terrori esse dicas iis, qui sunt honorati et libertate utuntur? Verum hæc non ita se habent, non ita sane se habent. Si quidem nec cauponæ regiis aulis digniores sunt ; quin diversorio quovis locus Synagogæ inhonestior est. Non enim latronum, neque cauponum simpliciter, sed dæmonum est habitatio. Imo non Synagogæ solum, sed ipsæ etiam Judæorum animæ : quod orationis epilogo conabor demonstrare. Quare vos hortor, ut hujus potissimum disceptationis memineritis. Non enim ad ostentationem, neque propter applausum nunc dicimus : sed ut medeamur animis vestris. Nam quis est vobis sermo excusationis reliquus, si in tanta medicorum copia aliqui ægrotent? Duodecim erant Apostoli, et universum mundum allexerunt : major pars urbis est Christiana, et adhuc quidam morbo judaïsmi laborant. Et qua nos sani defensione utemur? Digni sane etiam ægroti illi sunt crimine : sed neque nos vacamus culpa, ipsis in

[1] Matth. x, 28. — [2] Id. xxii, 13.

morbo neglectis. Vix enim ac ne vix quidem si multa nostra cura fruerentur, infirmi esse pergerent. Quare anticipans hæc nunc dico : ut quilibet vestrum attrahat fratrem ; etiam si necessitas imponenda sit, etiam si vis facienda, etiam si contumeliis et contentione fuerit opus : omnem moveto lapidem, ipsum ut diaboli laqueo eximas, liberesque a commercio eorum, qui Christum neci dederunt. Si videres in foro duci quempiam ad supplicium, calculo justo damnatum ; tibique liberum esset de carnificis manibus ipsum rapere, annon quidvis faceres, ut abduceretur? Nunc cum cernas fratrem tuum non a lictore, sed a diabolo ad perditionis barathrum contra jus et fas trahi : vel symbolam gravaris dare, qua ipsum iniquitatis vinculo eximas. Et quomodo venia sis dignus? Sed valentior te est, et potentior. Mihi ipsum ostendito : periculum capitis subibo potius quam ut patiar sacrorum illum ingredi vestibula, si pertinaciter in proposito manserit. Quid enim tibi cum libera, cum cœlesti Jerusalem commune? Delegisti terrestrem ; cum ea servito : nam et ipsa cum filiis suis servit, secundum Apostoli verba [1]. Jejunas cum Judæis? depone solcas quoque cum istis ; et nudis in foro pedibus ambula particeps indecori gestus et risus eorum. Hoc haud facere gestes : pudet enim, et rubore suffunderis. Jam gestibus eorum uti pudet : impietatis vero eorumdem socius esse non erubescis. Quid autem veniæ impetrabis, cum sis semichristianus? In capitis discrimen prius adducar, credite, quam illum istiusmodi morbo oppressum negligam, si videro. Sin me latebit, Deus omnino ignoscet. Hæc secum quisque etiam vestrum reputet : nec rem ita levem, quasique obiter curandam existimet. Non attenditis quid in sacra Synaxi diaconus subinde clamet? « Alii alios noscite » : quomodo in fratres studiose inqui-

[1] Galat. IV, 26.

rendi facultatem vobis præbeat? Idem in illis observa. Si quem cognoris judaïzantem, prehende; notum fac : ne idem ipse quoque periculum subeas. Nam et in castris exterorum, si quis miles deprehendatur barbarorum Persarumque fautor, non ipse solum capite periclitatur, sed quilibet ejus rei conscius, nec duci exercitus illum prodens. Cum igitur et vos sitis Christi exercitus, curiose ac diligenter inquirite, num quis alienigena vobis sit admixtus, ejusque nomen deferte, non ut occidamus, velut illi; neque ut pœna suppliciove afficiamus : sed ut errore atque impietate ipsum liberemus, penitusque nostrum reddamus. Quod si nolitis, scientesque celetis, easdem vos, quas illi, pœnas daturos esse probe nostis. Paulus etenim non eos solum, qui mala perpetrant[2] : verum et approbatores, pœnæ et supplicio subjicit. Atque etiam Propheta non fures tantum, sed et cum illis currentes eidem pœnæ addicit[2], idque merito. Nam qui culpam alterius conscius occulit et tegit, majorem illi dat socordiæ ansam, atque securiorem in committendis delictis reddit.

V. Verum ad ægrotos rursus redeundum. Cogitate igitur, quibuscum ii commercium habeant, qui nunc jejunant : cum iis qui clamarunt, « Crucifige, crucifige : » qui dixerunt, « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros[3]. » Si qui tyrannidis affectatæ rei damnati essent, numquid accedere et sermonem cum illis conferre auderes? Non equidem puto. Annon igitur absurdum, eos qui in hominem peccarint, tam studiose fugere; cum iis vero, qui contumeliosi in ipsum Deum fuerunt, societatem inire : et crucifixum adorantes, cum iis qui cruci illum affixere feriari? Quod non dementiæ solum, sed extremæ etiam est insaniæ. Quoniam vero nonnullis Synagoga quoque venerabilis locus videtur : necessario pauca etiam contra

[1] Rom. I, 32. — [2] Psal. XLIX, 18. — [3] Matth. XXVII, 25.

illos dicenda. Cur enim locum illum veneramini, qui contemnendus, abominandus, et unde resiliendum esset? Lex, inquis, reposita ibi est, et libri prophetici. Quid tum? libri-ne istiusmodi, ubi sunt, loco sanctitatem conferunt? Nequaquam. Ego vero ob hoc ipsum magis odi Synagogam, aversorque, quod Prophetas habent, nec iis credunt: Litteras sacras legunt, nec testimonia acceptant: quod hominum est supra modum injuriosorum. Nam, dic mihi, si venerabilem quemdam, insignem, atque illustrem virum in cauponam duci, aut in speluncam latronum, postea contumeliis, verberibus, atque injuriis affici extremis cerneres; admittanda-ne tibi caupona aut spelunca videretur, eo quod præclarus ille magnusque intus steterit, et contumeliose tractatus fuerit? non arbitror equidem; sed hac ipsa de causa illam potissimum odisses aversatusque esses. Idem judicium de Synagoga esto. Nam Prophetas et Moysen secum illuc importarunt, non ut honorarent, sed ut injuriose cumque ignominia tractarent. Cum enim eos Christum novisse, et de ejus adventu quidquam dixisse negent: qua majore injuria queant sanctos illos afficere, quam accusando, suum ipsos dominum ignorasse, et impietatis socios asserendo? Quare ideo magis et ipsos et Synagogam oderimus, quod in sanctos illos adeo debacchentur. At quid de libris ac locis dico? tempore persecutionum carnifices corpora martyrum tenent, lacerant, flagellis cædunt: num igitur manus eorum sanctæ, quod martyrum corpora tenuerint? nihil minus. Jam manus, quæ sanctorum corpora tenuerunt, impiæ manent, ideo utique quod impie tenuerunt; et ii, qui scripta sanctorum tractant cum injuria, non minus quam carnifices martyrum corpora, venerandi propterea erunt? annon extremæ hoc fuerit insaniæ? Si enim tantum abest, ii sancti ut fiant, qui corpora impie tenuerunt, ut magis etiam polluantur: multo

minus scripta sine fide lecta lectoribus unquam prodesse poterunt. Hoc ipsum igitur majoris illos impietatis convincit, libros eo consilio possidere. Neque enim tantum mererentur crimen, si Prophetarum scriptis caruissent; non tam impuri et profani essent, nisi libros legissent. Nunc nulla ipsis reliqua est venia præcones veritatis cum habeant, et tam illis, quam veritati hostili animo resistant. Quocirca eo magis profani atque impuri sunt, quod Prophetas habent, eosque hostiliter tractant. Quare ut fugiatis hortor, et ab eorum conventiculis resiliatis. Non parvum hinc fratribus infirmioribus damnum, nec modica illis hinc superbiæ ansa. Nam si viderint vos, qui adoratis Christum ab ipsis crucifixum, cæremonias illorum persequi et tanti facere: quomodo non præclarissime omnia a se gesta esse putabunt, nostraque nullius pretii, cum ea colatis, et observetis quidem, sed cum iis, qui eadem destruunt curratis? «Si quis, inquit Apostolus, viderit te »qui habes scientiam in idoleio recumbentem : nonne »conscientia ejus, qui infirmus est, ædificabitur ad eden»dum ea, quæ sunt idolis immolata[1]?» Et ego dico, si quis viderit te, qui scientiam habes, ad Synagogam abire, tubas spectare ; nonne conscientia ejus, cum infirmus sit, extruetur ad rerum judaïcarum admirationem? Qui cadit, non lapsus modo pœnas dat, sed quia alios etiam supplantavit, punitur : quemadmodum stans, non propter virtutem tantum coronatur ; sed quia eumdem in aliis zelum excitavit, in admiratione est. Illorum igitur et conventus et loca fugite ; nec quisquam propter libros Synagogam veneretur, sed propter illos hanc odio prosequatur fastidiatque. Nam in contumeliam Sanctos tenent, quia verbis illorum fidem derogant, quia extremæ illos impietatis reos faciunt.

VI. At ut cognoscatis libros nihil loco sanctitatis con-

[1] 1 Cor. VIII, 10.

ferre, sed pollui istum eorum, qui illic conveniunt, instituto: historiam veterem nobis narrabo. Cum Ptolemæus Philadelphus, libris undique collectis, cognovisset, apud Judæos etiam extare scripta quæ de Deo atque optima reipublicæ forma agerent, accersitis e Judæa viris in græcum sermonem illa ipsa per eos convertenda curavit, atque in Serapidis templo reposuit: erat enim homo Græcus, et in hunc diem usque librorum Propheticorum interpretatio ibi servatur. Ergo-ne templum Serapidis propter libros sanctum erit? absit. Sed sua illis est sanctitas, quam cum loco non communicant, propter eorum qui illic conveniunt impuritatem. Idem et de Synagoga censendum est. Etiamsi enim nullum ibi idolum sit, tamen dæmones locum incolunt. Quod non de ea solum Synagoga dico, quæ hic est; sed et de illa in Daphne, ubi barathrum deterius, quod Matronæ vocant (3). Nam multos fideles illuc ascendere audivi, et juxta locum dormire. Sed absit, illos unquam ut fideles appellem. Mihi et Matronæ, et Apollinis templum, pari ratione impurum est. Quod si me quispiam audaciæ condemnet, eum ego vicissim extremæ insaniæ condemnabo. Nam, dic mihi, ubi dæmones habitant, nonne impietatis ille locus etiamsi nulla ibi statua sit? ubi Christi interfectores congrediuntur, ubi crux exturbatur, ubi Deus blasphematur, ubi Pater ignoratur, ubi Filius contumeliis afficitur, ubi Spiritus gratia rejicitur[1]. Quin, cum ipsi quoque dæmones sint, annon majus hinc detrimentum? Illic enim nuda est et conspicua impietas, quæ non facile mente præditum et sanum pellexerit aut deceperit. Hic vero, cum se adorare dicant Deum, et idola aversari, Prophetas habere et honorare: verbis hisce multum escæ præparant; et simpliciores atque imprudentes, incautos irretiunt. Quare impietas est eadem et ipsis et

[1] Galat. II, 21.

Græcis : impostura autem utuntur longe perniciosiore. Nam aram fraudis habent non aspectabilem ipsi quoque ; ubi non oves et vitulos, sed animas hominum mactant. Denique si judaïca tibi admirationem movent, quæ tibi ratio nobiscum communis ? Nam si illa Judæorum veneranda et magna sunt, nostra erunt falsa. Sin hæc vera, qualia utique sunt : illa erunt fraudis plena. Non divina dico oracula ; absit, hæc enim me ad Christum quasi manu duxerunt : sed impietatem illorum et insaniam hodiernam. At enim tempus requirit, ut ostendam dæmones etiam ibi habitare ; neque in illo tantum loco, sed et in ipsis Judæorum animis. « Nam cum immundus spiritus, inquit Christus, » exierit ab homine, ambulat per arida loca, quærens re- » quiem, et cum non invenit, revertar, inquit, in domum » meam. Et cum venit, invenit eam vacantem, scopis mun- » datam, et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios » spiritus secum nequiores se, et ingreditur, et erunt no- » vissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit et gene- » rationi huic[1]. » Vides in ipsorum animis nunc habitare dæmones prioribus deteriores ? neque id injuria. Tunc enim in Prophetas peccabant, nunc ipsum Prophetarum Dominum contumelia insequuntur. Cum hominibus igitur, dicite, dæmoniacis, quibus tot sunt impuri spiritus, in jugulando et occidendo enutritis atque educatis, eodem loco congregamini, neque horrescitis ? num enim salutationis horum participes esse, et simpliciter sermonem conferre oportet : ac non potius eos ut communem luem et morbum totius orbis aversari ? Quo sceleris genere non sunt defuncti ? Nonne omnium Prophetarum conciones crebræ et prolixæ in iis accusandis consumptæ sunt ? Quam tragœdiam, quod iniquitatis exemplum suis illi nefariis homicidiis non obscurarunt ? Immolarunt filios et filias

[1] Matth. XII, 43, et Luc. XI, 24-26. —

dæmoniis[1], naturam exuerunt, dolorum partus obliti sunt, educationem liberorum proculcarunt; leges consanguinitatis funditus everterunt, immaniores omni bestia facti sunt. Nam bestiæ sæpenumero animam etiam dedunt, posthabita sui conservatione, ut fœtus defendant: at hi, nulla urgente necessitate, natos ex sese manu sua mactarunt, ut vitæ nostræ hostes, infestos dæmones colerent. Quo eorum facto plus attoniti reddamur? impietate, an crudelitate atque inhumanitate? Quod filios immolarint, aut quod dæmoniis illos sacrificarint? Sed annon immodica lascivia et petulantia libidinem quoque brutorum maximam obscurarunt? Audi Prophetam, quid de ipsorum immoderata dicat intemperantia: « Equi emissarii facti sunt, unus » quisque ad uxorem proximi sui hinniebat[2]. » Non dixit: Proximi uxorem quisque concupiscebat; sed evidentissime, brutorum vociferatione, libidinis ipsorum insaniam expressit.

VII. Quid aliud dicam vobis? rapinas, avaritias, pauperum proditiones, furta, artes cauponarias? Ad hæc narranda ne dies quidem integer suffecerit. At feriæ, inquis, illorum aliquid grave et magnum habent: atqui et has ipsas impuras commonstrarunt. Audi Prophetas; quin Deum audi, quam vehementer illas abominetur: « Odi, » projeci ferias vestras[3]. » Deus odit, et tu participas. Neque dixit, has vel illas ferias, sed in universum, omnes. Vis-ne cognoscere, quod Deus illum etiam cultum oderit, qui fit tympanis, cythara, psalteriis et aliis organis? « Aufer a me, inquit, sonitum canticorum tuorum, et » Psalmum instrumentorum tuorum non audiam[4]. » Aufer a me, inquit Deus: tu auditurus tubas curris? Sed hæc sacrificia et hæ oblationes nonne sunt abominabiles? « Si » offeratis mihi similaginem; frustra, incensum, abomina- » tio est mihi[5]. » Incensum, abominatio; et locus non

[1] Psal. cv, 37.—[2] Jerem. v, 8.—[3] Amos. v, 21.—[4] Ibid. 23.—[5] Isaï. i, 13.

abominandus? Et quando abominatio? antequam summum scelus admiserant, antequam suum ipsorum Dominum sustulerant, ante crucem, ante Christi necem, abominatio. Annon multo magis nunc? Et sane quid est suffimentis fragrantius? Verum Deus non sacrificiorum naturam, sed animum eorum qui offerunt, observat, hocque oblationes metitur. Attendit ad Abel et ad munera ejus: vidit Caïnum, et sacrificia ejus tum aversatus est. Nam « Ad » Caïn, inquit, et ad oblationem ejus non attendit[1]. » Noë sacrificia ovium, vitulorum, et avium Deo obtulit: « Odora» tusque est Dominus odorem suavitatis[2], » inquit Scriptura, id est, oblata probavit. Neque enim Deo nares sunt, sed Numen est incorporeum. Quanquam ea quæ ex altari sursum feruntur, nidor et fumus sunt combustorum corporum: quo fœtore nihil tetrius est. Verum ut discas, Deum probare sacrificia, et aversari, pro affectu offerentis: nidorem et fumum, odorem vocat suavitatis; incensum, abominationem: quia multo fœtore mens offerentium repleta fuit. Libet-ne cognoscere, quod templum etiam cum sacrificiis, organis, feriis, et incensis aversetur Deus, propter eos qui illuc ingrediuntur? Id ipsa re maxime ostendit: olim barbarorum manibus illud tradendo; postea prorsus delendo. Verumtamen ante eversionem quoque illius per Prophetam clamat, dicitque, « Ne confi» datis in verbis mendacii, quia non proderunt vobis di» centibus: Templum Domini, templum Domini est[3]. » Non templum, inquit, sanctos eos reddit, qui congrediuntur: sed hi illud sanctum faciunt. Quod si tum nil proderat templum, præsentibus Cherubim et arca: multo minus jam, omnibus iis sublatis, postquam Deus illos prorsus aversatur, et gravior est hujus odii causa. Quantæ igitur amentiæ fuerit, quantæque insipientiæ, notatos igno-

[1] Gen. IV, 5. — [2] Id. VIII, 21. — [3] Jerem. VII, 4.

minia, a Deo proditos eos, qui Dominum in iram concitarint, socios sibi in feriis asciscere? Si tuum quis occidisset filium, dic mihi, ejus-ne conspectum sustineres? Audires-ne alloquentem? nonne ut improbum dæmonem, ut ipsum diabolum fugeres? Domini tui Filium occiderunt, et in eumdem cum illis ingredi locum audes? cumque occisus ab illis, tantum te honorarit, ut fratrem et cohæredem constituerit: tanta tu eumdem ignominia afficis, ut ejus interfectores, qui cruci ipsum affixerunt, communione feriarum ipsarum colas atque observes; et ad profana illorum loca curras, impura vestibula intres, mensæque dæmoniorum particeps fias. Ita enim Judæorum jejunium ut appellem, adducor nece, quam Deo intulerunt. Quo enim pacto dæmones non dicantur colere ii, qui Deo adversa peragunt? At medicinam a dæmonibus expetis? cum abirent in porcos[1], Christi permissu, dæmones, tum in mare illos statim præcipitarunt: et hominum corporibus parcent? Atque utinam non occiderent, utinam non insidiarentur. Ejecerunt ex paradiso; honore cœlesti orbarunt: et corpus curabunt? Ridicula hæc, et fabulæ. Dæmones insidiari sciunt, ac nocere non mederi. Animæ non parcunt, et corporibus parcent? E regno ejicere conantur: et morbis levare nos cupient? Non audis Prophetam dicere, atque ipsum potius Deum per Prophetam, illos neque bene neque male posse facere? Atque licet mederi velint ac possint, quod fieri nequit: ob lucellum exigui temporis, periculum æternarum pœnarum haud subeundum est. Corpus curabis, ut animam perdas? non præclara est nundinatio tua: corporis conditorem exacerbas Deum, et insidiatoris tui auxilium imploras. Annon hac ratione, propter medicinæ scientiam, nullo negotio quivis superstitiosus homo, eo te pertraxerit, gentium et deos ut adores? nam ethnici

[1] Matth. VIII, 31.

quoque horum arte morbos sæpe curarunt, et ægrotos sanitati restituerunt. Ideo-ne impietatis participes erimus? Absit. Audi quid Moyses Judæis dicat; « Si surrexerit in medio » tui Propheta, aut somnians somnium, et dederit tibi sig- » num vel portentum, evenerit que signum vel portentum » quod locutus est, et dixerit ad te: Eamus et serviamus diis » alienis, quos non noverunt patres nostri: non obedietis ver- » bis Prophetæ, aut somniatoris illius[1]. » Quorum verborum hæc est sententia: Si Propheta quispiam, inquit, surrexerit, et signum ediderit, vel mortuum excitarit, vel leprosum mundaverit, vel debilem sanarit; signoque edito ad impietatem te invitarit: ne propter signi eventum obedias. Quare? « Tentat enim te Dominus Deus tuus, ut videat » an diligas ipsum ex toto corde tuo, et ex tota anima » tua[2]. » Unde constat dæmones non mederi. Quod si, Deo permittente, aliquando medeantur, quemadmodum homines: permissio ista fit ad tui explorationem, non quod Deus nesciat: sed ut discas eos etiam missos facere dæmonas qui medentur. Ac quid de medicina corporis loquor? Si quis gehennam minetur tibi, nisi Christum abneges: num eum admittes? Si quis regnum promittat ut ab unigenito Filio Dei deficias: illum aversator, odioque prosequitor, et Pauli discipulus esto; easque voces æmulator, quas Beatus ille, et generosus animus magno cum clamore edidit; « Certus sum enim, inquit, quod neque » mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque » Virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, » neque profundum, neque ulla alia creatura poterit nos » separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino » nostro[3]. » Illum non Angeli, non Virtutes, non instantia, non futura, non alia creatura a charitate Christi separat: et te cura corporis ad defectionem impellit? Ecqua venia

[1] Deut. XIII, 1-3. — [2] Ibid. 3. — [3] Rom. VIII, 38, 39.

possit impetrari? Merito enim ipsa gehenna formidabilior nobis est Christus, et ipso regno potior. Licet ægrotemus: præstat nos morbo affligi, quam ut hoc levemur, ad impietatem prolabi. Ut enim sanarit dæmon, plus obfuit, quam profuit. Nam corpori quidem emolumento fuit, cui omnino est paulo post moriendum, quodque putrescet: animo autem immortali detrimentum attulit. Ac quemadmodum plagrarii bellaria, placentas, talos, atque id genus alia parvulis sæpe pueris porrigunt; quibus inescatos, libertate et vita ipsa privant: ad eumdem etiam modum dæmones membri curam pollicentur, et omnem animi salutem præcipitem agunt. Verum, dilecti, ne id toleremus; sed ab impietate liberationem quovis modo quæramus. Annon Jobus, passus sibi ab uxore persuaderi, blasphemare in Deum potuisset, et qua urgebatur calamitate liberari? « Dic verbum, inquit, adversus Dominum, et mo» rere[1]. » Verum is cruciari maluit, et macerari, plagamque illam ferre intolerabilem, quam blasphemare, et malis præsentibus eximi. Hunc tu quoque æmulare, quamvis infinita malorum, quibus divexaris, dæmon remedia polliceatur: ne fidem habeas, neque toleres; quemadmodum neque Justo illi persuadere uxor potuit. Sed morbum forti animo potius perfer, quam fidem et salutem animæ tuæ pessumdes. Neque enim Deus te derelinquit: sed magis conspicuum ut reddat, corporis infirmitati sæpe subjicit. Perfer igitur, ut tu quoque illud audias: « Num tu censes me aliam ob causam tibi oraculum edi» disse, quam ut justus appareas[2]? »

VIII. Possent plura etiam præter hæc dici: sed ut, quæ jam audistis, ab oblivione vindicentur: finem hic orationi faciam, ubi Moysis verba prius dixero: « Testor » adversum vos hodie cœlum et terram[3], » si quispiam

[1] Job. II, 9. — [2] Id. XL, 3. — [3] Deut. XXX, 19.

vestrum præsens absensve, tubas spectatum abierit, aut ad synagogam contenderit, aut ad Matronæ delubrum ascenderit, aut jejunii et sabbatorum particeps fuerit, aut alium ritum judaïcum quemcumque observaverit : innoxium me ab omnium vestrum sanguine esse. Hi sermones in die Domini nostri Jesu Christi et mihi et vobis sistentur : et si obedieritis, multum vobis dabunt fiduciæ : quod si non parueritis, aut quosdam talia ausos occultaveritis; tanquam acres accusatores ex adverso stabunt. « Non enim subserfugi, quominus annuntiarem vobis » omne Dei consilium[1], » sed et mensariis pecuniam commisi[2]. Reliquum est ut depositam augeatis ; fructuque concionis ad fratrum vestrorum salutem utamini. At molestum, et odiosum est in his peccantes deferre? itidem et silere. Tam enim vobis, qui tegitis, quam illis qui latent, silentium hoc perniciem affert, Deum nobis inimicum reddens. Quanto autem præstat, in conservorum odio esse, ad salutem ; quam domini iram adversus nos concitari? Illorum enim quicumque, ut jam indignetur ; damnum dare non poterit, quin pro medicina gratias tandem aget : Deus vero, ubi tacueris et occulueris in conservi gratiam, cum hujus pernicie ; pœnas abs te extremas expetet. Quare tacendo, et Deum tibi hostem reddes, et nocebis fratri : deferendo autem hunc et indicando, et Deum habebis propitium, et fratrem lucrifacies, amicumque parabis antea furibundum, experientia, ipsi te bene fecisse, edoctum. Ne itaque vos fratribus gratificari putetis ; si absurdi quid eos sectari cernatis, neque omni animi contentione ipsos arguatis. Amissa veste, an furem tantum, non furti conscium, neque indicantem, similiter pro hoste ducis? Mater nostra communis Ecclesia non vestem, sed fratrem amisit; quem diabolus clam ereptum in judaïsmo

[1] Act. xx. 27. — [2] Matth. xxv, 27.

detinet : nosti raptorem, nosti raptum : vides me doctrinæ sermonem, tanquam lucernam, accendere, ubique cum planctu quærere : et tu silens stas, neque indicas. Quæ tibi venia? Nonne pro summo habeberis inimico Ecclesiæ, teque illa hostem judicabit, et proditorem? Verum absit, ut quisquam eorum, qui hoc consilium audiunt, talem culpam admittat, fratrem ut prodat, pro quo Christus est mortuus. Christus sanguinem effudit propter ipsum : tu ne verbum quidem propter ipsum fundere sustines? Ne cunctemini hortor : sed statim hinc digressi ad hanc capturam incitemini, et quilibet vestrum mihi adducat ejusmodi morbo obnoxium. Quin absit potius, ut tot homines morbo isto teneantur. Bini et terni e vobis, aut etiam deni et viceni unum adducant : ut captura velut piscium die illo conspecta intra retia, lautiorem mensam vobis apponam. Ubi enim hodiernum consilium opere compleri videro, promptiore animo curam illorum suscipiam, eritque tam vobis, quam illis lucrum majus. Ne igitur negligatis : sed et fœminæ fœminas, et viri viros, et servi servos, et liberi liberos, et pueri pueros; singuli denique omni studio id genus morbis correptos captetis, et ita concionem proximam frequentetis, ut et a nobis laudem consequamini, et ante præconia nostra multam a Deo atque ineffabilem mercedem, quæque labores præclare sese gerentium multum excedit, referatis. Quod utinam nobis obtingat univeris, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem, et cum quo sit gloria Patri, simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO II.

Adversus eos qui Judæorum jejunium jejunant, et adversus ipsos Judæos : dicta est autem homilia quinque diebus ante jejunium ipsorum, et cum alia prius habita esset.

I. Jam iniquum illud[1] et immundum Judæorum jejunium in foribus adest. Nolite vero mirari, si jejunium illud immundum appellavi : quod enim præter Dei mentem fit, sive sacrificium sive jejunium sit, omnium est impurissimum. Iniquum igitur ipsorum jejunium post quinque deinceps dies instat, at ego ante decem dies, vel plures cohortationem ad vos habui, ut fratres vestros præmunirem. Nemo autem orationem nostram velut intempestivam accuset, quod eam tot diebus ante præmiserimus : nam et quando febris expectatur, aut alius aliquis morbus, multo ante corpus ejus, quem febris correptura est, variis medicamentis præmuniunt medici, et antequam reipsa fiat accessus morbi, ab imminentibus illud malis vindicare festinant. Quando igitur nos quoque gravissimum imminere morbum videmus, prius ac multo ante tempore obtestamur, ut antequam nos reipsa malum invadat, remedium possit adhiberi. Propterea non ipsis illis diebus instituendam censui adhortationem, ne forte angustiis temporum impediti captare fratres vestros ac venari non possetis, sed multorum dierum spatio dato secure possetis eos, qui ejusmodi morbo laborant, indagare atque ab hac peste revocare. Ita quoque facere solent, qui nuptias ce-

[1] Vide P. Guillon, tom. XIII, p. 327-333.

lebrant, et lautas instruunt cœnas : non ipsis diebus, sed multo ante tempore piscatores piscium et avium aucupes alloquuntur, ne ullum ipsis ab angustiis temporis ad instruendam mensam impedimentum adhibeatur. Quando igitur nos quoque mensam vobis adversus Judæorum stuporem apposituri eramus, prius vos piscatores alloquimur, ut infirmiores ex fratribus vestris indagetis atque captetis, et ad audiendos sermones nostros deducatis. Quotquot igitur jam piscati estis, et intra retia captos secure tenetis, manete ac cohortationis illos sermone constringite : quotquot autem nondum præclaram illam prædam cepistis, sufficiens quinque dierum spatium habetis, ut illa captura potiamini. Expandamus igitur doctrinæ retia, circumstemus eos in orbem tanquam venatici canes, undequaque illos in leges Ecclesiæ compellamus : optimum autem illis venatorem, si videtur, beatum Paulum adhibeamus clamantem ac dicentem : « Ecce ego Paulus dico vobis, quo» niam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit[1]. » Nam et multa fera et sylvestria animalia si quando sub arbustis delitescant, ubi primum venatoris vocem exaudiunt, præ metu exiliunt, ac vocis necessitate compulsa, sæpius etiam invita clamore concitata in ipsas casses detruduntur : ita quoque fratres vestri, qui, tanquam in arbusto quodam, in judaïsmo delitescebant, si Pauli vocem audierint, facile in salutis retia incident, sat scio, et judaïcum omnem errorem abjicient. Non enim Paulus est, qui loquitur, sed Christus, qui animam ejus movet. Itaque cum clamantem illum audis ac dicentem : « Ecce » ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Chris» tus vobis nihil proderit, » solam vocem Pauli esse puta, sensum autem et dogma Christi esse a quo intus docebatur. Sed dicet fortasse quispiam : Ergo-ne tantum circum-

[1] Galat. v, 2.

cisionis est damnum, ut totam Christi dispensationem inutilem reddat? Sic est, tantum est damnum circumcisionis non ob propriam naturam, sed ob improbitatem. Fuit olim tempus, cum utilis et necessaria lex erat : jam vero cessavit et otiosa est. Si igitur intempestive illam tibi concilies, Christi donum inutili tibi reddet. Propterea Christus vobis nihil proderit, quia non vultis accedere. Nam si quis in adulterio ac turpissimis facinoribus deprehensus carcerem habitaret, deinde cum constituendum jam esset adversus illum judicium, et sententia damnationis ferenda, veniret regis epistola, quæ cunctos carcere detentos absque ratione ac disquisitione ulla dimitteret, is qui nollet dono frui, sed judicium subire mallet ac rationem reddere, suppliciumque sustinere contenderet, beneficio non amplius uti posset. Cum enim obnoxium judicio ac sententiæ se reddidisset, sponte se ipsum regio dono privasset : ita quoque Judæis evenit. Videte namque : turpissimorum rea facinorum convicta fuerat hominum universa natura : « Omnes enim peccaverunt[1], » inquit, et tanquam carcere prævaricationis maledicto clausi erant : jam ferenda erat judicis adversus illos sententia, venit e cœlis Regis epistola, imovero Rex ipse venit, qui absque ulla disquisitione, nullamque rationem exigens omnes peccati vinculis liberavit.

II. Omnes igitur, qui accurrunt, dono fruuntur, et gratia salvi fiunt : qui vero per legem justificari volunt, etiam a gratia excident. Neque enim regia frui clementia poterunt, qui propriis viribus salutem adipisci contendunt, et sibi maledictum legis accersent, quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Idcirco dicit, « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. » Nam qui ex legis operibus salvus fieri contendit, nihil habet

[1] Rom. v, 23.

commune cum gratia. Quod ipsum utique Paulus significans dicebat : « Si gratia, jam non ex operibus : alioqui » gratia jam non est gratia. Si autem ex operibus, jam non » est gratia : alioquin opus jam non est opus[1]. » Et rursus, « Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus » est. » Et rursus : « Qui in lege justificamini, a gratia ex- » cidistis[2]. » Mortificatus es legi, mortuus es factus : non amplius sub jugo, non amplius sub ejus necessitate versaris : quid ergo frustra tibi et sine causa negotium exhibere contendis? At enim qua de causa nomen suum posuit hoc loco Paulus, neque simpliciter dixit : Ecce ego dico vobis? revocare voluit illis in mentem illud studium suum, quod erga judaïsmum ostenderat. Nam si quidem essem ex gentibus, inquit, et res judaïcas ignorarem, diceret fortasse aliquis, quod illius religionis mysteriis initiatus non fuissem, ac vim circumcisionis ignorarem, idcirco me ab Ecclesiæ ritibus illam ac dogmatibus ablegare. Propterea nomen suum apposuit, ea revocans illis in memoriam, quæ legis causa præstiterat, quasi diceret : Non odio circumcisionis istud ago, sed in agnitione veritatis. Ego Paulus hoc dico, Paulus ille, circumcisus octavo die, et genere Israëlita, Hebræus ex Hebræis[3], de tribu Benjamin, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam[4], qui per domos intrabam, et trahebam viros, ac mulieres, et in custodiam tradebam : quibus omnibus etiam valde stupidis persuadere possum me non odio aliquo, vel rerum judaïcarum ignoratione, sed propter eminentem scientiam Jesu Christi legem hanc tulisse. « Testificor autem rursus, inquit, omni homini » circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis adimplendæ[5]. » Quare non dixit, Denuntio autem, vel

[1] Rom. xi, 6. — [2] Galat. ii, 21, et v, 4. — [3] Philip. iii, 5. — [4] Act. viii, 3. — [5] Galat. v, 3.

Præcipio autem, aut Dico autem, sed, Testificor? ut hoc verbo nobis futurum judicium in memoriam revocaret. Ubi enim testes sunt, ibi judicium et sententia. Auditorem ergo terret regii illius throni memoriam refricans, et indicans hos sermones illi testes in illa die futuros, cum unusquisque rerum a se gestarum, et eorum quæ dixit, et quæ audivit, rationem reddet. Hæc audiebant tum Galatæ; audiant vero nunc etiam qui Galatarum morbo laborant, etsi non adsunt; verumtamen per vos audiant Paulum clamantem ac dicentem : « Testificor autem omni » homini circumcidenti se, quoniam debitor est uni- » versæ legis adimplendæ. » Noli enim mihi dicere unum mandatum esse circumcisionem : unum illud mandatum totum tibi jugum legis imponit. Cum enim per unam partem sub ditionem legis te subjugas, necesse est ut in reliquis imperanti morem geras : quod si non adimpleas, plane necessarium est, ut puniaris et maledictum tibi accersas. Et quemadmodum cum in laqueum passer incidit, quamvis solo pede teneatur, totum reliquum corpus interceptum est : ita qui unum mandatum legis implet, sive circumcisionem sive jejunium, totam suam potestatem per hoc unum in legem transtulit, neque fugere poterit, quandiu illi saltem ex parte voluerit obedire. Hæc a nobis dicuntur, non ut legem accusemus, absit, sed quod abundantes gratiæ Christi divitias ostendere velimus. Non enim Christo contraria lex est : quî enim esset, cum ab ipso sit data, cum ad ipsum quasi pædagogus nos ducat? sed ob intempestivam eorum contentionem, qui ea non ut oportet utuntur, hæc omnia dicere cogimur. Illi enim sunt qui legem afficiunt contumelia, qui nimirum semel ab eo desciscere jubent, et ad Christum accedere, ac rursus illi adhærent. Quandoquidem plurimum de natura nostra benemeritam esse legem con-

fiteor ego quoque, nec unquam negaverim : sed tu qui præter legitimum tempus illi adhæres, non sinis, ut ejus utilitatis magnitudo appareat. Nam quemadmodum ea solet esse pædagogi laus maxima, si juvenis ille quem pædagogus rexit aliquando, ad temperantiam ejus custodia non amplius egeat, quod majores fecerit in virtute progressus : ita quoque legis ea laus fuerit maxima, si nos ejus subsidio non amplius egeamus. Id enim nobis beneficio legis obtigit, ut ad majorem suscipiendam philosophiam aptior anima nostra sit reddita. Itaque is qui adhuc illi assidet, neque potest quid majus quam quæ scripta sunt intueri, non magnum ex ea quæstum fecit. At ego illa derelicta, meque ad sublimiora Christi evehens dogmata, maxime illam ornare possum, quod me talem effecerit, ut potuerim eorum quæ scripta in ea sunt, exiguitatem supergressus, ad doctrinæ sublimitatem ascendere, quæ Christi beneficio nobis obtigit. Multum profuit lex naturæ nostræ, sed si sincere nos ad Christum deduxerit. Alioqui ni id fiat, etiam damnum intulit, majoribusque nos fraudavit, dum adhærere minoribus fecit, et nos in innumeris transgressionum vulneribus adhuc detinuit. Nam si cum duo medici essent, unus infirmior, alter validior, et unus adhibitis ulceribus suis remediis non potuerit ægrotum dolore ex illis orto liberare.

III. [1] « Frater tuus, relinque munus tuum ante altare, » et vade, prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens » offer munus tuum [2]. » Non dixit : Omitte sacrificium, ac deinde discede : sed imperfectum manere permitte, et abiens reconciliare fratri tuo. Neque tantum hoc loco id fecit, sed et alibi rursus. Nam si quis infidelem habeat uxorem, hoc est, gentilem, ejicere illam minime cogitur. « Si » quis enim, inquit, uxorem habet infidelem, et hæc con-

[1] Desunt quæ lam — [2] Matth. v, 23.

» sentit habitare cum illo, non dimittat illam[1] : » si vero meretricem et adulteram, ejicere minime prohibetur. « Quisquis enim, inquit, dimiserit uxorem suam excepta » fornicationis causa, facit eam mœchari[2]. » Itaque fornicationis ob causam licet dimittere. Vides benignitatem Dei ac sollicitudinem. Si gentilis sit, inquit, uxor, ne ejicias : sin meretrix, id facere non prohibeo. Si in me, inquit, impia fuerit, ne ejicias : si te injuria affecerit, nemo prohibet, quominus ejicias. Ergo-ne Deus tantum nobis honorem detulit, et nos illum pari cultu non dignabimur, sed a nostris cum uxoribus affici contumelia sinemus : idque cum maximum paratum supplicium noverimus, si salutem uxorum neglexerimus? Propterea namque mulieris te caput fecit, propterea præcepit et Paulus : « Si » quid volunt discere mulieres, domi viros suos interro» gent[3] : » ut tanquam magister, et curator, ac præfectus ad pietatem ipsam incites. Vos autem dum tempus collectæ ad Ecclesiam invitat, pigritantes non excitatis : at cum diabolus ad tubas illas invitat, prompte audientes non detinetis, sed impietatis criminibus sinitis obligari, atque ad intemperantiam pertrahi. Siquidem meretrices ac molles, et totus orchestræ chorus illuc soliti sunt concurrere. Sed quid ego fornicationes, quæ illic admittuntur commemoro? non times, ne a dæmone correpta uxor illinc revertatur? Non audisti, in priori tractatu quam clare fuerit oratione demonstratum ipsas animas Judæorum et loca in quibus congregantur a dæmonibus habitari? quomodo igitur, quæso, audes agitatis cum dæmonibus choreis ad Apostolorum cœtum redire? Quî fieri potest ut cum abieris, et cum illis communicaveris, qui Christi sanguinem effuderunt, non horreas venire, et sacræ mensæ communicare, ac pretiosi sanguinis particeps

[1] 1 Cor. VII, 12. — [2] Matth. V, 32. — [3] 1 Cor. XIV, 35.

fieri? Non horres, non times, cum talia scelera perpetres? non mensam ipsam revereris? Iis ego verbis vos allocutus sum, his vos illos et illi suas uxores alloquentur. « Ædi- » ficate alter alterum[1]. » Ac si quidem sit catechumenus is, qui ejusmodi morbo laborat, a vestibulo templi arceatur : sin fidelis ac mysteriis initiatus, a sacra mensa repellatur. Neque enim exhortatione ac consilio indigent cuncta peccata, sed sunt quæ brevi et celerrima solent sectione curari. Et quemadmodum inter vulnera, quæ tolerabiliora sunt, lenioribus cedunt medicamentis, quæ vero putrefacta sunt et incurabilia, quæque reliquum corpus depascuntur, acumine ferri flammaque indigent : sic nimirum et inter peccata, erga quædam prolixiori cohortatione opus est, cætera durioribus sunt reprehensionibus castiganda. Propterea jussit quoque Paulus non in omnibus cohortatione uti, sed et increpare dure sic dicens : « Quam ob causam increpa illos dure[2]. » Increpemus igitur illos jam dure, ut cum ob priora fuerint pudore suffusi, seque ipsos condemnarint, non amplius detrimentum ex iniqui jejunii observatione patiantur. Quas ob res ego quoque a cohortatione deinceps abstinens obtestor et clamo, « Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit ana- » thema[3] : » quonam autem majori argumento a se non amari Dominum potest ullus ostendere, quam si festis illorum communicet, a quo ille fuit occisus? Hos non ego percussi anathemate, sed Paulus : imovero non jam Paulus, sed Christus, qui per illum loquitur, et in præcedentibus dixit, « Quoniam qui in lege justificantur, a gratia » exciderunt[4]. » Hæc illis verba dicite, ac sententias illis recitate, cumque omni cum studio ac diligentia salvos eos feceritis, et ex diaboli faucibus eripueritis, in die jejunii nobis adducite, ut et promissi reliquam partem præstan-

[1] 1 Thess. v, 11. — [2] Tit. i, 13. — [3] 1 Cor. xvi, 22. — [4] Galat. v, 4.

tes uno consensu unoque ore cum fratribus nostris glorificemus Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi, quoniam ipsi gloria in sæcula. Amen.

ORATIO III.

In eos qui primo Pascha jejunant.

I. Rursus necessarium quoddam[1] et urgens negotium eorum, quæ nuper dicta sunt, seriem interrumpens ad se ipsum orationem traducit, et a susceptis cum hæreticis certaminibus hodie nos abducit. Nam nos quidem rursus de Unigeniti gloria verba facere ad Charitatem Vestram parati eramus : sed eorum qui primo Pascha jejunant importuna contentio doctrinam omnem nostram cogit hodierno die totam in eis curandis occupari. Nam et bonus pastor non lupos abigit solum, sed et pecudes ægrotantes cum omni sollicitudine curat : quid enim prodest, quod ferarum ora greges evitent, si morbis confecti moriantur? Sic et optimus imperator non machinas tantum propulsat, sed antea seditione commotam urbem cum se ipsa reconciliat, cum probe noverit nihil externam victoriam profuturam, quandiu intus civilia bella permanserint. Ut autem intelligas ad interitum ac perniciem nihil æque ac seditionem et contentionem valere, audi quid Christus dicat : « Regnum in se ipsum divisum non stabit[2]. » Tametsi quid regno potentius, ubi pecuniarum proventus, et arma et muri et propugnacula et tantus militum numerus et equi et alia innumera, quæ multas vires suppeditant? Verumtamen tanta potentia dissipatur cum per dissidium in se ipsam insurgit. Nihil enim imbecillitatem adeo pa-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIII, p. 336. — [2] Matth. XII, 25.

rere solet, ut rixa et contentio : quemadmodum nihil adeo vires et potentiam, ac charitas et concordia. Quod cum intelligeret Salomon, dicebat, « Frater qui adjuvatur » a fratre quasi civitas firma, et clausum vecte regnum [1]. » Vides quanta sit vis concordiæ ? quantum contentionis detrimentum ? regnum seditione divisum dissolvitur, duo vero in unum juncti et inter se devincti magis quam ullum propugnaculum sunt insuperabiles. Ac scio equidem per Dei gratiam potiorem hujus gregis partem ab hac ægritudine immunem esse, et paucos morbum invasisse, non tamen idcirco est curatio negligenda. Nam etsi decem tantum, etsi quinque, etsi duo, etsi unus tantum esset ægrotus, ne sic quidem negligi oporteret. Licet enim vel unus sit vilis et abjectus, frater tamen est propter quem mortuus est Christus, et magnam vilium rationem habet Christus. « Quicumque scandalizaverit, inquit, unum de » pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria » in collo ejus, et demergatur in mare : » et rursus, « Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi » fecistis : » et rursus, « Non est voluntas ante Patrem ves- » trum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis [2]. » Annon igitur absurdum est, si cum Christus pusillorum tantam curam gerat, nos eos præ desidia contemnamus? Noli hoc dicere, unus est, sed, unus contemptus morbum transmittet ad cæteros : « Modicum enim fermen- » tum, inquit, totam massam fermentat [3]. » Atque hoc est quod omnia perdit ac destruit, quod pusillos aspernemur : propterea magna fiunt ulcera, quemadmodum fere fit, ut magna fiant exigua, si conveniens cura sit adhibita. Hoc igitur primum illis dicimus, contentione pugnaque pejus nihil esse, aut si Ecclesia discerpatur, et tunica ea, quam

[1] Prov. XVIII, 19. — [2] Matth. XVI, 6 ; XVIII, 14, et XXV, 45. — [3] Galat. V, 9.

disrumpere latrones non ausi sunt, in multas partes dividatur. Non sufficiunt reliquæ hæreses, nisi nos ipsi nos dividamus? Non tu Paulum dicentem audis, « Quod si » invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem » consumamini [1] ? » Extra gregem ambulas, et leonem foris circumeuntem non times ? « Adversarius enim vester » tanquam leo circuit, inquit, rugiens et quærens quem » rapiat [2]. » Vide sapientiam pastoris : neque reliquit intus inter oves, ne gregem perterrefaceret : neque ab exteris locis abegit, ut belluæ metu cunctos intus cogeret. Non revereris patrem ? inimicum reformida : si te ipsum a grege avulseris, ille sine dubio te excipiet. Poterat quidem etiam ab exteris locis illum Christus abigere : sed ut efficeret, ut vigilares, ac sollicitus esses, atque ad matrem semper confugeres, foris illum rugire permisit, ut qui sunt intus, dum vocem illius audiunt magis copulentur, et ad se mutuo confugiant. Ita quoque matres faciunt liberorum amantes, flentes infantulos frequenter se lupis devorandos objecturas minantur, non ut objiciantur, sed ut desinant indignari. Propterea Christus omnia fecit, ut pacem colamus, ut conjuncti inter nos simus.

II. Idcirco etiam Paulus cum Corinthios multis magnisque de rebus accusare posset ac reprehendere, nulla de re alia prius quam de ista accusavit. Sed cum de fornicatione posset illos accusare, de arrogantia, de profanis judiciis, de conviviis in fanis idolorum, quodque mulieres quidem capita non velarent, homines autem id agerent, et cum his omnibus ob neglectum pauperum et innatam illis ob dona spiritus arrogantiam, et de corporum resurrectione : cum etiam præter hæc omnia posset illos ob contentiones ac dissidia inter illos exorta castigare, prætermissis cæteris omnibus illud prius corrigit.

[1] Galat. v, 15. — [2] 1 Petr. v, 8.

Ac nisi forte videar tædium parere, id ex ipsis Pauli verbis ostendam, cum de omnibus illis eos posset accusare, nihil præ isto correctum ab illo fuisse. Nam illos quidem esse fornicatos audi quo pacto narret : « Omnino auditur » inter vos fornicatio [1]. » Porro inflatos etiam illos fuisse, et in superbiam elatos : « Tanquam non venturus sim ad » vos, sic inflati sunt quidam [2]. » Quod autem rursus foris, et apud profanos judicio contenderent : « Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari » apud infideles [3] ? » Quod autem idolothyta comederent, « Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ » dæmoniorum [4]. » Quodque mulieres minime velarentur, sed viri contra velarentur, audi quibus verbis eos castiget : « Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, de» turpat caput suum : omnis autem mulier orans aut pro» phetans non velato capite, deturpat caput suum [5]. » At illos pauperes contempsisse significavit etiam cum duxit : « Alius quidem esurit, alius autem ebrius est : » et rursus, « Aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, » qui non habent [6] ? » Quoniam autem ad majora dona cuncti cupide accedebant, et minora nemo recipiebat, sic ait : « Numquid omnes Apostoli ? numquid omnes Pro» phetæ ? » Porro de resurrectione quoque dubitasse illos ex his colliges : « Sed dicet aliquis, Quomodo resurgunt » mortui ? quali autem corpore veniunt [7] ? » Verumtamen cum multa posset illis vitio vertere, nihil ei fuit antiquius, quam ut de dissidio et contentione cum illis ageret : itaque jam inde a principio Epistolæ sic ait : « Obsecro au» tem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, » ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schis» mata [8]. » Sciebat quippe, sciebat probe hoc esse quod

[1] 1 Cor. v, 1. — [2] Id. iv, 19. — [3] Id. vi, 1. — [4] Id. x, 21. — [5] Id. xi, 4. — [6] Ibid. 2. — [7] Id. xii, 29, et xv, 35. — [8] Id. i, 14.

præ cæteris urgebat. Fornicator si frequenter in Ecclesiam ingrediatur, et superbus, aut qui vitio quovis alio laboret, cito, dum assidue doctrina fruitur, illud expellet, et pristinam recipiet sanitatem : qui vero se ipsum ab hoc conventu sejunxerit, et patrum se doctrinæ subtraxerit, atque a medici officina procul recesserit, quamvis sano corpore esse videatur, quamprimum in morbum incidet. Et quemadmodum optimus medicus sedata prius et extincta febri ; deinde ulceribus ac ruptionibus medetur : ita fecit et Paulus, prius dissensione sublata, tum demum singulorum vulnera membrorum curavit. Propterea quoque de hoc ante omnia verba facit, ut neque inter se dissideant, neque proprios sibi rectores assignent, neve multas in partes dividant Christi corpus. Hæc autem non illis solum dicebat, sed et his post illos qui eodem morbo laborant, quos equidem sciscitarer lubens, quid sit Pascha ? quid sit Quadragesima ? et quid sit judaïcum, quid sit nostrum : aut quam ob causam illud quidem semel annis singulis fieret, hoc vero singulis in collectis celebretur : quid sibi velint azyma, et alia his multo plura, quæ ad hoc pertinent argumentum. Tum vero probe cognoscetis, quam intempestiva illorum sit contentio, qui ne rationem quidem reddere de illis possunt quæ faciunt, licet omnibus sint sapientiores, neque discant ex cæteris, quod damnandum est maxime, cum nec ipsi sciant, neque eos qui sciunt duces sequantur, sed temere inconsultæ cuidam consuetudini res suas permittentes in barathra et præcipitia ferantur.

III. Quis porro sapiens est illorum sermo, cum hæc illis objicimus ? Vos, inquiunt, nonne hoc jejunium antea observabatis ? Hoc vero tuum non est mihi dicere, sed hoc ipse tibi jure dixerim, nos quoque sic antea jejunasse, verumtamen temporum observationi præferendam concor-

diam censuisse : quodque Galatis dicebat Paulus, hoc et vobis ipse dico : « Estote sicut ego, quia et ego sicut vos [1]. » Quid hoc porro sibi vult? Persuaserat illis, ut a circumcisione discederent, sabbata aspernarentur, et dies et alia cuncta legis instituta : deinde, quoniam illos vereri cernebat ac reformidare, ne forte trangressionis pœnam ac supplicium sustinerent, suo illis exemplo animum addit, cum ait, « Estote sicut ego, quia et ego sicut vos. » Num enim ex gentibus, inquit, veni? num legalis conversationis imperitus eram, aut pœnæ quæ lege transgredientibus est proposita? « Hebræus sum ex Hebræis secundum legem » Pharisæus, secundum æmulationem persequens Eccle- » siam : sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum » propter Christum detrimenta [2]. » Hoc est, semel ab illis discessi. Estote ergo sicut et ego : nam et sicut vos eram. Quid autem de me loquor? trecenti patres, vel etiam plures, cum in regione Bithyniæ convenissent, hæc decreverunt : et tu illos omnes probro afficis? Duorum enim alterum, aut illos inscitiæ condemnas, quasi non satis accurate novissent, aut timiditatis, quasi novissent quidem, sed dissimulassent, ac veritatem prodidissent. Cum enim non stes iis, quæ ab illis decreta sunt, hæc omnia sequuntur. Multæ vero sapientiæ ac fortitudinis specimen ab illis editum fuisse tum temporis, omnia quæ accidere testantur. Nam sapientiam quidem illorum, quæ tum edita est fides indicat, quæ et hæreticorum os obturavit, et tanquam murus inexpugnabilis omnes illorum insidias propulsavit : fortitudinem autem persecutio, quæ paulo ante sedata fuerat, et quod Ecclesiis fuerat illatum bellum. Tanquam enim strenui quidam bellatores innumeris tropæis erectis, ac multis exceptis vulneribus undique tum Ecclesiarum præsules revertebantur stigmata Christi portantes,

[1] Galat. IV, 12. — [2] Philip. III, 5.

qui plurima poterant enumerare supplicia, quæ confessionis ergo toleraverant. Siquidem alii poterant metalla narrare, ac miserias, quas ibi passi fuerant, alii bonorum omnium publicationes, alii famem, alii frequentia vulnera, dum aliis latera deraderentur, aliis terga contunderentur, alii effossos oculos, alii parte aliqua corporis propter Christum se fuisse mutilatos poterant indicare. Atque ex his athletis collecta tum fuerat synodus universa, communique definitione fidei hoc quoque decreverunt, ut simul unoque consensu festum istud celebraretur. Ergo-ne qui fidem temporibus adeo difficilibus non prodiderunt, hi propter dierum observationem dissimulatione uti potuerunt? Vide quid agas, dum tantos patres condemnas, adeo fortes, adeoque sapientes. Nam si Publicanum condemnans Pharisæus omnia bona perdidit, quæ habebat: qua venia dignus, qua defensione censeberis, qui adversus tot doctores Deo charos, idque injuria et contra rationem insurgas? Non audisti Christum dicentem, « Ubi duo » vel tres sunt in nomine meo congregati, ibi sum in me» dio eorum[1] ? » Quod si ubi duo tresve sunt, medius est Christus : ubi trecenti ac multo plures aderant, multo magis aderat, omniaque designabat ac decernebat. At tu non illos tantum condemnas, sed et orbem terrarum universum, qui sententiam illorum comprobavit. An vero Judæos etiam universi orbis terrarum patribus sapientiores arbitraris, homines, inquam, patriis ritibus orbatos, et qui ne ullum quidem festum celebrant? Nam nec apud illos azyma esse, nec Pascha; multos quippe dicere istud audio Pascha esse cum azymo; sed apud illos non esse azyma, ex his legislatoris verbis collige, « Non poteritis » facere Pascha in ulla urbium tuarum, quas Dominus Deus » tuus dat tibi, sed in loco, in quo invocatum fuerit nomen

[1] Matth. xviii, 20.

» ejus[1] : » de Jerusalem loquens. Vides quo pacto, cum in unam urbem festum inclusisset, deinceps et ipsam urbem everterit, ut vel invitos illos ab illa religione revocaret? Nulli enim dubium, quin Deus quæ erant consecutura prævideret. Quam igitur ob causam illic eos ex toto terrarum orbe congregavit, cum fore prævideret, ut civitas vastaretur? Annon hinc liquet illum tolli festivitatem voluisse? Deus illam sustulit, et tu Judæos sectaris, de quibus ait Propheta, « Et quis cæcus, nisi pueri mei, et surdus, nisi qui dominantur eorum[2]? » Erga quem enim illi non fuerunt ingrati ac stupidi? erga Apostolos, erga Prophetas, erga doctores suos? Quid autem opus est de doctoribus ac Prophetis verba facere, cum et ipsos liberos suos occiderint? « Immolarunt enim filios suos et filias suas » dæmoniis. » Naturam ignorarunt, num igitur quæso dies erant observaturi? propinquitatem conculcarunt, et filiorum obliti sunt, Dei ipsius, a quo conditi fuerant, sunt obliti. « Deum enim, inquit, dereliquisti, qui te genuerat, » et oblitus es Dei nutrientis te[3]. » Deum dereliquerunt, et solemnitates erant observaturi? quis hoc dicat? siquidem Christus etiam idcirco cum illis Pascha fecit, non ut nos cum illis faciamus, sed ut per umbram veritatem introduceret. Nam et circumcisionem passus est, et sabbata servavit, et festa celebravit, et azyma comedit, et hæc omnia Jerosolymis peregit; sed nulli tamen horum nos obnoxii sumus, ac clamat Paulus dicens, « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit[4]. » Et de azymis rursus, « Itaque festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis[5]. » Nostra enim azyma sunt

[1] Deut. xvi, 5. — [2] Isai. xlii, 16. — [3] Deut. xxxii, 8. — [4] Galat. v, 2. — [5] 1 Cor. v, 8.

non farina commixta, sed conversatio sincera et vita per virtutem transacta.

IV. Quam igitur ob causam tum temporis fecit Christus? quoniam vetus Pascha futuri erat figura, veritatem autem oportuit addi figuræ, cum prius umbram ostendisset, veritatem deinde in eadem mensa induxit: porro jam illata veritate, umbra deinceps absconditur, neque jam amplius tempestiva est. Noli ergo hoc obtendere, sed mihi illud ostende, ita fieri Christum jussisse. Nam ego quidem contrarium ostendo, non modo non jussisse dies observari, sed etiam ab hac nos necessitate liberasse. Audi sane quid dicat Paulus, cum vero Paulum dico, dico Christum: ipse enim est qui Pauli animam movet: quid igitur iste dicit? « Dies observatis et menses, et tempora, et annos. » Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis[1]: » et rursus, « Quotiescumque manducabitis panem hunc, et » calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis[2]. » Quotiescumque vero cum dixerit, permisit hoc ejus arbitrio, qui accedit, eumque omni dierum observatione liberavit. Non enim idem sunt Pascha et Quadragesima: sed aliud Pascha, aliud Quadragesima: siquidem Quadragesima semel in anno fit, Pascha vero ter in hebdomada, nonnunquam etiam quater (4), vel potius quotiescumque volumus. Est enim Pascha non jejunium, sed oblatio, et sacrificium, quod in singulis fit collectis. Hoc autem ita esse, collige ex his Pauli verbis, « Pascha nostrum pro nobis » immolatus est Christus, et, Quotiescumque manducabitis » panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annun- » tiabitis[3]. » Itaque quotiescumque cum conscientia munda accedis, Pascha celebras, non quando jejunas, sed quando sacrificii illius fis particeps. « Quotiescumque enim man- » ducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Do-

[1] Galat. IV, 10. — [2] 1 Cor. XI, 26. — [3] Id. V, 7, et XI, 26.

» mini annuntiabitis. » Pascha vero est mortem annuntiare. Nam quæ hodie fit oblatio, quæque hesterno die celebrata est, et quæ singulis diebus, similis est et eadem cum ea, quæ die illa sabbati facta est, et nihilo fuit illa venerabilior ista, neque vilior hæc quam illa, sed una eademque pariter tremenda et salutaris. Quam igitur ob causam jejunamus, inquit, per hos dies quadraginta? Multi quondam temere ac sine judicio, præcipue vero hoc tempore quo Christus ea tradidit, ad sacra mysteria accedebant. Cum igitur intelligerent Patres, quantum ex temerario accessu detrimenti caperetur, convenientes quadraginta dies jejunii, precum, auditionis verbi Dei, et conventuum designarunt, ut in his diebus omnes per preces, per eleemosynam, per jejunium, per vigilias, per lacrymas, per confessionem ac per cætera omnia diligenter expurgati, ita pro captu nostro cum conscientia pura accedamus. Porro illos hac sua condescensione magnum quid et egregium præstitisse, dum effecerunt, ut in jejunii consuetudinem veniremus, inde constat. Nam nos quidem si toto anno clamare ac jejunium prædicare non cessemus, nemo verbis nostris animum attendit : quod si tantum Quadragesimæ tempus advenerit, licet cohortetur nemo, licet consilium det nemo, etiam is, qui negligentissimus fuerit, excitatur, et oblatum ab ipso tempore consilium et cohortationem admittit. Si igitur interroget te Judæus et Gentilis qua de causa jejunes, ne dicas propter Pascha, neque propter crucem : sic enim ansam illi nos arguendi præberes. Neque enim ob Pascha jejunamus, neque ob crucem, sed ob peccata nostra, quoniam ad mysteria sumus accessuri : nam alioqui Pascha non jejunii, neque luctus, sed gaudii et exultationis est occasio. Crux enim peccatum sustulit, expiatio fuit orbis terrarum, inveterati odii reconciliatio, januas cœli aperuit, eos qui odiosi

erant, amicos reddidit, in cœlum reduxit, naturam nostram in throni dextera collocavit, alia nobis innumera bona largita est. Non igitur lugere ac mœrore contrahi oportet, sed horum omnium causa gaudere ac lætari. Propterea quoque dixit Paulus : « Mihi autem absit gloriari, » nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi[1] : » et rursus, « Commendat autem charitatem suam Deus erga nos : » quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro » nobis mortuus est[2] : » et Joannes ita plane loquitur : « Sic enim Deus dilexit mundum. » Quomodo, quæso ? et aliis omnibus prætermissis crucem posuit. Cum enim dixisset, « Sic Deus dilexit mundum, adjecit, ut Filium » suum unigenitum daret, » ut crucifigeretur, « Ut omnis, » qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æter- » nam[3]. » Si ergo charitatis occasio crux est, et gloriatio, ne dicamus nos ejus causa lugere. Non enim ob illam lugemus, absit, sed ob nostra peccata. Idcirco jejunamus.

V. Sane catechumenus nunquam Pascha celebrat, quamvis jejunet singulis annis, quoniam oblationi non communicat, quemadmodum et qui non jejunat, si cum pura accedat conscientia, Pascha celebrat, sive hodie, sive cras, sive alio quovis tempore communionis fiat particeps. Non enim ex temporum observatione, sed ex pura conscentia optimus judicatur accessus. At nos contrarium agimus, mentem quidem non expurgamus, sed si die illo accedamus, celebrare nos Pascha censemus, quantumvis peccatis redundemus. Sed non ita se res habet, non ita plane, verum licet vel in ipso sabbato cum prava accesseris conscientia, excidisti a communione, et non celebrato Pascha recessisti : quemadmodum contra, licet hodie communices abstersis peccatis, diligenter Pascha celebrasti. Hanc igitur diligentiam oporteret ac vehemen

[1] Galat. VI, 14. — [2] Rom. V, 8. — [3] Joan. III, 16.

tiam non in temporum observatione, sed in accessu servare : et quemadmodum quidvis perpeti malletis, quam consuetudinem immutare : ita negligere quidem hoc oporteret, quidvis autem perpeti ac perficere, ut ne cum peccatis accederetis. Ut enim intelligas Deum nullam temporum et observationis istius habere rationem, audi eum judicium exercentem : « Esurientem me vidistis, inquit, » et aluistis me : sitientem, et dedistis mihi potum : nu» dum et operuistis me [1] : » et his qui a sinistris sunt contraria exprobrat. Et rursus alium introducens ob recordationem injuriarum castigat : « Serve enim, inquit, nequam, » omne debitum illud dimisi tibi, nonne oportuit et te » misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum [2] ? » Rursus virgines, quoniam oleum in lampadibus non habebant, a thalamo sponsi exclusit [3] : alium, quod nuptialem vestem non habens esset ingressus, sed sordidis esset vestimentis indutus, fornicatione et impuritate coopertus : quod autem hoc vel illo mense Pascha fecerit, nemo unquam punitus est, aut reprehensus. Sed quid ego de nobis loquor ab omni ejusmodi quavis necessitate liberatis, et quorum conversatio sursum in cœlis est, ubi menses et sol et luna, et annorum non est circuitus ? Ne apud Judæos quidem, si quis diligenter animum attendere voluerit, temporis magnam habitam esse rationem videbit, sed Jerosolymorum illi fuisse locum antelatum. Nam quoniam ad Moysem accedentes dicebant : « Immundi sumus super » animam, quomodo non fraudabimur ad offerendum dona » Domino ? State istic, inquit, et offeremus ad Deum : » Deinde cum retulisset, legem detulit, quæ præcipiebat, « Si quis immundus fuerit super animam vel in via longa, » et primo mense Pascha facere non potuerit, faciet in » secundo [4]. » Ergo-ne apud Judæos temporis solvitur ob-

[1] Matth. xxv, 35. — [2] Id. xviii, 32. — [3] Id. xxv, 7. — [4] Num. ix, 7 et 10.

servatio, ut Jerosolymis Pascha celebretur : et tu concordiam cum Ecclesia tempori non anteferes, sed ut dies observare videaris, communem omnium nostrum matrem injuria afficies, et conventum sacrum divides? Quis igitur venia te dignum censebit, qui nulla de causa talia peccare velis? Quid autem de Judæis loquor? Nam ne nos quidem etiam si vehementer cupiamus et annitamur, diem illum omnino observare posse, quo crucifixus est, inde constat. Licet enim transgressores Judæi non fuissent, neque ingrati fuissent, neque stupidi, neque desides ac contemptores, neque a paternis ritibus excidissent, sed eos etiamnum diligenter observarent, ne sic quidem fieri posset, ut nos illorum vestigiis insistendo diem istum quo crucifixus est, et Pascha celebravit, assequeremur. Quo vero pacto, ego dicam. Quando crucifixus est, tum primus dies azymorum erat, et Parasceve : hæc enim utraque fieri nequit, ut perpetuo concurrant. Ecce namque primus dies azymorum hoc anno in dominicum diem incidit, et omnino necesse est, ut tota hebdomada jejunemus, et cum passio præterierit, et crux advenerit, et resurrectio, nos adhuc jejunantes maneamus. Et sæpenumero istud accidit, ut post crucem, post resurrectionem, hebdomada nondum absoluta jejunium observemus. Ita nulla temporis est observatio.

VI. Ne igitur contendamus, neve illud dicamus, Tanto tempore jejunavi, et nunc morem mutabo. Propter hoc ipsum muta, quod tam multo tempore fueris ab Ecclesia divisus, ad matrem deinceps revertere. Nemo dicit : Quandoquidem tanto tempore inimicitias exercui, nunc reconciliari me pudet. Est enim pudor et ignominia non in melius mutari, sed in importuna contentione persistere. Hoc Judæos etiam perdidit, qui dum veterem consuetudinem semper inquirunt, ad impietatem devolvebantur, sed quid

ego de jejunio dierumque observatione verba facio? Paulus legem servare non desinebat, et multos labores ac sudores sustinebat, et multas peregrinationes, multasque alias ærumnas tolerabat, atque omnes coætaneos suos diligenti religionis illius observatione superabat: verumtamen postquam ad summum religionis illius fastigium pervenerat, cum intellexisset in perniciem ac detrimentum se cuncta præstare, confestim mutatus est. Nec apud se dixit: Quid hoc rei est? Tanto studio fraudor? tantum laborem amitto? imovero propter hoc ipsum citius est mutatus, ne detrimentum illud iterum paterctur, ac justitiam ex lege contempsit, ut fidei justitiam acciperet, et clamat dicens: « Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus » sum propter Christum detrimenta [1]. Si offers munus » tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus » habet aliquid adversum te, vade prius reconciliare fra» tri tuo, et tunc veniens offer munus tuum [2]. » Quid ais? Si frater quidem tuus habeat aliquid adversum te, sacrificium ut offeras tibi non permittit, donec reconciliatus illi fueris; cum vero tota Ecclesia, et tam multi Patres habeant adversum te, audes ac sustines non deposito prius importuno hoc odio ad sacrorum participationem mysteriorum accedere? Et quo pacto poteris sic affectus Pascha celebrare? Hæc a me non ad illos tantum dicuntur, sed etiam ad vos qui sani estis, ut quotquot tales esse videritis, cum multa diligentia et lenitate selectos congregetis, atque ad matrem ipsos reducatis. Licet resistant, licet resiliant, licet aliud quidvis faciant, ne defatigemur, donec eis persuaserimus. Nihil enim est, quod cum pace valeat, et concordia comparari. Propterea quoque cum ingreditur Pater non prius ad hanc sedem ascendit, quam vobis omnibus pacem fuerit precatus, et cum surgit, non prius

[1] Philip. III, 7. — [2] Matth. V, 23.

docere vos incipit, quam omnibus pacem dederit. Sacerdotes etiam cum fuerint benedicturi, ubi prius hoc vobis apprecati fuerint, deinceps incipiunt benedicere. Et vero diaconus dum cum aliis precari jubet, hoc quoque imperat in oratione, ut Angelum pacis rogemus, et quæ proposita sunt cuncta pacifica, et ab hoc conventu vos dimittens hoc vobis precatur dicens : « In pace discedite : » et nihil in universum potest vel dici vel fieri sine ista. Est enim hæc nutrix ac mater nostra, quæ multo cum studio ac diligentia nos fovet. Pacem porro dico non hanc a sola appellatione, neque illam quæ in mensæ communione consistit, sed pacem secundum Deum, quæ ex spirituali concordia nascitur, quam multi nunc dissipant, a quibus res nostræ intempestiva quadam contentione destruuntur et res Judæorum augentur, dum eos fide digniores doctores quam suos Patres arbitrantur, et Christi parricidis de passione credunt, quo quid absurdius fieri possit? Nescitis illud figuram, hoc veritatem fuisse? Vide namque quantum sit discrimen. Illud corporalem mortem prohibebat, hoc iram sedavit, quæ adversus universum terrarum orbem ferebatur : illud ab Ægypto vindicavit, hoc ab idololatria liberavit : illud Pharaonem, hoc diabolum suffocavit : post illud Palæstina, post hoc cœlum. Quid igitur lucernæ assides, cum Sol apparuerit? cur quæso lacte vis nutriri, cum cibus tibi solidus præbeatur? Propterea lacte nutritus es, ne lacte contentus esses : propterea tibi lucerna apparuit, ut ad Solem deducereris. Cum igitur res perfectiores advenerint, ad priores ne recurramus, neque dies et tempora et annos observemus, sed ubique diligenter Ecclesiam sequamur, et charitatem ac pacem omnibus præferamus. Licet enim Ecclesia falleretur, non tantum laudis ac lucri ex temporum exacta ratione, quantum vituperii ex divisione ac schismate nasceretur : jamvero nullam ego tem-

poris rationem habeo, quandoquidem neque habet Deus, quemadmodum demonstravimus, cum hac de re multi habiti fuerint a me sermones : sed unum id quæro, ut in pace concordiaque cuncta faciamus, ne dum nos jejunamus, ac populus omnis, et preces pro terrarum orbe fundunt sacerdotes, tu ebrietati domi vaces. Cogita quam hoc sit operationis diabolicæ, nec unum solum, nec duo, nec tria, sed multo plura peccata secum trahat. A grege te divellit, et efficit, ut tam multos patres condemnes, in contentiones præcipitat, ad Judæos expellit, scandalum te rursus et domesticis et alienis proponit. Quî namque poterimus illos reprehendere, si domi maneant, cum tu ad illos curras? Neque vero hæc solum peccata sunt, sed quod magnum detrimentum capiatur, cum neque Scripturis, neque concionibus, neque benedictione, neque communibus precibus in jejuniis illis fruaris, sed cum prava conscientia totum illud tempus traducas metuens ac tremens, ne deprehendaris tanquam alienigena quidam et peregrinus, cum te oporteret cum fiducia, et voluptate, cum lætitia, cum omni libertate simul cum Ecclesia cuncta perficere. Neque enim Ecclesia exactam rationem temporum novit : sed quoniam ab initio Patribus visum est loco dissitis simul convenire, atque hunc diem definire, consensum ubique plurimi faciens, et concordiam diligens, quod mandatum fuit amplexa est. Fieri quippe non posse, ut vel nos vel vos, vel alius quivis ipsum dominicum diem assequatur, sufficienter est in præcedentibus demonstratum. Ne igitur cum umbra digladiemur, neque de rebus vulgaribus contendentes in magnis nos ipsos lædamus. Nam hoc vel illo tempore jejunare nullum est crimen : Ecclesiam autem dividere, ac contentionibus vacare, et discordias serere, seque sacro conventu perpetuo privare, venia caret, criminatione dignum, et multo supplicio est obnoxium. Ac

poterant quidem plura dici, verum iis qui attenti fuerint, ea quæ jam sunt dicta sufficiunt : minus attentis autem, neque si plura dicantur, quidquam proderit. Quocirca finem hic dicendi facientes omnes simul fratres nostros oremus ut ad nos redeant, et pacem amplectantur, ab importuna contentione discedant, et his ineptiis neglectis mentem et cogitationem attollant, atque a temporum observatione liberentur, ut uno omnes animo, atque uno ore glorificemus Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO IV.

Contra Judæos, in tubas Paschatis eorum Antiochiæ habita in magna Ecclesia.

I. Rursus infelices illi[1], mortaliumque omnium miserrimi Judæi jejunaturi sunt : rursus Christi gregem muniamus necesse est. Quandoquidem et pastores, quandiu noxia bestia molesta non est, sub ilicem aut populum porrecti, fistula canunt, sinentes oves libere pro suo arbitratu pascere : verum simul atque senserint alicunde luporum incursionem imminere, mox abjecta fistula, fundam arripiunt, et omisso calamo, fustibus et saxis obarmant sese, proque ovili consistentes, magno clamore, ingentique ululatu vociferantes, frequenter ipso clamore feram, priusquam irrumpat, abigunt. Itidem et nos superioribus diebus in Scriptura, velut in prato ludentes chorcasque ducentes, nihil in enarratione attigimus contentiosi sermonis : eo

[1] Vide D. Guillon, tom. XIII, p. 337-339.

quod nullus esset, qui nobis obturbaret, aut molestus esset. Cæterum quoniam hodie lupis omnibus sæviores Judæi, oves nobis circumvallaturi sunt ad pugnos et pugnam accingamur oportet, ne quid nobis ereptum cedat in prædam ferarum. Ne vero mirum vobis videatur, si cum jejunium illud post decem et eo amplius dies venturum sit, nos ab hoc statim tempore munimus et armamus animas vestras: quandoquidem et inter agricolas qui vigilantes et industrii sunt, cum habent vicinum torrentem, qui vexat, læditque segetem, non adventante hyeme, sed tempus illud prævertentes et ripas obsepiunt, et aggeres erigunt, et fossas agunt, denique modis omnibus sese præparant adversus torrentis futuram violentiam. Dum enim tranquillus est, atque angustus, facile est illi admoliri manus: verum posteaquam increvit, multoque aquarum impetu fertur violentus, non perinde facile est exundanti obsistere. Eoque multo ante tempore præveniunt illius eruptionem, undequaque præparantes quidquid agros possit tutos reddere. Sic et milites, et nautæ, et agricolæ, et messores facere consueverunt. Siquidem milites priusquam veniat pugnandi tempus, et thoracem abstergunt, et scutum circumspiciunt, et frenos apparant, et equos omni diligentia nutriunt, cæteraque omnia recte diligenterque curant. Similiter et nautæ priusquam navim in portum detrahant: et carinam apparant, et instaurant latera; et remos dolant, et vela consarcinant, denique quidquid præterea ad totius navis armaturam pertinet, diligenter accurant: messores item multis ante diebus et falces acuunt, et aream præparant, boves item et currum, breviter quidquid ipsis ad messem et trituram conducibile judicant. Imo videas omnes homines, si quid rerum agendum est, prius ad eas apparatum facere; ut cum advenerit rei gerendæ tempus, facilæ conficiant, quod est opus. Hos igitur et

nos imitantes, multis ante diebus præmunimus animas vestras, exhortantes vos, ut impium hoc Judæorum et sceleratum jejunium fugiatis. Neque enim ita dixeris : Jejunant ; quin potius illud mihi ostendito, eos ex Dei sententia jejunare. Quod ni id fiat, quavis ebrietate sceleratius est jejunium. Neque enim solum considerandum est quid ab istis fiat, verum illud etiam observandum, quam ob causam faciant. Etenim quod fit juxta Dei voluntatem, quamvis videatur improbum esse, omnium optimum est. Contra, quod fit præter Dei voluntatem et placitum, etsi putetur optimum, tamen est omnium pessimum et iniquissimum. Etiam si quis occidat hominem, ita volente Deo, quavis humanitate melius est hoc homicidium. Rursus si quis parcat, et humanitatis officium collocarit in quempiam præter Dei sententiam, quavis cæde sceleratior est hæc indulgentia. Non enim ipsa rerum natura facit ut eadem vel bona sint vel mala, sed Dei placitum.

II. Ut autem intelligas hoc esse verum, audi. Achab, cum regem quemdam Syrorum cepisset, contra Dei voluntatem dedit vitam, et assessu dignatus est, denique multa cum honorificentia dimisit. Mox Propheta quispiam accedens, dixit ad sibi proximum : « In sermone Domini » percute me, ille vero noluit eum percutere. Dixit igitur » ad illum ; Eo quod non audisti vocem Domini, ecce tu » recedes a me, et percutiet te leo. Discessit ab illo, et » reperit eum leo, et percussit. Ac reperit alium hominem, » cui dixit : Percute me. Et percussit cum homo ille, vul- » neravitque eum, ac ille sibi obligavit faciem [1]. » Quid hoc stupore dignius fieri possit ? qui percussit Prophetam, evasit incolumis : qui pepercit, dedit pœnas : nimirum ut intelligeres, in jussis divinis non oportere curiosum esse, examinareque rerum quæ præcipiuntur naturam, sed nihil

[1] 3 Reg. xx, 35-38.

aliud quam obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret Prophetæ, non dixit illi simpliciter, « Percute me, » sed addidit, « In sermone Domini : » hoc est, Deus præcepit, ne quære ulterius. Rex est qui hanc præscribit legem : revere jubentis auctoritatem, summaque cum animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, eoque pœnas dedit gravissimas, suo exemplo posteros adhortans, ut quidquid præceperit Deus, ei per omnia obtemperarent, moremque gererent. Dein cum posterior ille percussisset eum, et vulnerasset, Propheta sibi caput obvinxit loro, et oculos obtexit, denique in eam speciem sese transformavit, ut a nemine posset agnosci. Cujus rei gratia hoc fecit ? Erat redarguturus regem, et sententiam in eum laturus de salute regis Syriæ. Is igitur cum, ut erat impius, semper odium gessisset adversus Prophetas, ne conspectum ipsum, et agnitum, ab oculis suis submoveret : eoque facto non reciperet correctionem, velut Propheta simul et faciem suam, et negotii narrationem, ut et ipsi contingeret potestas dicendi quæ volebat, et regis confessionem extorqueret. Etenim cum rex præteriret, clamore compellans eum, dixit : « Servus tuus egressus » est ad exercitus aciem, et ecce vir quidam adduxit ad » me virum, dixitque : Serva mihi hunc, quod si elapsus » evaserit, erit anima tua pro anima illius, aut dependes ar- » genti talentum. Et accidit dum servus tuus circumspice- » ret huc et illuc, et ecce vir non comparebat. Et dixit rex » Israël : Ecce judex tu apud me : occidisti. Et illico Pro- » pheta detraxit velamen ab oculis suis, et agnovit illum » rex Israël, quod esset unus ex filiis Prophetarum. Dixit- » que ad illum : Hæc dicit Dominus : Eo quod dimisisti vi- » rum exitio dignum e manu tua, erit anima tua pro anima » illius, et tuus populus pro populo illius[1]. » Vides, quod

[1] 3 Reg. xx, 39-42.

non solum Deus, sed et homines simili modo judicant, non respicientes ad eorum quæ fiunt naturam, sed ad finem potius et causas? Ecce, inquit etiam ipse rex, tu judex apud me, qui occideris. Homicida es, inquit, eo quod hostem dimiseris. Ob hoc enim Propheta velum addiderat, et velut in aliena causa litem induxit, ut rex sententiam rectam pronuntiaret: quod et accidit. Enim postquam se ipsum sua sententia condemnasset, detracto velo, dixit Propheta: « Quoniam tu dimisisti virum exitio dignum e »manu tua, erit anima tua pro anima illius, et populus »tuus pro populo illius. » Vides quas pro humanitate pœnas luerit rex, proque intempestiva clementia quo affectus sit supplicio? Et hic quidem qui servavit, punitur; alter vero qui occidit, probatus est. Igitur et Phinees, qui eodem temporis articulo duplex perpetravit homicidium[1], virumque simul cum muliere sustulit, sacerdotio honoratur: nec solum non inquinavit manum sanguine, verumetiam puriorem reddidit. Proinde cum videris eum qui Prophetam percussit esse servatum, eum vero qui non percussit extinctum; et illum qui pepercerat dare pœnas, punitum; rursus eum qui non pepercit, approbatum: semper apud te potior sit ratio, quid Deus præcipiat, quam quæ sit negotiorum natura. Quod si quid compereris illo approbante geri, illud solum amplectere.

III. Atque hac utentes regula, et jejunium hoc Judæorum expendamus. Etenim ni id fecerimus, sed actiones nudas, per se tantum in medium prolatas, consideremus: ingens erit confusio, magnaque perturbatio. Nam latronibus lacerantur latera, et monumentorum perfossoribus, et præstigiatoribus: verum idem patiuntur et Martyres. Facta quidem sunt eadem, cæterum animus et causa cur hæc fiant, non est eadem, eoque plurimum est discriminis

[1] Num. xxv, 7-11, et Psal. cv, 30, 31.

inter hos et illos. Sicut igitur in illis non tormentum tantum expendimus, sed prius animum et causam, ob quam cruciatus inferuntur, consideramus, et ob id Martyres amamus, non quod crucientur, sed quod ob Christum cruciatus ferant; contra, latrones detestamur, non quia puniuntur, sed quod ob malefacta puniuntur: eodem modo hac in re calculum ponas: si videris illos amore Dei jejunantes, amplectere quod fit: at si perspexeris, illos hoc præter divinam voluntatem facientes; magis eos detestare, majoreque odio prosequere, quam ebrios, quam temulentiæ et comessationibus indulgentes. In hoc autem jejunio non satis est causam inquirere, sed et locus et tempus consideranda sunt. Verum priusquam moveamus aciem adversus Judæos, lubens orationem verterim ad eos qui sunt nostri corporis membra, ac nostri quidem ordinis esse videntur, cæterum illorum cultum sequuntur, proque illis defendendis nihil laboris non suscipiunt, qua in parte dignos esse video graviore condemnatione, quam Judæos universos. Id esse verum, non modo sapientes et cordati, verumetiam quicumque vel paulum habent mentis et rationis, mecum fatebuntur. Nec enim opus est sophismatibus, nec apparatu sermonis, nec prolixis periodis ad hoc demonstrandum, cum satis sit illos simplici percontatione interrogatos, ex ipsa responsione capere. Quid igitur? Unumquemque isto morbo affectum percontabor: Christianus es? Cur ergo æmularis judaïca? At Judæus es? quam igitur ab causam molestus es Ecclesiæ? Qui Persa est, nonne quæ Persarum sunt curat? Barbarus, nonne barbarorum ritus æmulatur? Qui habitat in ditione Romanorum, non utitur nostris legibus? Age dic mihi, nonne si quis horum qui apud nos vivunt, cum illis sentire fuerit deprehensus: inauditus citraque examen punitur, etiamsi infinita habeat, quibus causam suam possit de-

fendere? Et si quis apud istos extiterit, qui Romanis utatur institutis, nonne rursus idem patietur ?Quomodo igitur tu qui ad impium illud vitæ institutum defecisti, audes sperare salutem? An exiguum intervallum est inter nos et Judæos? An de rebus levibus aut vulgaribus inter nos est controversia , ut tu unum et idem esse credas nostrum et illorum institutum? Cur non miscenda misces? Illi crucifixerunt Christum, quem tu adoras. Vides quantum interest? Quî fit igitur, ut ad illos, qui Christum occiderunt, curras, profitens te adorare crucifixum? Neque vero ipse legem hanc fero, qua illos criminer, nec hanc accusationis formam inveni. Annon Scriptura simili modo accusat illos? Audi igitur quid dicat Jeremias adversus illos : « Abite in » Cedar, et videte; emittite ad insulas Chetiim, et judi- » cate, num talia facta sint. An Gentes mutent deos suos, » et isti non sunt dii. Vos autem mutastis gloriam vestram » in eam, ex qua nihil utilitatis capietis [1]. » Non dixit, Mutastis deos vestros, sed, gloriam: id est, Illi, inquit, cum adorent idola, colantque dæmones, tam constant in errore, ut ne velint quidem illa relinquere, et ad veritatem transfugere. Vos autem qui verum adoratis Deum, relicta majorum religione, ultro ad aliena defecistis; neque tantum religiosæ mentis præstatis in veritate, quantum illi præstant in suo errore. Proinde dicit : si istiusmodi facta sunt, si mutabunt Gentes deos suos, et isti non sunt dii : vos autem mutastis gloriam vestram, unde nullam capietis utilitatem. Non dixit, Mutastis Deum vestrum: « Deus » enim non mutatur [2] : » sed, mutastis gloriam vestram. Neque enim me læsistis, inquit; neque ulla noxa ad me pervenit: vosmetipsos affecistis ignominia, meam gloriam non imminuistis, sed vestram. Concedite sane mihi, ut hunc sermonem etiam ad nostros accommodem ; si tamen

[1] Jerem. II, 10, 11. — [2] Malac. III, 6.

par est illlos appellare nostros, qui cum illis sentiunt. Abite in Synagogas, et videte, num Judæi mutarint suum jejunium; num illi sub Pascha nobiscum celebrarint jejunium; num hoc hodie unquam comederint? Atqui hoc non est jejunium, sed legis transgressio, sed error, sed peccatum : attamen illi nunquam mutarunt. Vos autem mutastis gloriam vestram, unde nihil utilitatis capietis, et ultro ad illorum ritus descivistis. Quando Paschæ jejunium celebrarunt illi? Quando Martyrum festos dies nobiscum egerunt? quando diem Epiphaniorum nobiscum celebrarunt? illi non accurrunt ad veritatem; et vos ad iniquitatem properatis. Iniquitatem autem dico, quia ista fiunt non suo tempore. Erat olim tempus, quo conveniebat ista servare; jamvero non est amplius. Eoque, quod tum juxta legem fiebat, nunc præter legem fit.

IV. Concedite mihi ut illud etiam Eliæ dicam adversus eos. Cum enim ille conspicerat Judæos impie viventes, et nunc quidem obtemperantes Deo, nunc rursus idola colentes, ad hunc loquitur modum; « Quousque claudi» catis utroque poplite vestro? Si Dominus est Deus vobis» cum, venite et sequimini eum; si autem Baal, ite post » eum [1]. » Idem et ipse loquor ad istos. Si judaïsmum putatis verum esse; cur obstrepitis Ecclesiæ? Quod si christianismus verus est, sicut revera est : in eo manete, et illum sequamini. Particeps es nobiscum mysteriorum : age dic mihi, Christum adoras ut Christianus, ab illo bona petis, et cum illius hostibus festum celebras? Et quo tandem animo prodis in Ecclesiam? Verum hæc dixisse sufficiat ad illos qui prædicant se nobiscum sentire, cum res illorum imitentur. Quia vero et ad illos volo dirigere sermonem, concedite mihi ut liceat doctrinam hanc altius repetere, quo perspicuum fiat Judæos nunc jejunantes

[1] 3 Reg. XVIII, 21.

legem ignominia afficere, Deique præcepta conculcare, semper ea facientes, quæ illius placitis adversantur. Etenim cum illos volebat jejunare, tum incrassabantur, dilatabanturque : rursus ubi non volebat eos jejunare, ipsi jejunabant. Cum vellet illos victimas offerre, ad simulacra properabant : cum vellet illos celebrare festum diem, non celebrare curabant. Et ideo Stephanus dixit ad illos, « Vos » semper Spiritui sancto resistitis [1]. » In hoc, inquit, solum incubuistis, ut quæcumque Deus præceperit, iis contraria faciatis, quemadmodum et nunc faciunt. Unde id liquet? Nimirum ex ipsa lege. Siquidem in ipsis etiam festis judaïcis, non tempus solum, verum et locum observari jussit ipsa lex. Nam et de Paschate quod erat apud ipsos differens, ita loquitur : « Non potestis celebrare Pascha in » ulla civitatum earum, quas Dominus Deus dat vobis. » Sed sicut decimo quarto die primi mensis, ita Jerosolymis jubet illud peragi, similiter etiam Pentecosten et loci et temporis observatione conclusit : dum post septem hebdomadas jubet hoc festum celebrari, et rursum cum addit; « In loco quem elegerit Dominus Deus tuus [2]. » Sic et festum Scenopegiæ instituit. Sed dispiciamus, utrum tandem horum est magis necessarium, locus an tempus. Et, si non sint hæc inter se paria, utrum observandum est tempus, neglecto loco : an neglecto tempore, loci ratio tenenda est. Quod dico, tale est. Præcepit Dominus, ut in primo mense et Jerosolymis celebraretur Pascha : videlicet tempore pariter et loco præfinito. Ponamus igitur duos quospiam esse, qui Pascha celebrent, quorum alter prævaricetur locum, tempus observet : rursus alter observet quidem locum, sed transgrediatur tempus. Atque is qui tempus observat neglecto loco, celebret Pascha in primo mense, sed alicubi procul Jerosolyma : is vero qui locum

[1] Act. VII, 51. — [2] Deut. XII, 21.

observat neglecto tempore, Pascha celebret Jerosolymis, non tamen primo mense, sed secundo. Deindè videamus uter horum duorum sit in crimine, uter probandus : is-ne qui neglecto tempore locum servavit, an qui loco neglecto tempus servavit? Etenim si is qui tempus neglexit, ut intra civitatem Pascha celebraret, videtur approbandus : contra, qui servato tempore locum neglexit, vocandus est in crimen, et impietatis reus peragendus : nimirum liquet, quod isti quoque legem violant, loco non suo facientes; quod faciunt, etiamsi decies millies prædicent se servare tempus. Unde igitur hoc nobis perspicuum est? videlicet ab ipso Mose. Siquidem cum quidam essent celebraturi Pascha, adierunt Mosen, dicentes : « Nos impuri sumus » super hominis anima, num omittemus offerre munus » Domino juxta tempus suum, in medio filiorum Israël? » Respondit illis Moses : State hic, et audiam quid præ- » cepturus sit Dominus de vobis, et locutus est Dominus » Mosi dicens; Homo quicumque fuerit inter vos impurus » super hominis anima, aut in longo itinere, aut in vobis » in generationibus vestris, faciet Pascha mense secundo[1]. » Id est : Quisquis, inquit, primo mense deprehensus fuerit in peregrinatione, ne faciat Pascha extra civitatem, sed mense secundo; ut venire possit Jerosolymam ac tempus negligat potius, quam faciat extra civitatem. Ex hoc declarans, quod observatio loci, temporis observatione magis est necessaria. Quid igitur isti habent quod dicant, qui extra civitatem præscriptam faciunt Pascha? Nam cum transgrediantur id quod magis est necessarium; nihil illos excusare potest ejus observatio, quod minoris est momenti. Igitur etiamsi decies millies videantur servare tempus, extrema legis transgressio est quod faciunt. Atque id esse verum, non hinc liquet tantum, verumetiam ex Pro-

[1] Num. IX, 7-11.

phetis. Cum enim constet illos nunquam sacrificasse, neque canticum cecinisse in terra aliena[1], neque istiusmodi jejunium jejunasse : quam veniam promerentur isti ? Attamen illi quidem expectantes talem vitæ suæ statum se recepturos, nihilo secius persistebant in lege, parentes illi, quæque lex præscribebat, implentes. Hoc enim lex ipsa illis fore promiserat. Isti vero hæc faciunt, cum nullam habeant spem fore, ut pristinum vitæ statum recipiant : cujus enim id Prophetæ testimonio probabunt et tamen ne sic quidem possunt quiescere. Jam, ut maxime sperarent se civitatem recepturos : etiam tunc oportebat sanctos illos imitari, tum a jejuniis, tum a cæteris observationibus abstinentes.

V. Quod enim istiusmodi rerum nihil illi fecerint, audi quid rogantibus responderint. Cum enim urgerent, compellerent, cogerentque barbari, ut uterentur organis suis, dicerentque ; « Cantate nobis canticum Domini : » illi qui pulchre legis mentem tenebant, responderunt, non decere ut ista facerent extra Jerosolymam : « Quomodo, inquiunt, » cantabimus canticum Domini in terra aliena[2] ? » Rursus tres illi pueri qui versabantur in Babylone, dicebant : « Non est hoc tempore Princeps, neque Propheta, non lu- » cus ut sacrificemus in conspectu tuo, et inveniamus mi- » sericordiam[3]. » At sane multus erat ibi locus, at quoniam ibi templum non erat, abstinent a sacrificiis. Jamvero et ad alios per Zachariam loquitur Deus : « Num jejunium » jejunastis mihi per annos septuaginta[4] ? » loquens de annis quos egerant in captivitate. Quomodo ergo tu nunc jejunas, dic mihi, cum majores tui nec sacrificaverint, nec jejunarint, nec festa celebraverint? Quod autem Pascha non celebraverint ex his palam est. Nam ubi non era sacrificium, ibi ne festum quidem erat : eo quod omne

[1] Psal. CXXXVI, 4. — [2] Ibid. 3. — [3] Dan. III, 38. — [4] Zach. VII, 5.

festum sic peragi oportebat. Quod si pleniorem hujus rei demonstrationem exhibere velimus; audi quid dicat Daniel. « In diebus illis eram ego Daniel lugens, tribus heb» domadibus panem desiderabilem non comedi, et vinum » carnesque non ingressæ sunt in os meum, et unguento » non ungebar in hebdomadibus illis. Et factum est vicesimo » quarto die primi mensis vidi visionem [1]. » Hic mihi diligenter auscultate. Ex his enim perspicuum est, quod tum Pascha non celebraverint. Quî sic? Dicam. Per dies Azymorum, jejunare Judæis fas non erat. Hic autem dies viginti unum prorsus non attigit panem. Et unde hoc docetur, dicet aliquis? quod isti viginti dies et unus inciderint in dies Azymorum? Id inde demonstratur, quod dicit, quarto et vigesimo die primi mensis. At Paschæ festum vigesimo primo die finiebatur. Nam incipientes a decimo quarto die primi mensis, deinde diebus septem continuata celebritate, ad vigesimum primum diem perveniebant. Attamen Daniel perseverabat jejunans, etiam cum præteriisset Paschæ tempus. Nam cum cœpisset a tertio die primi mensis, ac deinde per dies viginti unum continuasset [2]; nimirum decimum quartum diem præteriit, et post hunc item septem et tres alios jejunavit. Annon igitur isti exleges et impii, qui, cum illi sancti viri in aliena terra nihil servaverint eorum quæ lex præscribebat, tamen per contentionem et pervicaciam diversa factitant? Etenim si nonnulli fuissent incogitantes parumque circumspecti, qui talia vel facerent, vel dicerent: forsitan negligentiæ tribueret aliquis, quod ea non observent. Jam cum religiosi sint, cum pii, cum ii qui pro præceptis Dei tradiderunt animas suas, conspicuum est eos haudquaquam per negligentiam fecisse quod fecerunt, sed ab ipsa potius lege persuasos, quod non oporteat quidquam talium cæremoniarum extra Jero-

[1] Dan. x, 2. — [2] Ibid.

solymam observare. Quin et aliud quiddam ex his perspicue colligitur longe maximum, videlicet, quod observationes sacrificiorum, sabbatorum, et noviluniorum, denique similium rituum omnium ex abundanti additæ sunt judaïcæ vitæ : ut neque si serventur, aliquid magni momenti conferre possint ad virtutem ; neque si prætermittantur, possint ex bono facere malum, aut pietatis studium, quod in animo situm est, aliqua ex parte imminuere. Illi igitur qui vitam angelicæ æmulam nobis in terris ostenderunt, cum harum rerum nihil omnino peregerint, non victimam mactarint, non festum diem observarint, non istiusmodi jejunium susceperint : adeo tamen placuerunt Deo, utipsam naturam transcenderint, totumque terrarum orbem, per ea quæ ipsis obtigerunt, ad Dei cognitionem pertraxerint. Quid enim proferri queat, quod cum Daniele conferatur? quid quod cum tribus pueris? quandoquidem illi quod præceptum in Evangeliis maximum, quodque bonorum omnium caput, ante proditum Evangelium occuparunt, ipsisque factis declararunt. « Majorem hac, inquit, » charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro » amicis suis [1]. » Illi vero animam suam exposuerunt pro Deo. Nec hac parte solum admirandi sunt, verumetiam ob hoc quod id nullius mercedis gratia fecerunt. Ideoque dicebant, « Est Deus in cœlo potens eripere nos : qui » etiamsi non eripiat, notum sit tibi, rex, nos non servi» turos diis tuis [2]. » Sufficit nobis illa merces, quod propter Deum morimur. Hæc præstiterunt, tamque insignem virtutem exhibuerunt, nihil eorum observantes, quæ lex præscripserat.

VI. Ergo qua tandem, inquies, gratia Deus ista præcepit, si non volebat observari? et si fieri volebat, qua gratia tuam civitatem demolitus est? Nam alterum e duo-

[1] Joan. xv, 13. — [2] Dan. III, 17.

bus illi faciendum erat, si voluisset illa remanere : aut non præcipere, ut ipsi uno tantum in loco sacrificia fierent, cum vos per omnes mundi plagas esset dispersurus : aut si volebat vos eo in loco sacrificare tantum, non debebat vos per universum orbem dissipare, ac solam illam civitatem inaccessam reddere, in qua sola victimas jusserat immolare. Quid igitur? an secum ipse, inquis, pugnat Deus, qui uno in loco sacrificari jusserit, et rursus ab hoc ipso loco excludat? Nequaquam, imo magnopere sibi constat Deus : neque enim initio sibi volebat offerri sacrificia. En, ipsum Prophetam adduco testem, qui sic loquitur : « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, » attendite legi Dei vestri populus Gomorrhæ[1]. » Non ad Sodomitas et Gomorrhæos verba faciens hæc loquitur, sed ad Judæos. Sic autem appellat illos Deus, quod imitantes illorum malitiam, sibi cognationem cum illis ascivissent[2]. Similiter et canes illos appellat, et equos emissarios[3] : non quod illorum esset transformata natura, sed quod illorum animalium incontinentiam imitarentur. « Quo » mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Domi- » nus. » Cæterum qui Sodomis habitabant, nunquam visi sunt immolare victimas, sed ad Judæos sermo Dei dirigitur, ob causam quam diximus, Sodomorum cognomina illis tribuens. « Quo mihi multitudinem victimarum ves- » trarum? dicit Dominus, Plenus sum holocaustomatis » arietum, et adipem agnorum, et sanguinem taurorum » aut hircorum nolo. Nec si veniatis in conspectum meum. » Quis enim exquisivit hæc omnia de manibus vestris[4]? » Audistis clarissimam vocem dicentem, quod initio non postularit hæc de manibus vestris? Etenim si postulasset similiter et priscos illos omnes, qui ante hos floruerunt, prius ad hoc vitæ institutum adegisset. Quo igitur, inquis,

[1] Isai. I, 10. — [2] Id. LVI, 11. — [3] Id. V, 8. — [4] Id. I, 11, 12.

consilio hæc modo præcepit? Nimirum vestræ morem gerens infirmitati. Et quemadmodum medicus, videns hominem febricitantem, morosum, impatientem, si concupiscat frigidam bibere, ac minetur, ni accipiat, plane futurum, ut vel se laqueo suspendat, vel e sublimi se præcipitem det, dum studet majus excludere malum, permittit quod minus est, cupiens illum a violenta morte revocare: ita fecit et Deus, quoniam vidit illos insanientes, anxios, concupiscentes victimarum oblationem, jamque, nisi acciperent quod desiderabant, paratos ut ad idola deflecterent; imo non solum paratos, verumetiam eo jam prolapsos: permisit immolationem victimarum. Atque ut scias, hanc fuisse causam; vel ex ipso tempore declaretur id quod dico. Siquidem post festum, quod impiis dæmonibus celebrarunt, tum demum permisit illis immolationes pecudum, tantum non dicens: Insanitis, et vultis immolare victimas, igitur mihi potius immoletis. Quanquam ne hoc quidem permisit, ut perpetuo liceret, sed prudentissimo consilio, quod permiserat, rursus eripuit. Et sicut si medicus ille, nihil enim vetat eodem exemplo denuo uti, posteaquam indulsit appetitui laborantis, mox phiala e suis ædibus allata præscribat, ut ex hac sola bibat aquam: deinde persuaso ægroto, clam iis qui ministrant, præcipiat confringere phialam illam, ut eum clam nihilque suspicantem avocet ab illa cupiditate bibendi frigidam. Itidem fecit Deus, permittendo sacrificia. Neque enim in ullo orbis loco permisit id fieri nisi in unis Jerosolymis. Mox ubi per breve tempus sacrificassent, diruit civitatem: ut sicut medicus fracto vase, ita Deus subversa civitate, vel invitos illos abduceret a victimis. Etenim si clare palamque dixisset, desistite: non facile ab immolandi insania destitissent. Nunc autem loci adempti necessitate, clanculum illos abduxit ab oblationum insania. Sit

igitur medicus quidem ipse Deus; phiala vero civitas; sit ægrotus, ille morosus Judæorum populus : denique frigida potio, sit victimarum permissio concessioque. Quemadmodum igitur medicus fracto vase ægrotum cohibet ab intempestivo frigidi potus appetitu : sic et Deus, eversa civitate ipsa, adeoque funditus diruta, ut omnibus facta sit inaccessa, Judæos a sacrificiis abduxit. Nam si hoc non agebat, cur religionem illam in unum locum conclusit, qui nusquam non est præsens, qui implet universa? Cur igitur cultum redegit ad victimas? victimas ad certum locum, locum ad tempus, tempus ad unam civitatem contraxit, ac rursus hanc ipsam civitatem subvertit? Adde quod mirum est et incredibile, totus terrarum orbis conceditur Judæis, ubi fas non est sacrificari; solam Jerosolymam illis adire non licet, in qua sola licet immolare. Annon igitur vehementer etiam stolidis clarum perspicuumque est, quam ob causam ea civitas fuerit subversa? Nam sicut architectus jactis fundamentis, erectis parietibus, concamerata testudine, ipsaque concameratione in unum lapidem in medio positum connexa, si eum tollat, totam ædificii compagem solverit : similiter Deus cum eam civitatem fecerit quasi nodum totius religionis judaïcæ, ac mox eam subverterit; nonne pariter et universum ejus statum dissolvit?

VII. Verum hactenus adversus Judæos pugnatum esto. Nam hodie solum eminus in illos jaculis velitati sumus, tantum locuti, quantum satis erat ad depellendum periculum a fratribus nostris, imo multo etiam amplius. Restat autem illud necessario, ut vos qui adestis, adhortemur, ut multam sollicitudinem habeatis pro membris nostris. Ne dixeritis, Quid mea refert? cur autem ego rerum alienarum curiosus sim et sollicitus? Dominus propter nos mortuus est; tu vero ne sermonem quidem profers? Et

quam invenies veniam, aut quam reperies excusationem? Quomodo ad Christi tribunal stabis cum fiducia, dic mihi, tot animarum exitium dissimulans? Utinam mihi contingat eo currentes videre, nequaquam vobis opus esset, sed celerrimam adhiberem correctionem. Quoties frater est emendandus, etiam si vita sit impendenda, ne recuses. Imitare dominum tuum. Quod si famulum habes, si uxorem, multa cum diligentia illos domi contineas. Etenim si non permittis illis ut in theatrum eant; quanto magis a Synagoga Judæorum sunt arcendi? Majus est hic scelus quam illic. Quod illic fit, peccatum est; quod hic, impietas. Hæc non ideo loquor, ut illos sinatis in theatrum ire, nam et id malum est: sed ut ab hoc multo magis prohibeatis. Quid spectaturus curris ad Synagogam Dei hostium Judæorum? num homines tuba canentes? At oportuit domi sedentem gemitus ac lacrymas pro illis profundere, quod rebellent præcepto Dei, quod diabolum habeant cum ipsis choreas agentem. Nam, ut ante dixi, quod fit præter voluntatem Dei, etiamsi aliquando fuit permissum, postea violatio legis est, et innumerabilium suppliciorum materia. Tuba canebant Judæi tum cum habebant sacrificia, nunc vero non licet illis idem facere. Proinde accipe jam, qua de causa datæ sint illis tubæ. « Fac, inquit, tibi » tubas ductiles argenteas, » moxque commonstrans usum illarum, subjicit: « Et illis canite in holocautomatis vestris, » et in sacrificiis salutarium vestrorum [1]. » Ubi igitur est altare? ubi arca? ubi tabernaculum et sancta sanctorum? ubi sacerdos? ubi Cherubim gloriæ? ubi thuribulum aureum? ubi propitiatorium? ubi phiala? ubi pateræ libatoriæ? ubi ignis ille cœlitus demissus? Cum omnia amiseris, nihil aliud retines quam tubas? Vides illos ludere verius quam Deum colere? Verum quemadmodum illos

[1] Num. x, 2.

culpamus, quod legem transgrediuntur: ita multo magis vos incusamus, quod ad transgressores legis concurritis; nec illos tantum, qui eo concurrunt, verumetiam eos quibus cum sit auctoritas prohibendi suos, nolint tamen id facere. Ne mihi dixeris: Quid mihi cum illo commercii est? Alienus est, ignotus est. Dum fuerit fidelis, dum eorumdem particeps mysteriorum, dum in eamdem convenit Ecclesiam; et fratribus, et cognatis, et necessariis, et cæteris omnibus est propinquior. Proinde sicut non ipsi tantum fures dant pœnas, verumetiam eadem pœna plectuntur ii, quibus cum esset potestas vetandi, non vetuerunt tamen: ita non solum qui impie agunt, verumetiam illi qui cum possint ab impietate revocare, tamen vel ob pigritiam, vel ob timiditatem id facere nolunt, simili cum illis pœna plectuntur. Siquidem talentum illud quod acceperat ac defoderat servus ille, reddidit integrum[1]; attamen dat pœnas, eo quod non auxerat lucrum: ita tu quidem etiamsi ipse purus et innocens perseveres, si non augeas talentum, nec fratrem peruntem revoces ad salutem, eadem quæ ille patieris. Quid magni postulo? Unusquisque vestrum unum mihi ex fratribus ad salutem revocet; hic sollicitus, hic quisque curiosus esto, quo nimirum in crastina collecta multa cum fiducia, compareamus donaria Deo ferentes, donaria, inquam, omnium pretiosissima, si animas errantium reduxerimus; etiamsi contumelia fuerit ferenda, si toleranda verbera, si quidvis aliud sufferendum, omnia faciamus ut illos recuperemus. Quandoquidem et ægrotos calcibus ferientes, contumeliis et conviciis incessentes ferimus, nec offendimur contumeliis: verum nihil aliud videre cupimus, quam sanitatem hominis per morbum indecora facientis. Quin et medici vestem sæpe laceravit ægrotans, at non ideo a cura destitit

[1] Matth. xviii, 24.

ille. Quî fit igitur, ut qui corporibus consulunt, tanta utantur diligentia, nos tot animabus pereuntibus cessemus, perinde quasi existimemus nihil accidere grave, cum membra nostra putrescunt? At non ita Paulus: sed quomodo? « Quis, inquit, infirmatur, et non infirmor? quis offen-» ditur, et ego non uror[1]. » Hunc ignem tu quoque concipe, et si conspexeris fratrem pereuntem, quamvis convicietur, quamvis contumeliam inferat, quamvis verberet, quamvis minitetur se futurum hostem, aut aliud quidlibet intentet, fac omnia perferas fortiter, ut illius lucrifacias salutem. Si ille fiat inimicus, Deus tibi erit amicus; magnisque in die illo bonis te remunerabitur. Utinam autem id eveniat sanctorum votis ac precibus, ut et qui in errorem abducti sunt, recuperentur ad salutem, et vos in hoc venatu voti compotes evadatis; et illi ipsi blasphemi, liberati ab impietate sua, Christum agnoscant pro ipsis crucifixum, ut omnes uno animo, eodemque ore glorificemus Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia cum sancto Spiritu in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO V.

Adversus Judæos.

I. Unde nobis hodie frequentior conventus factus est[1]? Ad efflagitandum quod polliciti sumus plane convenistis, ut argentum igni probatum quod me vobis exhibiturum promiseram, accipiatis. Nam « Eloquia, inquit, Dei, eloquia

[1] 2 Cor. xi, 29. — [2] Vide D. Guillon, tom. xiii, p. 233-280.

» casta, argentum igne examinatum, probatum terræ [1]. » Benedictus Deus, qui vobis tantum audiendi spirituales sermones inspiravit ardorem. Quemadmodum enim homines vino et potionibus dediti, singulo quoque die obambulant, curioseque disquirunt, ubi compotationes agitentur, ubi convivia, ubi cœnæ, ubi comessationes, ubi temulentiæ, phialæ, crateres et pocula : Sic et vos quotidie simul atque surrexeritis, curiose perquiritis, ubinam futura sit exhortatio, ubi admonitio, ubi doctrina, ubi sermo ad gloriam Christi conducens. Quas ob res et nos quoque propensiore studio, quod polliciti sumus aggredimur : et quæ promisimus, libentissime præstabimus. Itaque pugna nobis cum Judæis suscepta, exitum quem debuit, sortita est. Tropæum erectum est, et corona nobis parta est, et bravium ex superiore concione reportavimus. Siquidem hoc susceperamus agendum, ut demonstraremus quod ea quæ nunc fiunt ab istis, sint quædam transgressio legis, prævaricatioque, nec aliud quam hominum adversus Deum commissa pugna bellumque : idque Deo auxiliante nobis accuratissime demonstratum est. Etenim si civitatem suam essent aliquando recepturi, et ad pristinum vitæ statum redituri, templumque instauratum visuri, quanquam id nunquam est futurum ; ne sic quidem haberent justam excusationem eorum quæ faciunt. Nam et tres illi pueri, et Daniel [1], cæterique omnes qui vivebant in captivitate, expectabant se recepturos civitatem suam, ut post annos septuaginta viderent patriæ solum, pristinisque viverent legibus. Atqui cum hoc illis evidenter esset promissum : ne sic quidem, ante promissionem et reditum ausi sunt quidquam eorum facere juxta legis ritus, quæ faciunt isti. Hoc pacto poteris et ipse Judæo os occludere. Roga illum, qua de causa jejunas, cum non habeas civitatem? Quod

[1] Psal. xi, 7. — [1] Dan. i, et seqq.

si dixerit, Quoniam spero me recepturum civitatem, dic illi : Proinde quiesce, donec receperis. Nam illi sancti, donec ad patriam suam redirent, nihil eorum quæ tu facis, ausi sunt facere. Proinde, ut palam est, nunc legem Dei violas : etiamsi, ut ais, recepturus sis civitatem, tamen pacta cum Deo inita rescindis, et in ipsum vitæ statum contumeliosus es. Igitur in oratione superiore diximus Vestræ Charitati, quantum satis ad retundendam Judæorum impudentiam, et ad redarguendam eorum prævaricationem. Cæterum quando non hoc tantum nobis erat propositum, ut illorum ora clauderemus, verum ut Ecclesiam copiosius de suis propriis dogmatibus edoceremus : age rursus et hoc ex abundanti demonstremus, quod templum nunquam instaurabitur; neque ad pristinum vitæ statum restituendi Judæi sunt. Hoc pacto fiet, ut et vos exactius noveritis apostolica dogmata, et illi contra ad majorem impietatem prolapsi capiantur. Harum vero rerum testem adducemus non Angelum, non Archangelum, sed orbis universi principem Dominum nostrum Jesum Christum. Is enim, cum ingressus Jerosolymam, vidisset templum, dixit, futurum ut Jerosolyma conculcaretur a gentibus multis [1] ; donec implerentur tempora gentium multarum : tempus significans usque ad consummationem mundi. Ac rursus hæc de templo comminatus est, loquens Discipulis, non mansurum lapidem super lapidem in eo loco qui non diruatur [2] : perspicue prædicens eum prorsus abolendum, et in perpetuam solitudinem redigendum. Verum Judæus omnino rejicit hoc testimonium, nec recipit ea quæ dicimus. Inimicus enim, inquit, meus est, qui talia loquitur; ego illum adegi in crucem; et quomodo recipiam illius testimonium? Atqui hoc ipsum mirum est, o Judæe, quod cum tu crucifixeris eum, ille postquam abs te crucifixus

[1] Luc. XXI, 24. — [2] Matth. XXIV, 2.

est, tunc civitatem tuam evertit, tuam gentem dissipavit, tuum populum per universum orbem dispersit : videlicet reipsa declarans se resurrexisse, ac vivere, atque nunc esse in cœlis. Quoniam enim ex benefactis noluisti potentiam illius cognoscere, per pœnas ac supplicia demonstravit robur suum, inevitabile pariter, et inexpugnabile. At ne sic quidem credis, aut putas illum esse Deum, ac totius orbis dominum; sed arbitraris hominem fuisse vulgarem. Age igitur, perinde ac si homo tantum fuerit, rem excutiamus. Cum aliquos videmus homines, quos in omnibus comperimus esse veraces, nec ulla in re mentientes : horum, etiamsi fuerint hostes, modo sapiamus, dicta recipimus. Rursum si viderimus eos mentientes, etiamsi in nonnullis veraces fuerint; nec illa facile recipimus, quæ vere ab illis dicta sunt.

II. Age nunc, consideremus Christi mores, et vitam. Non enim hoc tantum quod diximus, prædixit, atque prænuntiavit, verumetiam alia multa, longo post tempore ventura, vaticinatus est. Proferamus igitur prædictiones illas in medium in quibus si videris illum mendacem; ne hanc quidem recipito, neque putes illi fidem habendam. Contra, si videris illum in cæteris omnibus veracem, et hanc ipsam prædictionem evenisse : deinde cum videas immensum temporum curriculum attestans veritati eorum quæ prædixit, ne velis ultra perfricare frontem, neque rebus sole clarioribus obstrepere. Videamus igitur quid præterea prædixerit. Accessit ad illum mulier alabastrum habens unguenti pretiosi, et effudit unguentum. Hoc factum indigne ferentes Discipuli, dicebant : « Quare non venum» datum est trecentis denariis. ac datum pauperibus? » Hoc reprehendens, loquitur in hunc modum, « Quid molesti » estis mulieri? bonum enim opus fecit. Dico enim vobis, » ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in uni-

»versa terra, dicetur et hoc quod hæc fecit, in memoriam »ejus[1]. » Utrum-ne mentitus est, an dixit verum? Evenit quod prædixit, an fuit inane vaticinium? Interroga Judæum, etsi millies perfricuerit frontem, adversus hanc prædictionem non poterit oculos attollere. In omnibus enim Ecclesiis memorari mulierem audimus. Sunt consules, duces, viri, mulieres, nobiles, illustres, splendidi, in omnibus urbibus; et in quamcumque orbis partem deveneris, summo cum silentio audies hujus mulieris officium: nec est ulla mundi plaga, quæ factum hoc ignoret. Atqui quot reges multa magnaque in urbes contulerunt beneficia, bella cum laude gesserunt, tropæa statuerunt, gentes conservarunt, urbes condiderunt, et innumeros paravere reditus: et tamen cum his præclare gestis silentio tegunturʔ Item reginæ primariæque fœminæ innumerabilia benefacta contulerunt in eos quibus imperabant, quæ ne de nomine quidem ulli notæ sunt. Hæc autem abjecta mulier, quæ tantum effudit unguentum, toto terrarum orbe decantatur. Ne temporis quidem tam immensa longitudo memoriam illius vel extinxit, vel extinguet unquam, idque cum factum ipsum non esset insigne: quid enim magni erat unguentum effundere? neque persona esset celebris; erat enim mulier abjecta: neque multi testes aderant; nam inter Discipulos res est gesta: neque locus nobilis, neque enim hoc fecit per theatrum transiens, sed in domo decem duntaxat hominibus præsentibus. Attamen neque personæ vilitas, neque testium paucitas, neque loci obscuritas, neque ulla res alia potuit illius abolere memoriam. Quin potius reginis omnibus ac regibus universis celebrior est nunc hæc mulier: nec ulla ætas oblivioni tradidit quod factum est. Unde id, dic mihi, aut quis hoc effecit? Annon Deus ipse, qui tum hoc officium præstabatur, hanc famam

[1] Matth. XXVI, 7-10.

per omnia terrarum loca dispersit? Proinde dic mihi, num hujusmodi prædicere, virtutis humanæ videtur? Quis enim sanæ mentis hoc dixerit? Nam prædicere quæ facturus esset, mirum quidem ac prodigiosum: verum prædicere quæ alii facturi sunt, efficereque ut fides illis habeatur, sintque cunctis perspicua, multo majus est ac mirabilius. Rursus prædixit Petro; «Super hanc petram ædifi»cabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt »adversus eam[1].» Proinde dic age Judæe, quid habes quod reprehendas, aut redarguas ex iis quæ dicta sunt? quid habes, quo doceas hanc prædictionem esse mendacem? Annon testimonium cum rebus consentit, etiamsi mille modis ipse contendas in adversum? Quot enim bella adversus Ecclesiam concitata sunt? quot exercitus instructi, quot arma mota, quod non cruciatus et supplicii genus excogitatum, sartagines, catapultæ, lebetes, fornaces, lacus et præcipitia, bestiarum dentes, maria, et proscriptiones, aliaque innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda? Atque hæc non tantum ab extraneis, verumetiam a nostris domesticis. Nam civile quoddam bellum occuparat omnia, vel quovis potius civili bello perniciosius. Neque enim cives modo cum civibus, verumetiam cognati cum cognatis, domestici cum domesticis, amici cum amicis conflictabantur: nihil tamen horum dissolvit Ecclesiam, ac ne infirmiorem quidem reddidit. Atque id sane mirum et incredibile, quod hæc in ipsis statim primordiis mota sunt. Nam si tum irruissent hæc acerba, postquam jam radices egerat, et ubique terrarum plantatum erat Evangelium: haud perinde fuisset admirandum, non fuisse subversam Ecclesiam. Cæterum cum in ipso doctrinæ exordio, nuper jacto fidei semine, teneris etiamnum auditorum mentibus, tot bella

[1] Matth. xvi, 18.

eruperint; res nostras non solum nulla ex parte fuisse diminutas, verumetiam multam accessionem adjunctam fuisse, hoc nimirum superat omne miraculum. Nequis autem dicere possit, quod nunc Ecclesia post pacem a regibus præbitam constabilita sit; cum esset minor, cum videretur imbecillior, tunc illam oppugnari permisit Deus : ut edicas, etiam quod nunc in tuto sit, non tribuendum esse paci, quam præstant reges, sed a potentia Dei proficisci.

III. Id ut cognoscas esse verum, reputa tecum, quam multi conati sint apud Græcos opiniones novas ac peregrinas vivendi rationes inducere velut Zeno, Plato, Socrates, Diagoras, Pythagoras, aliique innumeri: tamen adeo non vicerunt, ut plerisque ne de nomine quidem sint noti, Christus autem non modo præscripsit vitæ formam, verumetiam hanc ubique terrarum plantavit. Quam multa fertur Apollonius ille Tyaneus fecisse? verum uti scires, illa omnia esse conficta, vana nihil habentia veri: extincta sunt, et finem acceperunt. Jam ne quis arbitretur contumeliam esse Christi, quod de illo verba facientes, Pythagoræ, Platonis, Zenonis, et Tyanei meminerimus: non enim id facimus ex animi nostri sententia, sed ad Judæorum infirmitatem nos ipsos demittentes, qui credunt eum esse nudum hominem; itidem et a Paulo factum est. Is enim ingressus Athenarum urbem[1], non ex Prophetis nec ex Evangelio cum illis disseruit, sed ab ara cœpit exhortationem. Non quod aram illam ad faciendam fidem plus habere momenti crederet, quam Evangelia; neque quod litteras illic inscriptas potiores duceret Prophetis : sed quoniam cum gentibus disputabat, quæ nulli nostrorum voluminum credunt, a propriis ipsorum dogmatibus ipsos aggressus est. Hinc est quod ait : « Factus sum Judæis ut » Judæus, his qui sine lege erant, tanquam essem sine lege,

[1] Act. XVII.

» cum sine lege non essem Deo, sed essem in lege Christi[1].» Itidem et Veteris Testamenti Scriptura facit de Deo Judæis loquens, sic enim ait: « Quis similis tui in diis, Domine[2]?» Quid ais Moyses? Ita-ne comparatio est ulla Dei veri ac deorum falsorum? Non, inquit, hoc ut comparationem inducam locutus sum: sed quia ad Judæos mihi erat sermo, qui magnificam de dæmonibus habent opinionem; ad illorum imbecillitatem me accommodans hoc docendi genere sum usus. Quoniam igitur nobis quoque disputatio est adversus Judæos, qui Christum existimant simplicem fuisse hominem, et legis prævaricatorem: propterea ab iis, quæ apud gentes in admiratione sunt, induxi comparationem. Quod si vultis me et eorum, qui apud ipsos Judæos eadem conati sunt et discipulos sibi asciverunt, et principes aut præsides designati, sed protinus extincti sunt, exempla recensere; age conabimur et sic demonstrare. Hoc igitur modo Gamaliel os obturavit illis. Cum enim videret illos insanientes, cupidosque effundendi sanguinis discipulorum, studens eos ab impotenti vesania cohibere, jussis paulisper secedere Apostolis, sic ad illos verba fecit: « Prospicite vobis quid de his hominibus sitis facturi. » Ante hos enim dies exortus est Theudas, dicens se esse » aliquem, et secuti sunt illum viri quadringenti, et ille » periit, et omnes quot quot ei paruerunt, dispersi sunt. Et » post illum exortus est Judas Galilæus, qui abduxit turbam magnam, et mortuus est discipulique illius perierunt. » Et nunc dico vobis, Attendite vobis, quoniam si opus hoc » fuerit ex hominibus, dissolvetur. Sin ex Deo est, non » poteritis illud dissolvere, ne forte comperiamini et ad» versus Deum pugnare[3].» Unde igitur manifestum est, fore ut si ex hominibus sit dissolvatur. Experimentum, inquit, cepistis a Juda et Theuda. Itaque et hic qui ab is-

[1] 1 Cor. IX, 20. — [2] Exod. XV, 11. — [3] Act. V, 35-39.

tis prædicatur, si talis est, quales fuerunt illi, nec divina potentia peragit omnia ; expectate paulisper, et ipse rerum eventus vobis faciet fidem : ex ipso fine cognoscetis, utrum hic sit impostor, ut dicitis, ac legis transgressor, an Deus universa conservans, ineffabilique potentia res mortalium dispensans moderansque. Quod dico, factum est. Expectarunt, et ex ipsis factis declarata est divina et inexpugnabilis potentia. Atque hoc inventum, quod ad decipiendos plurimos adhibitum erat, retortum est in caput diaboli. Nam cum videret illum advenisse, volens illius obscurare adventum, veramque dispensatiõnem, submisit deceptores aliquot, quo videlicet et ille unus ex eorum numero putaretur. Quodque in cruce fecit, procurans, ut duo latrones cum illo crucifigerentur : idem fecit in illius adventu, studens veritatem admixto mendacio obscurare : verum nec illic prævaluit, nec hic, quin maxime hoc ipsum potentiam Christi declaravit. Alioqui dic mihi, cur cum tres fuerint crucifixi eodem loco, eodem tempore, sub iisdem judicibus, illi sileantur, hic solus adoretur ? Rursus quam ob rem tandem cum plures novam vivendi rationem induxerint, ac discipulos habuerint; illorum ne nomen quidem hodie notum sit, hic per omnes mundi plagas colatur? Res enim potissimum elucescunt ex collatione. Confer ista mihi, o Judæe, ac disce veritatis excellentiam. Quis impostor tot Ecclesias toto terrarum orbe paravit? Quis ab extremis ad extrema mundi cultum suum protulit? Quis omnes subjectos habuit, idque cum essent innumera obstacula ? Nemo sane. Annon igitur perspicuum est Christum non esse impostorem, sed salvatorem, sed beneficum, sed curatorem, sed principem vitæ nostræ. Proinde ad id quod erat propositum redibo, si prius unam adhuc prædictionem addidero. « Non veni, inquit, mittere pacem » super terram, sed gladium : » non declarans quid ipse

cuperet, sed rerum eventum prædicens. « Veni enim, in-» quit, separare hominem adversus patrem suum, et nu-» rum adversus socrum suam, et filiam adversus matrem » suam[1]. » Unde hæc prædixit, si nihil aliud erat quam homo, et unus quispiam e vulgo? Quod autem dicit, hunc habet sensum : Quoniam evenit, ut in eadem domo unus sit fidelis, alter infidelis: deinde pater velit filium suum pertrahere ad impietatem : hoc ipsum prædicens ait : adeo vincet Evangelii potestas, ut filii quoque contemnant patres suos, et filiæ matres, et parentes liberos. Non solum autem prius habebunt familiares contemnere, verumetiam suam exponere, cunctaque sustinere ac perpeti, ne pietatem abnegent. Unde hæc ille tum scire, tum efficere potuit, si fuit homo unus quispiam e vulgo? Unde illi venit in mentem hæc cogitare, quod ipse filiis esset magis reverendus futurus quam patres; quod parentibus dulcior quam liberi ; quod uxoribus desiderabilior quam mariti ? idque non una in domo, neque duabus, neque tribus, neque decem, neque viginti, neque centum, sed ubique terrarum, in urbibus omnibus ac regionibus, in terra, in mari, et in parte mundi habitata simul et inhabitabili ? Nec illud possis dicere, dixit quidem ista, verum haud perduxit ad effectum. Complures igitur in primordiis Ecclesiæ atque adeo nunc quoque ob pietatem habentur odio, ejiciuntur e paternis ædibus, nec ad quidquam horum revertuntur, abunde magnum solatium esse ducentes, quod hæc propter Christum perpetiantur. Dic mihi, quis hæc unquam potuit inter homines ? Hic igitur hæc omnia prædixit, de muliere illa, de Ecclesia, de bello hoc : idem prædixit templum ruiturum, Jerosolymam captum iri, eamque civitatem non amplius fore civitatem Judæorum[2], ut antea. Itaque si mentitus est illa omnia,

[1] Matth. x, 34, 35. — [2] Id. xxiv.

nec evenerunt quæ prædixit, his fidem nega. Quod si vides illa clarissime evenisse, inque dies singules augescere; neque inferorum portas adversus Ecclesiam prævalere; si vides quod mulier illa fecit, prædicari tanto jam tempore per universum orbem; si homines qui illi crediderunt, cum pluris faciunt quam parentes, quam uxores, quam liberos; cur, quæso, huic uni prædictioni fidem non adhibes? præsertim cum ex ipso tempore testimonium illius silentium imponat impudentiæ tuæ. Quod si post excidium urbis non transissent nisi decem anni, aut viginti, aut triginta, aut quinquaginta, minime tamen decebat vel tum impudenter obsistere, etiamsi fuisset aliqua reluctandi occasio; jamvero, si non quinquaginta tantum, et centum, imo bis, ac ter tantum annorum, multoque amplius, præteriit post civitatem captam, nec interim ullum vestigium, aut umbra apparuit ejus, quam expectatis, mutationis, cur frustra nullaque de causa in impudentia perseveras?

IV. Hæc satis erant ad demonstrandum vobis nunquam fore ut templum restituatur. Verum quando veritas multis modis exuberat: missis Evangeliis, ad Prophetas me verto, quibus maxime videntur fidere: atque ex his perspicuum faciam, neque civitatem, neque templum unquam posthac restituendum. Quanquam nihil erat mihi necesse demonstrare quod non restituetur. Neque enim meæ, sed illorum partes erant docere, quod esset restituendum. Nam ego quidem ex ipso tempore congruum habeo testimonium, mihi patrocinans: ipsi contra, cum ex ipso rerum eventu dejiciantur, nec quidquam eorum, quæ dicunt, queant demonstrare, tamen nihil aliud quam ostentant sese, cum oporteat ipsos testimonium exhibere. Nam illa quæ dico, ex ipso rerum eventu docco esse vera. Corruit enim civitas, nec tam longo jam tem-

pore instaurata est. Contra quæ dicunt isti, nudis verbis nituntur. Atqui debebant ipsi docere, futurum ut civitas rursus instauretur. Quadoquidem in forensibus etiam judiciis videmus sic fieri probationes. Nam quoties inter ullos aliqua incidit controversia, et alter probationem scripto profert, deinde is adversus quem agitur, inficiatur ea quæ objiciuntur; cogitur ipse postea testes et alias afferre probationes, quibus doceat non esse vera quæ scripto continentur, non autem is qui scriptum produxit. Eodem modo conveniebat et istos hic facere, nobisque in medium producere Prophetam, qui prædixerit omnino futurum, ut civitas restituatur. Nam si præsentis captivitatis finis omnino futurus esset, necesse fuisse, ut Prophetæ id prænuntiarent, palam est omnibus, qui vel obiter libros propheticos inspexerint. Mos enim erat apud Judæos vetus, ut Prophetæ divinitus afflati prædicerent illis, quæ imminerent, seu bona, seu mala. Quare et quam ob rem? Propter insignem illorum improbitatem et impudentiam: siquidem illico beneficiorum Dei obliviscebantur: eaque quæ fiebant, dæmonibus ascribebant, et bona illis imputabant. Etiam nunc, cum illis egressis ex Ægypto, mare scissum esset, aliaque prodigia fierent, obliti quod hæc auctore Deo gererentur, iis qui dii non erant, tribuebant ea quæ fiebant, dicentes Aaroni: « Fac nobis deos, qui » præcedant nos[1]. » Jeremiæ quoque dicunt: « Sermonem » quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audie- » mus ex te, quoniam faciemus omnia, quæ egredientur » ex ore nostro: ut adoleamus Reginæ cœli, et libemus illi » libamina, quemadmodum fecimus et nos, et patres nos- » tri, et reges nostri, et principes nostri, et repleti sumus » panibus, et fuimus jucundi, et mala non vidimus: et » posteaquam destitimus adolere Reginæ cœli, et libare

[1] Exod. XXXII, 1.

» illi libamina ; diminuti sumus omnes nos, et gladio fa-» meque defecimus[1]. » Proinde ne quid eorum quæ contingerent, simulacris imputarent, sed potius crederent et ultiones et beneficia ipsis a Deo proficisci ; illas quidem ob peccata, hæc vero per Dei benignitatem, Prophetæ divinitus afflati prædicebant illis eventura. Atque ut certius scias, hanc esse causam prædictionis, vide quid dicat vocalissimus ille Hesaïas ad populum judaïcum, « Scio » quod durus es tu, et nervus ferreus cervix tua : hoc est, » inflexibilis : et frons tua ærea[2], » hoc est, impudens. Sic et nos frequenter solemus eos qui nesciunt erubescere, χαλκοπροσώπους, id est, æream habentes faciem appellare. « Et annuntiavi tibi quæ ventura erant in te, priusquam fierent : et ea te audire feci[3]. » Deinde prædictionis causam enuntians, subjicit : « Nequando dicas : Idola mihi » fecerunt, et sculptilia conflatiliaque præceperunt mihi[4]. » Ac rursus, quoniam pervicaces quidam et elati, post eventum rei, impudenter agebant, quasi non prius audissent : Prophetæ non solum futura prædicebant, verumetiam testes adhibebant eorum, quæ gerebantur. Sic enim rursus loquitur idem Hesaïas : « Da mihi testes viros bonæ » fidei, Uriam et Zachariam filium Barachiæ sacerdotem[5]. » Nec hoc contentus, in novo volumine descriptam deposuit prophetiam, ut post eventum ipsæ litteræ contra ipsos Judæos testimonium ferrent, quod afflatu cœlesti multo ante tempore fuisset illis prædictum. Eoque non solum scripsit illis in volumine, sed in novo volumine, quo posset in multum durare tempus, nec facile corrumpi, sed expectare eventum rerum, quæ ibi continebantur. Certe verum esse quod dico, videlicet Deum illis omnia ventura

[1] Jerem. XLIV, 16-18. — [2] Isaï. XLVIII, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. — [5] Id. VIII, 2.

prædixisse, non ex his tantum, verum et ex ipsis quæ illis acciderunt tum bona, tum mala, demonstrabo.

V. Tres servitutes gravissimas pertulerunt Judæi, quarum nullam Deus illis ingessit non prædictam, sed unamquamque illis prædicendam curavit, et locum, et tempus, et personam, et afflictionis speciem, et reditum, aliaque cuncta summa cum diligentia prænuntians. Ac primo loco prædictionem referam de captivitate in Ægypto. Deus loquens ad Abraham his verbis utitur; « Sciens scias quod » semen tuum peregrinum erit in terra non sua, et in ser» vitutem redigent et affligent illud annis quadringentis. » Gentem autem, cuicumque servierint, ego judicabo, di» cit Dominus. Quarta autem generatione revertentur huc » cum apparatu copioso [1]. » Vides ut et numerum annorum expresserit, quadringentos annos et servitutis modum, cum non simpliciter inquit: In servitutem redigent, sed addit, Affligent. Audi quomodo Moyses paulo post exponat afflictionem : « Paleæ, inquit, non dantur famulis tuis, et » jubent nos lateres facere [2] : » et flagris cædebantur quotidie, ut intelligas quid sibi velit, In servitutem redigent, et affligent. « Gentem autem, inquit, cui servierint, ego » judicabo [3] : » significans Ægyptiorum submersionem in mari Rubro, quam in Canticis describens Moyses sic loquitur. « Equum et ascensorem ejus projecit in mare [4]. » Mox et reditus modum, quod essent redituri cum multa supellectile. « Sumite, inquit, commodato a sua quæque vi» cina et contubernali vasa aurea et argentea [5]. » Quoniam enim longo tempore servierant, nec mercedem receperant, Deus effecit ut inscientibus ac nolentibus etiam peterent, clamatque Propheta dicens : « Eduxit eos cum argento et » auro, nec erat in tribubus eorum infirmus [6]. » Hæc est

[1] Gen. xv, 13-15. — [2] Exod. v, 16. — [3] Gen. xv, 4. — [4] Exod. xv, 1. — [5] Id. iii, 21. — [6] Psal. cv, 37.

una servitus exactissime prædicta. Age nunc et ad alteram captivitatem vertamus sermonem, quam perpessi sunt in Babylone. Nam et hanc accurate prædixerat Jeremias, ita loquens : « Sic ait Dominus : Postquam impleti fuerint in » Babylone septuaginta anni, visitabo vos, et ponam erga » vos verba mea bona, ut redeatis in locum hunc : et con- » vertam captivitatem vestram, et congregabo vos ex om- » nibus gentibus, et ex cunctis locis in quos dispersi vos, » dicit Dominus, et convertam vos in locum unde vos de- » migrare feci [1]. » Vides ut rursus hic et civitatem expresserit, et annorum numerum, et unde et quo esset illos congregaturus? Ideo Daniel non prius super his rogavit Dominum, quam vidisset annos septuaginta completos. Quis hæc dicit? Ipse Daniel ita loquens : « Et ego Daniel » faciebam opera regis, et admirabar visionem, nec erat » qui intelligeret, et intellexi in libris numerum annorum, » ut fuit sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ad exple- » tionem desolationis Jerosolymæ anni septuaginta : et » dedi faciem ad Dominum Deum meum, ut exquirerem » precationem et obsecrationem in jejunio, sacco, et ci- » nere [2]. » Audisti quemadmodum hæc quoque captivitas prædicta fuerit, et Propheta non ausus fuerit preces et supplicationem admovere Deo ante tempus præfinitum; ne frustra temereque accedens, audiret, quod audivit Jeremias : « Ne rogaveris pro populo hoc, neque postularis » pro illis, quoniam non exaudiam te [3]. » Verum ubi vidit vaticinium esse completum, simulque tempus vocare ad reditum, tunc orat, nec simpliciter, sed in jejunio, sacco et cinere : et quod in hominum moribus evenire solet, id fecit erga Deum. Nos enim cum videmus aliquos, qui famulos post multa graviaque commissa conjecerunt in vin-

[1] Jerem. v, 14, 15, et xxix, 10. — [2] Dan. ix, 2, 3. — [3] Jerem. vii, 16.

cula, non protinus in principio exordioque punitionis admovemus supplicationem : sed ubi sciverimus illos aliquot dies temperatiores esse factos, tunc adimus heros, nacti jam et ab ipso tempore auxilium. Hoc sane et Propheta fecit. Postquam enim pœnas dederant, haudquaquam dignas admissis, attamen dederant; jam adit Deum, pro illis verba facturus. Quod si videtur, ipsam etiam deprecationem audiamus. « Confessus sum enim, inquit, et dixi, » Domine Deus magne et admirabilis, qui servas pactum » tuum et misericordiam tuam iis, qui te diligunt, et ser- » vant præcepta tua [1]. » Quid facis, o Daniel, pro hominibus qui peccarunt, et offenderunt intercedens, eorum mentionem facis qui leges illius servaverunt? Ergo-ne digni venia sunt qui præcepta illius violant? non ob istos hæc loquor, inquit, sed ob horum progenitores, ob Abraham, ob Isaac, ob Jacob. Illis promisit, illis pollicitus est Deus, qui precepta illius servaverunt. Quoniam igitur hi nullo jure possunt petere salutem, idcirco progenitorum mentionem facio, ac ne putares quod de his verba faceret, cum adjecisset, « Qui servas pactum tuum et misericor- » diam tuam diligentibus te, et servantibus præcepta tua : » mox subjicit, « Peccavimus, inique egimus; injustitiam » perpetravimus, impii fuimus, defleximus a præceptis tuis, » et a judiciis tuis : non auscultavimus servis tuis Prophe- » tis [2]. » Una siquidem solaque purgatio peccatoribus reliqua est post peccata, videlicet ut sua commissa confiteantur. Tu vero mihi considera et justi virtutem, et Judæorum improbitatem. Nam ille quidem nullius mali sibi conscius, se ipsum multa cum austeritate damnat, dicens, « Pecca- » vimus, inique fecimus, injustitiam perpetravimus; » hi vero malis innumeris pleni, contra fecerunt, dicentes; « Servavimus præcepta tua : et nunc beatos dicimus alie-

[1] Dan. IX, 4. — [2] Ibid. 5.

» nos, et reædificantur, qui patrant iniquitatem [1]. » Quemadmodum enim solent justi post justa facta modeste agere, ita solent mali post admissa scelera laudare sese. Qui nullius peccati sibi conscius erat, dicebat : Iniquitatem fecimus, defleximus a præceptis tuis ; contra, qui innumerabilium facinorum sibi conscii erant, dicebant : Servavimus præcepta tua. Atque hæc eo loquor, ut alterum vitemus, alterum imitemur.

VI. Post hæc quoniam attigerat illorum peccata, narrat et pœnam quam dederunt, et ex hoc Deum ad misericordiam revocare cupiens ait : « Et venit super nos maledic-» tio, quæ scripta est in Lege Moysis servi Dei, quia pecca-» vimus. » Quænam est ista execratio ? vultis-ne legamus illam ? « Nisi servieritis, inquit, Domino Deo vestro, indu-» cam super vos gentem impudentem, et non intelliges vo-» cem illius, et eritis numero pauci [2]. » Hoc idem declarantes tres illi pueri, palamque facientes, quod ob ipsorum peccata accidisset hoc vindictæ genus, et ipsi pro communibus peccatis confessionem Deo proferentes dicebant : « Tradidisti nos in manus hostium impiorum, inimicissi-» morum desertorum, ac regi injusto et sceleratissimo ul-» tra omnem terram [3]. » Vides completam esse maledictionem quæ dicit ; « Eritis numero pauci. » Rursus quod dicit : « Adducam in vos gentem impudentem, » idipsum et Daniel hic recte significans, dicit : « Venerunt super nos » mala, qualia non acciderunt sub omni cœlo, secundum » ea quæ facta sunt in Israël. » Quæ tandem ista ? « Matres » liberos suos comederunt, » et hoc sane prædicit Moyses, cæterum Jeremias ostendit evenisse. Ille quidem loquitur : « Tenera ac deliciosa, cujus non cepit experientiam pes » ejus, ut insisteret in vestigio propter teneritudinem ac » delicias, attinget impiam mensam, et suos ipsius filios

[1] Malach. III, 15. — [2] Deut. XXVIII, 50. — [3] Dan. III, 32.

» comedet [1]. » Jeremias autem declarat hoc evenisse, dicens ; « Manus mulierum misericordium coxerunt filios » suos [2]. » Quanquam autem peccata illorum, qui peccaverant, elocutus esset, et ultionem in medium adduxisset : ne sic quidem illos horum causa rogat ut serventur. Vide igitur bonitatem famuli. Siquidem hic cum ostendisset, quod nondum digna meritis essent perpessi, nec iis, quæ multa licet pertulerant, solvissent quæ pro commissis debebant, mox confugit ad Dei misericordiam, et ad solitam illius bonitatem erga genus humanum, dicens : « Et nunc, » Domine Deus noster qui eduxisti populum tuum e terra » Ægypti, et fecisti tibi nomen, ut hic est dies, peccavi» mus, iniquitatem fecimus [3]. » Nam quemadmodum illos, inquit, non ex ipsorum benefactis salvos fecisti, sed afflictionem videns, et angustias, et clamorem illorum exaudiens : sic et nos libera a præsentibus malis, propter solam bonitatem tuam erga genus hominum. Nam aliud nullum habemus jus sperandæ salutis. Hæc locutus, multaque lamentatus, mox inducit ipsam civitatem ceu mulierem aliquam captivam, et ait, « Ostende faciem tuam super sanc» tuarium tuum, inclina aurem tuam, Deus meus, et audi, » aperi oculos tuos, et vide interitum nostrum civitatisque » tuæ, in qua invocatum est nomen tuum sanctum [4]. » Posteaquam circumspectis hominibus neminem vidit, qui posset Deum reddere propitium : ad ædificia confugit, et civitatem ipsam objicit, ejusque desolationem ponit ob oculos, atque in his finito sermone, Deum propitium reddit. Id perspicuum est ex iis quæ sequuntur. Verum quod dicebam : oportet enim ad id quod erat propositum reverti ; etenim hæc obiter interjecta sunt, non frustra neque temere, sed ut animos vestros aliquantisper refocillarem ex perpetuis contentionibus defatigatos. Age redeamus igitur

[1] Deut. xxviii, 56. — [2] Thren. iv, 10. — [3] Dan. ix, 17. — [4] Ibid. 18.

unde digressi hæc diximus, demonstremusque quod ea quæ Judæis erant eventura, divinitus illis cum omni accuratione prædicta sint. Jam enim duas captivitates sermo noster demonstravit illis accidisse, quemadmodum a Prophetis erat prædictum, idque non casu neque præter expectationem. Superest ut deinceps, ubi tertiam adjecerimus, de hac, qua nunc tenentur dicamus, doceamusque perspicue, quod nullus Propheta promisit illis futurum, ut ullo pacto ab his malis, in quibus nunc sunt, solvantur, aut liberentur. Quæ est igitur tertia? Quæ facta est sub Antiocho cognomento Epiphane. Nam Alexander Macedonum rex, ubi Darium Persarum regem sustulisset, in sese transtulit imperium. Hoc autem extincto, quatuor post illum reges successerunt, e quorum uno prognatus Antiochus longo post tempore et templum incendit, et Sancta sanctorum devastavit, et sacrificia sustulit, et Judæos subegit, denique totam illorum rempublicam evertit.

VII. Et hæc omnia ad unum usque diem exactissime prædicta sunt a Daniele; et quanto hæc essent futura, et quomodo, et a quo, et qua ratione, et ubi finem acceptura, et quam tandem mutationem sortitura. Hoc autem evidentius perspicietis, ubi visionem ipsam audieritis, quam per parabolam nobis proposuit Propheta, arietis vocabulo designans Darium regem Persarum : hirci vero Græcorum regem, videlicet Alexandrum Macedonem : quatuor cornua vocat eos, qui post illum extiterunt : postremum cornu ipsum signat Antiochum. Quin præstat ipsam audire visionem. « Vidi, inquit, visionem et sedebam » in Ubal[1] ; » Ubal locum quempiam dicit, Persarum lingua sic illum appellans ; « Et sustuli oculos meos, et vidi, » et ecce aries unus stans ante Ubal, et erant illi cornua » excelsa, et unum excelsius cæteris, et excelsum illud

[1] Dan. VIII, 2.

» pervenit usque ad extrema : et videbam arietem moven-
» tem cornu contra mare, et Boream, et Notum, et omnes
» bestiæ non stabunt in conspectu ejus, nec erat qui eri-
» peret de manu illius, et faciebat juxta voluntatem suam,
» et magnificatus est, et ego intelligebam. » De potentia loquitur persica, et dominatu, qui pervasit totam terram. Deinde de Alexandro Macedonum rege loquens, dicit; « Et ecce hircus caprarum venit ab Austro super faciem
» universæ terræ, et non tangebat terram, et hirco illi pro-
» minebat cornu in medio oculorum ipsius. » Deinde narrans congressum Alexandri cum Dario, ejusdemque victoriam viribus partam : « Venit, inquit, hircus usque ad
» arietem habentem cornua, et efferatus est in eum, et per-
» cussit arietem, » dicendum est enim compendio, « Et con-
» trivit utrumque cornu illius, nec erat qui arietem eriperet
» de manu illius. » Posthæc narrans mortem Alexandri, et quatuor regum successionem : « Et cum hic invalesceret,
» inquit, contritum est cornu ejus magnum, et exorta sunt
» quatuor cornua sub illo, ad quatuor ventos cœli » Hinc transiens deinceps ad Antiochi regnum venit, et declarans quod ex horum quatuor uno sit ortus, sic fere ait; « Ex
» uno prodiit cornu validum, et exaltatum est vehementer,
» ad Notum et Orientem. » Deinde designans quod judaïcam politiam funditus destruxit : « Posthæc, inquit, sacrificium
» per eum urbatum est delicto. Et factum est, et prospere
» processit, et sanctum desolabitur et datum est contra
» sacrificium peccatum, altari enim sublato, sanctis con-
» culcatis, idolum statuit intus, et hostias immolavit dæ-
» monibus contra Legem; et projecta est in terram justitia.
» Et fecit, et prospere processit [1]. » Deinde rursum de hoc ipso agens regno Antiochi Epiphanis, deque captivitate, excidioque ac desolatione templi, etiam ipsum tempus ad-

[1] Dan. VIII, 2-15.

didit. Exorsus enim ab Alexandri regno, denuo ad finem libri etiam intermedia commemorans omnia : quæ Ptolemæi et Seleuci conflictantes inter sese fecerunt, quæque horum duces gesserunt, dolos, victorias, exercitus, pugnas, navales, prælia pedestria : deinde progressus in Antiochum desinit iterum dicens; « Brachia ex ipso exo» rientur, et profanabunt Sanctum et transferent conti» nuationem[1] ; » continuationem appellans solemnes et quotidianas victimas; « Et inferent in illam abominationem, » et eos qui violant testamentum; » hoc est, prævaricantes Judæos; « Adducent in ruinas, » secum habebunt ac transferent, « Et populus cognoscens Deum suum prævalebit : » Machabæorum res significans, quæ acciderunt sub Juda et Simone et Joanne; « Et prudentes populi intelligent ad » multa, et infirmabuntur in gladio et flamma; » nimirum iterum narrans incendium civitatis; « Et in captivitate, et » in direptione dierum; et cum infirmati fuerint, adjuva» buntur adjutorio parvo : » significans quod in mediis illis malis poterunt respirare, et emergere ex afflictionibus, quibus involuti sunt; « Et adjungentur illis multi in ruinis, » et ab intelligentibus infirmabuntur. » His autem verbis significat futurum, ut multi etiam stantes cadant. Deinde causam etiam aperit, ob quam permisit Deus illos in tantis malis versari. Quænam est ea? « Ut igne examinet illos, in» quit, eligat, atque dealbet usque ad terminum temporis. » Propter hæc enim, inquit, hæc permisit Deus, ut eos repurgaret, ostenderetque qui essent inter illos probati. Deinde commemorans regis illius potentiam, ait; « Et fa» ciet juxta voluntatem suam, et exaltabitur, et magnifi» cabitur. » Mox blasphemum illius animum significans, addit : « Adversus Deum deorum, inquit, loquetur superba, » et prosperabitur, donec ira consummabitur : » declarans

[1] Dan. xi, 31, et seqq.

quod non ex proprio consilio, sed propter iram Dei adversus Judæos ille sic invaluerit. Tandem ubi pluribus aliis dixit quanta mala facturus esset, tum Ægypto, tum Palæstinæ; quomodo rediturus sit et, quo vocante, et qua urgente causa : postea narrat temporum mutationem, quodque Judæi postquam per hæc omnia transierint, nanciscentur aliquod auxilium, misso Angelo in illorum subsidium. « In tempore enim illo, inquit, exurget Michaël » princeps magnus, qui præfectus est filiis populi tui, et » erit tempus afflictionis, quale non fuit, ex quo gens facta » est in terra usque ad tempus illud, et in tempore illo » salva fiet omnis multitudo, quæ reperietur descripta in » libro [1], » hoc est, qui digni sunt salute.

VIII. Verum ne nunc quidem adhuc demonstratum est, de quo fuit instituta quæstio. Quid autem hoc est? Videlicet quod etiam tempora præfinierit his malis, velut illic primæ servitutis annos quadringentos, secundæ postea septuaginta. Videamus igitur an his quoque præfiniat tempus aliquod. Ubi vero licebit hoc invenire? In iis quæ post hæc dicentur. Quoniam enim audierat multa magnaque mala, civitatis incendium, politiæ subversionem, suorum captivitatem, postea desiderabat finem illorum discere, et num quæ futura esset earum calamitatum commutatio. Percontans autem sic loquebatur, « Do- » mine, quis est istorum finis? Et dixit : Veni huc Daniel, » quoniam clausi et obsignati sunt sermones : » subindicans obscuritatem eorum, quæ dicerentur, « Usque ad tempo- » ris finem. » Mox causam aperiens, quare ista permiserit evenire mala, « Donec eligantur, inquit, et dealbentur, » et igni examinentur multi, et inique agant iniqui, et in- » telligant omnes impii, et cordati intelligant. » Deinde quanto tempore sint illis mansura hæc mala prædicens

[1] Dan. XII, 1.

ait : « A tempore transmutationis endelechismi. » Sic autem vocabatur quotidianum sacrificium. Nam ἐνδελεχὲς perpetuum est, frequens, et continuum. Erat enim mos Judæis et vesperi et sub auroram et singulo quoque die sacrificium offerre Deo. Atque de causa sacrificium illud endelechismum, id est, assiduitatem, vocabat. Postquam igitur veniens Antiochus hunc morem sustulit et immutavit : hoc est, quod ait Angelus, « A tempore transmu-» tationis endelechismi; » hoc est, a tempore quo commutabitur hoc sacrificium ; sunt dies mille ducenti et nonaginta, hoc est, tres anni cum dimidiato, ac paulo amplius. Deinde quod tum esset futurus horum malorum finis ac terminus, subjicit : « Beatus qui sustinuerit ac » pervenerit usque ad dies mille trecentos et triginta quin-» que : » mille ducentis nonaginta addens quadraginta quinque. Quoniam enim in mense et dimidio mensis accidit ut fieret ille conflictus : in hoc victoria illa pura facta est, et omnium malorum urgentium commutatio : cum autem ait : « Beatus qui sustinuerit ad dies mille trecentos triginta quinque, » rerum immutationem declarat. Neque simpliciter dixit : Qui pervenerit, verum, Qui sustinuerit et pervenerit : quoniam enim multi eorum, qui impietatem perpetrarunt, viderunt commutationem ; non eos simpliciter dixit beatos, sed eos qui testimonium præbuerant in diebus afflictionum, nec a pietate desciverant : ac deinde consecuti sunt relaxationem. Ideo non simpliciter dixit : Qui pervenerit : sed, Qui sustinuerit et pervenerit. Quid his esse potest dilucidius? Vides, ut non usque ad annos aut menses, sed ad unum usque diem summa cura et captivitatem et captivitatis solutionem prædixerit Propheta. Atque ut sciatis me non ex conjecturis loqui, age proferamus et alium testem eorum quæ dicta sunt, quem illi gravissimum habent auctorem. Josephum lo-

quor, qui calamitates illorum tragicas descripsit, ac Vetus Testamentum omne velut paraphrasi fusius explicavit, qui fuit post Christi adventum, et captivitatem ab ipso prædictam commemorans, de hac quoque disseruit, Danielis visionem enarrans, de ariete, de hirco, de quatuor cornibus, de postremo post illa exorto. Et ne quis suspecta habeat quæ a nobis dicta fuerint, age referamus et illius verba[1]. Cum enim laudasset Danielem, supraque modum extulisset, cæteris omnibus Prophetis anteponens, ad hanc venit visionem, et dicit. Reliquit autem nobis suorum scriptorum monumenta, unde nobis hujus prophetiæ exactam et inevitabilem certitudinem præstitit. Ait enim : Susis, (5) quæ Persidis est metropolis, cum exiisset in campum cum sociis suis quibusdam, subito terræ motu concussioneque oborta, relictum fuisse solum fugientibus cæteris. Et ipse quidem pronus in faciem concidit, innixus ambabus manibus : dein ubi quispiam tangeret eum, intereaque juberet surgere, ac videre quæ post multas ætates civibus essent eventura : erecto monstratum ait fuisse arietem ingentem, cui multa quidem enata sint cornua, sed horum postremum excelsius fuisse cæteris. Deinde sustulisse oculos ad Occasum, vidisseque hircum, qui per aërem impetu ferebatur. Hunc congressum fuisse cum ariete, et cornibus ictum bis eum in terram dejecisse, conculcasseque. Deinde hircum fuisse visum excelsiorem, e fronte producentem cornu maximum; eo fracto, alia excrevisse quatuor, ad singulos obversa ventos. Ex his autem aliud minus exortum fuisse scripsit, quod increvit. Dicebat autem qui hæc illi ostendebat Deus, futurum ut gentem ipsius debellaret, urbem vi caperet, templum expilaret, sacra prohiberet : futurum autem ad dies mille ducentos nonaginta. Hæc quidem se vidisse in campo juxta Susas Daniel scripsit : eorum autem quæ per

[1] Josephi locus Judaïcæ Antiquitatis, l. 10. cxiv.

visum apparuerant, a Deo explicationem supplex petiit, didicitque, quod aries indicaret regna Persarum ac Medorum, cornua vero reges futuros, extremum autem cornu, postremum regem fore qui hos omnes præcessurus esset tum opibus tum gloria. Cæterum hircus significabat et ex Græcis oriturum regem, qui bis congressus cum Persa, prælio superaret, ablaturus universum illius principatum. Significatum autem fuisse per primum magnum cornu, quod erat in fronte hirci, primum regem, et quatuor illorum exortum. Illo autem exciso significari, juxta quatuor cornua singulorum successorum exortum post mortem primi regis, foreque ut regnum illius inter multos divideretur, quandoquidem primus ille nec filios nec fratres esset habiturus, eosque pluribus annis regnaturos in orbe terrarum. Ex his rursus exoriturum regem quemdam, qui expugnaturus esset et leges illius gentis, et religionem ac ritus sublaturus, tum sacrilegio spoliaturus templum, ac triennium vetiturus fieri sacra. Hæc sane vestræ genti jam pati contigit ab Antiocho Epiphane, sicut Daniel multis ante annis prædixit, scripsitque eventura.

IX. Age quid his possit esse evidentius? Nunc tempus est, nisi videmur esse molesti, ut ad id quod quærebatur revertamur, hanc præsentem captivitatem ac servitutem hodiernam cujus gratia hæc omnia movimus. Agedum igitur nunc vigilantibus animis auscultate : non enim nobis pro rebus vulgaribus certamen est. Absurdum enim fuerit alios in theatris sedentes olympiacis a media nocte usque ad meridiem perdurare, expectantes ut videant, cui cessura sit corona, nudoque capite excipere calidos solis radios, nec prius abscedere, quam de certamine fuerit pronuntiatum : nos vero nunc, cum certamen sit non pro tali corona, sed pro corona immortali, defatigari ac tædio affici. Itaque quod tres captivitates prædictæ fuerint ante-

quam acciderent, una quæ annos habebat quadringentos, altera septuaginta, tertia tres ac dimidiatum, hactenus satis est nobis demonstratum. Age superest ut et de hac loquamur. Quod enim et de hac vaticinatus sit Propheta, rursus eumdem Josephum adducamus testem, qui cum illis (Judæis) sentit. Postquam enim illa dixerat, audi quid post subjiciat. Eodem autem, inquit, modo Daniel et de Romanorum principatu scripsit; quodque ab illis tollenda esset Jerosolyma, ac desolandum templum. Tu vero illud mihi considera, quod tametsi Judæus esset is qui hæc scripsit, tamen veritus est vestram imitari pervicaciam. Etenim cum dixisset subvertendam esse Jerosolymam, non ausus est addere quod esset restituenda, neque tempus aliquod certum præscribere; sed quoniam sciebat Prophetam non præfinisse tempus, quanquam superius enarrans Antiochi victoriam ac desolationem, et dies et annos expresserat, quot captivitas esset duratura: de victoria Romanorum nihil istiusmodi locutus est: sed quod esset in solitudinem redigenda Jerosolyma, templumque diruendum. Cæterum quod esset aliquando venturus finis desolationis non addidit; eo quod videret, ne Prophetam quidem hoc addidisse. Hæc autem omnia, ait, Deo ipsi monstrante, conscripta reliquit: ut qui legerint, et evenisse conspexerint, Danielem admirentur, ob honorem illi a Deo habitum. Ubi igitur dixerit Daniel fore ut templum redigeretur in solitudinem, nos deinceps consideremus. Nam ubi precationem illam in sacco et cinere perfecerat, venit ad eum Gabriel, et ait: « Septuaginta » hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et » super civitatem sanctam [1]. » Ecce, hic, inquit aliquis, et tempus expressum est. Tempus, non captivitatis, sed post quantum temporis reditura esset captivitas. Aliud

[1] Dan. IX, 24.

vero tempus dicendum est, quandiu esset duratura captivitas, rursum tempus post quod esset ventura. « Septua» ginta, inquit, hebdomades abbreviatæ sunt super popu» lum tuum : » non jam super populum meum. Atqui Propheta dixerat, « Ostende faciem tuam super populum » tuum, » sed Deus illum posthac pro alieno ducit propter futuram audaciam. Mox et causam exprimit : « Donec an» tiquetur delictum, et consummetur peccatum. » Quid est hoc, donec consummetur peccatum? Multa, inquit, peccant, sed malorum fastigium tunc erit, cum dominum suum occiderint. Et hoc dixit Christus : « Implete men» suram patrum vestrorum [1]. » Servos occidistis, addite et Domini sanguinem. Vide quomodo concordant sententiæ. Christus dixit, « Implete : » Propheta ait, « Consum» metur peccatum et signentur peccata. » Quid enim est, signentur? ne quid præterea reliquum fiat. « Et adducat » justitiam sempiternam. » Quid autem est æterna justitia, nisi quæ a Christo data est? « Et donec obsignetur visio » et Propheta et inungatur sanctus sanctorum : » hoc est, Sistere oportet posthac prophetias : hoc enim est obsignare, sistere unctionem, sistere visionem. Ideo Christus dixit : « Lex et Prophetæ usque ad Joannem [2]. » Vides ut hæc omnimodam minentur desolationem, ac scelerum malefactorumque vindictam. Non enim indulturum se, sed ulturum peccata illorum, minatur Deus.

X. Quando tandem hoc factum est? quando prophetiæ prorsus sublatæ, quando unctio sic est sublata, ut nunquam sit reditura? Et si nos sileamus, ipsi lapides clamabunt, adeo manifesta est ipsa rerum vox; nec enim possunt aliud tempus proferre, quo hæc gesta sunt, quam hoc longum ac magnum, sed majus etiam futurum. Posthæc exactius etiam de his loquens, ait, « Et cognosces et in-

[1] Matth. xxiii, 32. — [2] Id. xi, 13.

» telliges ab exitu sermonis, ut respondeatur, utque ædi-» ficetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdo-» mades septem, et hebdomades sexaginta duæ. » Hic mihi diligenter auscultate, nam est totius quæstionis cardo: hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ, conficiunt annos quadringentos octoginta tres. Nec enim hic dicit hebdomadas dierum aut mensium, sed annorum. Nam a Cyro usque ad Antiochum Epiphanem, et captivitatem illam, sunt anni trecenti nonaginta quatuor (6). Itaque declarans se non de illa templi desolatione loqui, sed ea, quæ fuit post illam sub Pompeio, Vespasiano et Tito, ulterius profert tempus, moxque docens nos, unde oporteat supputare, demonstrat non esse numerandum a die reditus. Sed unde tandem? « Ab exitu sermonis, ut » respondeatur, et ædificetur Jerusalem. » At non fuit extructa sub Cyro, sed sub Artaxerxe cognomento Longimano. Post descensum enim venit Cambyses, deinde Magi, post hos Darius Hystaspæ filius, deinceps Xerxes Darii filius, post hunc Artabanus, post Artabanum Artaxerxes Longimanus imperavit Persidi. Et dum hic regnum obtineret, anno vigesimo regni illius, Neemias reversus civitatem instauravit, et hæc Esdras nobis accurate descripsit[1]. Nos igitur hinc quadringentos octoginta tres annos si numeraverimus, haud dubie veniemus ad hanc subversionem. Ideo dicit: « Ædificabitur platea et muro-» rum ambitus. » Cum igitur, ut ait, restituta fuerit, suumque statum receperit, ex hoc supputa hebdomades septuaginta, videbisque hanc captivitatem nondum sortitam finem esse. Atque hoc ipsum evidentius etiam aperiens, quod mala quibus nunc tenentur, non sint habitura finem, ad hunc modum loquitur: « Post hebdomades autem sep-» tuaginta abolebitur unctio, et judicium non erit in ea,

[1] 2 Esdr. II.

» et civitatem et sanctum perdet, cum Duce venturo, et » concidentur tanquam in diluvio, » neque supererunt reliquiæ, neque radix, quæ repullulet, « Et usque ad finem » belli abbreviati interneccionibus. » Rursus loquens de hac captivitate, dicit, « Tolletur incensum et libamen, ac præ- » terea super templum abominatio desolationis, et usque » ad consummationem temporis consummatio dabitur ad » desolationem. » Cum audias consummationem, quid adhuc superest, quod expectes? « Ac præterea. » Quid autem est, « Ac præterea? » hoc est; præter hæc quæ dicta sunt, post sacrificiorum et libaminis sublationem, aliud majus accedet malum. Quodnam hoc dicis? « Super templum abo- » minatio desolationis. » Hieron enim vocat templum, abominationem autem desolationis vocat statuam, quam collocavit in templo, is qui exciderat et everterat civitatem. « Et usque ad consummationem, inquit, desolatio. Quamobrem dicit Christus, qui secundum carnem fuit posterior Antiocho Epiphane, vaticinans imminentem urbis captivitatem, ac declarans quod de hac prædixerit Daniel: « Cum, inquit, videritis abominationem desolationis, de » qua locutus est Daniel Propheta, stantem in loco sancto, » qui legit intelligat[1]. » Quoniam enim omne simulacrum et hominis effigies apud Judæos apellabatur abominatio, ænigmatice significans statuam illam, simul aperuit et quo tempore, et a quo rege captivitas esset ventura. Quod autem de Romanis hæc dicta sint; et ipse Josephus, quemadmodum ante docuimus, asseveravit. Quid igitur vobis reliquum est quod loquamini, cum reliquas captivitates prædicentes Prophetæ, certum et præfinitum tempus exprimant: huic nullum tempus præfiniant, quin potius contrarium addant, videlicet captivitatem usque ad consummationem duraturam? Porro quod hactenus dicta vana non

[1] Matth. xxiv, 15.

sint; age a rebus etiam ipsis exhibeamus testimonium. Nam si Judæi nunquam tentassent ædificare templum, dicere poterant: Si voluissemus aggredi templi instaurationem, omnino potuissemus, et perfecissemus. Nunc autem res ipsa demonstrat, eos non semel aut bis, sed ter aggressos, et repulsos esse, non aliter quam fit in certaminibus Olympiacis, ut nulli dubium esse possit, quin Ecclesiæ sit corona victoriæ. Ubi igitur aggressi sunt illi, qui semper resistunt Spiritui sancto, qui res novas moliuntur, qui seditiones concitant?

XI. Post devastationem quæ facta fuit sub Vespasiano ac Tito, sub Adriano mota seditione, conati sunt pristinam rempublicam instaurare: haudquaquam intelligentes se contra Dei calculum bellum movere, jubentis in perpetuum eam civitatem devastari. Porro, Deo bellante, superare impossibile est. Impetu igitur facto in Cæsarem, rursus cum adegerunt, ut funditus deleret civitatem: Nam devictis ac subactis illis, omnibus reliquiis abolitis, ne in posterum possent impudenter agere, statuam suam in loco collocavit. Deinde sciens futurum, ut illa tempore collaberetur; quo illius victoriæ notam immedicabilem inureret, et illius impudentiæ monumentum, nomen suum civitatis ruinis imposuit. Quoniam enim ipse dicebatur Ælius Adrianus, ideo et civitati nomen Æliæ jussit imponi; unde et Ælia dicitur in hodiernum usque diem, cognomine victoris et eversoris. Vides primum Judæorum conatum? Considera et alterum ab hoc. Sub Constantino eadem aggressi sunt. At ille viso ipsorum conatu, amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiva mancipia ac verberones; corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erant sparsi erudiens, ne in posterum eadem conarentur. Sed

hæc, inquient, prisca et obsoleta. Imo hoc potius notum est etiam iis qui inter vos sunt seniores. Quod vero jam dicturus sum, etiam admodum juvenibus est clarum ac perspicuum. Non enim gestum est sub Adriano aut Constantino, sed sub imperatore qui fuit ætate nostra ante annos viginti. Etenim cum Julianus, qui imperatores omnes superavit impietate, vocaret illos ad sacrificandum idolis, et ad suam impietatem pertrahere conaretur, ac mox objicerent ipsi priscum cultus ritum, dicentes; A nostris majoribus Deus hoc modo cultus est; etiam nolentes tum fatebantur hæc, quæ nos nunc demonstravimus; quod fas non esset extra civitatem immolare victimas : sed, inquiebant, religionem violant, quicumque sacrificant in terra aliena. Proinde si vis nos videre sacrificantes, redde nobis civitatem, restitue templum, exhibe nobis sancta sanctorum, colloca aram, et sacrificabimus nunc quemadmodum olim. Nec puduit sceleratos et effrontes hæc poscere a viro impio paganoque, et impuras illius manus vocare ad extructionem sanctorum; nec intelligebant se conari impossibilia; neque perpendebant, quod si homo illa demolitus esset, potuisset homo illis ea restituere; verum cum Deus esset, qui civitatem illorum subverterat, fieri nequaquam posse, ut quæ Deus decreverat, unquam everteret humana potentia. « Nam quæ Deus sanctus, in» quit, statuit, quis dissipabit? ac manum illius excelsam » quis avertet[1]? » Sicut enim quæcumque ille stabilierit, voluerit que manere, nullus homo potest demoliri; ita quæcumque destruxerit, voluerit que manere diruta, nemo poterit instaurare. Verum esto sane, Judæi, rex templum reddiderit, aram prorsus erexerit, quemadmodum vos frustra potuisse fieri suspicamini; num et ignem cœlestem e sublimi poterat vobis demittere? qui si defuisset, impium

[1] Isaï. XIV, 27.

et impurum fuisset sacrificium. Ob hoc enim perierunt filii Aaron, quod ignem alienum induxerint[1]. » Nihilominus ad omnia obcæcati, obsecrabant ac supplicabant, ut cum ipsis susciperet et aggrederetur instaurationem templi. At ille et pecunias impendit, et præfectos misit viros primates, et artifices undiquaque accersi jussit, nihil non fecit, nihil non tentavit, paulatim ac sensim hoc agens, speransque futurum, ut si posset illos ad sacrificandum inducere, facile illos revocaret ad cultus simulacrorum. Simul et illud fore sperabat insanus ille ac vecors, ut Christi sententiam frustraretur, quæ non patitur templum illud instaurari. Verum is, qui comprehendit sapientes in ipsorum astutia, protinus ipsis factis declaravit illi, Dei decretum omnibus esse potentius, validaque esse opera sermonum Dei[2]. Nam simul atque tentassent hunc impium conatum, cœpissent nudare fundamenta, multam terram exhausissent, restaretque ut jam structuram aggrederentur: protinus ignis exiliens e fundamentis exussit multos itemque lapides eo in loco positos, et intempestivam pertinaciam interrupit. Nec solum qui operi instabant, sed etiam Judæorum multi stupore ac rubore repleti sunt. Quibus auditis Julianus imperator, quanquam tanta vesania deditus erat illi negotio, veritus tamen ne ultra progressus in suum ipsius caput ignem accerseret; destitit victus cum tota gente. Et nunc si venias Jerosolymam, conspicies nuda fundamenta: quod si causam quæras, non aliam quam hanc audies. Hujus rei nos omnes testes sumus: nostra enim ætate hæc non ita pridem acciderunt. Jam considera victoriam insignem. Non enim hoc accidit sub piis imperatoribus, ne qui dicere possint, Christianos opus perfici vetuisse; sed tum cum res nostræ essent afflictæ, cum omnes de vita periclitaremur, cum omnis li-

[1] Levit. x, et Num. III. — [2] 1 Cor. III, 19, et Job. v, 13.

bertas esset sublata, cum floreret paganismus, cum fideles alii quidem in ædibus suis latitarent, alii vero in solitudines demigrarent, foraque fugerent, tum demum hæc acciderunt, ne qua restaret illis impudentiæ occasio.

XII. Etiam ne adhuc dubitas, Judæe, cum perspicias, et ex Christi prædictione, et ex Prophetarum vaticiniis, et ex ipsarum rerum demonstratione testimonium contra te ferri? Verum nihil mirum est. Istiusmodi quippe fuit tua natio, ab initio effrons et pervicax, semperque rebus evidentibus repugnare solita. Vis ut et alios Prophetas in te armem, qui hoc ipsum aperte dicunt, futurum ut vestra finem sortiantur : nostra contra efflorescant : totoque terrarum orbe propagetur Christi præconium, aliudque sacrificiorum genus inducatur, iis quæ apud vos fuerunt abrogatis? Audi igitur Malachiam, qui cæteris Prophetis fuit posterior : nondum enim Hesaïæ aut Jeremiæ produco testimonium, neque cujusquam aliorum qui præcesserunt captivitatis tempus, ne dicere possis hæc mala, quæ prædixerunt, accidisse in captivitate : sed adduco Prophetam, qui fuit post reditum ex Babylone, ac post civitatis instaurationem, deque rebus vestris aperte vaticinatus est. Etenim postquam rediissent ac restituta civitate templum extruxissent, sacrificiaque peregissent : hanc præsentem desolationem prædicens, futuramque sacrificiorum sublationem; hoc pacto ex persona Dei loquitur Malachias : « Si accipiam facies vestras, dicit » Dominus omnipotens, quoniam ab ortu solis usque ad » occasum, nomen meum glorificatum est inter gentes, et » in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrifi- » cium purum. Vos autem profanastis illud [1]. » Quando hæc evenerunt, Judæe? Quando in omni loco incensum oblatum est Deo? Quando sacrificium purum? Non possis

[1] Malach. I, 11.

aliud proferre tempus, quam hoc, posteaquam Christus advenit. Quod nisi de hoc tempore prædixit, nisi de nostro sacrificio vaticinatus est, sed de judaïco, etiam Legi repugnat prophetia. Nam cum Moyses vetet ullo alio in loco sacrificium fieri [1], præterquam in eo, quem elegit Dominus Deus, cumque ille in unum locum sacrificia illa concluserit, sane Propheta dicens, quod in omni loco incensum adolendum sit, ac sacrificium purum, adversatur ac repugnat Moysi. Verum nulla est inter illos pugna, neque dissensio. Ille de alio locutus est sacrificio, et hic de alio post vaticinatus est. Unde hoc declaratur? Tum ex iis quæ dicta sunt, tum ex aliis plurimis signis. Ac primum ex ipso loco : non enim in una civitate, quemadmodum sub Judæis, sed ab ortu solis usque ad occasum prædixit hanc culturam esse celebrandam. Præterea ex sacrificii modo, siquidem purum illud appellans, declaravit de quo loqueretur. Denique a personis offerentium. Non enim dixit, in Israël, sed in gentibus. Ac ne putares quod in una duabusve aut tribus civitatibus hoc culturæ genus instaurandum esset, non simpliciter dixit, « In omni »loco, » sed, « Ab ortu solis usque ad occasum : » demonstrans quod quantum terræ sol aspicit, tantumdem Evangelium esset occupaturum. Purum autem dicit sacrificium, quasi prius illud fuisset impurum, non quidem suapte natura, sed voluntate offerentium : et ideo dixit ; « Incensum abominatio est mihi [2]. » Quanquam et alioqui si quis ipsum hoc sacrificium conferat cum illo, ingens immensumque discrimen inveniet, ut juxta comparationis rationem solum hoc purum dici mereatur. Quodque de Lege et gratia dixit Paulus, ne glorificatum quidem fuit, quod erat glorificatum, propter eminentem gloriam [3] : idem et hic fidenter dixerimus, videlicet hoc sacrificium cum illo

[1] Deut. xvi. — [2] Isaï. i. — [3] 2 Cor. iii, 10.

collatum solum dici debere purum. Non enim per fumum ac nidorem, non per sanguinem ac redemptionis pretia, sed per Spiritus gratiam offertur. Audi igitur et alium Prophetam hoc idem prædicentem, quod Dei cultus non circumscribendus esset loco, sed ipsum omnes deinceps homines essent cogniturі. Sophonias autem ad hunc modum loquitur, « Apparebit autem Dominus super omnes » gentes, et abolebit omnes deos gentium, et adorabunt » illum e suo quisque loco[1]. » Atqui non permissum hoc fuit, sed Moyses uno in loco sacrificari jussit. Cum igitur audias Prophetas hoc prædicentes ac vaticinantes, quod non in unam civitatem, neque in unum locum compellendi sint homines, sed suæ quisque domi sedens sit culturus Deum : quod aliud possis afferre tempus quam hoc præsens ? Audi sane quo pacto et Evangelia et Apostoli cum prophetia concordent. Hic dixit, « Apparebit Dominus : » Apostolus ait; « Apparuit gratia Dei salutaris omnibus » hominibus, erudiens nos[2] : hic inquit, « Super gentes : » ille, « Super omnes homines : » hic dixit; « Abolebit deos » eorum, » ille, « Erudiens nos, ut abnegantes impietatem » ac sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus. » Rursum Christus Samaritanæ dixit : « Crede mihi, mulier, » quia venit hora, quando nec in monte hoc, nec Jeroso- » lymis adorabitis Patrem. Spiritus est Deus; et qui eum » adorant, in Spiritu et veritate oportet adorare[3]. » Hæc autem dicebat, simul et necessitatem tollens observandi loci, et cultus sublimius magisque spirituale genus inducens. Ex his igitur rursum poterat demonstrari, posthæc neque sacrificia, neque sacerdotium, neque regem apud Judæos futurum esse. Nam per urbis eversionem hæc omnia potissimum simul probata sunt. Attamen poteramus et Prophetas allegare, qui hoc expresse loquuntur : sed

[1] Soph. II, 11. — [2] Tit. II, 11. — [3] Joan. IV, 21.

video vos orationis longitudine fatigatos, vereorque ne frustra temereque videar esse molestus. Quapropter pollicitus me hæc alio tempore absoluturum, illud interim rogabo vos, ut fratres vestros servetis, ab errore revocetis, ad veritatem reducatis. Nihil enim profuerit audisse, nisi facta demonstrentur, quæ cum dictis consentiant. Etenim quæ dicta sunt, non propter vos dicta sunt, sed propter illos infirmos : ut illi postquam hæc a vobis didicerint, et a prava consuetudine fuerint liberati, sincerum et germanum præstent christianismum, fugiantque pravos Judæorum congressus, et conventus, sive qui fiunt in civitate, sive qui in suburbiis, speluncas latronum, dæmonum habitacula. Proinde ne deseratis illorum salutem, sed diligenter omnia facientes, nihil non tentantes, ægrotos reducite ad Christum, ut et in hoc sæculo, et in futura vita recipiamus præmium benefactis nostris longe majus : gratia et bonitate Domini nostri Jesu Christi, qui cum et per quem Patri gloria una cum sancto et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO VI.

Cum superiori die prolixius disseruisset adversus Judæos, atque hinc raucedinem vocis contraxisset, hanc orationem habuit.

I. Bestiæ donec in sylvis pascunt, necdum pugnæ adversus homines adhibentur, mitiores sunt, minusque sævæ. Verum ubi venatores eas captas in urbes adduxerint, atque inclusas extimularint, ut pugnent cum iis qui bestiis objiciuntur, postea irruentes ubi carnem degusta-

verunt, et sanguinem humanum biberunt; non facile abstinent a talibus epulis, sed multa cum aviditate ad eamdem decurrunt mensam. Hoc sane et nobis usuvenit, postquam enim cum Judæis pugnam suscepimus, et impetu adversus illorum impudentes contradictiones facto, rationes illorum subvertimus, omnemque celsitudinem erigentem sese adversus cognitionem Dei, et cogitationes captivas duximus ad parendum Christo[1] : major etiam nos cepit adversus illos bellandi cupiditas. Sed quid faciam? Videtis mihi vocem factam imbecilliorem, quæ tantæ sermonis rursum prolixitati par esse non possit, idemque mihi nunc accidere, quasi si quis miles concisis aliquot ex hostibus, magnoque animo impressione facta in hostium condensatam aciem, pluribus prostratis, mox fracto gladio consternatus ad suos sese referat. Quin potius, quod nobis accidit, gravius est. Nam militi qui fregit gladium, licet ab alio quopiam astantium ensem eripere, suumque animum exercere, multamque strenuitatem ostendere : at si vox laboret, non licet ab alio vocem mutuo sumere. Quid igitur? fugiemus et nos? At non permittit hoc vestræ charitatis tyrannis ac violentia. Vereor et patris præsentiam, et vestram vereor alacritatem : proinde ea quæ supra vires sunt aggrediar, omnia committens et precibus hujus et charitati vestræ. Ne vero vestrum quispiam reprehendat orationem velut intempestivam, si cum Martyres nos hodie vocent; nos supersedentes illorum exponere certamina, adversus Judæos in certamen descendimus. Nam et ipsis Martyribus hic sermo est exoptatior. Ex nostris enim laudibus nihil illis splendoris accrescet. Quid enim egeant linguis nostris, quorum certamina superant naturam humanam, quorum præmia vim ingenii nostri vincunt? Derisernnt hanc vitam, conculcarunt carnificinas

[1] 2 Cor. x, 5.

ac tormenta, despexerunt mortem, ad cælum evolarunt, erepti sunt e fluctibus rerum humanarum, in tranquillum enavigarunt portum, non aurum argentumve, aut vestes pretiosas, sed thesauros quos nemo potest eripere importantes, tolerantiam, fortitudinem et charitatem. Nunc in Pauli chorum pervenerunt, ante coronas suas expectatione coronarum alacres, eo quod jam de futuro incerti esse desierunt. Quid igitur istis opus sit oratione nostra? Hoc igitur argumentum illis gratius. Ex nostris enim laudibus, quemadmodum antea dicebam, nihil illorum gloriæ accesserit. Cæterum ex nostris adversus Judæos conflictationibus multum illis adjungetur gaudii, et libenter auscultaturi sunt maxime sermones eos, qui pro gloria Dei dicuntur. Judæos enim imprimis oderunt Martyres, quandoquidem ab illis crucifixum maxime diligunt. Nam isti dicebant : « Sanguis ejus super nos, et super filios nos-» tros[1] : » illi vero sanguinem proprium effuderunt ejus amore, quem illi occiderant. Hos igitur sermones libenter audient.

II. Quod igitur, si hæc Judæorum servitus finem esset habitura, hoc quoque prædicturi fuerint Prophetæ, et nequaquam silentio præterituri, satis declaravimus : cum omnes captivitates a Prophetis prædictas fuisse ostendimus ; primum illam in Ægypto, deinde in Babylone, tertiam sub Antiocho Epiphane. Demonstravimus enim harum unicuique et locum et tempus fuisse prædictum in sacris Litteris. Huic vero præsenti nullus Propheta præfinivit tempus. Verum quod esset ventura, omniaque desolatura, ditionem insuper et religionem translatura, quantoque tempore post reditum e Babylone ventura, prædixit Daniel. Cæterum quod sit habitura finem, quodque aliquando sistenda sint ista mala, nec ille patefecit, nec

[1] Matth. xxvii, 25.

quisquam aliorum Prophetarum. Quin contra prædixit, quod ad finem usque duratura esset hæc servitus. Attestatur his quæ diximus, et ipsum tempus, quod jam tantum peractum est, nec ullum vestigium, nec initium ad hunc usque diem bonæ commutationis ostendit, idque cum crebro jam conati sint instaurare templum. Nam semel et iterum ac tertio sub Adriano, sub Constantino, sub Juliano, conatus illorum cohibitus est. Primum quidem a militibus, rursus ab igne e fundamentis erumpente, et illorum importunam pervicaciam coërcente. Jamvero lubens illos rogaverim : Cur tantum temporis in Ægypto versati recepistis patriam, ac rursus abducti in Babylonem rediistis Jerosolymam : tertio sub Antiocho tam multa passi mala, ad pristinum reversi estis statum, sacrificia, altare, sancta sanctorum, et omnia cum pristina recepistis dignitate : nunc autem nihil simile factum est? Verum cum centum anni, imo bis centum, imo ter, imo quater tantum multoque amplius annorum præterierit : nam hic quingentesimus ex eo tempore agitur annus ; ne significationem quidem ullam ejus mutationis videmus alicunde apparere ; sed res illis funditus collapsas, ac nec per somnium quidem ullam spem eis ostendi, quemadmodum prius. Etenim si peccata sua objicerent, dicerentque ; Quoniam peccavimus Deo, offendimusque illum, ideo non recipimus nostram regionem, et si qui prius cum a Prophetis accusarentur, impudenter agebant, atque illis atrociter exprobrantibus homicidia, negabant, iidem nunc confiterentur damnarentque propria peccata : lubens de integro unumquemque illorum interrogaverim, num propter peccata tua, o Judæe, extra Jerosolymam agis tanto tempore? Et quid istuc novum est aut mirum? Num enim nunc tantum in peccatis vivitis, prius in justitia rectoque factis soliti vivere? Nonne jam olim ab initio

in innumerabilibus peccatis versabamini? Annon innumera reprehendit in vobis Ezechiel Propheta, cum inductis duabus meretricibus Ola et Oliba, sic loquitur; « Lupanar ædificastis in Ægypto, et insanistis in Barbaros, » et alienos deos coluistis[1]. » Quid porro? Cum mare finderetur, cum petræ rumperentur, cum tot miracula fierent in deserto, nonne vitulum adorastis? Nonne Moysem nunc lapidibus impetentes, nunc expellentes, nunc multis modis frequenter conati estis occidere? Nonne perseverabatis blasphemias jacientes in Deum? Nonne Beelphegor initiati estis[2]? Nonne filios vestros ac filias sacrificastis dæmoniis[3], et omne impietatis peccatique genus exhibuistis? nonne Propheta vobis sub persona Dei loquitur: « Quadraginta annos infensus fui generationi huic et dixi: » Semper errant corde[4]? » Quî fieri potuit, ut tum vos non aversaretur Deus, sed post mactationem filiorum, post idolorum cultum, post tantam improbitatem, post ineffabilem ingratitudinem, etiam Prophetam apud vos esse passus est, magnum illum Moysem, signaque edidit miranda et prodigiosa: quæque sub alio mortalium nemine facta sunt, hæc inter vos contigerunt, nebula super vos tecti vice porrecta, columna lucernæ loco vos præcedente, hostibus ultro cedentibus, civitatibus sola propemodum voce captis, non armis vobis opus erat, non acie, non pugna; quin solum insonuistis tuba, et ultro mœnia corruerunt. Suppeditatus est vobis novus quidam et inauditus commeatus, de quo clamat Propheta dicens: « Panem cœli dedit eis, panem Angelorum comedit homo: » cibaria misit eis in abundantia[5]. » Quibus igitur de causis, dicite mihi, tunc aspernantes Deum, simulacra colentes, liberos mactantes, Prophetas lapidibus obruentes,

[1] Ezech. XXIII. — [2] Num. XXV. — [3] Psal. CV, 37. — [4] Id. XCIV, 10. — [5] Id. LXXVII, 25.

innumera scelera perpetrantes, tantam benevolentiam estis consecuti, tantam a Deo providentiam : nunc vero, cum nec idola colatis, nec liberos occidatis, nec Prophetas lapidetis, in perpetua degitis captivitate? Num enim tum alius erat Deus, quam nunc est? Annon idem est, qui tum illa gubernabat, et qui nunc quæ fiunt operatur? Quid igitur in causa fuit, ut cum gravioribus peccatis abundaretis, uberior fuerit erga vos Dei beneficentia; nunc vero cum leviora peccatis, prorsus vos aversetur, perpetuæque tradiderit ignominiæ? Etenim si vos nunc ob scelera aversatur,, multo magis tunc oportuit. Quod si tunc vos sustinuit impie viventes, nunc multo magis oportebat sustinere, cum nihil simile committatis. Quam ob rem igitur non sustinuit? Si vos pudet causam dicere, ego dilucide profitebor; imo potius non ego, sed ipsa rerum veritas. Postquam Christum occidistis, postquam in Dominum injecistis manus, postquam sanguinem illum pretiosum effudistis ; propterea non est vobis reliqua corrigendi spes, neque venia, neque purgatio. Tum enim quæ per audaciam perpetrastis, in servos perpetrastis, in Moysem, in Hesaïam, in Jeremiam. Tum tametsi impietas aliqua committebatur, at audacia nondum processerat usque ad malorum caput. Nunc autem omnia veterum facinora superastis, nec ullum retro reliquistis nequitiæ culmen, ob insaniam, qua debacchati estis in Christum, eoque nunc graviores luitis pœnas. Etenim si hæc non est causa ignominiæ vestræ, quare Deus vos tum occidentes liberos vestros toleravit, nunc autem a talibus abstinentes aversatur? Siquidem, occiso Christo, majus graviusque scelus commisistis, quam si mactassetis liberos, et omnem Legem violassetis.

III. Etiam-ne posthac audebitis illum vocare impostorem ac Legis transgressorem; ac non potius aliquo sece-

dentes, vos ipsos occultabitis, qui ipsis oculis intueamini tam evidentem veritatem? Etenim si impostor erat Jesus, ut dicitis, Legisque transgressor, par erat ut hinc etiam laudem ferretis, qui talem occideretis. Nam si Phinees unico tantum perempto homine, totam Numinis iram adversus populum exardescentem sedavit : « Stetit enim, in-» quit, Phinees, et placavit et cessavit quassatio[1] ; totque homines eripuit ab ira divina unius hominis cæde : multo magis hæc vobis oportuit accidere, si Legis transgressor erat, quem vos crucifixistis. Cur igitur, quæso, Phinees, viro Legis transgressore perempto[2], justus habitus est, et sacerdotio honoratus? Vos autem cum in crucem egeritis virum impostorem, ut dicitis, Deoque adversantem : quî fit, ut non feratis laudem et honorem, verumetiam acerbiora passi sitis, quam cum filios vestros mactaretis? Annon istud perspicuum est vel hebetibus, vos quia adversus servatorem ac principem orbis impie egistis, tali vindictæ subjici? Et nunc sane abstinetis a nefario sanguine, Sabbata servatis, tum vero ipsum etiam Sabbati diem violabatis. At ecce Deus per Jeremiam promisit fore, ut parceret civitati vestræ[3], si desisteretis gestare onera Sabbato. Sed hoc nunc facitis, neque gestatis onera Sabbato; attamen ne sic quidem vobis reconciliatur ille. Nam peccatum illud vestrum erat omnium maximum, ut ista vobis excusatio de peccatis supervacanea sit. Non enim ob cætera vitæ commissa : sed fuisset tandiu aversatus, etiamsi innumera alia propter illud facinus in his estis calamitatibus. Quod ni sic haberet Deus, haud vos peccata commisissetis. Id cum perspicuum sit ex omnibus quæ dicta sunt, ex hoc, quod dicturus sum, erit dilucidius. Quid est hoc? Audivimus Deum crebro per Prophetas dicentem majoribus vestris, « Vos quidem eratis digni malis innumeris, at

[1] Psal. cv, 30. — [2] Num. xxv, 7. — [3] Jerem. xvii, 21.

» ego facio propter nomen meum, ne profanetur inter » Gentes. » Et rursum : « Non propter vos ego facio, domus » Israël, sed propter nomen meum. » Sensus autem hic est. Eratis quidem gravioribus digni suppliciis ac pœnis : verum ne quis diceret, quod Deus, cum ob inopiam virium non posset servare, reliquit Judæos in manibus hostium, auxilior et prospicio vobis. Itaque si Legis transgressor erat Christus, quem vos crucifixistis, etiamsi decies mille peccata commisissetis, multo etiam prioribus illis graviora : profecto propter hoc factum servasset vos Deus, ne nomen ipsius pollueretur ; ne ille pro magno quodam haberetur, neve quis diceret, vos ipsius causa hæc pati. Quod si videtur ob suam ipsius gloriam relaxare peccata, multo magis hoc nunc erat facturus ; et cædem hanc acceptam habuisset, ac multitudinem peccatorum vestrorum delevisset. Cæterum quoniam, ut apparet, vos perpetuo aversatur ; palam est eum per hanc iram et perpetuam derelictionem, demonstrare etiam impudentioribus eum, qui a vobis occisus est, non fuisse transgressorem Legis, sed ipsum Legis conditorem, et innumerabilium bonorum auctorem vobis advenisse. Ideo vos qui impie fecistis adversus illum, in contumelia et ignominia degitis ? nos vero qui illum adoramus, antea vobis omnibus ignobiliores, honore vos omnes prædicemus, perque Dei gratiam venerabiliores vobis omnibus sumus et in majore dignitate constituti. Et unde liquet, inquiunt, quod nos repulit Deus ? Quæso te, etiam-ne opus est hoc verbis demonstrare, cum ipsa res clamitet, ac vocem tuba clariorem emittat, tum per urbis eversionem, tum per templi destructionem, tum per cætera omnia, adhuc verborum demonstrationem desideratis ? Verum homines, inquiunt, nobis hæc intulerunt, non Deus. Imo Deus ista potissimum effecit. Quod si hæc hominibus imputas, illud rursum considera, quod, etsi ho-

mines ista fuerint ausi, nisi Deo placuisset, non potuissent ad effectum perducere. Cum igitur irruisset ille Barbarus, totam Persidem secum ducens, sperans fore, ut universos adortus caperet, civitatem totam velut sagena quadam ac reti conclusam habebat; nonne tunc, tunc inquam, quoniam Deus erat vobis propitius, absque bello, sine conflictu, sine prælio centum octoginta quinque millibus militum interfectorum Assyriorum apud vos relictis, ita fugit, ut satis haberet, si solus evaderet incolumis? Verum et alia bella innumerabilia frequenter ad istum modum solvit Deus. Quare et nunc, nisi ipse esset qui penitus vos deseruit, non potuissent civitatem vestram diruere, ac templum vastare; non huc usque tanto tempore mansisset solitudinis calamitas, non vobis sæpe conantibus instaurationem, conatus in vacuum cessisset.

IV. Jam non ex his solum, verumetiam ex aliis conabor vobis palam facere non sua virtute vobis ista fecisse romanos imperatores, sed quia Deum habuistis iratum, qui vos deseruerat. Etenim si quod gestum est, humanum erat opus: oportuit vestras calamitates excidio finiri, nec longius proferri vestram ignominiam. Ponamus enim, quod vos dicitis, mœnia ab hominibus fuisse subversa, civitatem dirutam, altare dejectum; num et illud ab hominibus factum, quod Prophetæ cessarunt? Num et spiritus gratiam sustulerunt? Num alia quæ apud vos fuere veneranda destruxerunt, veluti vocem de propitiatorio reddi, vim unctionis, declarationem quæ fiebat in lapidibus sacerdotis? Neque enim judaïca religio origines omnes habebat ex inferioribus, sed plures ac magnificentiores superne e cœlis. Exempli causa: permisit sacrificia fieri. Altare quidem erat infra, itemque gladius et ligna, necnon sacerdos: cæterum ignis venturus in adyta illa, victimasque consumpturus, e supernis habebat originem. Nec

enim homo inferebat ignem in templum, sed flamma e sublimi immissa sacrificii ministerium complebat. Rursum si quando cognoscendum erat aliquid e propitiatorio, vox quæpiam e medio Cherubim prodibat, prædicens futura. Rursus e lapidibus qui erant in pectore summi sacerdotis, id vocabant declarationem, relucebat fulgor quidam futura significans. Præterea quoties esset aliquis inungendus, devolabat spiritus gratia, et oleum insiliebat. Hæc autem administrabant Prophetæ. Quin et nebula frequenter et fumus adyta occupabat. Itaque ne Judæi perstricta fronte hominibus imputarent suarum rerum vastationem, non solum civitatem Deus passus est dirui, ac templum vastari, verumetiam illa, quæ cœlitus habebant originem, e medio sustulit, videlicet ignem, vocem e lapidibus reddi solitum fulgorem, et hujus generis alia universa. Proinde cum tibi Judæus dixerit, Homines nobis bellum intulerunt, homines insidiati sunt, dicito illi; Profecto non bellum intulissent homines, nisi Deus hoc permisisset. Verum esto sane, murum vestrum diruerint homines, num et ignem ex alto devehi vetuit homo? Num vocem assidue ex propitiatorio audiri solitam inhibuit homo? Num declarationem in gemmis? Num sacerdotalem unctionem? num cætera omnia sustulit homo? Annon Deus hæc omnia sustulit? Nemini non perspicuum est; sed qua de causa sustulit? Annon manifestum est ideo fecisse, quod vos odisset, quodque penitus aversaretur? Nequaquam, inquiunt, sed quoniam metropoli caremus, ideo caremus et istis: cur vero illa caretis? Nonne quia vos Deus dereliquit? Quin potius, ut uberius impudentia illorum ora claudamus: age et hoc Scripturarum testimoniis demonstremus, quod templi eversio non fuerit causa destructionis cæterorum a Prophetis prædictæ, sed ira Dei, et quod magis etiam ipsum irritarint insanientes in Chris-

tum, quam tum cum vitulum adorarent. Nam cum vaticinaretur Moyses, nec templum erat, nec altare; sed cum persisterent in innumeris impietatibus, tamen prophetiæ donum non cessavit. Verum et hic ipse magnus atque egregius vir et alii rursus præter hunc septuaginta tum extitere Prophetæ: nec id solum, verum et post datum templum reliquamque totam culturam, deinde hoc incenso cunctisque sublatis, in Babylone rursus extiterunt Ezechiel et Daniel, qui cum nec sancta sanctorum aspicerent, nec altari assisterent, sed in media barbarorum regione, et impurorum hominum consortio agerent, Spiritu repleti futura prædicebant, idque de rebus multo tum pluribus tum admirabilioribus quam quæ præcesserant: ac divinam visionem viderunt, quatenus ipsis videre licuit. Itaque dicite mihi, quare non habetis nunc Prophetas? Annon perspicuum est hanc esse causam, quod Deus vestra aversatus sit? Sed quam ob causam vos aversatus est? Clarum item et hoc, quod ob illum crucifixum, et impium illud facinus. Unde hoc liquet, inquis? Ex hoc, quod cum antehac impie viveretis, nihil non obtinebatis; nunc vero cum videamini modestius vivere post crucem, majores luitis pœnas, neque quidquam eorum contingit habere, quæ prius habebatis.

V. Ut autem et ipsis Prophetis hoc evidenter et expresse testificantibus, præsentium malorum causam intelligatis, audite quid dicit Hesaïas, quomodo prædicit simul et venturam omnibus per Christum beneficentiam, et vestram ingratitudinem. « Livore, inquit, ejus nos sanati sumus: » salutem indicans per crucem omnibus oblatam. Deinde quales simus nos indicans, subjecit; « Omnes ut oves aberravi- » mus, homo in via sua erravit[1]. » Tum crucis modum explicans, sic loquitur: « Sicut ovis ad occisionem ductus

[1] Isaï. LIII, 5.

» est, et ut agnus in conspectu tondentis ipsum sine voce » fuit, sic non aperit os suum [1]. » Et ubi hæc evenisse licet videre? in nefario prætorio Pilati. Cum enim tam multa, inquit, testimonia proferrent adversus ipsum, nihil eis respondit Jesus. Et dixit ad illum præses, « Audis quam » multa in te testificentur [2]? » Verum nihil respondit, sed stabat tacitus. Hoc olim cœlitus afflatus Propheta dixerat; « Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus co- » ram se tondente mutus [3]. » Posthæc exponens iniquitatem in prætorio perpetratam ait: « In humilitate ejus judicium » ejus sublatum est. » Nemo tum ex juris ratione de illo suffragium tulit, sed falsa potius adversus illum recipiebant testimonia. In causa erat, quod tum nolebat esse vindex. Nam si voluisset, omnia turbasset, concussissetque. Etenim si id temporis, quo pendebat in cruce, saxa discidit, orbem terrarum obscuravit, solis radios avertit, noctem medio die per universam terram induxit, idem potuisset in prætorio facere. Verum noluit mansuetudinem ac lenitatem exhibens. Ideo dicit: « In humilitate ejus judicium » ejus sublatum est. » Deinde demonstrans, quod non esset unus quilibet e vulgo, subjecit: « Generationem ejus quis » enarrabit? » Quis enim est, de quo dicit; « Tollitur de » terra vita ejus? » Ideo et Paulus dicit: « Vita nostra abs- » condita est cum Christo in Deo. Cum apparuerit Christus » vita nostra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria [4]. » Sed quod dicere proposueram, ut demonstrarem eos propter hunc præsentia mala sustinuisse, restat ut ipsum Hesaïam inducam loquentem. Ubinam hoc dicit? Post prætorium, post occisionem, post assumptionem, ubi dixit; « Tollitur de terra vita ejus, subjicit: Et dabo improbos » pro sepultura ejus, et divites pro morte illius [5]. » Non

[1] Isaï. LIII, 6. — [2] Matth. XXVII, 12. — [3] Isaï. LIII, 8. — [4] Coloss. III, 3. — [5] Isaï. LIII, 9.

simpliciter dixit Judæos, sed improbos. Quid enim illis improbius esse possit, qui post tot tantaque accepta beneficia beneficum occiderunt? Nisi hæc evenerunt, nisi nunc vivitis in ignominia, nisi omnibus quæ majores habuerunt estis privati, nisi corruit vestra civitas, nisi templum vestrum versum est in ruinam, denique nisi vestræ calamitates superant omnem tragœdiam, ne credas, o Judæe. Contra si res ipsæ clamitant, si quod prædictum erat a Prophetis, perfectum est; quid frustra, quid incassum impudens es? Nam ubi illa apud vos veneranda, ubi pontifex, ubi stola et rationale, ubi declaratio? Ne vero mihi istos Patriarchas dixeris caupones, negotiatores, omni iniquitate plenos. Dic mihi qualis est sacerdos, cum non sit vetus illud oleum, neque quidquam omnino veteris sanctimoniæ? Dic, inquam, mihi, qualis sacrificus, cum non sit sacrificium, neque altare, neque cultus? Vis tibi recitem leges de sacerdotio, quomodo soliti sint olim consecrari? ut intelligas, quod qui nunc apud vos dicuntur Patriarchæ, non sint sacerdotes, sed per simulationem sacerdotum agant personam, nec aliter ludant quam histriones in scena; imo ut verius dicam, nec sustinere possint sacerdotis personam: tam procul non solum a veritate, verumetiam ab ipsa simulatione sacerdotii absunt. Recordare igitur quomodo tum Aaron factus sit sacerdos, quot hostias pro illo immolarit Moyses, quot victimas prostraverit, quomodo illum laverit, quomodo unxerit ipsius extremum auriculæ, manum dextram, pedem dextrum, deinde in sancta sanctorum introduxerit: post hæc jusserit præscripto dierum numero manere intus. Quin potius operæ pretium est ipsa verba audire: « Hæc, inquit, unctio Aaron, et unctio filiorum » ejus. Et locutus est Dominus ad Moysem, dicens: Assume » Aaron et filios ejus, et stolas eorum, et unctionis oleum, » et vitulum pro peccato, et arietem, et convoca Synago-

» gam ad ostium tabernaculi testimonii. Et dixit Moyses » universæ multitudini congregatæ : Hic est sermo, quem » mandavit Dominus. Et postquam admovisset eos ; » dicendum est enim compendio ; « Lavit eos aqua, induit tu- » nica, cinxit zona, induit ependyten, imposuit humerale, » præcinxit illum ac substrinxit, imposuit rationale, et su- » per rationale imposuit declarationem et veritatem : et » mitram imposuit capiti illius, et super mitram laminam » auream : deinde sumpto oleo conspersit altare et sancti- » ficavit illud ; et vasa et pelvim et basim et sanctificavit ea, » et effudit ex eo in caput Aaron : et filiis illius similiter » fecit, et adduxit vitulum. Cum autem immolasset eum, » postquam Aaron cum filiis suis imposuisset manus, sump- » sit de sanguine et imposuit cornibus altaris, et purifica- » vit altare, et sanguinem effudit in basim altaris, et sanc- » tificavit illud, ut propitiaret super illud. Deinde postquam » quædam ex his cremasset, alia foris, alia intus, adduxit rur- » sus arietem, et ipsum immolavit in holocaustum, et iterum » adduxit alium arietem consummationis : et rursus Aarone » cum filiis imponente manus occidit : sumensque de san- » guine ejus super extremum auriculæ Aaron dextræ, et super » extremum manus dextræ, et super extremum pedis dextri, » simili modo fecit et filiis illius. Deinde sumens quædam de » hostia imposuit manibus Aaron et filiorum ejus, ac sic ob- » tulit. Et sumpto rursus sanguine et de oleo conspersit super » Aaron et stolas illius, et super filios ejus, et super stolas » eorum : et sanctificavit eos, et jussit ut coquerent carnes » in atrio tabernaculi testimonii, illicque eis vescerentur : » et ab ostio tabernaculi testimonii ne egrediamini, inquit, » dies septem, donec dies implèatur, dies ordinationis ves- » træ. Septem enim diebus initiabit manus vestras, ut pro- » pitietur pro vobis [1]. » Cum igitur dicat his rebus initiatum

[1] Levit. VIII, 1-33.

fuissse Aaron, his purificatum, his sanctificatum, per hæc placasse Deum; nihil autem horum nunc fiat, neque victima, neque holocaustum, neque sanguinis aspersio, neque olei inunctio, nec adsit tabernaculum testimonii, neque ad præfinitum dierum numerum sedeatur intus, profecto palam est sacerdotem, qui nunc apud istos est, impurum ac nefarium esse, illegitimum ac profanum, denique ad iram Deum provocare. Etenim si non poterat aliter consecrari, nisi hisce ritibus, omnino necesse est totum sacerdotium illorum non consistere. Vides a me merito dictum, quod non solum a veritate, verumetiam ab ipsa rei simulatione procul absunt.

VI. Nec ex his tantum, verumetiam ex aliis discere licet, quanta fuerit sacerdotii dignitas. Proinde cum adversus Aaron seditionem movissent homines quidam scelerati perditique conantes eum a principatu depellere, et de honore cum illo disceptarent; mansuetissimus Moyses cupiens illis rebus ipsis facere fidem, quod non ut fratrem, aut cognatum, aut familiarem, evexisset illum ad eum honorem, sed Dei parens edicto tradidisset illi sacerdotium illud, jussit ut unaquæque tribus virgam afferret, idem præcepit Aaroni[1]: cum attulissent, omnes accepit, et intus reposuit. Eo facto jussit expectari divinum judicium, quod per virgas illas esset proferendum. Deinde cum simul omnium reliquorum virgæ manerent in eodem habitu, sola virga Aaron germinavit, frondesque produxit ac fructus, ut intelligerent, naturæ Dominum illum delegisse denuo, litterarum vice foliis usum. Etenim qui initio dicebat; « Germinet terra herbam graminis[2], » ejusque vim ad fructificandum excitavit: idem et illud lignum quod erat aridum et infrugiferum, fecit ut absque terra et sine radice germinaret: eratque deinceps virga illa argumen-

[1] Num. XVII. — [2] Gen. I, 11.

tum et testimonium tam illorum malitiæ, quam divini judicii, non emittens quidem vocem, sed ipso aspectu quavis tuba clarius exhortans, ne quid talium facinorum in posterum aggrederentur. Nec hoc modo tantum, sed alio quodam argumento Deus declaravit eum sacerdotem. Etenim cum multi mota adversus illum seditione appeterent ipsius honorem : principatus enim res est pro qua depugnari solet, et quæ expetitur a multis ; jussit ut illatis thuribulis, et imposito thymiamate, cœlitus expectarent sententiam. Atque illis adolentibus terra dehiscens omnes absorbuit, qui cum ipsis consenserant[1] : eosque qui thuribula sumpserant, ignis e cœlo demissus exussit. Tum ne quod acciderat, temporis progressu oblivioni daretur, neve admirabilem hanc Dei sententiam ignorarent posteri : præcepit Moyses, ut thuribula sumpta applicarent ad altare, ut quemadmodum virga sine voce vocem emisit ipso conspectu : itidem et hæ laminæ posteros alloquerentur omnes, admonerent, iisque consulerent, ne majorum amentiam imitarentur, ne quando simili pœna plecterentur. Vides, ut olim sacerdotes crearentur? nunc vero lusus meri sunt risusque, quæ fiunt apud Judæos omnia, pudor et cauponatio plena immensæ impietatis. Hos igitur sequeris, dic mihi, qui pertinaciter solent semper tum facere, tum dicere omnia, quæ Dei legibus adversentur? ad horum synagogas accurris? nec metuis, ne fulminis impetus cœlitus emicans exurat caput tuum? An ignoras, eos qui ipsi quidem non prædantur, sed tamen in prædonum speluncis conspecti fuerint, easdem dare pœnas quas prædones. Quid autem loquor de prædonibus? profecto scitis omnes ac meministis, quando apud nos scelerati quidam homines et præstigiatores statuas dejecerunt, quo pacto non illi tantum qui facinus ausi fuerant, sed quot-

1 Num. XVI.

quot simpliciter præsentes conspecti erant, quoniam videbantur illis assentiri, in judicium abrepti, simulque cum illis abducti, extremo supplicio sint affecti. Tu vero ubi Pater afficitur contumelia, ubi Filius lacessitur conviciis, ubi sanctus et vivificus Spiritus contemnitur, eo studes accurrere? non metuis, non horrescis, cum te ipsum in loca profana impuraque conjicis? Dic mihi, quam habebis excusationem, quam veniam, qui volens te ipsum in barathrum immittas, in præcipitium des? Neque enim mihi illud dixeris, quod illic sita est lex, et Prophetarum libri. Neque enim hoc satis est ad locum sanctum reddendum. Utrum enim majus est, libros esse repositos in loco; an loqui ea quæ sunt in libris? Perspicuum est, melius esse si ea quæ sunt in libris loquaris, habeasque in animo. Ergo responde mihi, cum diabolus recitaret ea, quæ sunt in Scripturis, num os illius sanctificatum est? Non potes dicere; sed permansit id quod erat diabolus. Quid autem dæmones? cum prædicarent ac dicerent, « Isti » homines servi Dei altissimi sunt, annuntiantes vobis viam » salutis[1] ; » an ideo illos in Apostolorum ordinem referemus? Nequaquam, imo nihilominus execramur illos, odimusque. Ergo cum verba prolata non sanctificent, libri repositi sanctificant? Minime. Qua tandem ratione? Imo hoc nomine odi synagogam, quod legem habeat ac Prophetas, et nunc etiam amplius odi, quam si nihil istorum haberet. Cur ita tandem? Quoniam variam hinc habent escam, variamque fraudis materiam, qua simpliciores alliciant. Quandoquidem et Paulus spiritum illum loquentem potius, quam tacentem ejecit. « Etenim molestia tæ- » dioque affectus, inquit, spiritui dixit: Exi ab illa. » Qua de causa? Quoniam clamabat : « Isti homines servi Dei al- » tissimi sunt[2]. » Tacentes enim non perinde decepissent,

[1] Act. xvi, 17. — [2] Ibid. 18.

loquentes autem multos erant simpliciores attracturi, persuasurique, quo nimirum et aliis in rebus sibi auscultarent. Siquidem ut ostium aperirent suis fraudibus, possentque in posterum mentiri confidentius : propterea vera quoque nonnulla commiscebant, non aliter quam qui letifera miscent venena, os poculi melle circumlinentes, efficiunt, ut facilius accipiatur malum. Hanc ob causam et Paulus potissimum afficiebatur molestia, festinabatque illis occludere os, quod sibi auctoritatem usurparent, nequaquam ipsis congruentem. Hanc ob causam et ipse Judæos odi, quod cum legem habeant, legem violant, et hoc modo simpliciores inescare conantur. Non perinde grave crimen admitterent, nisi cum credant Prophetis, repugnarent Christo. Nunc vero sibi omnem veniæ spem ademerunt, qui cum se jactent Prophetis credere, contumeliis afficiunt eum, quem illi prædixerunt.

VII. In summa, si credis locum esse sanctum eo quod illic Lex et Prophetarum libri repositi sunt, superest ut et idola et idolorum templa pro sanctis ducas. Quondam enim cum bellum teneret Judæos, victores Azotii ceperunt arcam, inque suum templum intulerunt. An ideo sanctum erat illorum templum, quod haberet arcam? Nequaquam, sed profanum, sed impurum. Id protinus ipsis factis declaratum est. Nam ut hostes intelligerent victoriam ipsis cessisse, non ob impotentiam Dei, sed ob iniquitatem eorum, a quibus colebatur : etiam arca capta in aliena terra vim suam ostendit, dum idolo, bis in solum dejecto, effecit ut etiam frangeretur. Tantum aberat, ut locum sanctificaret, ut locum etiam expugnaret. Verum hic quænam est arca penes Judæos, ubi non est propitiatorium? non oraculum, non testamenti tabulæ, non sancta sanctorum, non velum, non summus sacerdos, non thymiama, non holocaustum, non sacrificium, non

alia quæ tum arcam illis reddebant venerandam? Mihi quidem Judæorum ea, quam nunc habent, arca nihilo melius habere videtur iis arculis, quæ veneunt in foro, imo pejus habet. Nam hæ nihil lædere possunt si quis adeat; illa vero quotidie noxam infert iis qui accesserint. « Fra» tres, ne sitis pueri mentibus, sed malitia parvuli es» tote[1]; » eosque qui ad ista stupent, ab hoc intempestivo metu liberantes, erudite quid oporteat timere, revererique, non istam arcam : sed quod concurrentes ad illam, violent templum Dei, per conscientiam ad judaïsmum propensam, per intempestivam istam observationem. « Quot» quot, inquit, in lege justificamini, a gratia excidistis[2]. » Hoc oportet timere, ne in die illo audiatis ab eo qui vos judicaturus est : « Discedite, non novi vos[3]; » communicastis enim cum iis qui me crucifixerunt; et solemnitates, quas ego antiquavi, contendentes mecum rursus instaurastis : ad Judæorum, qui impie agebant in me, ac Legem violabant, synagogas concurristis. Atqui ego quidem templum illorum subverti, et in ruderum acervum verti templum illud venerabile, res verendas et horrendas continens : vos autem habitacula cauponis nihilo meliora et speluncas latronum coluistis. Etenim sic tunc cum essent Cherubim, cum arca, cum adhuc Spiritus floreret gratia, dixit; « Fecistis illud speluncam latronum, aut, domum » negotiationis[4], » propter iniquitates ac cædes illorum : nunc postquam illos sancti Spiritus deseruit gratia, cunctaque illa venerabilia et Deo grata, sublata sunt; cum impiam istam religionem celebrant; quid appellando synagogas eorum nomen ipsis dignum invenias? Etenim si jam tum erat spelunca latronum cum statum suum obtineret; nunc si lupanar, si transgressionis locum, si dæmo-

[1] 1 Cor. XIV, 20. — [2] Galat. V, 4. — [3] Matth. VII, 23. — [4] Jerem. VII, 11, et Matth. XXI, 13.

num diversorium, si diaboli propugnaculum, si animarum exitium dixeris, si totius perditionis præcipitium ac barathrum, denique quidquid appellaveris, minus quam pro rei dignitate dixeris. Templum cupis videre? ne curras ad synagogam, sed tu esto templum. Unicum templum diruit Deus Jerosolymis, et innumerabilia erexit illo longe venerabiliora. « Vos, inquit, templum estis Dei viventis[1]. » Hanc domum exorna, omnem exige cogitationem malam, ut fias pretiosum membrum Christi, ut fias templum Spiritus, deinde et alios redde tales. Et sicut cum vides pauperes, non facile prætercurris : ita cum videris aliquem ad synagogam currentem, ne dissimules, sed verbis ceu freno quodam cohibitum reducas ad Ecclesiam. Hæc est major eleemosyna quam illa, et majus lucrum quam decem millia talentorum : quid dico decem millia talenta? majus quam hic aspectabilis mundus universus. Siquidem homo est toto mundo pretiosior : hujus enim causa et cœlum, et terra, et mare condita sunt, et sol et stellæ. Perpende igitur quanta sit dignitas ejus, cujus saluti consulitur, et ne contempseris illius curam. Nam etiamsi pecuniæ vim immensam dinumeravit aliquis ; nihil tale præstitit, quale is qui servat animam, et abducit ab errore ad pietatem. Qui dederit pauperi, famem solvit : qui judaïzantem correxerit, impietatem extinxit. Ille paupertati solatium adhibuit, hic iniquitatem inhibuit : ille corpus liberavit a dolore, hic etiam animam eripuit a gehenna. Ostendi thesaurum, ne deseratis lucrum. Non est quod hic paupertatem causemini, non est quod mendicitatem prætexatis : verba tantum insumenda sunt, sermonis modo fit impensa. Ne pigritemur igitur, sed omni studio ac cupiditate venemur fratres nostros, eisque vel invitis in domum nostram pertractis, prandium apponamus, ad mensæ communionem

[1] 2 Cor. vi, 16.

illos asciscamus hodie; ut, ubi nostro in conspectu jejunium solverint, satisque declaraverint, fidemque plenam fecerint, quod in melius correcti sint; et sibi ipsis et nobis æterna bona concilient, gratia ac bonitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri una cum Spiritu sancto gloria, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO VII.

Adversus Judæos.

1. Num vos pugnæ hujus cum Judæis susceptæ satietas cepit? an vultis ut rursus hodie quoque materiam eamdem tractemus? Quanquam enim multa sunt jam dicta; attamen arbitror vos sic affectos, ut cupiatis iisdem de rebus iterum audire. Etenim qui non satiatur amore erga Jesum, is nec unquam satiabitur pugna adversus eos suscepta, qui Jesum oderunt. Præterea autem nobis hic sermo necessarius est : supersunt enim adhuc festorum Judæorum reliquiæ. Sed quemadmodum illorum tubæ multo sceleratiores erant iis quæ sonant in theatris, et jejunia quavis ebrietate et comessatione erant turpiora : ita et tabernacula quæ nunc apud illos figuntur, nihilo sunt honestiora diversoriis, in quibus scorta versantur ac tibicinæ. Ne quis autem orationem hanc audaciæ damnet. Nam ausus est extremus summaque iniquitas secus de istis opinari. Cum enim adversus Deum contendant ac Spiritui sancto resistant; cur non talem de illis feramus sententiam? Erat olim hoc festum venerabile, cum juxta Legem fieret, Deique jussu. Nunc autem non amplius; nam tota

illius dignitas sublata est, eo quod contra Dei mentem celebratur. Quique maxime violant Legem priscaque festa, ii maxime omnium sunt, qui nunc videntur ea celebrare. At nos maxime Legem veneramur, qui eam velut hominem senio confectum quiescere sinimus; nec in stadium protrahimus, posteaquam incanuit; neque alieno tempore certare compellimus. Nunc enim nec esse Legis tempus, nec vetustæ religionis, satis ante demonstravimus : age igitur quod superest hodie excutiamus. Satis quidem erat, ut cum ex Prophetis omnibus demonstrassem, quod nunc extra Jerosolymam tale quidpiam facere, transgressio Legis sit et impietas, omni labore levarer. Nam si verum esset, quod isti semper ubique jactantes mussitant, futurum ut civitatem denuo recipiant, ne sic quidem possint a violatæ Legis crimine liberari : attamen nos ex abundanti hoc quoque demonstravimus, quod nec civitas sit instauranda, neque priscum reipublicæ statum sint recepturi. Hoc autem demonstrato, reliqua omnia in confesso sunt, videlicet quod neque sacrificiorum ritus, neque holocaustorum, neque Legis vis, nec alia pars ulla status illius consistere poterit. Primum enim præcepit Lex [1], ut ter in anno omne masculinum ascenderet in templum. Cæterum dejecto templo, hoc fieri nequit. Rursus præceperat, ut qui profluvio seminis laboraret, qui lepra contaminatus esset, quæ menstruo fluxu teneretur, quæ peperisset, offerret sacrificia [2]. Atqui nec hoc fieri potest, cum desit locus, nec extet altare. Jussit cani sacros hymnos, et hoc ante declaravimus tum loci ratione vetari, tum a Prophetis damnari, accusantibus illos ac dicentibus, quod foris legerent Legem, et advocarent confessionem. Cum igitur ne legi quidem Lex potuerit extra civitatem, quomodo Legem servare poterunt extra civitatem? Hanc ob causam et minitans illis dicit,

[1] Exod. xxiii. — [2] Levit. xv.

« Non visitabo filias vestras, cum stuprum admiserint, ne- » que nurus vestras, cum mœchatæ fuerint[1]. » Quid autem hoc est? Recitata veteri Lege conabor vobis reddere dilucidius. Quæ igitur illa Lex? « Si mulier, inquit, prævaricata fuerit a viro suo, eumque negligens despexerit, » dormieritque aliquis cum illa coitu seminis, et latuerit » oculos viri, nec testis fuerit adversus illam, nec fuerit » deprehensa : ac super ipsum quidem venerit spiritus zelotypiæ, ipsa vero non fuerit contaminata. » Sensus horum verborum hic est, Si mulier, inquit, mœchata fuerit, et vir habeat illam adulterii suspectam; aut non fuerit mœchata, sed ille suspicetur : et si non fuerit testis, nec uterus coarguens : « Ducet, inquit, illam ad sacerdotem, » et offeret donum illius, ordeaceam farinam. » Cur ita tandem non siligineam, non triticeam farinam, sed hordeaceam? quoniam id quod gerebatur, luctus erat, et incusatio, suspicioque prava; forma sacrificii domesticam calamitatem imitabatur, eoque dicit; « Non effundes super » illam oleum neque impones illi thus. Deinde; » nam contrahendus est sermo; adducet illam sacerdos, sumetque » puram aquam in vase fictili, et sumet de terra, quæ est » in pavimento, sumptamque conjiciet in aquam, statuet- » que mulierem, et adjurabit illam, et dicet : Si non es » transgressa, nec polluta viro tuo, salva esto ab aqua » redargutionis. Quod si transgressa es, ac polluta, et » aliquis tecum concubuit, præter maritum tuum, det Do- » minus te in execrationem ac detestationem in medio » populi. » Quid est, in execrationem ac detestationem? Ut dicant, ne mihi accidat, quod accidit illi mulieri; « Ut » reddat Dominus uterum tuum diruptum, et ingredietur » aqua execrata, ut dirumpat ventrem tuum, et dicet mu- » lier, Fiat, fiat. Et erit, si fuerit polluta, ingredietur aqua

[1] Osee. IV, 15.

» redargutionis, et dirumpet ventrem illius, et erit mulier » execrabilis. Quod si non fuerit polluta mulier, erit inno- » cua, et proseminabit semen. » Quoniam igitur cum in captivitatem abducti essent, nihil horum fieri poterat, cum nec templum esset, nec ara, nec tabernaculum haberent, nec offerrentur hostiæ; Dominus comminans dixit; « Non visitabo filias vestras, cum stuprum admiserint : » nec nurus vestras, cum mœchatæ fuerint [1]. »

II. Vides legem a loco vim habere? Ex hoc perspicuum est ne sacerdotem quidem esse posse, cum desit civitas. Quemadmodum enim fieri non potest, ut imperator sit, si non sit exercitus, non diadema, non purpura, non alia quæ regnum constituunt; ita nec sacrificus esse potest sublata hostia, vetita oblatione, sanctis conculcatis, toto rerum statu abolito. Nam his rebus constabat sacerdotium. Sufficiebat igitur nobis ad probationem, ut dixi, quod neque sacrificia, neque holocaustomata, neque reliquæ purificationes, neque præterea quidquam politiæ judaïcæ rediturum sit. Supererat, ut demonstraretur nunquam fore ut templum instauretur. Nam sicut illo non stante omnia nunc sunt abrogata; et si quid videatur fieri, facinus est adversus legem : ita postquam demonstratum est nunquam fore ut templum redeat ad pristinum statum, eadem opera et illud demonstratum est, quod neque cæteri ritus et cultus ad pristinum statum sint redituri : non sacerdos futurus quispiam, non rex. Etenim si non licebat cuivis ex ipsorum cognatione quamvis plebeio, servire alienigenis : multo magis fas non erat ipsum regem alienigenis subjici. Verum quoniam hic contendimus conamurque non tantum, ut illis obturemus os, verumetiam ut Vestram Charitatem erudiamus : age hoc ipsum aliunde demonstrabimus, videlicet quod illis et sacrificiorum et sacerdotii finis sit,

[1] Num. XIX, 5-7, et seqq.

adeo ut nunquam amplius ad pristinam consuetudinem hæc sint reditura. Quis igitur hæc dicit? Admirandus ille ac magnus Propheta David. Declarans enim illud sacrificiorum genus esse ejiciendum, et aliud inducendum, loquitur in hunc modum : « Multa fecisti tu, Domine Deus » meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui » similis sit tibi : annunciavi, et locutus sum [1]. » Vide Prophetæ sapientiam. Ubi dixisset, « Multa fecisti tu, Domine » Deus meus, mirabilia tua, » stupefactus admiratione divini opificii, nihil de conditione rerum nobis conspicuarum, cœli, terræ, maris, et aquæ, et ignis, non de stupendis illis prodigiis, quæ acciderunt in Ægypto; non de cæteris hujusmodi miraculis; sed quæ dicit esse miracula? « Sacrificium et oblationem noluisti. » Quid, obsecro, dicis? An illud stupendum est ac mirandum? Nequaquam, inquam; non enim hoc solum vidit, sed cœlitus edoctus prospiciebat oculis propheticis futurum ut gentes adducerentur, et quomodo qui prius erant addicti diis, colebantque lapides, miseriores ipsis brutis, repente visum reciperent, omniumque Dominum agnoscerent, ac relicto impuro dæmonum cultu pure citraque sanguinem Deum colerent. Simulque intelligens, quod non illi solum, sed et Judæi simpliciores relicta hostiarum, holocaustomatum, aliorumque corporalium rituum observatione ad nostram et ipsi philosophiam adducerentur, simulque reputans ineffabilem Dei erga genus humanum charitatem, quæ superat omnem intellectum, et attonitus admiratione tantæ mutationis futuræ, et quam mirabiliter ista Deus in alium ordinem translaturus esset, et homines ex dæmonibus facturus Angelos : ac vitæ genus inducturus cœlis dignum. Tum quod hæc omnia essent futura vetere sacrificio abolito, et altero in illius locum ducto per corpus Christi : admiratus autem ac stupefactus

[1] Psal. XXXIX, 7.

dicebat; « Multa tu fecisti, Deus, mirabilia tua. » Et quod ex persona Christi totum hoc vaticinium ediderit docens, cum dixisset : « Sacrificium et oblationem noluisti, » subjecit, « Corpus autem adaptasti mihi; » de corpore loquens dominico, communi pro toto orbe sacrificio, quod nostras purificavit animas, peccata dissolvit, mortem extinxit, cœlos aperuit, multamque ac magnam spem nobis ostendit, cæteraque præparavit omnia, quæ quidem et Paulus videns exclamavit, dicens : « O altitudo divitiarum, et sa- » pientiæ et scientiæ Dei ! quam inscrutabilia sunt judicia » ejus, et investigabiles viæ ejus [1] ! » Hæc igitur omnia prospiciens dicebat : « Multa fecisti tu, Domine Deus meus, » mirabilia tua. » Deinde cum ex persona Christi dixisset, « Holocaustomata et pro peccato non probasti; » subjunxit : » Tunc dixi, Ecce venio [2]. » Tunc, quando? cum perfectioris doctrinæ tempus est. Nam imperfectiora a servis ejus erant discenda, sublimiora vero et humanam superantia naturam, ab ipso Legis auctore. Ideo et Paulus dicebat : « Multifariam multisque modis olim Deus locutus » patribus nostris in Prophetis, extremis hisce diebus lo- » cutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem omnium, per quem fecit et sæcula [3]. » Ac rursus Joannes : « Lex » per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum » facta est [4]. » Itaque hæc summa Legis laus est, quod ea naturam humanam illi doctori præparavit. Deinde ne putares hunc esse recentem Deum, aut aliquid nuper inventum afferre, audi quid dicit : « In capite libri scriptum est » de me [5]. » Jam olim meum adventum prædixerunt Prophetæ, et in initio librorum meæ divinitatis cognitionem obiter hominibus aperuerunt.

III. Cum Deus dicit initio conditi mundi : « Faciamus

[1] Rom. XI, 33. — [2] Psal. XXXIX, 7. — [3] Hebr. I, 1. — [4] Joan. I, 17. — [5] Psal. XXXIX, 10.

» hominem ad similitudinem nostram [1], » ænigmatice nobis Filii divinitatem aperit, ad quem loquitur. Post hæc declarans hanc vitæ rationem non esse priori contrariam, sed hoc quoque voluisse Deum, ut illo sacrificio antiquato in ejus locum hoc induceretur; nam erat cŏrrectionis vehementia, non contrarietas, aut pugna : ubi dixisset : « In capite libri scriptum est de me, » subjecit : « Ut » facerem voluntatem tuam, Deus, volui et Legem tuam in » medio ventris mei [2]. » Post exponens quæ tandem esset voluntas Dei, prætermissa mentione hostiarum, holocaustomatum, oblationum, laborum ac sudorum, ait : « Annuntiavi justitiam in Ecclesia magna. » Quid est hoc, « Annuntiavi justitiam in Ecclesia magna ? » Non dixit, Dedi : sed, Annuntiavi. Quid tandem igitur ? Non ex benefactis, nec laboribus, nec pensatione ; sed ex sola gratia justificavit genus nostrum. Quod et Paulus declarans dicit : « Nunc autem absque Lege justitia Dei manifestata » est [3] : » justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, non per ullum sudorem aut laborem. Et hoc assumpto testimonio hunc in modum loquitur. « Umbram enim habens Lex fu- » turorum bonorum, non ipsam rerum imaginem, singulis » annis iisdem hostiis, quas semper offerunt, nunquam » potest accedentes perfectos reddere. Ideo ingrediens » mundum dicit : « Sacrificium et oblationem noluisti, cor- » pus autem adaptasti mihi [4] : » significans ingressum Unigeniti in mundum, per carnis dispensationem. Sic enim ad nos venit, non locum loco commutans, qui namque hoc conveniat in eum, qui est ubique, quique cuncta complet ? sed per carnem nobis factus est conspicuus. Cæterum quoniam non solum adversus Judæos est nobis pugna, verumetiam adversus gentiles, ac multos hæreti-

[1] Gen. I, 26. — [2] Psal. XXXIX, 10. — [3] Rom. III, 21. — [4] Hebr. X, 1, et Psal. XXXIX, 7.

cos, age profundiorem sensum quemdam hic vobis aperiamus, quæramusque quid tandem sibi velit, quod cum Paulus innumerabilia haberet testimonia, quæ docerent cessare Legem veteresque ritus, hujus meminit: neque enim temere neque fortuito id fecit, sed ratione ac sapientia quadam ineffabili. Quod enim alia quoque habuerit testimonia, tum majora, tum vehementiora, si voluisset adducere, omnes confitebuntur. Hesaïas enim ait: « Non est mihi voluntas in vobis, plenus sum holo» caustomatibus arietum; et adipem agnorum et sangui» nem taurorum et hircorum nolo, neque si veneritis in » conspectum meum. Quis enim exquisivit hæc de mani» bus vestris? Si obtuleritis mihi similaginem, frustra fa» cietis: incensum, abominatio mihi est. » Et alibi rursum: « Non nunc advocavi te, Jacob, neque molestiam » tibi exhibui, Israël, non glorificasti me in sacrificiis, ne» que serviisti mihi in donis tuis; neque tibi molestus fui » in thure, neque parasti mihi argento suffitum[1]. » Jeremias autem: « Ad quid mihi thus e Saba offers, et cinna» momum e terra longinqua? holocaustomata vestra non » delectaverunt me. » Ac rursus, « Holocaustomata vestra » una cum reliquis sacrificiis vestris colligite, et comedite » carnes[2]. » Et alius insuper Prophetarum sic ait: « Aufer » a me strepitum cantionum tuarum, et psalmum organo» rum tuorum non audiam[3]. » Rursus alibi, cum Judæi dicerent: « An accipiet Dominus in holocaustomatibus, si » dedero primogenita mea pro impietate mea, fructum » ventris mei pro peccato animæ? » Propheta increpans illos, dicebat; « Annuntiatum est tibi, homo, quid sit bo» num, et quid Dominus Deus quærat abs te, ut diligas » misericordiam, et facias judicium et justitiam, ut para-

[1] Isaï. I, 11-13, et XLIII, 22, 23. — [2] Jerem. VI, 20, et VII, 21. — [3] Amos. V, 23.

» tus sis ambulare post Dominum Deum tuum[1]. » David quoque sic dicebat : « Non accipiam de domo tua vitulos, » neque de gregibus tuis hircos[2]. » Quare, cum tot posset afferre testimonia, per quæ Deus videtur illa sacrificia rejicere, neomenias, sabbata, dies festos, omnibus illis omissis, hujus unius meminit? Non temere id factum, neque fortuito, sed jam causam dicemus. Multi infideles, et ex Judæis ipsis pugnantes adversus nos, dicunt veterem religionem antiquatam esse, non quod ipsa esset imperfecta, neque quod inducta sit major, nostra videlicet religio, sed propter improbitatem eorum, qui tum offerebant sacrificia. Hesaïas itaque dicit : « Si extenderitis manus ves- » tras, avertam oculos meos a vobis. Si multiplicaveritis » obsecrationem, non exaudiam vos[3] : » mox causam addens, prosequitur ; « Manus enim vestræ sanguine plenæ. » Hoc autem non est sacrificia accusare, sed offerentium iniquitatem criminari. Et ideo non accepta habuit sacrificia, quod ea manibus impuris offerrent. Rursum David cum dixisset, « Non accipiam de domo tua vitulos, neque » de gregibus tuis hircos, » adjecit : « Peccatori autem » dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, et assumis » testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disci- » plinam, et abjecisti sermones meos retrorsum. Si vide- » bas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portio- » nem tuam ponebas : os tuum abundavit malitia, et » lingua tua contexebat dolos : sedens, adversus fratrem » tuum obtrectabas, et adversus filium matris tuæ ponebas » offendiculum[4]. » Unde perspicuum est, quod non hic omnino rejecit sacrificia, sed quoniam mœchabantur, quoniam furabantur, quoniam fratribus insidiabantur.

[1] Mich. VI, 7, 8. — [2] Psal. XLIX, 10. — [3] Isaï. I, 15. — [4] Psal. XLIX, 9-18.

Certe cum unusquisque Prophetarum, inquiunt, accuset offerentes sacrificia, sic illa Deum respuisse dicit.

IV. Hæc adversarii nostri dicunt, sed Paulus illis plagam satis magnam inflixit, et abunde illorum impudentiæ silentium imposuit, hoc testimonio. Cum enim vellet ostendere Deum ipsam Judæorum religionem ut imperfectiorem rejecisse, irritamque fecisse, hoc assumpsit testimonium, in quo accusatio offerentium nulla est, sed ipsius religionis imperfectio nuda per se declaratur. Propheta enim nulla in re accusans Judæos, simpliciter sic loquitur, « Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi, holocaustomata et pro peccato non probasti[1]. » Idque exponens Paulus ait : « Tollit prius, ut posterius statuat. » Nam posteaquam dixit, « Sacrificium et oblationem noluisti : » deinde addidit, « Corpus autem adaptasti mihi[2] : » postquam ostendit aliud inductum sacrificium, nullam præterea spem dedit futurum, ut illud restitueretur. Et hoc ipsum interpretans Paulus, dixit : « Per oblationem hanc sanctificati sumus in voluntate Christi. Si enim sanguis taurorum et hircorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnis emundationem : quanto magis sanguis Jesu Christi, qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum immaculatum, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis[3] ? » Itaque quod illud sacrificium antiquatum sit, et aliud in ejus locum inductum, quodque posthac illud non sit restituendum, satis ex his demonstratum est. Age jam superest, ut quod dudum conati sumus demonstrare, illius sacerdotii ritus neque jam apparere, neque denuo redituros, evidenter hoc palamque e Scripturis ipsis dilucidum faciamus, pauca prius vobis præfati, quo fiat evidentior eorum quæ dicentur enarratio. Abraham reversus e Per-

[1] Psal. xlix, 9. — [2] Hebr. x, 9. — [3] Id. ix, 13.

side genuit Isaac, Isaac deinde Jacob, Jacob duodecim filios, ex quibus profectæ sunt duodecim tribus, vel potius tredecim. Quandoquidem loco Joseph duo ipsius filii Ephraïm et Manasses extiterunt tribuum principes. Et quemadmodum unicuique filiorum Jacob, tribus cognomine respondebat Ruben, Simeon, Levi, Juda, Nephthalim, Gad, Aser, Benjamin : sic sub Joseph duo illius filii cognomen indebant tribubus. Et appellabantur altera quidem Ephraïm, altera vero Manasse. Harum itaque tredecim, cæteræ quidem omnes agros habebant ac proventus multos, et agricolabantur omnes, reliquaque omnia exercebant ad victum pertinentia. Cæterum tribus Levi sola honorata sacerdotio, a negotiis ad victum pertinentibus liberata erat, neque colebant agros, neque tractabant artes, neque præterea quidquam hujus generis exercebant, sed soli sacerdotio vacabant, ac decimas accipiebant a toto populo tum vini, tum frumenti, tum hordei, et de aliis rebus omnibus decimam illis portionem dabant omnes, et hic erat illis proventus. Nec fas erat ex ulla alia tribu sacerdotem unquam fieri. Ex hac enim tribu factus est Aaron, nimirum de tribu Levi, ac per successionem illius posteri sacerdotium accipiebant, neque quisque unquam sacerdos ex alia tribu creatus est. Ili itaque Levitæ decimas ab illis accipiebant, et sic alebantur. Sed ante Jacob, sub Isaac, sub Abraham, cum nondum esset Moyses, nondum scripta Lex, nondum leviticum sacerdotium esset proditum, non tabernaculum, non templum esset, non tribus discretæ, non Jerusalem extaret, cum nullus omnino in Judæos rerum principatum occupasset; fuit quidam Melchisedech sacerdos Dei altissimi. Hic Melchisedech erat rex idem et sacerdos : typus enim futurus eratChristi, cujus et Scriptura manifeste meminit. Cum enim Abraham Persas adortus, fratris filio Lot ex illorum

manibus erepto, omnibus spoliis direptis rediret, hostibus virtute devictis; hunc in modum de Melchisedech loquitur Scriptura : « Et Melchisedech rex Salem obtulit » panem ac vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi, et » benedixit Abrahæ, dixitque : Benedictus es, Abraham, » Deo altissimo, qui creavit cœlum et terram, et benedic- » tus Deus altissimus, qui tradidit inimicos tuos in manus » tuas. Et dedit illi decimas ex omnibus Abraham [1]. » Si quis igitur Prophetarum extitit, qui dicat, quod post Abraham, postque sacerdotium illud, et hæc sacrificia atque oblationes, exoriturus esset sacerdos alius, non ex illa tribu, sed ex alia, ex qua nunquam creatus est sacerdos, non secundum ordinem Aaronis, sed secundum ordinem Melchisedech : manifestum est, quod vetus sacerdotium cessavit, aliud autem novum in illius locum inductum est. Nam si futurum erat, ut vetus illud obtineret, non secundum ordinem Melchisedech, sed secundum ordinem Aaron oportuit dici. Quis igitur hoc dicit? Ille ipse qui de sacrificiis locutus, de Christo disserens hoc quoque alicubi dixit : « Dixit Domino meo : Sede a dextris meis. »

V. Deinde ne quis de vulgarium hominum aliquo suspicaretur illud esse dictum, non dicit hoc Hesaïas, neque Jeremias, neque quisquam alius Propheta privatæ conditionis, sed ipse rex : ut intelligeres, quod non possit rex hominem appellare suum Dominum, sed Deum solum. Nam si privatus fuisset, fortassis aliquis impudens dixisset illum de homine loqui : nunc cum rex fuerit, hominem non appellaverit Dominum suum. Quomodo enim si de quopiam vulgarium hominum hæc locutus fuisset David dixisset, quod etiam a dextris consedisset ineffabilis ac summæ illius majestatis? Hoc enim impossibile. De hoc vero ait : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris

[1] Gen. XIV, 18-20.

» meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo-» rum[1]. » Deinde ne putares eum imbecillem esse minusque potentem; « Tecum, inquit, principatus est in diebus » potentiæ tuæ. » Manifestius etiam declarans, addidit : « Ex utero ante Luciferum genui te. » Ante Luciferum autem nullus hominum fuit genitus. « Tu sacerdos in æter-» num secundum ordinem Mechisedech[2]. » Non dixit, secundum ordinem Aaron. Proinde percontare Judæum, si sacerdotium vetus non erat antiquandum, quam ob causam induxit alium sacerdotem secundum ordinem Melchisedech? ad hunc igitur ipsum locum perveniens Paulus, vide quomodo illum evidentiorem reddiderit, cum enim dixisset de Christo, quemadmodum et alibi loquitur, « Tu » sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech : » subjunxit, « De quo multus nobis sermo, et enarratu dif-» ficilis. » Deinde cum increpasset Discipulos, ut paucis dicam, ait quis ille sit Melchisedech; et adducit historiam, ita narrans: « Hic occurrit Abrahæ revertenti a con-» cisione regum, benedixitque illi, cui et decimas de » omnibus impartitus est Abraham[3]. » Post aperiens considerationem figuræ : « Contemplamini autem quantus sit » iste, inquit, cui etiam decimas de omnibus impartitus » est Abraham patriarcha[4]. » Hoc autem non sine causa dixit, sed ostendere cupiens multo majus esse sacerdotium nostrum quam Judæorum. Atque in ipsis typis prius rerum excellentia declaratur. Nam Abraham Isaaci erat pater, avus Jacobi, proavus Levi, siquidem Jacobi filius erat Levi. Ex Levi sacerdotium apud Judæos sumpsit originem. Verum hic Abraham progenitor Levitarum ac judaïcorum sacerdotum, sub Melchisedech, qui typum gerebat nostri sacerdotii, laïci locum obtinuit; idque duplici modo declaravit; primum quod illi dederit decimas: nam laïci sacerdo-

[1] Psal. cix, 1. — [2] Hebr. v, 6. — [3] Id. vii, 2. — [4] Ibid. 4.

tibus dabant decimas; deinde quod benedictionem acceperit ab eo : etenim laïci a sacerdotibus benedictionem accipiunt. Rursum considera quanta sit excellentia nostri sacerdotii, quando Abraham patriarcha Judæorum, progenitor Levitarum, comperitur benedictionem accipere a Melchisedech, illique dare decimas. Nam utrumque narrat Vetus Testamentum, et quod Melchisedech benedixerit Abrahæ, et quod decimas ab eo acceperit. His igitur ipsis in medium adductis Paulus dicebat : « Considerate quantus est iste? » Quis? « Melchisedech, inquit, cui etiam decimas Abraham ex » præcipuis dedit, ipsorum Patriarcha. Et quidem ii qui » sunt ex filiis Levi, sacerdotium accipientes, mandatum » habent, ut decimas accipiant a populo, hoc est, a fratri» bus suis, quanquam egressis e lumbis Abrahæ[1]. » Quod autem dicit, tale est. Levitæ, inquit, qui apud Judæos sunt sacerdotes, mandatum acceperunt juxta Legem, ut decimas acciperent ab aliis Judæis, tametsi omnes progeniti sunt ex Abraham, tam Levitæ, quam reliquus populus : nihilominus decimas accipiunt a fratribus suis. Melchisedech vero, qui non ducit originem ab illis, neque enim ex Abraham progenitus erat, neque ex tribu levitica, sed ex alio genere, decimavit Abraham, hoc est, decimas accepit ab Abraham, nec id solum, verum et aliud quiddam fecit : eidem qui promissiones habebat, videlicet Abrahamo, benedixit. Et quid hoc, inquis, significat? Quod hic illo multo sit inferior. Quomodo? « Citra om» nem controversiam quod minus est a majore benedic» tionem accipit[2]. » Itaque nisi Abraham progenitor Levitarum fuisset inferior Melchisedech, nequaquam illi hic benedixisset, neque huic ille decimas dedisset. Deinde volens ostendere per Melchisedech hoc advenisse, subjecit dicens : « Et ut ita loquar : » hoc est, propemodum, « Per

[1] Hebr. VII, 4-6. — [2] Ibid. 7.

» Abraham etiam ipse Levi, qui decimas accipit, decima-» tus est. » Quid est, decimatus est? Decimas dedit Melchisedech et ipse Levi, qui nondum erat genitus per patrem ipsius, inquit. « Adhuc enim in lumbis patris erat » cum occurreret Abrahæ Melchisedech. » Nam ideo hoc occupans dixit, « Ut ita loquar. » Cur hæc diceret subjicit : « Si consummatio igitur erat per leviticum sacerdo-» tium; populus enim sub illo legem accepit; quid opus » erat deinde secundum ordinem Melchisedech exoriri » alium sacerdotem qui non dicatur juxta ordinem Aa-» ron[1] ? » Quid autem est quod dicit? Si res, inquit, erant perfectæ, quæ gerebantur apud Judæos, neque Lex erat umbra futurorum bonorum, sed ipsa totum efficiebat, nec futurum erat, ut cuiquam alteri cederet, neque ut sacerdotium prius cessaret, alterumque induceretur, cur Propheta dixit: « Tu es sacerdos in æternum, secundum or-» dinem Melchisedech ? » Dicendum enim erat secundum ordinem Aaron. Idcirco ait: Si consummatio per Leviticum sacerdotium erat, quid deinde opus erat secundum ordinem Melchisedech exoriri sacerdotem alium, qui non diceretur secundum ordinem Aaron? Ex hoc enim liquet illud sacerdotium finem accepisse, et aliud in illius locum inductum esse multo melius ac sublimius. Hoc autem evicto, simul et illud in confesso est alium etiam vitæ statum sacerdotio congruentem, simul inducendum fuisse, necnon legem meliorem, nimirum nostram. Quod sane demonstrans Paulus dicebat : « Translato enim sacerdotio, neces-» sario fit et Legis translatio, et horum conditor est unus. » Quia enim pleraque legalia circa sacerdotii ministeria consistebant; prius autem sacerdotium profligatum est, nimirum alio in illius vicem inducto, legislationem etiam meliorem in illius locum induci oportuit. Posthæc declarans, de quo

[1] Hebr. VII, 11.

hæc dicat, ait : « De quo enim dicuntur hæc, alterius tri-» bus particeps fuit, ex qua nullus vacabat altari. Mani-» festum est enim quod ex Juda exortus est Dominus nos-» ter, in quam tribum nihil de sacerdotio Moyses locutus » est[1]. » Dum igitur clarum sit Christum ex illa esse tribu, nimirum ex Juda, et sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, porro Melchisedech esse multo honorabiliorem Abrahamo : nimirum et illud undequaque constat quod etiam aliud pro alio inducitur sacerdotium multo eo, quod prius fuerat, sublimius. Nam si typus talis etiam judaïco sacerdotio splendidior erat, multo magis ipsa veritas, quod tractans idem dixit : « Amplius adhuc manifes-» tum est, si secundum similitudinem Melchisedech exoritur » alius sacerdos qui non sit juxta legem præcepti carnalis, » sed juxta virtutem vitæ indissolubilis[2]. » Quid est non juxta legem præcepti carnalis, sed juxta virtutem vitæ indissolubilis? Quod nullum illius præceptum esset carnale. Non enim oves mactare neque vitulos jussit; sed per virtutem animi Deum colere : et horum præmia vitam nobis designavit, quæ nunquam corrumpetur. Ac rursum mortuos nos sub peccatis veniens suscitavit, destructa duplici morte, altera peccati, altera carnis. Quoniam igitur talia nobis bona afferens venit, ideo dicit : « Non juxta legem carna-» lis præcepti, sed juxta virtutem vitæ indissolubilis. »

VI. Jam igitur et illud quod restabat, simul demonstratum est, translato sacerdotio, Legis quoque translationem fieri par esse. Attamen et hoc ipsum expresse licebat demonstrare, Prophetasque testes rursus adducere dicentes Legem esse transferendam, et reipublicæ statum in melius transmutandum, et nunquam regem aliquem Judæum exoriturum. Verum quoniam tantum est dicendum, quantum auditor possit capere; nec omnia simul,

[1] Hebr. VII, 12-14. — [2] Ibid. 15.

nec acervatim : illis in aliud tempus reservatis, hic sermonem finiemus, exhortantes Vestram Charitatem, ut memineritis eorum quæ dicta sunt, et hæc illis, quæ prius dicta sunt, annectatis, quodque prius rogavimus, idem et nunc rogamus, ut fratres vestros reducatis ad salutem, et multam sollicitudinem habeatis pro membris neglectis. Propter hoc enim nos tantum laborem suscipimus ; non ut frustra loquamur, neque ut plausum strepitumque referamus : sed ut avulsos ad viam veritatis reducamus. Ac ne quis mihi dicat : Nihil mihi cum eo est negotii, utinam contingat mihi mea ipsius negotia recte gerere. Nemo suum ipsius negotium recte gerere potest, neglecta proximi dilectione et salute : ideo et Paulus ait : « Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alte» rius [1] : » sciens, quod sua cujusque utilitas in proximi utilitate sita est. Sanus es tu, sed frater tuus infirmatur. Itaque si vere sollicitus fueris pro ægrotante, magis dolebis, et imitaberis in hoc quoque Beatum illum qui dicit : » Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandaliza» tur, et ego non uror [2] ? Etenim si cum duos obolos dederimus, paulumque pecuniæ insumpserimus in pauperes, gaudemus ; si poterimus animas servare, quanto majorem voluptatis fructum capiemus ? quantam autem in futuro sæculo recipiemus mercedem ? Nam hic quoque quoties convenimus, multam capiemus voluptatem ex congressu, reminiscentes officiorum, quæ illis præstitimus. Deinde cum illos conspexerimus ad tribunal illud metuendum, multæ fiduciæ participes erimus. Et quemadmodum qui injuria afficiunt, qui usurpant aliena, qui rapiunt, qui mala innumera proximis inferunt, cum illuc venerint, eosque viderint, qui hæc passi sunt ; videbunt enim haud dubie, ut perspicuum est et ex divite illo et Lazaro ; neque os aperire

[1] 1 Cor. x, 34. — [2] 2 Cor. xi, 38.

poterunt, neque habebunt, quod dicant, aut excusent; sed multo pudore magnaque condemnatione repleti, ex illorum aspectu ad ignea flumina adducentur. Itidem qui salutem aliorum curant, qui docent, qui instituunt, ubi viderint eos quos servaverunt, illic patrocinantes ipsis, multa fiducia replebuntur. Et hoc Paulus declarans dixit : « Glo» ria vestra sumus, quemadmodum et vos nostra. Quando » hoc? In die Domini nostri Jesu Christi[1]. » Ac rursus Christus exhortatur, dicens : « Facite vobis amicos ex » mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos » in æterna sua tabernacula[2]. » Vides multam fiduciam nobis præstari ab iis, quos hic nostro beneficio juverimus. Quod si ubi pecunia duntaxat insumitur, tot sunt coronæ, tanta merces, tanta remuneratio : ubi juvatur anima, quî fieri potest, ut non multa magnaque nobis contingant bona? Etenim si Tabitha illa, quæ viduas vestiebat[3], quæ paupertati subveniebat, a morte in vitam revocata est, et lacrymæ earum qui beneficiis affecti fuerant, animam in corpus reduxerunt, cum nondum venisset ressurrectio : quid facient hominum per te servatorum lacrymæ? Sicut enim hanc circumstantes viduæ vivam ex mortua reddiderunt; sic et te tunc circumstantes qui nunc per te servati fuerint, efficient ut multam experiaris humanitatem, et ex incendio gehennæ eripient. Hæc igitur scientes, non ad præsentem horam tantum fervidi simus et vigilantes, sed ignem, quem habetis nunc, accendite; egressique foras, distribuite salutem civitatis. Quod si ignoretis, perquirite eos, qui his malis ægrotant. Sic enim et nos vobis promptius libentiusque loquemur; ipsis factis cognoscentes, nos non in petram semen jecisse, et vos ipsi circa virtutis exercitationem eritis alacriores. Quemadmodum enim in pecuniis, qui duos lucratus est aureos, proclivis est ad

[1] 2 Cor. I, 14. — [2] Luc. XVI, 9. — [3] Act. IX, 36.

decem, et ad viginti colligendos congregandosque : sic usuvenit et in virtute : qui fecerit bonum aliquod opus, officiumque præstiterit, extimulationem inde aliquam aut exhortationem ad agendum sumit, ut alia quoque benefacta aggrediatur. Ut igitur et fratres servemus, et nobis veniam pro peccatis, imo potius multam fiduciam reponamus, denique curemus et illud, ut ante cætera omnia nomen Dei glorificetur; cum uxoribus, liberis, et famulis ad hunc venatum et indaginem egressi, extrahamus e diaboli laqueis captos ab illo, secundum ipsius voluntatem : nec prius desistamus, quam quidquid per nos præstari poterit, præstiterimus, sive pareant, sive non pareant. Quin potius impossibile est, ut Christiani cum sint, non pareant. Sed ne vel hanc excusationem habeatis, illud dico, si postquam multa verba effuderis, et quidquid per te præstari poterit, expleveris, videris illum non obtemperare; adducito ad sacerdotes, et omnino per Dei gratiam potientur venatu, totumque tuum erit, qui illum manu duxeris. Hæc et uxoribus viri dicite, et uxores viris, et patres filiis, et amici amicis. Discant hæc Judæi, et ii qui nobis quidem conjuncti videntur, sed cum illis sentiunt nobis aliquod studium esse, ac sollicitudinem, vigilantiamque pro fratribus nostris ad illos ultro currentibus. Et omnino ante nos, illos corrigent, qui cum nostræ professionis sint, tamen illo commeant. Quin potius nemo posthac ausurus est ad illos confugere, sed erit corpus Ecclesiæ purum. « Deus autem, qui vult omnes homines fieri salvos, » et ad agnitionem veritatis venire[1], » et vos ad istum venatum corroboret, et illos ab hoc errore liberet. Denique cunctos ad salutem revocatos dignos reddat cœlorum regno, in gloriam suam, quia ipsi convenit gloria et potentia in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Tim. II, 4.

ORATIO VIII.

Contra Judæos.

I. Præteriit jejunium Judæorum, imo potius ebrietas Judæorum. Est enim et absque vino ebrietas, est et in sobrietate temulenta luxuriosaque comessatio. Quod si nemo posset absque vino temulentus esse : nequaquam Propheta diceret : « Væ iis qui ebrii sunt, et non a vino[1]. » Si non esset sine vino ebrietas, non dixisset Paulus : « Nolite inebriari vino[2]. » Nam ac si possit absque vino quis inebriari, dixit : « Nolite inebriari vino. » Est enim ebrietas et in ira et in absurda concupiscentia, et in avaritia, et in amore gloriæ, denique in aliis innumeris affectibus. Ebrietas enim nihil aliud est, quam excidisse a recta ratione, deliratioque, et sanæ mentis privatio. Non solum igitur qui multum exhaurit merum, verumetiam qui alium quempiam morbum alit in animo, vehementer ebrius esse judicabitur. Etenim qui mulieris alienæ tenetur amore, qui scortis vacat, ebrius est. Et sicut is, qui multum ebibit merum, et transversus agitur, illiberales voces effundit, aliudque pro alio videt : sic et hic veluti mero quopiam, sua cupiditate repletus, neque sana profert verba ; sed obscœna omnia, sed perniciosa, sed illiberalia, risusque plena; aliaque pro aliis videt cæcutiens ad ea quæ cernuntur. Quod si cui mulieri stuprum inferre concupiscit, hanc ubique imaginans, non aliter quam mente captus ac delirans, in conventiculis, in conviviis, omni tempore, in omni loco; etsi innumera hominum millia ipsum allo-

[1] Isaï. xxix, 9. — [2] Ephes. v, 18.

quantur, ne audire quidem videtur, sed ad illam tantum intentus est animus, nec aliud somniat, quam peccatum; habet suspecta omnia, metuit omnia; nihilo melior animali perculso et attonito. Rursusque, quem tenet ira ebrius est: similiter et huic turget facies, vox fit asperior, oculi fiunt sanguinolenti, mens obtenebratur, prudentia submergitur, lingua tremit, oculi intorquentur, aures alia pro aliis audiunt: nimirum ira longe gravius, quam ullum merum soleat, percellente cerebrum, tempestatem concitante, turbationemque gignente insedabilem. Quod si concupiscentia et ira correptus, ebrius est: multo magis homo impius, et in Deum blasphemus, illiusque legibus repugnans, quique hanc intempestivam pertinaciam nunquam vult effugere, ebrius sit, insanitque, deterius affectus, quam ii qui helluantur, quique mente capti sunt, licet ipse morbum suum non sentire videatur. Nam id maxime convenit ebrietati, etiam nullo sensu affici, cum turpiter agitur. Quemadmodum igitur illud est gravissimum in mente captis, quod cum ægrotent, nec hoc ipsum sentiant, se esse ægrotos: sic et Judæi nunc, cum sint ebrii, id non sentiunt tamen. Præteriit igitur illorum jejunium, quavis ebrietate fœdius: nos autem ne remittamus pro fratribus nostris sollicitudinem, neque posthac existimemus ullam illorum curam esse importunam. Sed quemadmodum faciunt milites, ubi commisso prælio verterint in fugam adversarios, ab insectatione redeuntes non protinus currunt ad tabernacula; sed prius ad conflictus locum profecti, tollunt eos qui ex ipsorum numero cæsi sunt: ac vita quidem defunctos, terra occulunt: cæterum si quos viderint intermortuos spirantes adhuc, nec letale vulnus habentes, iis in tentoria sublatis, multam adhibent curationem, extractoque telo accersitis medicis, absterso sanguine, remediis adhibitis, reliquaque omni curatione admota, ad

sanitatem reducunt. Et nos igitur quoniam, opitulante Dei gratia, Judæos persecuti sumus armatis adversus illos undequaque Prophetis ; reversi nunc videamus, num qui fratrum nostrorum ceciderint ; num qui ab jejunio intercepti sint ; num qui illis in festo communicaverint? Ac neminem quidem tradamus sepulturæ ; sed potius sublatos omnes curemus. Nam in externis quidem prœliis, qui semel ceciderit, animamque efflarit : non potest a milite recuperari, et ad vitam revocari. Cæterum in hoc bello prœlioque, etiamsi quis letale vulnus acceperit, fieri potest, ut auxiliante nobis Dei gratia, cum ad vitam reducamus. Non enim hæc naturæ mors est, quemadmodum illa, sed voluntatis ac propositi. Voluntatem autem mortuam licet denuo suscitare, animæque mortuæ persuadere licet, ut ad suam vitam redeat, suumque dominum agnoscat.

II. Agite, ne defatigemur, fratres, neque delassemur, neque animis cadamus, neque quisquam mihi verba illa dicat, quod ante jejunium illis cavere oportuerit, omnemque movere lapidem : nunc vero postquam jejunatum est, postquam peccatum admissum est, postquam iniquitas consummata est, quæ superest utilitas? Etenim si quis novit, quid sit fratri consulere ; novit et illud, quod nunc potissimum oporteat admovere manus, omneque studium impendere. Neque enim tantum ante peccatum admissum convenit fratris saluti cavere, verum et post lapsum manus porrigendæ sunt. Etenim si Deus ab initio fecisset istud, tantumque nobis consuluisset ante peccatum, post peccatum autem neglexisset hominem, passusque fuisset perpetua in ruina jacere, nullus neque nostrum unquam salutem fuisset consecutus. Verum hoc non facit Deus, quippe amans humani generis ac mitis, nostræque salutis cupidissimus. Quin et post peccata multam præstat sollicitudinem, quandoquidem et Adæ cavit ante peccatum,

dicens : « Ex omni ligno quod est in paradiso comedens » comedes ; ex ligno vero cognitionis boni malique non » comedetis. Sed quocumque die comederitis morte moriemini [1]. » Ecce et facilitate legis, et largitate concessorum, et acerbitate supplicii, et ipsa celeritate ultionis prospexit, ne peccaret. Non enim dixit : Post unum aut duos tresve dies, sed in ipso die quo comederitis, morte moriemini. Denique cunctis quibus cavere oportuit modis, cavit homini. Attamen ubi post tantam providentiam, doctrinam, exhortationem, beneficentiam lapsus est, nec obtemperavit jussis divinis : non dixit Deus : Quid hoc proderit? quæ utilitas inde? comedit, cecidit, transgressus est legem, credidit diabolo : despexit præceptum meum, accepit vulnus, mortuus est, neci traditus est, in damnationis sententiam incidit : quid posthac est, quod illi loquamur? Nihil horum dixit, sed protinus ad illum venit, allocutus est, consolatus est, ac rursus aliud admovit remedium, videlicet laborem ac sudorem, nec prius destitit omnia facere, conari omnia, donec naturam collapsam restituisset, atque a morte liberasset, et ad cœlum provexisset, majoraque quam perdiderat homini bona dedisset : Factis ipsis docens diabolum, quod his insidiis nihil profecisset : sed quod homines ejectos e paradiso, paulo post visurus esset in cœlis Angelis permixtos. Idem fecit in Caïn ; siquidem et illius, priusquam peccaret, caverat saluti dicens; « Peccasti, quiesce, ad te conversio illius, et tu illi domi» naberis [2]. » Vide sapientiam prudentiamque Dei. Hoc metuis, inquit, ne te frater spoliet prærogativa primogenitorum, propter honorem, quo ipsum affeci; ne principatum sibi usurpet tibi debitum. Nam primogenitos posterius genitis oportebat honorabiliores esse. Bono, inquit, animo sis, ne metue, neque hac de causa despondeas

[1] Gen. II, 16. — [2] Id. IV, 7.

animum : « Ad te conversio ejus, et tu dominaberis illi. » Quod autem dicit, hunc habet sensum : Mane in honore primogeniti, et esto fratri tuo refugium, umbraculum, ac patrocinium; imperaque, ac dominare illi. Tantum ne ad parricidium prosilias, neque ad impiam illam erumpas cædem. Verum ne sic quidem auscultavit, neque conquievit : sed cædem illam perpetravit, dexteram in fraternum immisit jugulum. Quid igitur ? Num dixit Deus, Sinamus illum in posterum? Quid posthac erit lucri? Perpetravit parricidium, mactavit fratrem, contempsit admonitionem meam, insanabile minimeque condonandum homicidium ausus est perpetrare, talique ac tanta dignatus sollicitudine mea, doctrina, et consilio : cuncta illa pepulit ex animo, nec ulla ratione conversus est. Deseratur igitur in posterum, ac projectus esto, nec ullo meo respectu dignus habeatur. Nihil tale Deus dixit, vel fecit : sed ad illum venit denuo, et corrigit hominem : dicens; « Ubi est Abel » frater tuus? » Ac ne inficiantem quidem deserit, sed vel invitum adigit ad facinoris confessionem. Cumque dixisset, « Nescio; ait : Vox sanguinis fratris tui clamat ad me » de terra. » Ipsæ, inquit, res prædicant te homicidio inquinatum. Quid ille? « Majus est peccatum meum, quam ut » mihi remittatur, et si ejicias me de terra, etiam a facie » tua occultabor [1]. » Hujus sermonis sententia sic habet, graviora quidem commisi, quam ut veniam mereantur, aut excusari possint, aut condonanda sint, sed si velis ulcisci quod factum est, omnibus objiciar tuo auxilio destitutus. Quid igitur Deus? « Non sic, inquit, quisquis occi » derit Caïn, septem vindictas persolvet [2]. » Ne metuas, inquit, hoc, vives longam vitam, ac si quis te occiderit, obnoxius erit multis suppliciis. Nam septenarius numerus in Scripturis infinitæ multitudinis significationem habet.

[1] Gen. IV, 9, 10. — [2] Ibid. 14.

Quoniam igitur Caïn multis suppliciis obnoxius erat, anxietati, tremori, suspiriis, mœrori, dissolutioni corporis: Qui occiderit, inquit, te, et ab illis vinculis liberarit, ipse in se vindictas accerset. Ac videtur quidem id quod dicitur, vehementer atrox esse, cum contra declaret Domini benevolentiam. Etenim Deus volens posteros ad temperantiam adducere, tale supplicii genus excogitavit, quod Caïn a peccato posset liberare. Nam si protinus illum interfecisset; abiisset quidem peccatum in sese rectum ferens, neque posteris ullo pacto fuisset cognitus. Nunc autem permissus multo tempore vivere in illo tremore, docuit obvios omnes ipso aspectu, vacillationeque carnis, exhortans, ne quando similia auderent, ne similia paterentur, simul et ipse redditus est melior. Nam tremor et timor ac vita cum anxietate peracta, corporisque dissolutio, veluti vinculo quopiam constrinxit illum, neque permisit denuo ad simile facinus prorumpere, et prioris assidue commonefecit, et interim ipsius animam moderatiorem reddidit.

III. Sed hæc loquenti mihi venit in mentem, ut in medium adducam, quæramque quamobrem tandem, cum peccatum suum esset confessus, factumque damnasset, dicens se majora peccasse, quam ut veniam mereretur, nullaque excusatione se dignum esse, non potuerit abluere peccata; cum Propheta dicat, « Dic tu iniquitates tuas » prior, ut justificeris [1]; » sed condemnatus fuerit? Quoniam non dixit, ut jussit Propheta, non enim simpliciter dixit, Dic iniquitates tuas : sed quid? « Dic tu prior ini- » quitates tuas. » Quod quæritur, hoc est; non simpliciter esse dicendas, sed prius esse dicendas; non expectandam redargutionem accusantis. Ilic autem non dixit prior; sed expectavit, donec redargueretur a Deo : quin potius, illo

[1] Isaï. XLIII, 26.

redarguente, negavit. Postquam autem semel factum est peccatum palam; tum dixit peccatum; quæ quidem non est jam confessio. Proinde tu quoque, dilecto, cum peccaveris, ne expectaris, ut ab alio accuseris; sed priusquam accuseris ac deferaris, tu condemna quæ facta sunt. Nam si quis alius deinde te redarguerit, non jam tuæ confessionis est officium, sed illius qui accusat correctio. Quapropter et alius quispiam inquit; « Justus sui ipsius accu»sator est in principio sermonis [1]. » Itaque non hoc est quod quæritur, ut accuses te ipsum; sed ut prior te ipsum accuses, nec expectes ab aliis redargutionem. Petrus itaque post gravem illam negationem, quoniam celeriter suum ipsius peccatum recordatus est, nulloque accusante dixit peccatum, flevitque amare : sic abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit [2]. Sed quod dicebam : nam oportet ad id quod propositum est reverti; satis nobis ex his demonstratur, non oportere fratres lapsos negligere, neque contemnere, verum prospicere quidem illis ante peccatum, cæterum etiam post peccatum multam erga illos præstare curam. Itidem faciunt et medici, præscribunt enim ac præcipiunt hominibus quæ possunt illorum valetudinem tueri, omnemque morbum excludere: cæterum ubi neglexerint præscripta, et in valetudinem adversam inciderint, non negligunt eos ipsi, sed tum maxime multam adhibent sollicitudinem, quo illos morbo levent. Idipsum et Paulus fecit, qui eum qui stuprum commiserat [3], post illud peccatum, quod ne inter gentes quidem inveniebatur, non contempsit: verumetiam frenos respuentem, nec medicinam admittere volentem, lascivientem, ac resilientem, reduxit ad sanitatem : et ita reduxit, ut conjungeret rursum corpori Ecclesiæ. Neque

[1] Prov. XVIII, 17. — [2] Matth. XXVI. — [3] 1 Cor. V.

dixit apud sese : Quid hoc proderit? quæ hinc utilitas? stuprum commisit, peccatum perpetravit, nec vult desistere a lascivia; verum et inflatus est, et sibi placet, et immedicabile vulnus reddit : sinamus igitur illum, ac deseramus. Nihil horum dixit : sed propter hoc ipsum maxime multa usus est erga illum sollicitudine, quod ad nefandam malitiam videret illum esse delapsum, neque cessavit terrere, minari, punire tum per sese, tum per alios complures, nihil non faciens, nihil non tentans, donec illum ad agnitionem peccati perduxisset, ad sensum iniquitatis, postremo donec ipsum liberasset ab omni macula. Hoc sane facito tu quoque, imitare Samaritanum illum, qui in Evangelio tantam erga vulneratum præstitit sollicitudinem. Etenim illic præteriit Levita, præteriit Pharisæus, ac neuter deflexit ad jacentem, sed inclementer crudeliterque relicto illo abierunt [1]. Samaritanus autem quispiam, qui nulla ex parte illi conjunctus erat, non prætercurrit, sed accurrens misertus est, instillavit oleum ac vinum, imposuit asino, duxit ad diversorium; pecuniam partim dedit præsentem, partim pollicitus est pro ejus, qui nihil ad ipsum pertinebat, curatione, nec dixit apud sese : Quæ mihi cura est istius? Samaritanus sum; nihil mihi cum illo; procul absumus a civitate, et ille ne ingredi quidem potest. Quid autem, si ferre non possit viæ longitudinem mortuum afferam? capiendus sum ob cædem, obnoxius ero homicidio? His sane de causis multi sæpe prætereuntes ac videntes homines vulneratos palpitantes, prætereunt; non quod graventur tollere, pecuniisque parcant; sed metuentes, ne et ipsi pertrahantur in judicium, tanquam cædis rei : verum humanus ille ac mitis nihil horum metuit, sed his omnibus contemptis imposuit eum asino, et in diversorium perduxit, neque quidquam harum rerum

[1] Luc. x, 10.

reformidabat, non periculum, non pecuniarum impendium, non aliud præterea quidquam. Quod si Samaritanus adeo humanus mitisque fuit erga hominem ignotum: quam habituri sumus nos veniam, si proprios fratres neglexerimus in malis gravioribus? Nam et isti, qui nunc jejunaverunt, inciderunt in prædones Judæos, imo verius omnibus prædonibus sæviores, quique gravioribus malis afficiunt eos, qui in eos incidunt. Neque enim vestes illorum lacerarunt, neque corpori inflixerunt vulnera, ut illi tunc fecerant : sed animam sauciarunt, infinitisque ipsi vulneribus inflictis, sic abierunt illos relinquentes in fovea impietatis jacentes.

IV. Ne igitur dissimulemus talem tragœdiam; neque prætereamus inclementer tam miserabile spectaculum. Quin etiamsi alii hoc fecerint, tu ne feceris. Ne dixeris apud temetipsum : Homo sum mundanus, uxorem et liberos habeo, ista sacerdotum sunt, ista monachorum. Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat. Ubi nunc sacerdotes? ubi nunc Pharisæi? Ubi Judæorum doctores? sed perinde quasi venatum quempiam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum videris aliquem egentem curatione, vel corporis, vel animæ, ne dicito apud te ipsum: Quare ille et ille eum non curaverunt? sed a morbo libera : neque rationes exigas ab illis negligentiæ. Si inveneris aurum jacens, num dicis apud te ipsum, Quare ille aut ille hoc non sustulerunt? sed festinas ante alios rapere? Itidem et de fratribus collapsis cogita, putatoque te thesaurum reperisse, nimirum curam illorum. Etenim si instillaveris illi velut oleum sermonis doctrinam, si ligaveris mansuetudine, si sanaveris tolerantia, ille te faciet ditiorem quovis thesauro. « Qui enim eduxerit pretiosum a vili, tanquam os meum erit [1], » inquit ille. Quid huic poterit

[1] Jerem. xv, 19.

æquiparari? Quod neque jejunium, neque humi peractæ cubationes, neque pervigilia, neque aliud quidpiam potest efficere; id efficit fratris procurata salus. Cogita quam multa tuum os frequenter peccaverit, quam multa verba obscœna protulerit, quam multa convicia, quam multa maledicta evomuerit, et omnino suscipies collapsi curam. Nam hoc uno benefacto omnem illam delere maculam poteris. Et quid dico delere? Facies ut sit os tuum sicut os Dei. Quid huic honori possit æquiparari? Non enim ego ista polliceor; ipse Deus hoc dixit. Si unum quempiam eduxeris, inquit, ut os meum, erit os tuum purum sanctumque. Ne igitur negligamus fratres, neque circumeuntes dicamus, quam multi jejunarunt, quam multi intercepti sunt, sed curam habeamus illorum. Etiamsi multi sint qui jejunarunt: tu, dilecte, ne evulges, ignominiæque exponas Ecclesiæ calamitatem; sed medere potius. Et si quis dixerit: Multi jejunarunt, obtura illi os, ne fama divulgetur, eique dicito: Ego neminem novi; deceptus es homo, fallerisque: cumque unum atque alterum interceptum videris, dicis illos esse multos. Ac delatori quidem impone silentium: cæterum eos qui intercepti sunt ne neglexeris: ut utrinque multa securitas contingat Ecclesiæ, tum ex eo quod fama non sit vulgata, tum quod eos ipsos interceptos ad sacrum gregem reduxeris. Ne igitur obambulantes referamus qui peccaverint; sed festinemus ut eos solum, qui peccarunt, corrigamus. Est enim prava consuetudo, tantum accusare fratres, nec illorum curam habere; vulgare mala infirmorum, nec mederi. Auferamus igitur hanc pravam consuetudinem, charissimi: neque enim ea mediocrem pestem invehit. Et quo pacto, ego dicam. Audivit aliquis ex te quod multi cum Judæis jejunaverint; nulloque præmisso examine alii id verbum aperuit: rursus ille parum attentus, alteri hoc ipsum elocutus est,

deinde paulatim hac mala fama increscente magnum quidem probrum effunditur Ecclesiæ : his vero qui perierunt, nulla affertur utilitas, quin potius gravissima noxa, tum his, tum aliis. Etiamsi enim pauci fuerint, nos tamen eos rumoribus multis multos facimus, et eos qui stant, imbecilliores reddimus : et eos, qui ad casum proclives sunt, impellimus. Frater enim audiens esse multos qui jejunarunt, ipse negligentior erit. Deinde rursus qui infirmior est, hoc audito, accurret ad multitudinem eorum, qui ceciderunt. Ne igitur vel super hoc, vel super alio quovis improbo facto gaudeamus, etiamsi multi fuerint peccatores, ita ut traducamus eos, ac dicamus multos esse, sed potius obturemus os, et coërceamus. Ne mihi dixeris, Multi sunt qui jejunarunt, sed, Multos illos corrige. Non ideo mihi consumptum est tantum verborum, ut accuses multos; sed ut ex multis facias paucos : imo potius ne paucos quidem, sed et hos ipsos etiam sanes. Ne itaque evulges peccata, sed sana. Sicut enim qui evulgant, et huic tantum rei vacant : etiamsi pauci fuerint qui peccaverunt, faciunt ut multi esse putentur : sic qui cohibent, ac silentium imponunt traductoribus, lapsorumque curam habent, etiamsi multi fuerint, et eos ipsos facile corrigunt, nec quempiam sinunt ex horum fama lædi. Non audisti, quod David deplorans Saülem, dixit : « Quomodo ceciderunt potentes? » Ne annuntiaveritis in Geth, neque prædicaveritis in viis » Ascalonis; ne lætentur filiæ alienigenarum, neque exul» tent filiæ incircumcisorum [1]. » Quod si ille rem manifestam noluit evulgari, ne adversariis gigneret voluptatem : quanto magis non oportet hæc efferre ad aures alienas : quin nec ad nostrorum aures : ut neque hostes audientes gaudeant, neque nostri, re cognita, concidant : sed oportet cohibere rumorem, et undequaque compescere. Ne

[1] 2 Reg. 1, 20.

mihi dixeris, Hoc illi dixi : apud te ipsum contine verbum. Sicut enim tu non potuisti tacere, ita nec ille poterit hæc apud sese continere.

V. Hæc non de hoc præsente tantum jejunio dico, sed de cæteris etiam innumerabilibus peccatis. Ne hoc consideremus tantum, an multi sint abrepti : sed illud consideremus, quomodo illos reducamus. Ne exaggeremus res hostium, ac nostras dejiciamus : ne illos potentes ostendamus, nostras vero res imbecilles ; sed omnia potius in contrarium faciamus. Novit etiam fama sæpe vel dejicere, vel erigere animum, et alacritatem, quæ non fuit, injicere ; et eam, quæ fuit, rursum dissolvere. Ideoque moneo, ut illos rumores augeamus, qui res nostras attollunt, magnasque videri faciunt : non autem illos qui toti fratrum sodalitati dedecus offundunt. Quod si quid audierimus boni, apud omnes proferamus : si quid vero mali pravique, apud nos ipsos occultemus, idque ut tollamus, nihil non faciamus. Nunc igitur obambulemus, curiose scrutemur, contemplemur eos, qui lapsi sunt : etiamsi in ædes oporteat ingredi, ne gravemur. Quod si ignotus fuerit, nec ulla ex parte ad te pertinens, is qui cecidit ; scrutare, esto curiosus, quem habeat amicum aut necessarium, et cui maxime obtemperet, hoc assumpto, ingredere in ædes, ne te pudeat, neque erubescas. Si ingredereris pecuniam postulaturus, aut beneficium accepturus ab illo, æquum erat erubescere : si vero pro illius salute curras, occasio introitus omni te liberat crimine. Asside sane, loquere cum illo, aliis de rebus facto sermonis exordio, quo correctio careat suspicione. Dic mihi, laudas-ne Judæos eo quod Christum crucifixerint, quodque eum hodie conviciis afficiant, et Legis transgressorem appellent ? Profecto non sustinebit, si fuerit Christianus, etiamsi millies judaïzet, non sustinebit dicere, Laudo : sed obturabit aures, dicet-

que tibi, Absit; bona verba quæso. Dein cum eum hac in re tecum consentientem compereris, rursus assumito, dicens: Quomodo igitur cum illis, dic mihi, communicas? quomodo particeps es festi? quomodo cum illis jejunas? Posthæc accusa illorum improbitatem, expone omnem iniquitatem, quam superioribus diebus narrabam apud Vestram Charitatem, a loco, a tempore, a templo, a prædictione Prophetarum redargui. Ostende quomodo frustra et incassum omnia faciunt, nec unquam ad pristinum statum redituri sunt, quodque fas illis non est extra Jerosolymam quidquam tale facere. Adhæc commonefacias gehennæ, formidandi tribunalis Domini, quæstionum quæ illic habentur, quodque illorum omnium reddituri sumus rationem; et ultio quædam non parva reposita est eis, qui talia audent. Commonefacito et Pauli dicentis; « Quicum-» que in Lege justificamini, gratia excidistis[1]: » et rursus comminantis; « Si circumcidamini, Christus nihil vobis » proderit[2]. » Dicitoque, quod quemadmodum circumcisio, ita et jejunium judaïcum e cœlis expellit jejunantem, etiamsi habuerit alia innumerabilia benefacta. Dic quod Christiani propter hoc vocamur et sumus, ut Christo pareamus, non ut ad hostes curramus. Quod si prætexat curationes aliquas, dicatque tibi, Pollicentur remedium, et ideo ad illos curro, patefacito illorum imposturas, incantationes, amuleta, veneficia. Neque enim alio modo videntur mederi, neque vere medentur, absit. Quin ego quidem illud longe mirabilius dicam, etiamsi vere sanarent, satius tamen esse emori, quam ad Dei hostes accurrere, itaque sanari. Quid enim prodest curare corpus, anima pereunte? Quid autem lucri, si quid solatii hic nanciscamur, mox conjiciendi in ignem æternum? Nam, ne dicerent ista, audi quid dicit Deus: « Si extiterit propheta in te, aut

[1] Gen. v, 4. — [2] Galat. v, 2.

» somnium somnians, edideritque signum ac prodigium, » eveneritque signum ac prodigium quod locutus est, di- » xeritque: Eamus et serviamus diis aliis: non auscultа- » bis prophetæ illi; quoniam tentat vos Dominus Deus, » an diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro » et ex tota anima vestra[1]. » Quod dicit tale est: Si quis, inquit, propheta dixerit, Possum excitare mortuum, aut mederi cæco: sed obtemperate mihi et adoremus dæmones, aut immolemus idolis. Deinde si, qui hæc loquitur, possit mederi cæco aut excitare mortuum, nec ista præstanti credideris, inquit, cur? eo quod Deus tentans te, permisit ut ille hoc possit: non quod ille non nosset tuum animum, sed ut tibi probationis occasionem exhiberet, an vere diligeres Deum. Est autem amantis, etiam si exanimes ad vitam revocent, qui nos conantur ab amato distrahere, nequaquam tamen ab amato deficere. Quod si hæc dixit Judæis, multo magis nobis, quos ad majorem philosophiam deduxit, quibus resurrectionis ostium aperuit, quibus præcipit, ne in rebus præsentibus sistamus amorem, sed spes omnes ad vitam futuram transferamus.

VI. Sed quid dicis? Affligit te premitque corporis morbus? Atqui nondum tanta passus es, quanta beatus ille Job, imo ne minimam quidem partem malorum illius. Siquidem postquam simul interiissent greges et armenta, cum cæteris omnibus abreptus est liberorum totus chorus, eaque omnia uno die peracta sunt: ut non modo natura calamitatum, verumetiam continuitas dejicere posset athletam. Post hæc omnia, vulnus in corpore accepit letale, vidit vermes toto undique corpore scatentes, nudusque sedit in sterquilinio, publicum iis qui aderant calamitatis spectaculum, ille justus, ille verax, ille pius, ille ab omni malo opere abstinens. Ne hic quidem erat malo-

[1] Deut. XIII, 1-3.

rum finis: sed dolores addebantur diurni pariter ac nocturni; novaque quædam et inexpectata illum fames oppugnabat. «Fœtorem, inquit, video cibum meum[1], » probra quotidiana, subsannationes, scommata, risus. Nam famuli, inquit, mei, et concubinarum mearum filii insurrexerunt adversum me, et in somnis terrores, cogitationum perpetua quædam fluctuatio. Atqui uxor consilium dedit, ut ab his omnibus malis liberaretur, ita loquens. « Dic aliquod » verbum adversus Dominum, ac morere[2]. » Dic, inquit, blasphemiam, et ab urgentibus malis liberabere. Quid igitur? Num subvertit sanctum illum virum mulieris consilium? Imo contrarium fecit, magisque illum corroboravit; sic etiam ut increparet uxorem. Potius enim duxit majoribus affici cruciarique doloribus, innumeraque perpeti mala, quam blasphemia ulla tantorum malorum relaxationem consequi. Itidem et ille, qui triginta octo annis detentus fuerat in infirmitate sua, singulis annis currebat ad piscinam, et singulis annis repellebatur, nec assequebatur sanitatem; sed quotannis conspiciebat alios sanari, quod multos haberent, a quibus curarentur; se vero destitutum aliorum auxilio, in perpetua manere paralysi. Nec sic quidem confugit ad vates, non adiit incantatores, non alligavit amuleta, sed expectavit divinam opem: ideo tandem admirandam quamdam et inauditam sanitatem adeptus est. Lazarus autem cum fame, cum morbo[3], cum solitudine per omnem vitam colluctatus est, non triginta et octo annos tantum versatus in his, sed per omne vitæ tempus. Sic igitur et expiravit in divitis ostio jacens, contemptus, irrisus, esuriens, canibus objectus pabulum. Sic enim illius corpus debilitatum erat, ut nec canes irruentes ulceraque illius lingentes posset abigere. Haud tamen quærebat incantatorem, non petala circumligavit, non expertus

[1] Job. VI, 7. — [2] Id. II, 9. — [3] Luc. XVI.

est præstigias, non veneficos ad se vocavit, nec aliud quidquam vetitarum artium tentavit, sed prius habuit illis immori malis, quam ulla ex parte deserere pietatem. Quam igitur veniam nos impetrabimus, qui, cum illi in tantis malis perdurarint, ob febriculam, aut leve vulnus procurrimus ad synagogas, veneficos, ac impostores in ædes nostras accersimus? Non audisti qui dicat Scriptura? « Fili, si accedis serviturus Domino, præpara ani» mam tuam ad tentationem : dirige cor tuum, et perdura : » in morbo ac paupertate in illo fidens esto. Sicut enim in » igni probatur aurum : sic homo fit acceptus in camino » humiliationis[1] ? » Si tu famulum tuum flagris cæcideris, et ille triginta, aut quinquàginta plagis acceptis, illico provocet ad libertatem, aut deserat tuum dominium, et ad alios quospiam sese conferat, qui te oderint, eosque in te concitet : dic mihi, num is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro illo poterit esse patronus? Nequaquam. Cur ita tandem? Quoniam officium est heri, punire famulum. Non ob id tantum, verumetiam ob hoc, quod, si fugiendum erat, non ad hostes et osores domini prioris oportebat fugere; sed ad amicos et cognatos. Proinde tu quoque, si videris te puniri a Deo, ne profugias ad ejus inimicos Judæos, ne magis etiam illum in te provoces; sed ad amicos illius, martyres ac sanctos, qui illi placuerunt, quique multam apud illum habent auctoritatem. Sed quid loquor de famulis et heris? filius non poterit hoc facere, castigatus a patre, nec abnegare cognationem, quam habet cum patre. Nam et naturæ leges, et leges ab hominibus institutæ, etiamsi flagris cædat pater, si a mensa depellat, si ædibus exigat, si quocumque modo puniat, jubent omnia fortiter perpeti, nec ullam illi veniam concedunt, ni paruerit pertuleritque. Quin etiamsi filius cæsus innumeras

[1] Eccli. II, 1-5.

querimonias deplorans proferat; hæc verba audit ab omnibus; Pater est qui cæcidit ac dominus, habetque potestatem in te quod vult faciendi, et oportet omnia placide ferre. Ergo famuli quidem ferunt dominos, filii parentes, frequenter et præter æquum punientes; tu vero non sustines Deum te corripientem, qui plus habet in te juris, utpote vere dominus; qui plus te diligit quam pater, quique nihil per iracundiam, sed omnia facit in tuam utilitatem? Sed si levis aliquis morbus acciderit, illico resiliens ab illius dominio, ad dæmones accurris, et ad synagogas confugis? Et quam tandem veniam consequeris? Quo pacto valebis illum denuo tibi propitium reddere? Quin potius nec alius quisquam pro te deprecari poterit, etiamsi tantum valeat auctoritate, quantum Moyses. Non est, qui hoc facere possit. Non audis quid Deus loquatur ad Jeremiam de Judæis? « Ne depreceris pro populo isto, quo» niam si steterint Moyses et Samuel, non exaudiam illos[1].» Adeo sunt peccata omnem remissionem superantia, quæque nullam recipiant excusationem. Itaque ne tantam nos provocemus iram. Etiamsi enim videantur aliqui febrem incantamentis sedare, non enim vere sedant: tamen aliam vehementiorem in conscientiam inducunt febrem, ratione quotidie te stimulante, conscientiaque flagellante ac dicente: Impie fecisti, inique egisti, violasti fœdus cum Christo; ob paululum adversæ valetudinis, pietatem deseruisti. Num tu solus hæc passus es? annon alii multo quam tu acerbiora passi sunt? attamen nullus illorum tale quid ausus, tu vero mollis ac dissolutus animam tuam mactasti. Quomodo excusaberis Christo? Quomodo illum implorabis precibus? qua conscientia posthac ingredieris Ecclesiam? quibus oculis videbis sacerdotem? qua manu

[1] Jerem. VII, 15, et XV, 1.

sacram attinges mensam? quibus auribus audies Scripturas quæ illic leguntur?

VII. Hæc, stimulis quotidie pungens te ratio, flagellansque conscientiam, dicet. Quæ igitur hæc est sanitas, cum intus tam multas habeamus cogitationes accusatrices? Quod si perduraveris paulisper, eosque qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel ligamina applicare corpori, nihili feceris, multa etiam cum contumelia tuis ex ædibus ejecceris, protinus ab ipsa conscientia refrigerationem accipies. Etiamsi millies exurat febris; anima tua quovis liquore, quovis rore meliorem utilioremque mitigationem adducet. Sicut enim, postquam receperis incantationem sanus licet, miserius affectus es iis qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem; sic nunc quoque, etiamsi febricites, innumeraque patiaris mala; repulsis impiis illis, quovis sano homine melius, mente exultante; eris affectus, anima gaudente et exhilarata, conscientia laudante te, probante, ac dicente: Euge, euge, heus homo, Christi serve, fidelis vir, athleta pietatis, qui malueris molestiis immori, quam deserere pietatem, cum martyribus stabis in illo die. Quemadmodum enim illi præoptarunt cædi flagris torquerique, ut ad honorem pervenirent: ita tu quoque hodie præoptasti flagellari torquerique a febri vulneribusque, ne admitteres impia incantamenta, neve amuleta, et tali spe nutritus, ne senties quidem adversantes dolores. Nam etsi te non auferat hæc febris; alia prorsus auferet: et, si nunc non moriamur, tamen posthac moriemur. Mortale corpus sortiti sumus; non ut illius cupiditatibus obtemperantes impietatem amplectamur, sed ut illius affectionibus ad pietatem utamur. Hæc enim corruptibilitas, et hoc ipsum mortale corpus, si sobrii fuerimus, nobis est materia commendationis, multamque nobis in illo die præstabit fidu-

ciam, non autem in illo solum, verumetiam in præsenti vita. Siquidem cum ejeceris incantatores multa cum contumelia ex ædibus tuis, omnes hoc audito laudabunt, mirabuntur, et inter se dicent: Ille laborans, ægrotansque aliquibus infinities hortantibus, suadentibus et consulentibus ut magicis quibusdam incantamentis uteretur, non admisit, sed respondit: Satius est hoc pacto mori, quam deserere pietatem. Ad hæc, consequentur multi plausus ab his qui audierint, cunctis stupentibus, Deum glorificantibus. Hoc quot statuis non erit tibi honorabilius? quot imaginibus magnificentius? quanto honore insignius? Omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem prædicabunt, omnes te coronabunt. Præterea ipsi quoque meliores fient, ac vicissim tuum exemplum æmulabuntur, imitabunturque tuam fortitudinem: et si quis alius tale quidpiam fecerit, tu mercedem feres, qui zeli fueris auctor. Neque tantum consequentur laudes recte factorum, verumetiam celerrima morbi levatio: cum ipsa tua præclara voluntate conciliante tibi Deum ad majorem benevolentiam; tum sanctis omnibus gratulantibus tuæ promptitudini, atque ex intimo corde pro te preces fundentibus. Quod si hic talia sunt præmia fortitudinis hujus; cogita quantas illic recipies coronas, cum, Angelis præsentibus, omnibus Archangelis, Christus adveniens prehensa manu tua in medium te illud theatrum produxerit, cunctisque audientibus dixerit: Hic homo, cum aliquando febre correptus esset innumeris ipsum exhortantibus ut a morbo liberaretur, propter nomen meum, ac timorem in me, ne in aliquo offenderet, omnes qui pollicebantur ipsi isto modo sanitatem, repulit, cumque ignominia rejecit: ac præoptavit immori potius morbo, quam deserere mei studium. Etenim si eos qui ipsi potum dederunt, qui vestierunt, qui cibum dederunt, in medium adducit: multo magis adducet eos, qui prop-

ter ipsum optarunt obnoxii esse febri. Neque enim simile est dare panem ac vestem ; et morbum diutinum perferre : imo hoc illo multo majus est. Quanto autem laboris ac doloris plus toleratum fuerit, tanto etiam corona erit magnificentior. Hæc et sani meditemur, et ægrotantes, deque his inter nos colloquamur. Et si viderimus nos ipsos aliquando febri intolerabili correptos, illud apud nos ipsos dicamus : Quid autem si nobis alicunde intentata lite ad tribunal rapiamur, moxque sublatis cædantur latera, annon necesse fuerit omnino perpeti, idque nullo lucro nullaque mercede? Hoc et nunc cogitemus, proposita sit etiam tolerantiæ merces, satis magna, ut erigat collapsum animum. Sed molesta est febris : verum oppone illi incendium gehennæ, quod effugies omnino, si volueris istam febrim cum omni tolerantia perferre. Reputa tecum, quam multa passi sint Apostoli, considera justos perpetuo in afflictionibus fuisse, recordare beati Timothei, qui nunquam ab infirmitate respiravit, sed ab adolescentia jugi morbo erat obnoxius, idque Paulus declarans dixit : « Mo» dico vinò utere propter stomachum tuum, ac frequentes » infirmitates tuas[1]. » Quod si justus ille, sanctus ille, qui orbis præfecturam suscepit, qui mortuos excitavit, qui dæmones abegit, qui morbos innumerabiles in aliis correxit, tam acerba passus est, quam excusationem habebis tu, qui tumultuaris ac deficis in morbis temporariis? Non audisti Scripturam dicentem : « Quem diligit Dominus, castigat : fla» gellat autem omnem filium, quem recipit[2] ? » Quam multi frequenter optarunt martyrii coronam accipere? Hæc est parata martyrii corona. Non enim id modo facit martyrem, si qui jussus est sacrificare, potius ducat emori, verumetiam si quis servet quidlibet, quod mortem potest accersere, manifestum est martyrium.

[1] 1 Tim. v, 23. — [2] Prov. III, 12, et Hebr. XII, 5.

VIII. Ac ut intelligas hoc esse verum, recordare, quomodo Joannes Baptista mortuus sit, et qua de causa, quomodo Abel. Neuter enim horum vel altare vidit incensum, vel statuam positam, vel jussus fuit immolare dæmonibus: sed ille quidem, quia tantummodo reprehendit Herodem, decollatus est : hic vero, quoniam Deum meliori sacrificio honoravit quam frater, occisus est. Num igitur privati sunt martyrii corona? At quis hoc audeat dicere? Quandoquidem ipsum etiam mortis genus sufficit ad omnibus persuadendum eos inter primos martyres numerari. Quod si etiam divinam sententiam super his prolatam quæris: audi quid dicit Paulus. Nam quæ ille loquitur, sine dubio spiritus sunt. « Puto enim, inquit, » quod et ego Spiritum Dei habeam[1]. » Quid igitur hic dicit? Exorsus ab Abel, cum dixisset majorem hostiam Abel præ Caïn obtulisse Deo, et propter hanc mortuum adhuc loqui: deinde digressus ad Prophetas, ac decursa serie usque ad Joannem, dixisset: « Occisione gladii mortui sunt, » alii vero distenti sunt[2]; » multis et diversis mortis generibus commemoratis, subjecit hoc modo : « Itaque nos » quoque tantam habentes circumdantem nos nubem mar» tyrum, abjecto omni pondere, per tolerantiam curra» mus[3]. » Vides quod etiam Abel appellavit martyrem et Noë, et Abraham, et Isaac, et Jacob. Nam et istorum quidam sic propter Deum mortui sunt, quemadmodum inquit Paulus, « Quotidie morior[4] : » non quidem moriens, sed proposito tantum perpessus mortem. Sic et tu, si repuleris incantamenta, veneficia, ac præstigias, etiamsi morbo moriaris, martyr perfectus fueris, eo quod aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate. Et hæc nobis dicta sunto adversus eos, qui jactant, dicuntque dæmones mederi. Cæterum,

[1] 1 Cor. VII, 40. — [2] Hebr. XI, 37. — [3] Id. XII, 1. — [4] 1 Cor. XV, 31.

ut intelligas, ne hoc quidem esse verum, audi quid Christus dicat de diabolo, « Ille homicida erat ab initio[1]. » Deus dicit, Homicida est : et tu ad illum tanquam admedicum curris? Dic mihi, cum accusaberis, quam rationem afferre poteris, qui credas horum imposturis esse fidendum potius, quam Christi sententiæ? Cum enim Deus dicat, Homicida est : isti vero dicant, Potest curare morbos, nimirum repugnantes sententiæ divinæ : tu vero recipias horum maleficia illa et incantamenta, nihil aliud ipsis factis tuis judicas, quam istorum verbis potius habendam fidem, quam Christi : licet verbis id non dicas. Quod si diabolus homicida est; manifestum est quod illi servientes dæmones sunt. Et hoc quoque te ipsis factis docuit Christus, qui permisit illos irruere in illum gregem porcorum, quem universum in mare præcipitarunt[2] : ut intelligeres quod eadem facturi fuerint hominibus, statimque præfocassent, si Deus illis permisisset. Nunc vero ipse illos coërcuit prohibuitque, nec quidquam eis permisit facere ejusmodi : quod quidem ipsi potestate in porcos accepta declararunt. Etenim si porcis non pepercerunt, multo minus a nobis abstinuissent, si adversus nos potestatem habuissent. Ne igitur, dilecte, fraudibus illorum abducaris; sed esto confirmatus in timore Dei. Et quomodo ingredieris synagogam? Si namque signaveris frontem tuam, illico fugiet prava potestas synagogam inhabitans. Si vero non signaveris, in ipsis foribus protinus arma abjecisti, mox nudum et inermem abreptum te diabolus malis innumeris afficiet. Sed quid attinet hæc a nobis dici? Nam quod ipse quoque maximum peccatum esse judicas, ad sceleratum illum locum accurrere, manifestum est ex ipso adeundi modo. Etenim clam illuc accedere studes : et famulis, amicis, atque vicinis interdicis, ne te deferant ad sacerdotes :

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Luc. VIII, 33.

ac si quis detulerit, indignaris. Annon igitur magnæ dementiæ sit, homines velle fallere, cum vero Deus videat ubique præsens, perfricta facie tantum facinus audere? Sed non times Deum? Ergo saltem ipsos reverere Judæos. Quibus enim oculis ipsos intueberis? quo ore alloqueris dum profitens te esse Christianum, tamen ad illorum curris synagogas, et ab illis opem imploras? Non perpendis quantum risum in te effundent, quot scommata, quantam subsannationem, quanta dedecora, quantam irrisionem, quanta probra; etsi non palam, certe in sua ipsorum conscientia?

IX. Proinde dic mihi, hæccine sunt tolerabilia? hæccine ferenda? Etiamsi mille mortes sint oppetendæ, et gravissima toleranda sint mala, nonne multo satius erat omnes illas perpeti calamitates, quam ut iste scelestorum risus et subsannatio fieret, ac præterea cum mala conscientia viveretur? Hæc non dico, ut audiatis tantum, verum etiam ut his morbis laborantes sanetis. Quemadmodum enim illos incusamus, quod infirma sint fide: sic et vos, quod infirmos corrigere non velitis. Non igitur hoc est quod quæritur, dilecte, ut huc ingressus tantum audias, quæ dicuntur. Nam id quidem etiam crimen est, cum auditis sermonibus non adjungitur operum demonstratio. Propterea Christianus es, ut Christum imiteris, ejusque legibus morem geras. Quid autem ille fecit? Non Jerosolymis desidens vocavit ad se ægrotos, sed obambulabat civitates ac vicos, geminos curans morbos, tum animi, tum corporis. Attamen poterat eodem in loco sedens omnes ad se attrahere: non tamen hoc fecit, nobis præbens exemplum, ut obambulemus et quæramus eos, qui pereunt. Rursus hoc etiam parabola de pastore significavit. Non enim desidebat cum nonaginta novem ovibus, expectans donec, quæ aberraverat, veniret ad ipsum; sed abiit ipse,

et invenit, inventamque gestavit humeris ac reduxit. Annon vides medicos quoque hoc ipsum facere? non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipsorum ædes deferri, sed ipsi accurrunt ad eos. Hoc et tu facito, dilecte; sciens præsentem vitam esse brevem, ac nisi hæc lucra paraverimus, nullam nos illic habituros esse salutem. Sæpe una anima quam lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæque redimendæ fieri pretium in illo die. Cogita cur Prophetæ, cur Apostoli, cur justi, cur frequenter Angeli missi sint; cur ipse Unigenitus Dei Filius advenerit. Annon ut homines servaret? Annon ut eos errantes reduceret? Hoc idem agas tu quoque pro viribus tuis, omneque studium ac sollicitudinem impendas ad reducendum eos, qui aberrarunt. Ad hæc vos singulis concionibus adhortari non cesso : sive mentem adhibeatis, sive non adhibeatis, ego dicere non desinam. Nam hanc legem nobis Deus præscripsit, ut sive audierit quis, seu non audierit, hoc ministerium impleamus. Sed si quidem audieritis et feceritis ea quæ dicuntur, multa cum voluptate hoc ipsum faciemus. Sin autem neglexeritis, ac desides fueritis, multa cum tristitia. Nobis quidem ex vestra inobedientia nullum futurum est periculum; quandoquidem quidquid erat nostrum, præstitimus; at quanquam non periclitamur nos, qui præstiterimus omnia, quæ in nobis sunt; dolemus tamen quod vos accusandi sitis in die illo. Non enim absque periculo vobis erit audisse, si non accesserint opera. Audi igitur quomodo Christus accusans doctores sermonem occultantes, etiam iis, qui docentur, loquatur. Cum enim dixisset : « Oportebat deponere pecuniam meam apud mensarios; » et adjecisset : « Ego veniens cum usura utique repetiissem illam[1] : » ostendit quod postquam audierit; nam hæc est

[1] Matth. xxv, 27.

pecuniæ depositio; qui accepit doctrinam, usuram facere debet, tanquam domino repetituro. Usura autem doctrinæ nihil aliud est, quam operum exhibitio. Ergo quoniam nos quoque deposuimus pecuniam in aures vestras; necesse est ut vos reddatis usuram domino, hoc est, salutem fratrum vestrorum. Itaque si hæc ipsa quæ dicuntur, tantum detinueritis, nihil ex his lucrifacientes : metuo ne easdem detis pœnas, quas dedit ille, qui defoderat talentum. Nam ille propterea manibus ac pedibus vinctus in tenebras ejectus est exteriores, quoniam non deprompsit in alios, quæ audierat. Ne igitur nos quoque eadem patiamur; eum qui quinque talenta, et eum qui duo accepit, imitemur, etiamsi sermonem, etiamsi pecuniam, etiamsi corporis laborem, etiamsi preces, aut aliud quidpiam in proximi salutem insumere oportuerit, ne gravemur, ut undecumque talentum nobis a Deo traditum pro sua quisque portione multiplicantes, possimus illam beatam audire vocem, « Euge, serve bone et fidelis; in paucis fuisti fidelis, supra » multa te constituam, intra in gaudium domini tui[1]; » quo nobis omnibus potiri contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo et per quem Patri gloria, et imperium simul cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xxv, 2.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

CATECHESES IV.

CATECHESIS I.

Ad illuminandos, et cur lavacrum regenerationis, non autem remissionis peccatorum dicatur : quodque periculosum sit, non modo pejerare, sed etiam jurare, etiamsi recte juremus.

I. Quam desiderabilis[1] amabilisque nobis est juvenum fratrum chorus! Vos enim fratres vel ante partum voco, eorumque qui nondum nati sunt cognationem amplector. Novi quippe, clareque novi, in quantum honorem, in quantum principatum evehendi sitis. Eos autem, qui principatum accepturi sunt, vel antequam accipiant solent omnes honorare, ut hujusmodi obsequio, eorum sibi benevolentiam ad futurum commodum captent. Hoc et ego facio; non solum enim ad principatum, sed ad ipsum regnum promovendi estis; imo non ad regnum simpliciter, sed ad regnum cœlorum. Quamobrem oro atque supplico, ut cum ad regnum illud perveneritis, mei reminiscamini. Quodque Joseph pincernarum principi dicebat, « Memento mei, cum bene tibi fuerit[2], » id et

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 298-308. — [2] Gen. XL, 14.

nunc dico vobis, Mementote mei, cum bene vobis fuerit, non hanc ut ille somniorum interpretationis mercedem postulo, non enim vobis somniorum interpres accessi, sed cœlestia narraturus, annuntiaturusque bona illa, « Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor » hominis ascenderunt : » talia sunt ea, « Quæ præparavit » Deus diligentibus se [1]. » Joseph quidem pincernæ dicebat : « Adhuc triduum, et restituet te Pharao in principa- » tum pincernarum [2]. » Ego vero non dico, Adhuc triduum, et pincernæ tyranni constituemini ; sed, Adhuc triginta dies, et restituet vos, non Pharao, sed cœlorum Rex in supernam patriam, in Jerusalem illam liberam, in civitatem cœlestem. Ille dicebat, « Dabis calicem in manus » Pharaonis : » ego vero non dico, Dabitis calicem in manus regis ; sed, Ipse Rex in manum vobis tradet calicem illum horrendum, multa plenum virtute, atque utraque creatura pretiosiorem. Sciunt initiati calicis hujus virtutem, vosque paulopost scietis : mementote igitur mei, cum veneritis in regnum illud, cum regale vestimentum acceperitis, cum purpura dominico sanguine tincta induemini, cum diademate illo redimiti eritis, cujus fulgor undique solaribus radiis splendidior est. Talia quippe sunt sponsi munera, majora quidem dignitate vestra, sed ejus benignitate digna. Ideo jam vos, antequam in sacrum illum thalamum ingrediamini, beatos prædico : nec beatos solum prædico, sed etiam laudo gratum vestrum animum, quod non sicut negligentiores, ad baptismum in extremo halitu accedatis : sed jam inde quasi probi domestici, ad obsequendum magna benevolentia Domino parati, animæ collum multa cum probitate et alacritate sub jugum Christi induxeritis, jugumque illud suave et onus leve susceperitis. Licet enim tam vos, quam ii, qui in vitæ

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Gen. XL, 13.

exitu initiantur, parem gratiam accipiatis, at voluntatis propositum, apparatusque rerum non pari modo se habent. Illi namque in lecto accipiunt, vos autem in Ecclesiæ communis omnium nostrum matris sinu : illi flentes et lacrymantes; vos gaudentes atque lætantes; illi gementes, vos gratias agentes ; illi febri admodum laborantes, vos multa pleni spirituali voluptate. Quapropter hic omnia huic muneri conveniunt, illic omnia sunt muneri contraria : fletus nempe ac gemitus eorum, qui initiantur; astant pueri lugentes, uxor genas lacerans, amici tristes, domestici lacrymantes, tota domus species hybernum et caliginosum diem imitatur. Quod si jacentis cor scruteris, iis omnibus tristius reperies. Quemadmodum enim venti magno impetu alii aliis ex adverso flantes multas in partes pelagus dividunt; sic cogitationes tunc ingruentium malorum, ægri animum invadentes, in multas sollicitudines illius mentem distrahunt. Si filios respiciat, illorum orbitatem cogitat; si uxorem, ejus viduitatem considerat; si domesticos, domus solitudinem secum reputat; si ad se ipsum convertatur, præsentem vitam in memoriam revocat, atque instante separatione, magnam mœstitiæ nebulam excipit. Talis mox initiandi animus est. Hinc inter tumultum perturbationemque hujusmodi, ingreditur sacerdos ipsa febri formidabilior, atque ægroti propinquis ipsa morte immanior. Nam vel ipsa medici deploratam ejus valetudinem declarantis voce, major desperandi causa esse putatur presbyteri ingressus, atque id, quod æternæ vitæ argumentum est, mortis symbolum esse putatur. At nondum Colophonem malis addidi : interim quippe tumultuantibus et sese apparantibus propinquis, sæpe anima corpus deserens abcessit : imo plurimis vel præsens nihil profuit. Cum enim neque præsentes agnoscit, neque vocem audit, neque illa respondere verba po-

test, quibus beatam cum omnium nostrum Domino pactionem deponat; sed est quasi lignum inutile vel lapis, a mortuoque nihil differt is qui mox illuminandus est, quæ initiationis utilitas in tanta sensus omnis inopia?

II. Eum enim, qui ad sacra illa et horrenda mysteria accessurus est, vigilare convenit, omni sæculari cura purum esse, temperantia et alacritate multa plenum esse, omnem a mysteriis alienam cogitationem mente depellere, et undequaque mundam domum apparare, quasi ipsum regem excepturus sit. Talis mentis vestræ præparatio, tales apud vos sunt cogitationes, tale animi propositum. Dignam itaque optimi hujus consilii retributionem a Deo expectate, qui præmiis obsequentiam sibi præstitam superat. Quoniam vero oportet quæ sua sunt conservis conferre, et nostra conferamus; imo potius hæc non nostra, sed dominica sunt: « Quid enim, inquit, habes, » quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, » quasi non acceperis[1]? » volebam hoc primum omnium dicere: cur patres nostri, missis aliis anni partibus, hoc tempore initiandos esse Ecclesiæ filios lege statuerunt, et cur post doctrinam, discalceatos vos et exutos, nudis pedibus, una tunica opertos ad exorcizantium voces vos transmittunt. Non enim frustra vel temere hunc habitum et hoc tempus nobis constituerunt: Sed habent hæc ambo mysticam quamdam et arcanam rationem: et hoc quoque vobis aperire volebam. At video ad aliam rem magis necessariam nos evocari. Necesse quippe est dicere quid sit baptisma, cur in vitam nostram inductum sit, et quanta nobis conferat bona. Sed si vultis de hujus mysticæ purgationis vocabulo prius disseramus. Non enim ejus nomen unum est, sed plurima variaque. Nam hæc purgatio vocatur lavacrum regenerationis: « Salvavit enim nos, in-

[1] 1 Cor. IV, 7.

» quit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus » sancti [1]. » Vocatur et illuminatio, ita illud Paulus nuncupavit : « Rememoramini pristinos dies, in quibus illu- » minati magnum certamen sustinuistis passionum [2] ; » et rursum, « Impossibile est enim eos, qui semel sunt illu- » minati, et gustaverunt etiam donum cœleste, et prolapsi » sunt, rursus renovare ad pœnitentiam [3]. » Vocatur et baptisma : « Quicumque enim in Christo baptizati estis, » Christum induistis [4]. » Appellatur et sepultura ; « Conse- » pulti enim, inquit, estis in ipso per baptismum in mor- » tem [5], » itemque circumcisio, « In quo et circumcisi estis » circumcisione non manu facta, in expoliationem pecca- » torum carnis [6]. » Vocatur crux, « Vetus enim homo nos- » ter crucifixus est, ut destruatur corpus peccati [7]. » Possent plura dici nomina ; sed ne tempus omne in charismatis appellationibus insumamus, age ad primum nomen reversi, ejusque explicata significatione, sermonem finiamus : interim vero paulo superius doctrinam repetamus. Est commune omnium hominum lavacrum illud balneorum, quod corporis sordes solet abluere. Est et lavacrum Judæorum, illo quidem honestius, sed gratiæ lavacro longe inferius : et hoc enim corporeas sordes abluit, nec modo corporeas abluit : sed etiam ad conscientiæ infirmitatem attingit. Nam multæ res sunt, natura quidem non immundæ, sed quæ infirmitate conscientiæ efficiuntur immundæ. Ac sicut in pueris larvæ cæteraque terricula, natura quidem formidabilia non sunt ; sed talia pueris ob naturæ imbecillitatem esse videntur ; sic et in iis quæ dixi : exempli causa mortua corpora contingere, natura quidem non est immundum, verum si id infirmæ conscientiæ contingat, immundum facit eum qui tetigit. Quod

[1] Tit. III, 5. — [2] Hebr. x, 32. — [3] Id. VI, 4. — [4] Galat. III, 27. — [5] Rom. VI, 4. — [6] Coloss. II, 11. — [7] Rom. VI, 6.

enim illud natura non sit immundum, ipse qui Legem tulit Moyses declaravit, qui mortuum Josephum secum detulit, et tamen mundus remansit. Ideoque Paulus de immunditia hujusmodi loquens, quæ non natura, sed infirmitate conscientiæ accidit, ita loquitur : Nihil commune per se ipsum, nisi ei, qui existimat [1] quid commune esse. Vides-ne immunditiam non ex rei natura, sed ex cogitationis imbecillitate contrahi : ac rursum, « Omnia quidem sunt » munda : sed malum est homini, qui per offendiculum » manducat [2]. » [Vides-ne quod non, edere, sed per offendiculum edere, causa sit immunditiæ.]

III. Talem maculam Judæorum lavacrum emundabat. At gratiæ lavacrum non talem, sed eam, quæ vera immunditia et animam et corpus inficit. Non enim eos, qui mortua corpora, sed qui mortua opera contingunt, mundos facit. Etsi mollis, etsi fornicator quis fuerit, etsi idololatra, etsi quidvis mali fecerit, etsi humana omni nequitia plenus sit, si in piscinam aquarum incidat, solaribus radiis purior ex divinis fluentis ascendit. Ne vero putes fastu quopiam hæc proferri, audi Paulum de lavacri virtute hæc loquentem : « Nolite errare, neque idololatræ, » neque fornicatores, neque adulteri, neque molles, neque » masculorum concubitores, neque avari, neque ebriosi, » neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt [3]. » Ecquid hæc ad propositum, inquies ? Quod quæritur ostende, an scilicet lavacri virtus hæc omnia emundet. Audi itaque ea, quæ sequuntur : « Et hæc quidem fuistis : sed abluti estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei » nostri [4]. » Nos quidem pollicemur vobis ostendere, omni fornicatione puros esse eos, qui ad lavacrum accedunt; verum oratio nostra plus demonstravit, scilicet non modo

[1] Rom. XIV, 14. — [2] Ibid. 20. — [3] 1 Cor. VI, 9, 10. — [4] Ibid. 11.

puros, sed etiam sanctos justosque factos esse. Non tantum enim dixit; « Abluti estis, » sed etiam « Sanctificati » estis, justificati estis. » Quid hac re mirabilius, quod sine labore, sudore bonisque operibus justitia pariatur? Talis est enim divini doni benignitas, ut sine sudoribus justos efficiat. Nam si imperatoris epistola paucis conscripta litteris, innumeris reos criminibus liberos dimittit, alios autem ad honorem etiam evehit maximum; multo magis sanctus Dei Spiritus, qui omnia potest, omni nos nequitia liberavit, multam justitiam largietur, multa implevit fiducia. Ac quemadmodum scintilla mediam in pelagi voraginem incidens, statim extinguitur et evanescit, aquarum vi demersa; sic et omnis humana nequitia, cum in piscinam divinorum fluentorum inciderit, citius faciliusque, quam scintilla demergitur et deletur. At cur, inquies, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, non lavacrum remissionis peccatorum, non lavacrum purgationis, sed lavacrum regenerationis vocatur? Quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat; sed ita id præstat ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat, et format, non ex terra rursum effingens, sed ex alio elemento, aquarum scilicet natura creans. Non enim vas simpliciter abstergit, sed totum conflat denuo. Nam quæ absterguntur, etiamsi accurate mundentur, qualitatis vestigia et sordium reliquias retinent: quæ vere in conflatorium immittuntur, et a flamma renovantur, omnem deponentia maculam, ex camino educta, eumdem, quem prorsus nova, splendorem emittunt. Quemadmodum si quis auream statuam, tempore, fumo, pulvere, rubigine fœdatam, multoque affectam delictorum fumo, illa pulchritudine destitutam, quam ipsi ab initio indiderat, denuo conflavit, et in aquas ceu in conflatorium injiciens, et pro igne Spiritus gratiam

immittens, hinc renovatos, cum solaribus radiis splendore decertantes educit, contrito veteri homine, novo autem splendidiore, quam vetus erat, condito.

IV. Hanc porro nobis contritionem, mysticamque purgationem subindicans Propheta, dicebat olim, « Tanquam » vas figuli conteres eos. » Nam quod de fidelibus loquatur clare indicant ea, quæ præcedant; etenim ait : « Filius » meus es tu : ego hodie genui te. Postula a me, et dabo » tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam » terminos terræ[1]. » Vidisti-ne quomodo Ecclesiam gentium Christi regnum dixit ? Deinde rursum ait, « Pasces » eos in virga ferrea, » non gravi, sed forti, « Tanquam » vas figuli conteres eos. » Ecce lavacrum magis mystico more sumitur. Non enim simpliciter dixit : Vasa testacea, sed Vasa figuli. » Verum attendite : testacea quippe vasa contrita, refici non possunt, ob duritiem nempe ab igne acceptam : vasa autem figuli non sunt testacea, sed ex luto composita, quare si labefactata fuerint, artificis solertia facilius ad secundam formam reduci possunt. Cum itaque calamitatem insanabilem memorat, non vasa figuli dicit, sed vas testaceum : nam cum Prophetam et Judæos docere vellet, se calamitati insanabili urbem tradidisse, jussit eum accipere vas testaceum, et coram universo populo confringere, dicereque, « Sic peribit urbs ac conte- » retur : » cum autem bonam ipsis spem offert, in officinam figuli Prophetam deducit, nec ipsi vas testaceum ostendit, sed vas luteum e manu figuli decidens, ac subinfert his verbis : « Si figulus hic vas quod decidit, » acceptum denuo reformavit, annon multo magis ego » potero vos delapsos emendare[2] ? » Potest igitur Deus nos luteos non modo per lavacrum regenerationis emendare, sed Spiritus accepta virtute, iterumque lapsos, per

[1] Psal. II, 8, 9. — [2] Jerem. XVIII, 4-6, et XIX, 11.

sinceram pœnitentiam in pristinum statum revocare. Sed non tempus est vos de pœnitentia alloqui, imo potius utinam nullo unquam tempore his remediis opus habeatis, sed semper ea servata pulchritudine eoque splendore maneatis, quem nunc accepturi estis. Ut itaque in eo maneatis, age, de vitæ instituto pauca vobis disseramus : nam in hac palæstra athletarum lapsus periculo vacant : cum domesticis enim decertant, et in præceptorum corporibus omnia meditantur. Cum vero certaminum tempus advenerit, cum stadium apertum fuerit, cum omnes ad spectaculum congregati; sedes sursum occuparint, præsente agonotheta; tunc necesse est aut ignave agentes dejici, ac cum ignominia discedere, aut strenue agentes, coronas et bravia consequi ; sic hi triginta dies vobis palæstræ, gymnasiorum et exercitationis loco sunt. Jam hinc discamus malignum illum dæmonem vincere : nam contra illum post baptisma in arenam descendere debemus, contra illum pugnare et decertare. Jam hinc ergo insidias ejus ediscamus : undenam malignus sit, undenam facile nos lædere poterit; ut certaminis tempore non inexperti, novis conspectis certaminibus terreamur, sed jam parati meditatique, ejusque insidias omnes edocti, fidenter certamina cum illo adeamus. Undique vero nobis nocere solet, sed imprimis lingua et ore. Nullum enim illi ita opportunum organum ad fraudem perniciemque nostram, ut intemperans lingua et os non obturatum. Hinc nobis lapsus plurimi, hinc nobis gravia crimina. Quam facile sit ore labi sic quidam declaravit : « Multi cecidere gladio, » sed non tot quot lingua [1] : » ipseque rursum quam gravis sit hujusmodi lapsus indicavit his verbis, « Lapsus de » pavimento potius, quam lapsus de lingua [2]. » Id est, melius est labi conterique corpus, quam hujusmodi ver-

[1] Eccli. xxviii, 22. — [2] Id. xx, 13.

bum proferre, quod possit animam nostram perdere. Neque lapsus tantum memorat, sed hortatur ut magnam sollicitudinem geramus, ne supplantemur, his verbis, « Fac ori tuo januam et vectes; » non ut vere januas et vectes paremus, sed ut cum magna cautela absurdis verbis linguam claudamus. Rursumque alibi ostendens nos, et cum studio nostro et ante studium nostrum superno egere auxilio, ut hanc feram intus contineamus, ad Deum manus tendens Propheta dicebat : « Elevatio manuum » mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, cus- » todiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis[1]. » Et qui prius monuit, rursum ait : « Quis dabit ori meo » custodiam, et labiis meis sigillum astutum[2] ? » Vides-ne singulos hujusmodi lapsus timentes, lugentes, consilia dantes, precantes, ut circa linguam magna cautela adhibeatur ? At cur, inquies, si tantam nobis perniciem hoc instrumentum afferat, ipsum nobis a principio indidit Deus ? Quia magnam etiam aufert utilitatem : et si caveamus, utilitatem tantum, perniciem vero nullam affert. Audi enim quid dicat is, qui prius illa dixerat : « In manu » linguæ vita et mors[3]. » Eademque ipsa Christus declarat his verbis, « De sermonibus tuis condemnaberis, et » de sermonibus tuis justificaberis[4]. » Media quippe stat lingua inter utrumque usum, tu dominus es. Ita et gladius jacet medius; si illo contra inimicos utaris, salutare tibi instrumentum efficitur, sin tibi ipsi vulnus infligas, non ferri natura, sed iniquitas tua cædis causa est. Ita et de lingua cogitemus : gladius est in medio jacens, acue illam ad te peccatis tuis accusandam, ne fratri vulnus infligas. Ideo illam duplici muro Deus circumvallavit, dentium nempe septo, et labiorum ambitu, ne facile et

[1] Psal. cxl, 2. — [2] Eccli. xxviii, 30. — [3] Prov. xviii, 21. — [4] Matth. xii, 37.

inconsulte verba non congruentia proferat. Refrena illam intus. Verum illa non id patitur, dentibus illam castiga, ipsorum ceu carnificum morsui illam tradens : melius quippe est illam nunc peccantem dentibus morderi, quam tunc aridam, et aquæ stillam quærentem, illa consolatione privari. In multis sane aliis peccare illa solet, conviciis nempe, blasphemiis, verbis obscœnis, sycophantiis, juramentis, perjuriis.

V. Sed ne confertim omnia dicentes mentem confundamus vestram, unam vobis legem ponimusde vitandis juramentis : hoc vobis prænuntiantes, si non modo perjuria, sed etiam juramenta ob justam causam prolata fugiatis, me non aliud uberius argumentum tractaturum. Nam absurdum esset si dum ludimagistri non alias pueris tradunt disciplinas, donec videant priorem in ipsorum memoria pulchre hærere, nos cum priores disciplinas nondum inculcare potuerimus, alteras denuo ingeramus : id enim nihil aliud esset quam in pertuso dolio haurire. Ne igitur os nobis claudatis, magnam rei curam habete. Nam grave peccatum est, admodumque grave : ideoque admodum grave, quia non videtur grave esse : ideoque ipsum formido, quia nemo formidat : ideo incurabilis morbus, quia morbus non esse videtur. Sed quemadmodum sermo simplex crimen non est, ita et hoc crimen esse non videtur, sed confidenter hoc facinus admittitur : si quis vero redarguat, statim risus et cachinni profusi, non adversus eos, qui juramenta redarguunt, sed adversus eos, qui morbum curare volunt. Ideo longum hac de re sermonem habeo, aliam enim radicem evellere cupio, et diuturnum delere malum ; non perjuria solum dico, sed et juramenta juste prolata. At, inquies, ille homo modestus, sacerdotium gerens, pie temperanterque vivens, jurat tamen. Ne mihi modestum illum alleges, temperantem, pium, in sacer-

dotio degentem : sed si vis ponc Petrum esse, vel Paulum, vel Angelum, qui de cœlo descenderit : ne sic quidem personarum dignitatem respiciam. Nam legem, non servilem, sed dominicam de juramento lego : cum autem imperatoria scripta leguntur; omnis servorum dignitas quiescat. Nam si dicere potes Christum juramenta præcepisse, aut Christum ipsa admissa non ulcisci, ostende mihi, et morem geram. Quod si tanta cura ipsum vetat, et tantam hujus rei providentiam gerit, ut cum maligno jurantem constituat : « Quod autem his abundantius est, » ait, nempe, Est et Non, a diabolo est[1], » Quid mihi hunc et illum in medium producis? Non enim ex conservorum negligentia, sed ex legum suarum præcepto, hunc Deus feret calculum. Jussi, inquit, obtemperare oportebat, non hunc et illum prætendere, neque aliena mala curiosius investigare. Quandoquidem magnus ille David in grave peccatum lapsus est, ideo-ne quæso, sine periculo peccare poterimus? Quapropter hoc cavere oportet, atque recta tantum sanctorum gesta imitari. Sicubi vero negligentia vel transgressio legis occurrat, id summa sollicitudine fugiendum est. Non enim cum conservis, sed cum Domino ratio nobis est, rerumque in vita gestarum omnium rationem ipsi reddemus. Ad illud itaque tribunal nos præparemus : nam quantumvis admirandus et magnus sit is qui hanc legem violat, reposito huic prævaricationi supplicio haud dubie plectetur : non enim personas accipit Deus. Quomodo autem quave ratione potest hoc peccatum vitari? Non enim par est quam grave sit peccatum duntaxat ostendere, sed consilium, quo ab eo liberari possimus aperire. Est tibi conjux, sunt tibi filii, est amicus, cognatus, vicinus : his omnibus hanc super his custodiam demanda. Gravis res est consuetudo, difficile est eam de

[1] Matth. v, 27.

medio tollere, arduum est ab illa cavere, invitos sæpe et imprudentes invadit. Igitur quanto majorem nosti vim consuetudinis, tanto magis a prava consuetudine liberari satage, et ad aliam utilissimam te transfer. Quemadmodum enim te illa curantem sæpe, ab illa cavendem, teque sollicite custodientem, potuit supplantare, ita si te in bonam non jurandi consuetudinem transferas, nec invitus unquam nec socors poteris in juramenti lapsum deferri. Magna utique res consuetudo, quæ naturæ vim habet. Ne igitur id frequenter agamus, in aliam nos consuetudinem transferamus : a singulis tecum viventibus et versantibus hanc gratiam postula, ut te hortentur atque inducant ad vitandum juramentum, deprehensum arguant. Nam eorum circa te custodia, vel ipsis consilium et adhortatio est ad recte agendum. Nam qui alterum de juramento accusat, non facile ipse in hoc barathrum incidet. Barathrum enim non parvum est jurandi frequentia, non modo cum de minimis rebus, sed cum de maximis agitur. Nos autem vel olera ementes, vel de duobus obolis disceptantes, in famulos ira commoti, et comminantes, Deum semper advocamus testem. Hominem quidem ingenuum vel levi dignitate præditum, ad hujusmodi res in foro testem advocare non audes, vel si audeas, contumeliæ pœnas dabis, cœlorum autem Regem et Angelorum Dominum, sive de venalibus, sive de pecuniis, sive de minimis rebus sermonem habeas, in testimonium trahis; hæccine ferenda? Quomodo poterimus ergo ab hac mala consuetudine liberari? si custodes, quos dixi, circa nos ponamus, tempusque nobis ipsis ad correptionem constituamus, pœnamque nobis indicamus, si elapso tempore non emendati fuerimus. Quodnam tempus ad hoc satis erit? Non puto eos qui admodum vigilant, suæque curandæ saluti intenti sunt, plus decem diebus opus habere, ut a mala jura-

mentorum consuetudine prorsus liberentur. Quod si post illos decem dies jurantes deprehendamur, pœnam nobis constituamus, damnationem et supplicium pro prævaricatione maximum. Quam vero damnationem? Id non ego definiam, sed vos sententiæ dominos constituo. Sic ea, quæ nos spectant, dispensemus, non modo circa juramenta, sed circa alia quælibet delicta; ac tempus nobis constituentes, gravissimis deputatis pœnis, si aliquando in ea incidamus, puri ad Dominum nostrum accedemus, et a gehenna ignis liberabimur, fidenterque stabimus ante tribunal Christi: quod nos assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre gloria una cum Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

CATECHESIS II.

Ad illuminandos, et de mulieribus se tortis crinibus et auro ornantibus, et de sectantibus vaticinia, vel ligaturas, vel incantationes: quæ cuncta a christianismo sunt aliena.

I. Nuper dictorum apud Charitatem Vestram fructus a vobis repetiturus adveni[1]: non enim propterea loquimur, ut tantum audiatis, verum ut et dictorum memoriam servetis, et per opera nobis memoriam demonstretis; imovero non nobis, sed Deo mentis arcana scienti. Propterea et catechesis, id est, institutio dicitur, ut et absentibus nobis sermo noster mentes vestras instituat. Et ne miremini, si decem diebus tantum transactis

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 308 313.

seminum fructus repetituri venimus : etenim die una licet pariter et semina spargere, et messem facere : non enim propria tantum virtute, verum et divino auxilio roborati, sic ad certamina vocamur. Quicumque igitur dicta susceperunt, et per opera impleverunt, maneant se extendentes in anteriora. Quicumque vero bonam hanc operationem nondum attigerunt, jam attingant, ut ex torpore natam damnationem futuro studio repellant. Licet enim, licet inquam, eum qui multum torpuit, post hæc diligentia utendo, præteriti temporis omnem sarcire jacturam. Idcirco dicitur? « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite ob- » durare corda vestra sicut in exacerbatione[1]. » Hoc autem dicit, admonens et consulens nunquam desperare, sed donec hic sumus, bonam habere spem, et anteriora apprehendendi, et bravium supernæ Dei vocationis persequendi[2]. Hoc igitur faciamus, et magnæ hujus donationis nomina exquiramus. Sicut enim dum ignoratur dignitatis magnitudo, segniores sunt ii, qui honorantur : ita si noscatur, gratos reddit, et magis studiosos efficit. Alioquin et turpe esset et ridiculum tanto potientes apud Deum honore, nec scire quid ipsius tandem nomina significare velint. Et quid de hoc munere dico? Si enim commune generis nostri nomen cogitaveris, maximam ad virtutem capies disciplinam et exhortationem. Hoc enim nomen, « Homo, » nos non secundum externos definimus, sed ut divina jussit Scriptura. Nam homo non est quicumque simpliciter manus habet et pedes humanos, nec quicumque tantum rationalis est : sed quicumque pietatem et virtutem cum fiducia exercet. Audi namque quid de Job dicit. Cum enim dixisset, quod in terra Ausitide homo erat, non ex iis eum describit terminis, quibus ethnici, nec hoc dicit, quod duos pedes haberet, et ungues latos :

[1] Psal. xciv, 7. — [2] Ppilip. iii, 14.

sed indicia pietatis illius præbens dicebat, « Justus, verax, » colens Deum, abstinens ab omni mala re[1], » demonstrans quod hoc est homo, sicut scilicet et alius inquit, « Deum » time et ipsius mandata custodi, quoniam hoc est omnis » homo[2]. » Si autem hoc nomen, homo, tantam ad virtutem præbet exhortationem, multo magis illud, « Fidelis. » Fidelis enim ideo vocaris, quoniam et credis Deo, et ab eo creditam ipse justitiam habes, sanctitatem, munditiam animæ, in filium adoptionem, regnum cœlorum, et hæc tibi commendavit. Tu vicissim ipsi alia credidisti, et commendasti, eleemosynam, preces, modestiam et omnem aliam virtutem. Et quid dico eleemosynam? Si vel frigidum ipsi dederis poculum[3], nec hoc amittes : verum et hoc in illum reservat sedulo diem, et cum multa reddet superabundantia. Hoc quippe admirabile est, quod non tantum deposita servet, verum et multiplicet retributionibus. Hoc et te secundum potentiam tuam facere jussit in iis, quæ tibi credita sunt, nempe sanctitatem, quam accepisti, intendere : et ex lavacro justitiam reddere clariorem, et gratiam illustriorem facere : sicut utique et Paulus fecit, sequentibus laboribus, et studio, diligentiaque augens omnia, quæ accepit bona. Et nota Dei providentiam, nec tibi totum hoc dedit, neque toto privavit : sed hæc dedit, illa promisit. Et quare non hic totum dedit? ut tu fidem in ipsum demonstres, nondum datis ex ipsius promissione sola credens. Quare vero rursum non omnia illic servavit, sed dedit et spiritus gratiam, et justitiam, et sanctificationem? ut tibi labores leves faciat, et ex jam datis etiam de futuris te bonæ spei constituat. Propterea que recenter illuminatus vocari debes : quoniam nova lux semper tibi, si velis, et nunquam extinguitur. Hanc nempe lucem et volentibus nobis et nolentibus nox subsequitur : illum vero

[1] Job. I, 1. — [2] Eccle. XII, 13. — [3] Matth. X, 42.

radium tenebræ non norunt : « Lux enim in tenebris lu-» cet, et tenebræ eam non comprehenderunt[1]. » Non sic enim mundus est clarus oriente radio, ut anima illustratur et splendidior fit a Spiritu gratiam suscipiens. Et considera diligentius rerum naturam. Nocte enim terras tenente, et tenebris caligantibus, sæpe funiculum quis cernens, serpentem esse putavit, et amicum accedentem tanquam inimicum fugit : et strepitum quempiam sentiens, trepidus factus est : lucente vero die nihil tale acciderit, sed omnia qualia sunt apparent : quod et in anima nostra contingit. Postquam enim gratiæ veniens mente tenebras expulerit, rerum veritatem discimus, et nobis fiunt despicabiles res prius tremendæ : nec enim amplius mortem timemus, diligenter ex hac sacra initiatione discentes, mortem non esse mortem, sed somnum, et dormitionem temporariam : non pauperiem, non morbum, non aliud quid hujusmodi, reformidamus, scientes nos ad meliorem tendere vitam, immortalem et incorruptam, et ab omni tali liberam inæqualitate.

II. Ne igitur amplius ad mortalia maneamus hiantes, nec circa mensæ delicias, nec circa vestimentorum ornatum : habes enim maximum indumentum, habes mensam spiritualem, habes gloriam superne, et omnia tibi Christus factus est, et mensa, et vestimentum, et domus, et caput, et radix. « Quotquot in Christo enim baptizati » estis, Christum induistis[2]. » Ecce quomodo vestimentum tibi est. Vis discere quomodo et mensa tibi sit ? « Qui » me comedit, inquit, vivet ille propter me. » Quod autem domus sit tibi : « Qui comedit carnem meam, in me ma-» net et ego in eo[3]. » Et quod radix, rursum inquit : « Ego » vitis, vos palmites. » Et quod frater, et amicus, sponsus : « Non amplius vos dicam servos. Vos enim amici mei es-

[1] Joan. I, 5. — [2] Galat. III, 27. — [3] Joan. VI, 56.

» tis [1] : » et Paulus : « Despondi vos uni viro virginem cas- » tam exhibere Christo, « Et rursum : » Ut sit ipse primo- » genitus in multis fratribus [2]. » Nec fratres tantum ipsius, verum et pueruli sumus. « Ecce enim, inquit, ego et pue- » ruli, quos tradidit mihi Deus [3]. » Non hoc autem solum, verum et membra ipsius et corpus ejus [4]. Tanquam enim non sufficerent ea, quæ dixerat, ad demonstrandam be- nevolentiam et charitatem quam erga nos exhibet, et aliud his majus, et propius posuit, se caput nostrum appellans [5]. Hæc omnia certo sciens, dilecte, sis gratus erga benefactorem tuum optima conversatione, et sacri- ficii magnitudinem cogitans, orna corporis tui membra : cogita quid manu capias, nec unquam ullum verberare audeas, nec tanto decoratam munere, plagæ crimine de- decores. Cogita quid manu capias, et ipsam ab omni avaritia et rapina liberam conserva. Reputa quod non tantum manu capias, verum et ori admoveas, et linguam custodi a contumeliosis mundam et turpibus verbis, blas- phemia, perjurio, et aliis omnibus hujusmodi. Etenim perniciosum est, tam tremendis ministrantem mysteriis linguam, et sanguine tali purpuratam, et factam auream, gladium ad convicia et contumelias et scurrilitates trans- ferre. Reverere honorem, quo Deus ipsam honoravit, nec ad peccati usum ipsam deducas : sed rursum animad- vertens, quod post manum et linguam cor suscipiat tre- mendum illud mysterium, ne unquam in proximum con- suas dolum, sed mentem tuam ab omni malitia mundam conserva. Sic et oculos, et aures munire poteris. Quomodo enim non est absurdum post mysticam illam vocem e cœ- lis delatam, a Cherubim dico, meretriciis cantibus, et fractis melodiis aures inquinare ? Quomodo vero non

[1] Joan. xv, 1 et 15. — [2] 2 Cor. xi, 2, et Rom. viii, 29. — [3] Isaï. viii, 18. — [4] 1 Cor. xii, 27. — [5] Ephes. i, 32.

extrema pœna dignum est, oculis quibus arcana vides et tremenda mysteria, his meretrices spectare, et mente adulterium exercere ? Ad nuptias vocatus es, dilecte, ne intres sordidis indutus vestimentis, sed nuptiis congruam cape vestem. Si enim ad nuptias sensibiles homines invitati, etsi omnium pauperrimi sint, mutuo sumentes sæpe, vel ementes vestimentum mundum, sic se vocantibus occurrunt : et tu ad nuptias spirituales, et prandia vocatus regalia, consideres quale dignum sit te nuptiale vestimentum comparare. Verumenimvero nec opus est comparare, sed ipse qui vocat tibi dat gratis, ne vel paupertatem prætendere valeas. Serves itaque quod accepisti vestimentum. Si namque perdideris, amplius commodato accipere non poteris, aut emere. Nusquam enim venditur tale vestimentum. Audisti quomodo gemuerunt olim sacris introducti, et pectus percusserunt, eos stimulante conscientia ? Considera igitur et tu, dilecte, ne unquam hoc patiaris. Quomodo autem non patieris, non expulsa prava malorum consuetudine ? Propterea et prius dixi, et nunc dico, et dicere non desistam, si quis morum vitia non correxit, nec sibi facilem paravit virtutem, ne baptizetur. Priora nempe crimina lavacrum abluere potest : timor autem non parvus, et periculum non mediocre, ne rursum ad eadem redeamus, et in vulnus nobis medicina vertatur. Quanto namque major gratia, tanto amplior postea peccantibus pœna ?

III. Ne igitur ad pristinum redeamus vomitum, jam nos ipsos eruditamus. Quod enim oporteat prius pœnituisse, et a prioribus destitisse malis, et sic ad gratiam accedere, audi quid Joannes dicat, quid vero princeps Apostolorum baptizari debentibus. Ille nempe dicit : « Facite fructum » dignum pœnitentiæ : et ne incipiatis dicere intra vos,

»Patrem habemus Abraham[1]. Hic autem interrogantibus rursus aiebat: « Pœnitentiam agite, et baptizetur quisque »vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi[2]. »Qui autem agit pœnitentiam, non amplius eadem attingit negotia, quorum pœnituit: ideoque jubemur dicere: Abrenuntio tibi, Satana, ne amplius ad ipsum revertamur. Sicut igitur in pictoribus accidit, sic et nunc fiat. Etenim illi tabulas proponentes, et albas circumducentes lineas, et regias depingentes imagines, priusquam colorum veritatem superindicant, cum omni libertate hæc quidem delent, illa vero repingunt, et errata corrigentes et male se habentia transponentes: postquam vero jam colorem induxerint, non amplius libertatem habent rursum delendi et depingendi; quoniam imaginis pulchritudini nocerent, et sine culpa fieri non posset: hoc tu quoque fac, puta animam esse tibi imaginem. Priusquam igitur superveniat vera spiritus tinctura, male insitas tibi consuetudines dele, sive jurare, sive mentiri, sive contumelias inferre, sive turpia loqui, sive ridicula facere solitus es, sive quid aliud hujusmodi non licitum faciendi consuetudinem habes, erue consuetudinem, ne post baptisma rursum ad ipsam regrediaris. Peccata delet lavacrum: tu consuetudinem corrige, ne jam inductis coloribus, et illustrata imagine regia, amplius deleas, et vulnera et cicatrices inferas a Deo tibi dato decori. Corripe igitur iram, extingue furorem, sive quis afficiat injuria sive contumelia; lacrymis illum prosequere: ne indigneris tu, condole, ne exacerberis: ne dicas: In anima patior injuriam. Nemo est in anima injuriam patiens, nisi nos ipsos in anima injuria afficiamus. Et quomodo id ita sit, jam dicam. Ablata est res tua, non passus es in anima, sed in pecuniis: si tu vero mali memoriam serves, in anima tu te ipsum

[1] Luc. III, 8. — [2] Act. II, 38.

læsisti. Pecuniæ enim ablatæ nihil animam læserunt, verum et adjuverunt : tu vero non iram dimittens, pœnas illic hujus servatæ malorum memoriæ dabis. Conviciis te quispiam et contumeliis affecit, te nil in anima læsit, sed nec in corpore : tu vicissim contumelias et convicia intulisti, te ipsum in anima læsisti, eorum quæ dixisti, illic pœnas subiturus. Et hoc omnium maxime vos certum scire volo, Christianum et fidelem in anima posse lædere neminem nec ipsum diabolum. Nec hoc tantum est admirabile, quod nos Deus omnibus insidiis inexpugnabiles fecerit : verum et quod ad omnem virtutis operationem nos aptos paraverit : et impedimentum nullum est, si velimus, licet pauperes sive corpore imbecilles, sive abjecti, sive ignobiles, sive servi. Nec enim paupertas, nec imbecillitas, nec corporis mutilatio, non servitus, non aliud talium quidpiam, ad virtutem impedimentum esse queat. Et quid dico pauperem, et servum, et ignobilem? etiamsi captivus sis, nec hoc tibi ad virtutem impedimentum esset. Et quo id modo sit, dicam. Quidam domesticorum te contristavit, et irritavit, ipsi iram remitte. Numquid tibi ad hoc vincula et paupertas, et ignobilitas impedimentum afferunt? Et quid dico impedimentum? potius adjuvant : namque et cooperantur ad superbiam comprimendam. Vidisti alium feliciter agentem, ne invideas, nam nec hic paupertas impedimentum est. Rursum cum orare convenit, sobria et vigili mente hoc præsta, et nec hic ullum erit obstaculum. Benignitatem, mansuetudinem omnem exhibe, modestiam honestatem : nec enim ista exteriorum indigent auxiliorum. Et hoc est virtutis maximum, quod non divitiis, non potentia, non gloria, non alia quapiam talium rerum opus habeat, sed anima tantum sanctificata, et nil amplius inquirat. Respice vero et in gratia hoc ipsum fieri : sive quis enim claudicet, et

evulsis sit oculis, et corpore mutilus, sive in extremam delapsus infirmitatem, ab horum nullo gratia venire prohibetur. Animam enim exquirit solam se cum alacritate suscipientem, et hæc omnia exteriora prætercurrit. Externorum quidem militum, et corporis staturam, et bonam carnis habitudinem exquirunt qui ipsos militiæ ascribunt. Non hæc autem sola militaturum oportet habere, verum et libertatem : si quis enim sit servus, rejicitur : cœlorum autem Rex nihil tale requirit, sed et servos in exercitum suum suspicit, senes et invalidos membris, neque eum talium pudet : quo quid humanius aut benignius cogitari potest? Hic enim ea solummodo, quæ in nostra potestate sita sunt, quærit : illi vero quæ sita non sunt. Servitus enim vel libertas in potestate nostra sita non sunt, quemadmodum neque proceritas staturæ aut brevitas, neque senium, et quæcumque talia : mansuetum autem et mitem esse, et his similia, voluntatis nostræ sunt. Et hæc sola a nobis Deus exigit, quorum nos domini sumus, et valde congruenter : non enim propter propriam utilitatem, sed propter beneficentiam nos ad suam gratiam vocat, reges vero ad ministerium suum : et illi quidem ad bellum trahunt sensibile, hic autem ad pugnam spiritualem. Nec in bellis tantum externis, verum et in certaminibus eamdem quis rationem videre possit. In illud enim theatrum qui trahendi sunt, non prius descendunt in certamina, donec ipsos assumens præco sub omnium oculis circumducat clamans, et dicens : Num quis hinc accusat? etsi illic non animæ, sed corporis pugnæ sint : quare igitur nobilitatis rationes requiris? Hic vero nihil tale, sed totum contrarium : cum non in manuum collationibus sint nobis certamina, sed in animi philosophia et mentis virtute, contrarium agonotheta noster facit, non ipsum assumens circumducit, et ducit : Num quis hinc accusat?

sed clamat : Licet omnes homines, licet dæmones cum diabolo constituti ipsum accusent de turpissimis et occultis criminibus, non rejicio, nec abominor, sed ab accusatoribus ipsum liberans, et ab iniquitate absolvens, sic ad certamina duco : nec immerito. Illic enim agonotheta nil certantibus confert ad victoriam, sed medius constitutus est : hic autem agonotheta pietatis propugnatoribus commilito fit, et auxiliator, cum ipsis contra diabolum pugnam committens.

IV. Nec hoc tantum est admirabile, quod nobis peccata dimittat, verum et quod ipsa non revelet, nec manifesta faciat, nec accedentes cogat in medio patrata edicere, sed sibi soli rationem reddere jubeat, et sibi confiteri. Etenim ex sæcularibus judicibus, si quis alicui captorum latronum vel eorum qui sepulcra effodiunt diceret, ut peccata confiteretur, quo sibi pœna dimitteretur, cum omni certe alacritate hoc susciperent, salutis cupiditate pudorem contemnentes. Hic vero non ita est, verum et peccata dimittit, nec cogit præsentibus quibusdam ipsa enuntiari : sed unum solum exigit, ut ipse remissione fruens, doni magnitudinem discat. Quomodo igitur non absurdum, ut in quibus nos ipse beneficio afficit, solo testimonio nostro contentus sit : nos autem in quibus ipsum colimus, alios testes quæramus, et ad ostentationem quidquam faciamus ? Ipsius igitur benignitatem admirati, nostra ipsi exhibeamus, et præ omnibus linguæ impetum refrenemus, et ne semper loquamur. « Ex multiloquio namque non effugies peccatum[1]. » Si nempe dicendum utile quid habes, aperi labia : si nihil sit necessarium, tace : melius est enim. Artifex manualis es, sedens psalle, sed non vis ore psallere ? hoc facias mente. Magnus contubernalis Psalmus. Nihil hinc grave sustinebis,

[1] Prov. x, 19.

sed tanquam in monasterio in officina sedere poteris : non enim locorum commoditas, sed morum probitas quietem nobis præbebit. Paulus enim in officina artem suam tractans nihil ad propriam virtutem læsus est[1]. Ne dicas igitur : Quomodo potero, cum artifex et pauper sim, philosophari ? Propterea nempe magis poteris philosophari. Nam paupertas divitiis, et negotium otio ad pietatem nobis est opportunius : quippe cum et divitiæ non advertentibus impedimentum fiant. Cum enim iram dimittere oporteat, cum invidiam extinguere, cum remittere furorem, cum orationem offerre, cum benignitatem et mansuetudinem, cum modestiam et charitatem exhibere, ubi paupertas impedimentum esse valeat ? non enim argentum erogantes hæc oportet obire, sed rectam exhibentes voluntatem. Eleemosyna maxime pecuniis eget, verum et ipsa per paupertatem magis effulget : etenim quæ duos obolos erogavit, omnium hominum erat pauperrima, et omnes superavit. Ne magnum igitur quid divitias esse putemus, nec luto melius aurum esse cogitemus. Materiæ namque pretium non ex natura est, sed ex opinione nostra. Si quis enim diligenter inquireret, multo magis auro ferrum necessarium : illud namque nullum vitæ confert usum, hoc autem pleraque necessaria nobis expedit, innumeris artibus serviens. Et quid dico auri et ferri comparationem ? hi enim vulgares lapides magis necessarii sunt, quam pretiosi : nam ex his nihil utile fieri posset, ex illis vero domus, et muri, et urbes constructæ sunt. Tu vero mihi demonstra, quæ de margaritis utilitas istis, quinimo quod non inde damnum eveniat ? Etenim ut tu feras unionem unam, innumeri pauperes fame premuntur : quam igitur defensionem, quam veniam assequeris ? Vis ornare faciem ; non margaritis orna, sed modestia et honestate,

[1] Act. XVIII.

sicque vir gratiorem faciem cernet. Ille nempe ornatus et in zelotypiæ suspicionem injicere sæpe solet, et inimicitias, et contentiones, et pugnas : nil autem vultu suspecto turpius : eleemosynæ vero et modestiæ ornatus omnem quidem improbam suspicionem expellit, omni autem vinculo firmius conjugem conciliat : non enim tam decoram natura parat faciem, quam spectantis affectus : affectum vero nihil sic, ut modestia et honestas conciliare solet. Itaque licet pulchra sit mulier, vir autem erga ipsam male affectus sit, omnium ipsi turpissima videbitur. Si vero non esse pulchram aliquam contingat, illa tamen si viro suo placeat, omnium ipsi pulcherrima esse videbitur. Non enim in eorum, quæ cernuntur, natura, sed in cernentium affectu judicia fiunt. Speciem igitur oris exorna modestia, honestate, eleemosyna, humanitate, charitate, erga virum dilectione, mansuetudine, benignitate, malorum tolerantia : hi sunt virtutis colores, per hos allicies Angelos, non homines, per hos ipsum habebis Deum laudatorem, cum vero Deus acceptaverit, et virum omnino tibi placabit. Si enim viri sapientia faciem illuminat[1], multo magis virtus mulieris vultum illuminat. Si vero putas esse magnum hunc ornatum, dic mihi, quæ utilitas tibi in die illa de margaritis istis veniet? Et quid opus diem illam commemorare, cum liceat et ex præsentibus hæc omnia demonstrare? Cum enim ii, qui imperatori contumeliam intulerant, ad tribual trahebantur, et de extremis periclitabantur : tunc matres et uxores monilia aurea, et margaritas deponentes, ornamentumque omne, et vestimenta aurea, vilem et abjectam vestem sumentes, et cinerem inspergentes sibi, et ante fori januas se volutantes, sic judices exorabant. Si autem in his judiciis aurea quidem monilia, et uniones, et varia vestis, insidiæ

[1] Eccle. VIII, 1.

et proditio essent: mansuetudo autem, benignitas, cinis, lacrymæ et vilia vestimenta magis judicem conciliant: multo magis in judicio illo inevitabili et tremendo hoc fiet. Quam enim rationem dicendam habebis? quam, dic mihi, excusationem, quando te Dominus accusabit de margaritis istis, et pauperes fame perditos in medium aget? Propterea Paulus dicebat: « Non in tortis crinibus, » vel auro, vel margaritis, vel vestimento pretioso[1]: » hinc nempe struentur insidiæ. Etsi autem jugiter ipsis fruamur, tamen omnino per mortem ab ipsis separabimur: ex virtute vero securitas omnis, et mutatio ruinave nulla. Verum et hic nos ea reddit tutiores, et illuc comitatur. Vis margaritas possidere, nec unquam has divitias deponere? ornatum omnem auferens in Christi manus per pauperes repone: ille tibi cunctas custodiet divitias, postquam corpus tuum multa cum claritate resuscitaverit, tunc tibi meliores circumponet divitias, et ornatum majorem, quippe cum sit hic præsens vilis et ridiculus. Cogita namque quibus vis placere, et propter quos hunc induis ornatum, ut funarius, et ærarius, et institor admirentur conspicati. Annon confunderis et erubescis te illis ostentans, et quos nec appellatione tua dignos censes, propter hos omnia faciens? Quomodo igitur hanc omnem vanitatem deridebis? Si vocis illius recorderis, quam dum sacris initiareris, emisisti: Abrenuntio tibi, Satana, et pompæ tuæ, et cultui tuo. Circa margaritarum enim cultum insania, est pompa satanica. Aurum enim cepisti, non ut corpus vincias, sed ut pauperes solvas, et enutrias. Dic igitur frequenter: Abrenuntio tibi, Satana: nihil hac tutius voce, si ipsam per opera exhibeamus.

V. Hanc et vos initiandi ut discatis obsecro: hæc enim vox confœderatio cum Domino est. Et sicut nos servos

[1] 1 Tim. II, 9.

ementes, ipsos qui venduntur, prius interrogamus an nobis servire velint : ita facit et Christus; quando debet te in servitutem capere, prius interrogat an velis illum crudelem tyrannum dimittere et immitem, et ad fœdera suscipit : non enim coactum est ipsius imperium. Et vide benignitatem. Nos nempe priusquam pretium erogemus, interrogamus eos qui venduntur, et cum didicerimus eos velle, tunc pretium erogamus : Christus autem non ita; verum et pretium erogavit pro omnibus nobis pretiosum sanguinem suum : « Pretio enim, inquit, empti estis[1] : » et tamen neque sic cogit sibi servire nolentes : sed nisi gratiam habeas, et a te ipso et sponte ejus velis dominatui ascribi, non cogo, inquit, neque compello. Et nos quidem improbos servos ne emimus quidem : quod si quando emamus, pravo consilio tale pretium erogamus : Christus autem ingratos emens servos, et iniquos, optimi servi pretium erogavit : imovero multo majus, ac tanto majus ut neque ratio, neque mens ipsius magnitudinem capiat : non enim cœlum et terram et mare dans, sed omnibus his pretiosiorem sanguinem suum effundens, ita nos redemit : et post hæc omnia non testes a nobis, non chirographa exigit, sed sola contentus est voce : et si dicas ex corde : Abrenuntio tibi, Satana, et pompæ tuæ, totum recepit. Hoc igitur dicamus : Abrenuntio tibi, Satana : tanquam in illa die hujus vocis rationem reddituri, et ipsam custodiamus, ut salvum tunc reddamus depositum. Pompa vero satanica sunt, theatra, circenses, et omne peccatum, dierum observatio, præstigiæ, et omina. Et quid tandem sunt omina? Sæpe domo quis sua egressus hominem vidit unoculum, vel claudicantem, et ominatus est. Hæc est pompa satanica : non enim hominis occursus malum facit diem, sed in peccatis vivere. Cum igitur exieris,

[1] 1 Cor. VII, 23.

unum modo cave, ne occurrat tibi peccatum: hoc enim est quod supplantat, præter hoc vero nec ipse diabolus nos quidpiam lædere poterit. Quid dicis? hominem cernis, et ominaris, nec cernis laqueum diabolicum, quomodo te illi, qui te nulla affecit injuria, reddit inimicum? quomodo te fratri constituit adversarium ex nulla justa occasione? Et Deus quidem vel inimicos amare nos jussit: tu autem nil lædentem aversaris, nil accusandum habens, nec cogitas, quantus risus, quantum dedecus, imovero quantum periculum? Dicam-ne et aliud ridiculosius? confundor nempe et erubesco, sed cogor propter salutem vestram dicere. Si virgo, inquit, occurrerit, sterilis dies erit: si vero meretrix, dextera et bona, et multa mercatione plena. Occultamini, et frontem percutitis, et ad terram inclinatis: sed non nunc dum dicuntur verba, sed cum fiunt opera, erubescendum erat. Vide nempe quomodo et hic diabolus dolum abscondit, ut modestam quidem aversemur, impudicam vero gratam habeamus et amemus. Quoniam enim audivit Christum dicentem, « Qui aspicit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam[1], et vidit multos lasciviam vincere, volens rursum per aliam viam ipsos in peccatum impellere, per hanc observationem meritoriis mulieribus libenter oculos intendere persuasit. Quid vero diceret aliquis de iis, qui carminibus et ligaturis utuntur, et de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti, vel pedibus? dic mihi, an hæ sunt expectationes nostræ, ut post crucem et mortem dominicam in gentilis regis imagine spem salutis habeamus? Ignoras quanta crux perfecit? mortem dissolvit, peccatum extinxit, Orcum inanem reddidit, diaboli solvit potentiam, et ad corporis sanitatem præstandam non est fide digna? totum orbem exsuscitavit, et

[1] Matth. v, 28.

tu in ipsa non confidis ? et quid pati dignus non esses ? Non ligaturas vero tantum, sed etiam excantamenta tibi circumducis, vetulas ebrias et titubantes domum ducens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam ad hæc trepidans disciplinam : et quod gravius est errore, quando hæc admonemus, et dissuademus, putantes se excusari, dicunt : Christiana est mulier hæc excantans, et nihil aliud loquitur, quam Dei nomen. Propterea namque potissimum ipsam odi et aversor, quod Dei nomine ad contumeliam utatur : quod se dicens esse Christianam, Gentilium opera faciat : etenim et dæmones Dei nomen proferebant, sed tamen erant dæmones, et ita Christo dicebant : « Scimus » te, qui sis, Sanctus Dei[1] : » et tamen ipsos increpavit, et ejecit. Propterea quippe vobis supplico, ut ab hac sitis fallacia puri, et tanquam baculum hoc verbum habeatis. Et sicut sine calceamentis, vel vestimentis vestrum nemo in forum descendere vellet : ita sine verbo hoc nunquam in forum prodeas, sed cum es januæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum : Abrenuntio tibi, Satana, et pompæ tuæ, et cultui tuo, et conjungor tibi, Christe. Ne unquam absque hac voce excas : hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo et crucem in fronte imprime : sic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipse diabolus te quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis ubique apparentem. Et hæc te ipsum jam hinc doce, ut cum signum ceperis, sis miles paratus, et contra diabolum tropæum erigens, justitiæ coronam capias, quam nos assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, simul et sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Marc. 1, 24.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

DE SACERDOTIO. LIBRI SEX.

LIBER I.

De Sacerdotio.

I. *Basilius omnibus Chrysostomi amicis antecellit.* — II. *Concordia Basilii et Chrysostomi, et communis circa res omnes disquisitio.* — III. *Statera inæqualis, cum vita monastica ineunda esset.* — IV. *Propositum communis habitationis utriusque.* — V. *Matris blanditiæ.* — VI. *Fraus qua in ordinatione usus est Chrysostomus.* — VII. *Basilii accusatio modesta et simplex.* — VIII. *Chrysostomi defensio cum reprehensione conjuncta.* — IX. *Magna ex tempestiva fraude utilitas : thesis et locus communis.*

I. Mihi quidem amici complures fuere[1]; iique germani et veri, qui amicitiæ leges et probe intelligerent et diligenter observarent. Horum vero complurium unus, qui cæteros omnes amicitia longe superabat, tantum illos retro relinquere studebat, quantum illi reliquos mediocriter erga me affectos. Is ex eorum numero erat, qui lateri meo

[1] Vide D. Guillon, tom. x, p. 171-197.

perpetuo hærerent : etenim iisdem tum disciplinis, tum magistris operam dedimus. Unum utriusque erat circa litteras studium, una sollicitudo : par desiderium iisdem ex rebus natum. Neque enim solum cum ad magistros ventitaremus; sed etiam cum illinc egressos, consilium inire oporteret, quod præstantius vitæ genus nobis capessendum esset, tunc etiam idem consensus apparebat.

II. Erant et alia quæ hanc concordiam firmam inconcussamque servarent. Neque enim ob patriæ amplitudinem alter adversus alterum se efferre poterat : mihi non opes summæ erant , ille extrema premebatur inopia. Imo et facultatum modum propositi paritas æmulabatur : par generis conditio erat, omniaque ad sententiam nostram concurrebant.

III. Cum autem proximum esset ut beatus ille vir monachorum vitam veramque philosophiam amplecteretur, jam non par erat statera ; sed ejus lanx, ut pote levior, sublimis ferebatur ; ego vero mundi cupiditatibus irretitus, lancem meam, juvenilibus onustam cogitationibus deprimebam. Hic demum amicitia quidem firma, ut ante, manebat, sed consuetudo dirimebatur : neque enim una versari poterant qui non iisdem studiis tenerentur. Cæterum ubi et ipse a vitæ hujus fluctibus caput paululum erexi, me ille ambabus apprehendit manibus : at ne sic quidem potuimus æqualitatem pristinam retinere. Etenim cum ille nos tempore antevertisset, ardensque studium exhibuisset, rursus sublimior ferebatur, in altum valde sublatus.

IV. Attamen bonus cum esset, amicitiamque nostram magni faceret, a cæterorum omnium contubernio se abducens, nobiscum omni tempore versabatur, quod antea ipsi in voto erat, sed ut dixi, a segnitie nostra prohibitus fuerat. Neque enim poterat is, qui judiciis et foro hærebat, et scenæ oblectamenta sectabatur, cum eo sæpe ver-

sari, qui libris deditus, in forum nunquam ventitaret. Quamobrem cum antea repulsus, nos ad eamdem vitæ societatem accepisset, quod jampridem desiderium parturiebat, confestim peperit, ac ne minimam quidem diei partem a nobis abesse patiebatur: sed assidue hortabatur, ut domo uterque sua relicta, commune domicilium incoleremus, quo impetrato, jam res in manibus erat.

V. Verum assiduæ matris illecebræ obstiterunt, quominus hanc illi gratiam redderem; imovero, quominus id beneficii ab eo acciperem. Enim vero ubi illa odorata est me id consilii inire, dextra apprehensum introduxit me in peculiare sibi domicilium, ac me prope lectum, ubi me enixa fuerat, assidere jusso, emissis lacrymarum fontibus, ipsis lacrymis miserabiliora verba proferebat: his me gemebunda compellans: Ego, inquit, fili, virtute patris tui non multo tempore ita providente Numine frui potui. Nam partus tui dolores excipiens illius obitus, te pupillum, me viduam præmature reliquit, additis viduitatis incommodis, quæ expertis solum probe nota sunt. Nullus enim sermo illam tempestatem ac procellam exprimere possit, quam puella subit, cum nuper e domo patris emissa, ac negotiorum imperita, repente luctu intolerabili perculsa, sollicitudinem ætate ac sexu suo majorem suscipere cogitur. Opus enim est servorum ignaviam emendare, nequitiam observare, cognatorum insidias propulsare: publicanorum molestias, et in vectigalibus exigendis immanitatem fortiter ferre. Quod si is, qui mortem obit, prolem relinquat; si sit fœmina, magnam utique matri curam exhibet; sed tamen sumptibus et metu vacantem. At filius sexcentis quotidie timoribus replet, multisque sollicitudinibus; mitto enim pecuniarum expensam, quam multam facere cogitur mater, si liberaliter illum educare cupiat. Me tamen horum nullum

ad alteras nuptias vel ad alterum in patris tui ædes inducendum sponsum permovit. Sed in procella et turbine mansi, ferreamque viduitatis fornacem non evasi : primo quidem superno fulta subsidio : deinde non modico mihi in calamitatibus solatio erat, quod vultum frequenter tuum aspicerem, ac vivam defuncti imaginem servarem, quæ illum accurate referret. Quapropter cum adhuc infans esses, necdum loqui valeres, cum maxime pueri parentes oblectare solent, magnæ mihi consolationi fuisti. Neque illud mihi vitio vertere possis, quod licet viduitatem fortiter tulerim, paternas tamen ob viduitatis incommodum tibi minuerim facultates, quod multis in orbitate infeliciter accidisse novi : nam illas tibi integras servavi, licet nihil eorum sumptuum prætermiserim, qui ad liberalem institutionem tuam necessarii erant; idque ex facultatibus meis, exque pecuniis, quas e domo paterna attuleram. Ne vero putes me tibi exprobrantem hæc dicere : sed pro his omnibus unam postulo gratiam, ne me altera viduitate involvas, neu sopitum jam luctum denuo excites : verum mortem expectes meam : hinc fortasse brevi emigrandum mihi erit. Nam juvenes quidem ad provectam perduci senectutem sperare possunt; nos autem, qui consenuimus, nihil aliud, quam mortem præstolamur. Cum itaque me terræ tradideris, patrisque ossibus admiscueris, longas suscipito peregrinationes, et quodcumque volueris pelagus trajicito : nemo tunc prohibiturus est. Cæterum donec respiramus, contubernium meum ne respuas, neu in Dei offensionem temere incurras, dum nos, nihil tamen læsus a nobis, tot malis involves. Etenim si conqueri potes, quod te ad mundanas curas pertraham, ac negotiis prospicere tuis cogam, ne leges naturæ, ne educationem, ne consuetudinem, neu aliud quidpiam revereris, sed nos tanquam insidiatores et inimicos fuge; sin vero nihil non

agimus; ut tibi otium paremus ad vitam instituendam, si minus aliud vinculum certe hoc unum te apud nos detineat. Nam etiamsi te a sexcentis aliis amari dicas, nullus tibi tantam libertatem procurabit, quandoquidem nemo est, cui existimatio tua æque ac mihi chara sit.

VI. Hæc et his plura matris verba erant: quæ cum generoso illi viro renuntiarem, ille nedum hujusmodi verbis moveretur, acrius etiam instabat, eadem ipsa, quæ prius, efflagitans. Hæc cum inter nos versaremus, illo frequenter instante, me abnuente, exortus subito rumor utrumque turbavit, fama enim erat nos ad episcopalem dignitatem promovendos esse. Quibus auditis ego, timore simul et hæsitatione perculsus sum; timore, ne invitus raperer; hæsitatione, cum identidem disquirerem, quo pacto viris illis in mentem venisset de nobis quidquam hujusmodi cogitare. Nam me ipsum inspicienti, nihil succurrebat illo dignum honore: generosus autem ille, me seorsim conveniens, cum famam quasi ignoranti aperisset, rogbat, ut quemadmodum ante, hic etiam factorum consiliorumque consortes videremur: paratum se esse, ad utramvis viam amplecterer, sive fugiendum, sive consentiendum esset, persequendam. Ejus ego animum conspicatus, damnumque ratus me universæ Ecclesiæ illaturum, si tam probo, tam ad multorum præfecturam idoneo juvene gregem Christi ob infirmitatem meam privarem, quod in animo erat non detexi, etsi antea nullum consiliorum meorum ipsi occultassem. Sed cum respondissem ea de re consultationem aliud in tempus rejiciendam esse, neque enim id in præsentia urgere, statim persuasi nihil propterea curandum esse, fiduciamque indidi, me ejusdem sententiæ consortem fore, si quando res hujusmodi contingeret. Haud ita multo elapso tempore, cum is qui nos ordinaturus erat advenisset, ac me ipse occultassem: ho-

rum ignarus ille, quasi ad aliud negotium ducitur, jugumque accipit, sperans me, ut promiseram, perinde secuturum esse : imo potius se, me præeunte, secuturum. Etenim nonnulli ex iis qui aderant, videntes eum, quod comprehensus esset, ægre ferentem, ei verba dederunt, clamantes absurdum esse eum qui omnibus ferocior videbatur, me designantes, cum magna modestia Patrum placito obtemperasse; illum autem multo prudentiorem et moderatiorem, ferocire, vanam gloriam appetere, subsultantem, resilientem, repugnantem. His ille verbis obsecutus, postquam audivit me aufugisse, tristis admodum me adit, assidetque mihi, verba facere cupiens; verum animi angustia detentus, cum eam, quam passus fuerat, vim declarare non posset, in ipso oris hiatu fari prohibebatur, mœrore orationem antequam dentes transiliret, interrumpente. Illum ego intuitus lacrymis perfusum, animoque turbatum, rei causam edoctus, multa cum voluptate in risum prorupi, apprehensumque dextera deosculari conatus sum, Deoque gloriam referebam, quod machinamenta mihi recte ac pro voto cessissent. Ille ut me lætum hilaremque vidit, ubi primum se a nobis deceptum esse animadvertit, id longe gravius indigniusque ferebat.

VII. Porro ab illa perturbatione sedato parumper animo : etsi, inquit, partes nostras respueris, ac nullam jam nostri rationem habeas, nec certe scio qua de causa; oportuit saltem te existimationis tuæ curam habere. Nunc vero omnium ora aperuisti, teque ex inanis gloriæ amore cuncti dicunt hoc ministerium recusasse, nec quisquam est qui te ab hac criminatione eximat. Mihi autem ne in forum quidem ventitare licet : tam multi nempe sunt qui nos conveniunt, ac quotidie incusant. Nam quoties me in quacumque urbis parte vident, seorsim adductum familiares nostri, me in maximam criminis partem vocant.

Ejus consilii gnarus, aiunt, nullam enim rerum ad eum pertinentium ignorabas, nihil oportuit dissimulare, sed rem nobiscum communicare, neque defuisset ars, qua illum in retia conjiceremus. Me vero fateri pudet dicere, me id consilium a te jampridem initum ignorare, ne illi amicitiam nostram fictam esse putent. Nam si ita est, ut vere est, quod ne tu quidem post talia gesta inficiari possis, non e re fuerit externos homines, qui vel mediocrem de nobis opinionem habent, mala celare nostra. Rem itaque ut vere se habet illis aperire vereor, sed tacere cogor, oculosque in terram demittere, atque ab occurrentibus declinare et resilire. Etenim licet prius illud crimen effugiam, restat tamen ut mendacii necessario arguar. Neque enim credent unquam mihi dicenti te Basilium in eorum numero posuisse, quibus arcana scire tua non licet. Verum hæc non multum curo, quando ita tibi jucunda fuere; at reliquum dedecus quî ferre possimus? Nam alii te arrogantiæ, alii vanæ gloriæ accusant; qui autem reis minus parcere volunt, et hæc utraque improperant, et præterea adjiciunt eam, quam iis qui nos honore affecerunt intulimus, contumeliam, quos etiam dicunt hæc jure passos esse, imo graviora promeruisse; utpote qui tot tantisque relictis viris, pueros heri ac nudiustertius in sæcularibus curis volutatos, ut ad breve tempus supercilia contraherent, pullas vestes induerent, vultusque tristitiam simularent, derepente ad tantum honorem adduxerint, quantum ne in somnis quidem assequi speravissent. Atque ii quidem, aiunt, qui a prima ætate ad extremam usque senectutem, ascesim, sive exercitationem sectati sunt, in subditorum numero sunt; imperant autem illis ipsorum filii, qui ne leges quidem noverunt, huic exercendo magistratui positas. Hæc et plura loquentes frequenter instant. Ego vero quid ad hæc respondeam ignoro: tu, quæso, mihi

suppeditato. Neque enim puto temere te et sine causa fugisse, tantamque suscepisse adversus adeo præstantes viros inimicitiam; sed ponderatis rebus ad id venisse, unde et tibi paratam defensionem adesse arbitror. Dic ergo, num justam habeas excusationem, quam criminatoribus afferamus. Nam de injuria qua me affecisti non expostulo tecum, non quod deceperis, quod prodideris, non quod omni tempore amicitiæ meæ fructum tuleris. Nos quippe animam nostram, ut ita dicam, tibi allatam, in manibus tuis reposuimus: tu vero tantam adversum nos calliditatem adhibuisti, quantam si ab inimicis tuis cavendum tibi fuisset. Atqui oportuit, si consilium hujusmodi utile esse putabas, illius lucrum non fugere; sin damnosum, nos quoque, quos omnibus semper præferre dicebas, damno eripere. Tu vero nihil non egisti ut eo incideremus; neque dolo vel simulatione opus erat adversus eum, qui sine dolo et simpliciter omnia dicere et agere apud te solebat. Attamen, ut dixi, nihil eorum crimini do, neque solitudinem exprobro, in qua nos constituisti, cum colloquia illa abstulisti, ex quibus et voluptatem et utilitatem non minimam sæpe carpebamus. Verum hæc omnia mitto, hæc tacite et mansuete fero; non quod tu mansuete in nos deliqueris; sed quod eam mihi legem præscripserim ab illa die, qua amicitiam inii tuam, ut quamvis mihi molestiam afferres, nullam abs te apologiam exigerem. Etenim quod non mediocre mihi damnum intuleris, ipse nosti, si modo meminisse velis sermonum, tum quos exteri de nobis, tum quos nos de nobis ipsis perpetuo habuimus. Hi porro sermones erant, magnum nobis fore lucrum ex concordia, præsidiumque ex amicitia mutua. Aliique omnes dicebant, aliis etiam bene multis non modicæ utilitati fore concordiam nostram. Ego vero, quod ad me attinet, nunquam utilitatem cuipiam posse me præstare putavi: dicebam tamen,

hoc saltem nos lucrum non parvum ex amicitia decerpturos esse, quod iis qui nos oppugnare vellent, inexpugnabiles futuri essemus. Hæc tibi in mentem revocare nunquam cessabam : Difficile est tempus, insidiatores multi, germana charitas extincta, invidiæ pernicies ejus locum subiit, in medio laqueorum progredimur, in pinnis urbium ambulamus : alii quidem ad gaudendum de malis nostris parati sunt, si quid forte sinistrum acciderit, multi undique instant, nemo est qui vicem nostram doleat, vel saltem pauci hujusmodi sunt. Vide ne si disjungamur, risum multum aliis moveamus, risuque graviorem jacturam : « Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita, et quasi regnum vectibus firmatum[1]. » Ne, quæso, hanc dissolvas necessitudinem, neque vectem dirumpas. Hæc et his plura sæpe dicebam, nihil unquam hujusmodi suspicans, sed te sano admodum animo erga nos esse putans, atque ex abundanti medelam sano adhibere curans : nec animadvertens, ut patet, me ægrotanti remedia apponere. At ne sic quidem infelix quidpiam lucratus sum, neque ex tanta illa cautela mihi quidquam accessit emolumenti. Omnia quippe illa confertim projiciens, neque id tecum reputans, me tanquam navem non saburratam in pelagus immensum emisisti, nihil cogitans decumanos illos fluctus, quos me sustinere necesse est. Nam si contingat vel calumniam, vel cachinnum, vel aliam quamvis contumeliam et molestiam in nos inferri, sæpe autem multa hujusmodi necessario accidunt, ad quem confugiemus? apud quem angustias nostras exonerabimus? quis defensionem suscipiet nostram? quis mœroris auctores retundet atque sedabit, nobisque dolorum finem faciet, et solatium afferet, paratosque nos reddet ad aliorum ferendas ineptias? Nemo sane adest, te ab hoc gravissimo bello

[1] Prov. XVIII, 19.

procul remoto, ut ne clamorem quidem meum audire valeas. An nosti quantum admiseris malum? An vel nunc, postquam percussisti, agnoscis quam letale mihi vulnus inflixeris? Verum hæc missa faciamus, neque enim deinceps poterunt ea dissolvi, quæ facta sunt, neque exitus reperiri in rebus exitu carentibus. Quid porro ad exteros dicemus? Quid eorum criminationibus respondebimus?

VIII. CHRYSOSTOMUS. Bono, inquam, animo esto; neque enim ad horum tantum rationem reddendam paratus sum, sed et in quibus nos culpa immunes dimisisti, in iis etiam pro virili mea defensionem parare conabor: ac si libet, ab iis ipsis ordiar. Siquidem absurdus admodumque ingratus essem, si exterorum opinionem curans, nihilque non agens ut ii accusandi finem faciant; virum mihi omnium amicissimum, qui tanta erga me usus sit verecundia, ut ne quidem de illata sibi, ut putat, injuria conqueri velit; imo etiam suis posthabitis, de nostris insuper satagat; non possim flectere, meque apud illum de illata injuria purgare, quinetiam majore erga illum segnitie uti videar, quam ille sollicitudine erga me utitur. Qua igitur in re te læsimus, quandoquidem hinc constituimus apologiæ pelagus ingredi? An quia te circumvenimus, nostramque tibi mentem celavimus? Atqui illud cum pro tui decepti, tum pro eorum etiam, quibus te fallendo prodidimus, utilitate fecimus. Si itaque astutia semper mala, neque illa unquam vel ad quodlibet commodum uti liceat, paratus sum pœnas dare quascumque volueris: seu potius quia nunquam ex me pœnas exigere sustinebis, eas ipsi nobismetipsis irrogabimus, quas solent judices sontibus, cum ab actoribus suis rei peracti fuerint. Sin vero astutia non semper noxia est, sed pro eorum qui illa utuntur animo seu mala seu bona efficitur, missam faciens criminationem istam, qua

te circumventum quereris, proba nos in malum astu usos esse : donec enim id abfuerit, non criminari, sed laudare decipientem æquum fuerit, apud eos saltem qui aliquam æqui bonique rationem habent. Tantum enim lucr ihabet opportuna bonoque animo parata fraus, ut multi sæpe, quod non ea usi sint, pœnas dederint. Ac si velis duces exercituum examinare ab orbe condito celebriores, illorum tropæa quam plurima dolo parta comperies, eosque majori laude celebratos, quam qui aperto marte vicerunt. Nam hi quidem majori pecuniarum hominumque dispendio hostes superant; ita ut plerumque nihil commodi ex victoria referant, sed non minorem victores, quam victi, tum exercitus tum ærarii jacturam faciant. Ad hæc vero non sinunt eos victi tota victoriæ gloria frui : etenim ipsis ejus pars non minima cedit, ut pote qui animis victores, corporibus solum inferiores fuerint; ita ut si potuissent confossi non cadere, neque mors illos prostravisset, nunquam alacritatem animi amisissent. Qui vero fraude vincere potuit, non calamitosos solum, sed etiam risu dignos efficit hostes. Non enim, ut illic, parem utrique fortitudinis; ita et hic ambo prudentiæ laudem referunt; sed integrum victoribus victoriæ præmium cedit : quodque non minus est, victoriæ voluptatem civitati sinceram servant. Neque enim perinde se habent pecuniarum copia, hominumque multitudo, atque animi prudentia : siquidem illa in usu bellico frequenti consumi solent, atque possessores suos deserere; hæc vero quanto magis exerceas, tanto magis augetur. Neque solum in belli, sed etiam pacis tempore, magnum necessariumque fraudis usum esse comperias, nec tantum ad civitatis negotia, sed et ad domestica, viro adversus uxorem, uxori adversus virum, patri in filium, amico in amicum, imo etiam filio in patrem. Neque enim alio modo potuit filia Saülis virum suum e manibus

ejus eruere, quam patrem decipiendo[1]. Ejusque frater, jam ereptum a sorore, iterumque periclitantem servare cupiens iisdem, quibus uxor ejus, usus est telis[2].

IX. Tum Basilius. Nihil hæc ad me, inquit, neque enim hostis sum vel inimicus, neque ex eorum numero, quibus lædendi animus est; contra vero tuæ semper sententiæ omnia mea commisi, cui semper, quando tu jussisti, obsecutus sum. Chrysostomus. At, o vir admirande atque optime, ideo tibi jam antea dixi, non in bello tantum et contra hostes; sed etiam in pace et adversus amicissimos fraude uti interdum opus esse. Quod autem ea non modo decipientibus, sed etiam deceptis utilis sit, a quopiam medicorum sciscitare, quonam illi modo ægros a morbo liberent: audiesque ipsos non arte tantum uti, sed et fallaciam interdum adhibere, atque ejus auxilio adhibito, ægros sanitati restituere. Quando enim tum morbo laborantium morositas, tum morbi ipsius difficultas medicorum consilium non admittit, tunc fallaciæ personam induere coguntur, ut quemadmodum in scena, rei veritatem obtegere possint. Atque hic, si placet, unum tibi ex multis dolum enarrabo, quem a medicis concinnatum audivi. Incidit quidam in febrim ardentem ac vehementissimam: æstus ingens erat, ac cuncta ea, quæ ignem extinguere poterant, respuebat æger. Cupiebat autem, et apud omnes se adeuntes instabat, sibi merum large porrigerent, et exitiosam illam cupidinem implere procurarent. Quod sane non febrim modo inflammasset, sed miserum in furorem conjecisset, si quis tamen talem ipsi gratiam exhibuisset. Cum hic ars nihil proficeret, nullamque machinam excogitare posset, imo prorsus ea rejicienda videretur, ejus vices fallacia suscipiens, vim tantam ostendit, quantam mox audies. Etenim medicus vas testaceum re-

[1] 1 Reg. xix, 12. — [2] 1 Reg. xx, 8.

cens e fornace eductum, vino permulto immersit, abstractum hinc vacuum, cum aqua replevisset, jubet ægro tantis cubiculum velis multis obumbrari, ne lux dolum proderet; et ægro vas quasi mero plenum propinat: quo vix manibus apprehenso ægrotus vini odore statim deceptus, quod oblatum fuerat sine examine accepit: sed morem gerens, ac tenebris deceptus, urgente etiam cupidine, ac satiatus suffocationem statim excussit, atque imminens periculum effugit. Vides-ne fallaciæ lucrum? Quod si quis omnes medicorum dolos recensere velit, oratio sane longior, quam par sit, evadet. Nec solum ii, qui corpora curant, sed etiam ii qui animæ morbis curandis vacant, hoc frequenter remedio uti comperiuntur. Sic beatus Paulus multas illas Judæorum myriadas attraxit[1]: hoc item consilio Timotheum circumcidit ille, qui Galatis comminatur[2], nihil profuturum Christum iis qui circumciduntur. Ideo Legi se subdidit is, qui justitiam ex Lege post fidem in Christum detrimentum putabat[3]. Fraudis quippe magna vis, dum ne doloso consilio offeratur. Imovero hæc minime fraus appellanda est, sed œconomia, sapientia et ars quædam, quæ possit multos exitus in rebus arduis reperire, animæque delicta emendare. Neque enim Phinees homicidam dixerim[4], quod plaga una duos occiderit, quemadmodum neque Eliam ob illos centum milites eorumque duces[5], ac magnum illum sanguinis torrentem, quem ex eorum[6], qui dæmonum sacrificuli erant, cæde manare fecit. Nam si hoc concederemus, et si res ipsas nudas, non expenso auctorum consilio expendere quis voluerit, Abraham occisi nati damnare quivis poterit[7], nepotem item et abnepotem ejus maleficii et doli accu-

[1] Act. xxi, 26, et xvi, 3. — [2] Galat. i, 2. — [3] Philip. iii, 7. — [4] Num. xxv, 8. — [5] 4 Reg. i, 20. — [6] 3 Reg. xviii, 34. — [7] Gen. xxii, 3.

sare[1]; sic enim ille primogenituram obtinuit; hic vero Ægyptiorum divitias in Israëlitarum exercitus transtulit[2]. At non ita se res habet, non ita sane. Apage tantam audaciam. Non modo enim illos culpa vacare dicimus, sed etiam eo nomine miramur: quandoquidem ipse Deus illos ideo laudavit. Namque ille fallax jure dicatur, qui id inique aggreditur, non autem qui sano id consilio facit. Sæpeque contingit ut fallere sit opus, ut per hujusmodi artem magna utilitas importetur. Qui autem recta via incedit, ei quem fallere noluit magna sæpe mala intulit.

LIBER II.

De Sacerdotio.

I. *Sacerdotium grande esse signum charitatis erga Christum.* — II. *Hoc ministerium aliis antecellere.* — III. *Magnum et admirandum animum requirere.* — IV. *Rem esse plenam difficultatum ac periculorum.* — V. *Nos propter charitatem in Christum rem istam fugisse.* — VI. *Demonstratio virtutis Basilii, ac vehementis ejus charitatis.* — VII. *Quod non in contumeliam eorum, qui nos elegerant, ordinationem effugerimus.* — VIII. *Quod etiam fugiendo a vituperatione illos eruerimus.*

I. Quod igitur ex æquo et bono fraudis vi uti liceat[1], imo potius quod eam non fraudem, sed admirandam œconomiam appellare oporteat, pluribus poterat comprobari. Quia vero quæ superius dicta sunt ad id demonstrandum

[1] Gen. xxvii, 19. — [2] Exod. xi, 2. — [3] Vide D. Guillon, tom. x, p. 215-245.

sufficiunt, grave molestumque putarim supervacaneam prolixamque ea de re orationem texere. Tuum de reliquo erit ostendere, num ex commodo tuo fraus ea a nobis adhibita sit. Tum Basilius : Ecquod, inquit, nobis lucrum ex tali vel œconomia vel sapientia, et quomodo eam appellare libeat, ut persuasum nobis sit nos a te non fuisse deceptos? Joannes : Ecquid, inquam, hoc lucro majus fuerit, quam si hæc agamus, quæ dilectionis erga Christum argumenta esse dixit ipse Christus, qui Apostolorum Coryphæum sic alloquitur, « Petre, inquit, amas me? » Id illo confitente, adjungit : « Si amas me, pasce oves » meas [1]. » Interrogat Discipulum Magister, num diligatur ab eo ; non ut ediscat : quomodo enim ediscat cum omnium corda norit? sed ut nos doceret, quantum cordi sibi esset hujusmodi gregis præfectura. Id cum palam sit, illud item manifestum erit, magnam fore mercedem laboranti in iis, quæ magno apud Christum in pretio sunt. Nam si cum quosdam videmus famulorum vel pecorum nostrorum curam habere, sollicitudinem illam pro argumento amoris erga nos habemus, etiamsi illa omnia pecuniæ pretio emantur; qui non pecunia aut alio quopiam simili, sed propria morte hunc gregem emit, et pro ovilis pretio sanguinem dedit, quanto præmio pastores ejus remunerabit? Quamobrem cum dixisset Discipulus, « Tu » scis, Domine, quia amo te, » et dilectum ipsum in dilectionis testem vocasset : non hic stetit Servator, sed dilectionis argumentum adjecit. Non enim quantum Petrus se diligeret ostendere tunc volebat : nam id nobis ex multis argumentis jam palam erat; sed quantum ipse Ecclesiam diligeret suam, et Petrum et nos omnes edoceri voluit, ut magnam et nos hac in re sollicitudinem exhiberemus. Cur enim Deus Filio suo unigenito non pepercit [2], sed

[1] Joan. xxi, 15. — [2] Rom. viii, 32.

quem unicum habebat tradidit[1] ? ut eos qui inimico erga se animo essent sibi reconciliaret, et peculiarem sibi populum faceret. Cur sanguinem effudit[2] ? ut has emeret oves, quas Petro et successoribus ejus tradidit. Jure ergo dicebat Christus, « Quisnam est fidelis servus et prudens, » quem constituit Dominus ejus super domum suam[3] ? » Rursum verba dubitantis sunt, etsi qui loquitur nihil dubitans ea proferat. Sed quemadmodum cum Petrum interrogaret num se diligeret, non ideo sciscitabatur quod vellet Discipuli amorem explorare; sed ut proprii amoris magnitudinem declararet; ita et nunc cum dicit, « Quisnam est » fidelis servus et prudens ? » non hoc ait, quod ei ignotus sit fidelis ac prudens servus : sed quod ostendere velit, quam rari sint hujusmodi servi, et quanta sit illius magistratus amplitudo. Vide itaque quantum sit præmium, « Super omnia, inquit, bona sua constituet eum. »

II. Etiamne igitur nunc nobiscum contendes, quasi te male in fraudem injecerimus : cum omnibus Dei bonis præficiendus sis, illa agens, quæ agenti Petro potentiam indidit, cæterisque Apostolis longe anteposuit. Nam, « Petre, » inquit, amas me plus his ? pasce oves meas. » Atqui poterat sic eum alloqui : Si amas me, jejunia exerce, humi cuba, vigilias cole, injuria affectis patrocinare, esto pupillis quasi pater, et matri eorum quasi maritus. Nunc vero his prætermissis omnibus, quid ait ? « Pasce oves » meas. » Illa enim quæ supra dixi ex subditis multi facile præstare possint, non viri solum, sed etiam mulieres. At cum de Ecclesiæ præfectura, deque concredenda tot animarum cura agitur, recedat a magnitudine tanti negotii totus fœmininus sexus, imo etiam virorum pars maxima. Agantur in medium, qui magno intervallo cæteris omnibus antecellunt, et qui secundum animi virtutem cæteris

[1] Joan. III, 16. — [2] Tit. II, 14. — [3] Matth. XXIV, 45.

tanto sublimiores sunt, quanto universa Hebræorum gente Saül secundum corporis proceritatem [1]; imo et longe majori spatio. Ne mihi enim hic humerorum proceritatis mensura quæratur: sed quanta est inter bruta et rationabiles homines differentia, tantum inter pastorem et eos qui pascuntur sit intervallum, ne quid amplius dicam: nam de multo majoribus periculum est. Siquidem qui oves perdidit, aut lupis rapientibus, aut furibus instantibus, aut peste quadam, aut alio contingente casu, aliquam fortasse veniam a domino gregis impetraverit; sin pœnas ille exigat, pecunia tantum mulctabitur. At ille cui homines, rationabilis Christi grex, concrediti sunt, primo quidem pro ovium pernicie non pecuniarum, sed animæ suæ jacturam facit. Deinde multo majus graviusque certamen habet. Non cum lupis ipsi pugna est, nec de furibus metuit, neque ut pestem abigat a grege sollicitus est. Sed quibuscum bellum sit, et adversum quos lucta ineunda? audi beatum Paulum dicentem: « Non est nobis lucta ad» versus sanguinem et carnem, sed adversus principatus, » adversus potestates, adversus mundi rectores tenebra» rum sæculi hujus, adversus spiritualia nequitiæ in cœles» tibus [2]. » Vidisti-ne inimicorum multitudinem ingentem, phalanges feroces, non ferro munitas, sed quibus sufficit ad omnigenam armaturam ipsa natura? Vis et alium exercitum videre trucem et immanem huic gregi insidiantem? Ipsum quoque ex eadem specula conspicies. Nam qui de supra dictis verba fecit, is ipse et hos nobis hostes indicat, his verbis: « Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, » fornicatio, adulterium, immunditia, impudicitia, ido» lorum servitus, veneficium, inimicitiæ, contentiones, » æmulationes, iræ, rixæ, detractiones, susurri, animi » tumores, dissensiones, et alia his plura [3]. » Neque enim

[1] 1 Reg. x, 23. — [2] Ephes. vi, 12. — [3] Galat. v, 19, et 2 Cor. xii, 20.

omnia enumeravit, sed ex his nobis cætera reliquit intelligenda. Porro quod ad brutorum pastorem pertinet, qui gregem perdere volunt, ubi vident præfectum fugientem, non illum oppugnant, sed satis habent si pecora rapiant: hic vero etsi totum gregem abripuerint, ne sic quidem a pastore abstinent, sed magis instant, magisque ferociunt, nec prius finem faciunt, quam vel illum prostraverint, vel ipsi profligati fuerint. Ad hæc autem, pecudum morbi manifesti sunt, sive fames sit, sive pestis, sive vulnus, sive aliud quidpiam dolorem pariens: id autem non modico adjumento est ad ægritudinis curationem. Est et aliud hoc commodius ad quemvis morbum cito abigendum. Quid illud? Magna cum potestate pastores pecudes suas porrectam medicinam capere cogunt, etiamsi obsistant. Nam facile ligare possunt, si adustione, si sectione opus sit, si diu inclusas servare oporteat, et aliud pro alio pabulum efferre, si abigere a rivis aquarum. Cæteraque omnia, quæ censuerint ad illarum incolumitatem conferre, nullo negotio admovent.

III. At hominum infirmitates haud facile homo noverit, « Nullus enim hominum novit quæ sunt hominis, nisi » spiritus hominis, qui est in illo[1]. » Quî igitur possit quispiam remedium admovere morbo, cujus modum non novit; cum etiam persæpe nescire possit an ægrotet, necne? Cum porro notus morbus est, tunc majus negotium facessit. Neque enim possunt quilibet homines pari facilitate curari, ac pastor curat ovem. Hic enim opus perinde est ligare, ab alimento abigere, urere, secare; sed potestas medicinæ accipiendæ, non penes illum est, qui remedium admovet, sed penes illum qui morbo laborat. Hoc enim cum nosset admirandus ille vir Corinthiis dicebat: « Non enim do- » minamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii ves-

[1] I Cor. II, 11.

»tri[1]. «Christianis enim minime omnium licet delicta peccantium vi emendare. Exteri quidem judices facinorosos homines qui secundum leges capti sunt, magna cum auctoritate cohibent, ac vel invitos a moribus pristinis arcent. Hic autem non vi adactum, sed persuasum hujusmodi hominem oportet ad meliorem frugem revocare. Non enim tanta nobis facultas a legibus datur, ad delinquentes coërcendos; imo etiam si dedissent, non possemus illa uti, quandoquidem Deus non eos coronat, qui vi abacti a nequitia abstinent; sed eos, qui ex libero proposito ab ea declinant. Quamobrem multa quidem arte opus est, ut ægri sacerdotum remediis libenter se subjicere suadeantur: neque id solum, sed ut etiam illis medelæ gratiam habeant. Nam si quis vinctus resiliat, id enim penes ipsum est, gravius sibi malum efficit; si monentis verba, ferri more secantia, respuerit, contemptu suo aliud sibi vulnus adjicit: ac medelæ occasione, vehementioris morbi causa nascitur, neque enim est qui vim afferat, nec qui curare invitum possit.

IV. Quid igitur agendum? Etenim si mitius agas cum eo, qui magna sectione opus habet, neque profundam opus habenti plagam infligas, partem vulneris abstulisti, partem reliquisti; sin requisitam sectionem prorsus adhibueris, sæpe ille doloris impatientia animum despondens, omnibus confertim rejectis, tum medicina, tum ligamine, se ipsum præcipitem dabit, contrito jugo, ac confracto vinculo. Equidem multos recensere possem, in extrema mala deductos, quod ab eis pœna peccatis par exposceretur. Neque enim temere ad peccatorum modum oportet et pœnam adhibere; sed peccantium propositum explorandum est, ne dum quod scissum est consuere vis, deteriorem scissuram facias, neu dum lapsum emendare stu-

[1] 1 Cor. I, 23.

des, majorem ruinam pares. Nam qui infirmi sunt ac remissi, magisque mundi deliciis irretiti, quique ex genere et potentia altum sapere possunt; ii sensim paulatimque a peccandi consuetudine retrahi, ac si non penitus, partim saltem ab iis, quibus detinentur, malis liberari possint: quibus si statim correptionem inducas, a minore illa emendatione privabis. Anima quippe confestim in ruborem acta, in indolentiam labitur, neque blandis postea verbis paret, neque minis flectitur, nec beneficiis movetur; sed multo deterior efficitur illa civitate, quam Propheta vituperans dicebat: « Facta est tibi frons » meretricis, apud omnes inverecunde egisti[1]. » Quocirca multa opus est pastori prudentia, ac sexcentis oculis, ut undique animæ statum circumspiciat. Quemadmodum enim multi in arrogantiam extolluntur, et in salutis suæ desperationem incidunt, quod acerbiora remedia pati nequeant: ita sunt et alii, qui quod pares peccatis suis pœnas luere nolint, in neglectum vertuntur, multo deteriores evadunt, majoremque peccandi licentiam usurpant. Nihil itaque horum sine examine relinquendum est, sed omnibus rite exploratis episcopus congruenter, quæ ad se pertinent, proferat oportet; ne vanam sollicitudinem adhibeat. Neque hac in re tantum, sed etiam in abscissis Ecclesiæ membris conjungendis, multis illum negotiis distendi videas. Nam ovium quidem pastor gregem habet sequentem quocumque duxerit: quod si quæ oves de recta via deflectant, salubrique relicto pabulo, sterilia atque abrupta loca depascant, satis est si altius clamet, ut eas repetat, et ad gregem reducat. At si quis a recta fide aberraverit, magnum pastori opus incumbit, magna eget perseverantia atque patientia. Neque enim potest vel vi retrahere, vel metu cogere; sed suasione oportet ad veri-

[1] Jerem. III, 3.

tatem reducere, unde initio excidit. Generoso itaque in diget animo, ne viribus deficiat, neu de errantium salute desperet, huc frequenter hæc cogitet et loquatur, « Ne» quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam ve» ritatem, et resipiscant a diaboli laqueo[1]. » Propterea Dominus Discipulos sic alloquebatur : « Quisnam fidelis » servus et prudens[2] ? Nam qui se ipsum exercet, in se solum utilitatem circumscribit : pastoralis autem officii lucrum ad universum populum manat. Sane qui pecunias egenis distribuit, aut alias læsis patrocinatur, in aliquo proximis prodest, tanto minus tamen quam sacerdos, quanto intervallo anima corpori præstat. Jure itaque Dominus curam gregis, amoris erga se argumentum esse dixit.

Basilius. Tu vero, inquit, Christum non amas? Chrysostomus. Et amo, et amandi finem nunquam faciam : at vereor ne quem amo, eum irritem. Basilius. Ecquod ænigma, inquit, obscurius fuerit? Si Christus illum qui se amet, oves suas pascere jubeat : tu vero dicas ideo nolle pascere, quia hoc præcipientem amas. Chrysostomus. Non est, inquam, ænigma, imo res admodum clara et simplex. Nam si idoneus essem administrando muneri juxta Christi placitum, et tamen effugerem, argute posses dicta mea refellere : quia vero animi imbecillitas huic me officio inutilem constituit, cur objectione opus erit? Etenim vereor ne si gregem Christi bene valentem ac vegetum accipiam, deindeque ipsum incuria perdam, Deum adversum me irritem, qui ita ipsum amat, ut ad ejus salutem in pretium sese tradiderit. Basilius. Ludens, inquit, hæc dicis : nam si serio, non video quomodo melius demonstrare volueris nos jure dolere, quam hisce verbis tuis, quibus mœrorem depellere curabas. Ego enim licet prius noverim me per te deceptum ac proditum fuisse ; nunc

[1] 2 Tim. II, 25. — [2] Matth. XXIV, 45.

sane multo magis, quando objecta tibi crimina diluere conatus es, id edisco, et probe intelligo, quo me tandem malorum induxeris. Nam si te ideo ab hoc ministerio subduxisti, qui animum tuum tantæ nobis rei parem non esse sciebas, me prius ereptum oportuit, etiam si id summo studio ambivissem: ne dicam me tibi horum consilium penitus commisisse. Nunc vero rem solum tuam ob oculos habens, meam neglexisti. Atque utinam neglexisses, id sane optandum esset. Verum tu, ut facilius a quærentibus caperer, insidias struxisti. Neque enim illud effugii tibi relinquitur, quod videlicet vulgi opinio te deceperit, teque ad magna mirabiliaque de me existimanda deduxerit. Non enim inter admirandos et conspicuos censemur: neque, etiamsi res ita se habuisset, multorum opinio veritati anteponenda fuisset. Nam si tibi nunquam per nos antea licuisset, ut consuetudinis nostræ periculum faceres, color aliquis adesse tibi videretur, cum ex vulgi fama sententiam ferres; sin autem nullus perinde atque tu nostra novit, imo nostrum animum melius quam ipsi parentes et eductores perspectum habes, qua tam probabili oratione utaris, ut possis auditoribus persuadere, te nos in tantum periculi non ultro conjecisse? Verum hæc nunc missa faciamus: non enim te cogimus his de causis jus dicere: qua defensione contra accusatores utemur? Dic sodes. Chrysostomus. Certe non prius, inquam, ad illa me vertam, quam ea diluero, quæ ad te spectant, etiamsi sexcenties instes ut crimina depellam. Ignorantiam enim dixisti veniam nobis afferre, et omni nos criminatione liberos fore, si rerum tuarum ignari, te in præsentem statum deduxerimus; quia vero te non ignorantes prodidimus, res tuas apprime callentes, ideo omnem nobis offerri excusationis, et congruentis apologiæ ansam. At ego contra censeo: hæc enim multo egent examine. Sane eum qui

ad sacerdotium quempiam tradere velit, non oportet sola vulgi opinione contentum esse, sed ut cum illa suam præ omnibus addat opus est, utque imprimis illius facultates exploret. Nam beatus ille Paulus cum dicit: « Oportet » autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui fo- » ris sunt[1], » nequaquam tollit accuratum probatumque examen, neque ut præcipuum ejus probationis signum id proponit. Etenim multis antea præmissis, tandem hoc addidit, ut ostenderet non suum tantum calculum sufficere ad tales electiones, sed cum aliis tamen requiri. Sæpe namque evenit ut vulgi opinio falsa sit: præcunte autem accurato examine, nihil postea periculi ex ea suspicari licet: ideoque post alia, exterorum etiam testimonium requirit: neque enim solum dixit, « Oportet autem illum et » testimonium habere bonum; » sed addidit, « Ab iis qui » foris sunt[2], » ut palam faceret exterorum opinioni et famæ præire debere accuratum examen. Quoniam igitur ego quæ te spectabant plus, quam parentes tui, ut ipse fateris, noveram, ideo dignus sum qui ab omni crimine liber dimittar.

V. Basilius. Non ideo effugeris, inquit, si te quispiam accusare velit. Annon meministi te a nobis sæpe audisse, atque ab ipsis operibus edidicisse, quam parum generosi sim animi? Annon mihi sæpe ridendo pusillanimitatem exprobrabas, quod vel levissimis curis facile dejicerer. Chrysostomus. Memini sane me sæpe hoc abs te audire, neque inficias eo. Ego vero si quando cavillabar, joco, non serio, id agebam. Attamen non ea de re nunc contendam: rogo te autem eamdem mihi præstes ingenuitatem, ubi virtutum tuarum mentionem faciam; etenim si coneris nos mendacii arguere, non tibi parcemus; sed ostendemus te modestiæ potius quam veritatis causa hæc verba

[1] 1 Tim. III, 7. — [2] Ibid.

fecisse : non aliis, quam verbis et factis tuis, usurpatis ad rem confirmandam testibus. Atque primum abs te quærere volo : Nosti ne quanta sit vis charitatis? Etenim Christus missis prodigiis omnibus, quæ ab Apostolis edenda erant, « In hoc, inquit, cognoscent homines, quia discipuli mei » estis, si dilectionem habueritis ad invicem[1]. » Paulus vero ait illam esse legis plenitudinem, sine qua charismata nihil prosunt[2]. Illud sane eximium bonum, discipulorum Christi signum, quod ipsis charismatibus superius est, vidi in animo tuo generose insitum, copiosumque fructum emittere.

VI. TUM BASILIUS. Mihi hanc rem summopere curæ esse, maximamque me sollicitudinem in hoc implendo præcepto ponere fateor : quod autem ne dimidium quidem ejus assecutus sim, tu mihi testis eris, si non ad gratiam, sed secundum rei veritatem loqui volueris. CHRYSOSTOMUS. Igitur ad argumenta me vertam, et quod comminatus sum nunc præstabo, ut ostendam te modestiam, quam veritatem magis curare. Remque narrabo nuper gestam, ne quis, si vetera recenseam, suspicetur me temporis diuturnitate veritatem obtegere : cum veritas ipsa non permittat nos quidquam affingere vel iis quæ ad gratiam dicuntur. Cum enim quidam ex familiaribus nostris contumeliæ et et arrogantiæ per calumniam accusatus, in extremo periculo esset : tunc nemine te incusante, nec rogante illo qui periclitabatur, in medium te periculum conjecisti. Hoc tu factum edidisti. Ut autem te ex verbis tuis arguamus ; tibique verba tua in mentem revocemus : cum hanc animi tui generositatem alii non approbarent, alii laudarent ac mirarentur, accusatoribus tuis dixisti : Ecquid agam? Aliter amare non didici, nisi ut vitam meam exponam, cum periclitantem amicum servare opus est :

[1] Joan. XIII, 35. — [2] Ibid. 10.

aliis quidem verbis, sed eodem sensu, Christi dicta locutus, quibus ille Discipulis perfectæ charitatis terminos posuit: « Nam majorem hac, inquit, charitatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis[1]. » Igitur si major hac inveniri non potest, ad finem ejus pervenisti, ac gestis dictisque tuis ipsius culmen attigisti. Ideo te prodidimus, ideo dolum hujusmodi concinnavimus. Num tibi persuadebimus nos non ex malevolentia, non ut te in periculum conjiceremus, sed quod id utile fore sciremus, te in hoc stadium pertraxisse? Basilius. An ad proximorum emendationem, vim charitatis satis esse putas? Chrysostomus. Maxime quidem, et magna ex parte ad id conferre charitas possit. Quod si velis ut prudentiæ quoque tuæ specimina proferamus, ad id quoque me conferam, ostendamque te magis prudentia valere.

VII. Ad hæc ille pudore ruboreque affectus, (Basilius). Quæ me, inquit, spectant nunc missa faciamus. Neque enim ab initio horum abs te rationem exigebam. Si quid porro habes quod exteris congruenter opponere possis, id vero libenter audiam. Quapropter missa hac umbratili pugna, dic quam excusationem cæteris afferemus, scilicet iis qui nos honore affecerunt, necnon aliis qui illorum tanquam injuria affectorum vicem dolent. Chrysostomus. Equidem ad id, inquam, jam propero; quandoquidem enim rationis apud te reddendæ finem feci, ad hanc apologiæ partem facile me vertam. Quænam igitur horum accusatio? quæ crimina? se contumelia affectos, et gravia passos queruntur, quia honorem, quo nos ornare volebant, non accepimus. Ego vero primum dicam, nos de contumeliis hominibus illatis nihil curare debere, cum per eis illatum honorem in Dei offensionem incurrere cogimur.

[1] Joan. xv, 13.

Neque enim puto eos ipsos, qui indignantur, cum eam rem moleste ferunt, periculo vacare, imo magnum accipere detrimentum dixerim. Illos quippe, qui Deo addicti sunt, et ad ipsum solum respiciunt, ita pie affectos esse debere censeo, ut id non pro contumelia habeant, etiamsi sexcenties sic inhonorentur. Quod vero similis ausus ne in mentem quidem mihi unquam venerit, hinc liquidum erit. Nam si fastu vel vanæ gloriæ cupidine, ut sæpe dixisti nonnullos calumniari, ad id deductus sum, ut accusatoribus astipuler, maximam sane injuriam intulerim, qui admirandos et conspicuos illos, etiamque mihi beneficos, contempserim. Etenim si nihil lædentes injurias afficere, supplicio dignum est, quanto in honore sunt habendi illi, qui honorem nobis ultro conferre volunt? Neque enim dicere quis possit, ipsos vel parvo vel magno beneficio affectos, vicem rependere voluisse. Quanto igitur supplicio dignus esset qui adversa rependeret? Sin autem id ne cogitavimus quidem, sed alio longe consilio ab onere declinavimus; quorsum illos, quibus, si non approbationem, saltem veniam dare debuissent, criminantur, quod animæ pepercerimus nostræ? Tantum enim abest ut ipsis contumeliam irrogaverim, ut etiam recusando ipsos honore affecisse me putem.

VIII. Neque vero paradoxum me dixisse putaveris; etenim mox hujus explicationem proferam. Tunc enim, si minus omnes, saltem ii, qui maledictis delectantur, multa cum de me ordinato, tum de iis, qui me elegerant suspicari potuissent; verbi gratia, quod ad divitias respicerent, quod generis splendorem mirarentur, quod adulatione nostra moti ad id nos cooptarint. Quod autem pecunia adducti id egerint, dicere non possum an quis suspicaturus fuisset. Christus quidem, dixissent, piscatores, tabernaculorum opifices et publicanos ad hujusmodi magis-

tratum vocavit[1] : hi eos qui sibi quotidiano opere victum parant, respuunt[2] ; si quis autem exterorum litteris operam det, otioseque vivat, hunc approbant et admirantur. Nam cur tandem eos, qui in Ecclesiæ negotiis mille sudores pertulerant, contempserunt, eumque, qui hos nunquam expertus labores, totam ætatem in vanis exterorum disciplinis contriverat, statim in tantum honorem pertraxere? Hæc et similia dicere poterant, si hanc dignitatem accepissem. Nunc vero secus; omnis enim illis maledicendi occasio resecta est, nec mihi adulationem, nec illis accepta munera exprobrare possunt, nisi fortasse sint, qui ultro insanire velint. Quo pacto enim adulatione et largitione usus quispiam ad honorem adipiscendum, mox adepturus eum, aliis relinquat? Perinde enim illud esset ac si quis post infinitos in excolenda terra labores, ut uberes fructus segetesque colligeret, et vino torcularia redundarent, post mille sudores, et multam pecuniarum expensam, cum messis et vindemiæ tempus adveniret, aliis fructuum proventum traderet. Vides-ne etiamsi quæ tunc jactabantur procul a veritate essent, magnam calumniandi ansam habituros adversarios fuisse, quod scilicet non recto judicio electio facta fuisset. Nunc autem ne hiscere quidem vel os aperire mea opera possunt. Et hæc quidem multoque his plura initio dixissent. Postquam autem ministerium attigissemus, nunquam potuissemus quotidianas accusatorum calumnias refellere, etiamsi inculpate omnia egissemus : ne dicam nos, hac ætate rerumque imperitia in multis necessario aberraturos fuisse. At nunc illis criminationis hujusmodi occasionem sustulimus. Tunc autem probris eos innumeris obnoxios reddidissemus. Quis enim non dicturus erat : Res tantas tamque admirandas pueris insipientibus commiserunt, Dei gregem pessumde-

[1] Matth. IV, 19, et Act. XVIII, 3. — [2] Luc. V, 27.

derunt, res Christianorum jam risui ac ludibrio expositæ sunt. At vero nunc « Omnis iniquitas oppilabit os suum[1]. » Si enim tui causa ista protulerint, statim illos ex ipsa re docebis, non oportere prudentiam ætate metiri, neque senem ex canitie probatum habere, neque juvenem a tali ministerio prorsus arcere; sed neophytum. Multum est autem inter utrumque discrimen.

LIBER III.

De Sacerdotio.

I. *Qui suscipicati sunt nos per superbiam recusasse, suam ipsorum existimationem læsisse.* — II. *Nos non propter vanam gloriam fugisse.* — III. *Quod si gloriam concupisceremus, tale potius ministerium eligere oportuerit.* — IV. *Tremendum quid esse sacerdotium, novumque cultum veteri formidabiliorem esse.* — V. *Magnam esse sacerdotii potestatem et dignitatem.* — VI. *Ministeria e numero esse maximorum Dei donorum.* — VII. *Ipsum etiam Paulum formidasse ad aspectum tanti principatus.* — VIII. *Sæpe ad peccandum induci, qui in medium progrediatur, nisi perquam fortis animi fuerit.* — IX. *Vana gloria ejusque malis ipsum irretiri.* — X. *Non ipsum sacerdotium horum malorum causam esse, sed nostram ignaviam.* — XI. *Ambitum principatus eliminandum ab animo sacerdotis.* — XII. *Sapientissimum oportere esse sacerdotem.* — XIII. *Præter maximam abstinentiam, alia quoque in animo sacerdotis requiri.* — XIV. *Nihil tam puritatem et aciem*

[1] Psal. cvi, 42.

mentis obtundere, quam iracundiam inordinatam. — XV. *Aliam speciem litis plenam periculorum Chrysostomus ostendit.* — XVI. *Quantum esse oporteat eum, qui tantis tempestatibus opponendus sit.* — XVII. *Quantus sit, in gubernatione virginum, timor.* — XVIII. *Judiciorum officium quam molestum.*

I. Quod spectat eam contumeliam nos honorantibus illatam, quodque non eos dehonestandi animo honori nos subduxerimus, ex jam dictis sat comprobari posset. Quod vero nulla inflati superbia id egerimus, jam pro viribus palam facere conabor. Nam si vel militaris legationis vel imperii nobis optio proponeretur, eique proposito insisterem, jure posset quispiam id de me suspicari; imo non jam superbiæ, sed amentiæ me omnes damnarent. At sacerdotio proposito, quod tantum imperio sublimius est, quantum inter spiritum et carnem est intervallum, audebit-ne quispiam me superbiæ accusare? Quî porro non absurdum fuerit, eos qui minora respuunt insaniæ accusare, eos autem, qui in longe sublimioribus idipsum faciunt, non jam in amentiæ, sed in superbiæ crimen vocare? Haud secus ac si quis eum, qui boum armentum despiceret, ac bubulcus esse nollet, non superbiæ, sed amentiæ accusans eum qui totius orbis imperium, et omnium ubique terrarum exercituum dominatum non acciperet, non insanire diceret, sed superbia inflari. Sed non ita est, non ita sane, neque nos magis, quam se ipsos, criminantur qui hæc jactitant. Nam vel cogitasse tantum, quod possit humana natura tantam despicere dignitatem, satis indicat quid opinionis circa illam habeant, qui id protulerunt : nisi enim putarent esse rem levem ac parvi pretii, nunquam ipsis talis suspicio in mentem venisset.

[1] Vide D. Guillon, tom. x, p. 261-329.

Cur enim de angelica dignitate nullus unquam quid simile suspicari vel discere ausus est, nempe humanum esse animum, qui præ superbia nolit ad illius naturæ dignitatem pervenire? Magna quippe concipimus de potestatibus illis: idque impedit quominus credamus posse hominem quidpiam majus honore illo sapere. Quo fit ut jure quis illos potius superbiæ accuset, qui hac de re nos criminantur. Neque enim id de aliis suspicati fuissent, nisi prius rem ipsam, quasi nullius pretii æstimassent. Porro si id me gloriæ causa fecisse dicant, secum dissentiri ac pugnare palam deprehendentur: nescio enim quam aliam orationem quæsivissent, si nos ab inanis gloriæ crimine liberare voluissent.

II. Nam si hujusmodi me unquam amor invasit, accipere potius, quam fugere oportuit. Quare? Quia magnam id nobis gloriam attulisset. Siquidem virum hac ætate, qui nuper a sæcularibus curis se abdicaverit, usque adeo admirandum apud omnes derepente videri, ut iis etiam, qui in hujusmodi laboribus totam ætatem contrivissent anteferretur, et plura his omnibus suffragia acciperet; id certe magnam et admirabilem de nobis opinionem omnibus indidisset, nosque conspicuos et illustres exhibuisset. Nunc vero, paucis exceptis, maxima pars Ecclesiæ nos ne nomine quidem norunt; adeo ut ne omnibus quidem notum sit quod abnuerimus, sed paucis tantum, quos tamen omnes non puto probe nosse quid gestum sit: verisimile autem est eorum multos aut nullatenus nos electos fuisse censere, aut post electionem depulsos fuisse, ut non sat idoneos visos, neque sponte aufugisse.

III. Basilius. At qui rem vere sciunt, mirabuntur. Chrysostomus. Atqui hos ipsos dixisti nobis vanæ gloriæ ac superbiæ crimen offerre. Undenam igitur laus speranda est? A multitudine? at rem, ut peracta est, nesciunt. A

paucis? Sed hic quoque nobis res in contrarium cecidit. Neque alio nomine huc ingressus es, quam ut edisceres, quæ adversus eos defensio paranda sit. Quid vero hac de re accurate nunc proferam? Quod enim etiamsi omnibus rei veritas nota esset, ne sic quidem superbiæ aut vanæ gloriæ accusare oporteret, si paulum expectes; id planum tibi erit, atque insuper illud, nempe non iis modo qui id ausi fuerint, si tamen quis reperiatur, non enim facile credam; sed etiam iis, qui de aliis suspicantur, periculum non modicum immineret.

IV. Sacerdotium enim in terra peragitur, sed cœlestium ordinum classem obtinet: et jure quidem merito. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non alia quæpiam creata potestas; sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit ut Angelorum ministerium animo concíperent. Idcirco sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in cœlis inter Potestates illas collocatus esset. Terribilia namque erant quæ gratiam præcesserunt; qualia erant tintinnabula, mala punica, lapides in pectore positi, et alii in superhumerali, mitra, cidaris, poderes, lamina aurea, sancta sanctorum, ingens intus quies [1]. At si quis ea, quæ ad gratiam spectant, consideret, terribilia illa atque horrifica, parva esse comperiet: ac quod de Lege dictum est, hic quoque verum deprehendet, nempe, « Non glorificatum est quod clarúit in hac parte, propter excellentem » gloriam [2]. » Cum enim videris Dominum immolatum, et jacentem, et sacerdotem sacrificio incumbentem, ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes; an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse? annon potius in cœlos translatus, omnique carnali cogitatione eliminata, nudo animo menteque pura, quæ in cœlis sunt

[1] Exod., xxviii. — [2] 2 Cor. iii, 10.

circumspicis ? O miraculum ! o Dei benignitatem ! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, sesequе volentibus dat complectendum et accipiendum. Illud autem omnes faciunt oculis fidei. Num tibi hæc contemptu digna videntur? an hujusmodi esse, ut possit quispiam adversus ea extolli? Vis-ne et sanctimoniæ illius excellentiam ex alio miraculo perspicere ? Eliam mihi ob oculos depinge[1], immensamque circumfusam turbam, et hostiam lapidibus impositam : atque omnes alios, in quiete et magno silentio stantes, solum vero Prophetam precantem : tum repente flammam ex cœlis in sacrificium injectam. Admiranda sunt hæc, omnique stupore plena. Illinc te transfer ad ea quæ nunc peraguntur, ac non mira tantum videbis, sed omnem stuporem superantia. Stat enim sacerdos , non ignem gestans, sed Spiritum sanctum, preces multo tempore fundit , non ut fax demissa cœlitus apposita consumat ; sed ut gratia in sacrificium delapsa, per illud omnium animos inflammet, et argento igne purgato splendidiores exhibeat. Hoc itaque terribilissimum mysterium, quis tandem nisi admodum insaniat, vel mente captus sit, despicere queat? An ignoras humanam animam ignem sacrificii hujusmodi nunquam gestare potuisse, sed omnes funditus perituros fuisse, nisi magnum adesset gratiæ Dei auxilium ?

V. Si quis enim secum reputet quantum illud sit, nempe hominem carne et sanguine involutum, prope beatam illam et immortalem naturam constitui, tunc probe intelliget, quanto honore Spiritus gratia sacerdotes ornaverit. Nam per eos hæc peraguntur, aliaque his nihilo inferiora, quæ ad dignitatis salutisque nostræ rationem spectant. Etenim qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quæ in cœlis sunt dispensanda commissi

[1] 3 Reg. XVIII.

sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est, « Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata et in »cœlo : et quæcumque solveritis in terra, erunt soluta »et in cœlo[1]. » Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum : hoc autem vinculum ipsam attingit animam, cœlosque transcendit : ac quæcumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat : servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnem cœlestium potestatem ? Nam « Quorum, inquit, remiseritis »peccata, remittuntur ; et quorum retinueritis, retenta »sunt[2]. » Quæ major hac potestas fuerit ? Omne judicium dedit Pater Filio[3] : videoque ipsum omne ipsis traditum a Filio esse. Ac si enim jam in cœlos translati essent, atque humanam naturam exsuperassent, a nostris affectibus liberati, ita in tantum imperium evecti sunt. Ad hæc, si imperator subditorum cuipiam, hunc honorem contulerit, ut quos libuerit possit in carcerem conjicere, indeque eruere : ille admirandus et conspicuus apud omnes habetur ; at is, qui a Deo tanto majorem potestatem accepit, quanto cœlum terra pretiosius est, et quanto animæ corporibus, ita exiguum nonnullis videtur honorem accepisse, ut cogitari possit, quempiam hoc sibi concreditum donum despicere. Apage insaniam. Insania namque manifesta est, tantum principatum despicere, sine quo neque salutem, neque promissa bona consequi possumus. Nam si non potest quis intrare in regnum cœlorum, nisi per aquam et Spiritum regeneratus fuerit[4] : et, qui non manducat carnem Domini, nec bibit ejus sanguinem, æterna vita privatur[5] : hæc autem omnia non aliter, quam

[1] Matth. xviii, 18. — [2] Joan. xx, 23. — [3] Id. v, 42. — [4] Id. iii, 5. — [5] Id. vi, 53.

per sanctas illas manus, sacerdotum nempe, perficiuntur : quis sine illarum opera, aut gehennæ ignem effugere, aut repositas assequi coronas poterit? Hi namque sunt, hi sunt, quibus concrediti sunt spirituales partus, et generatio per baptismum.

VI. Per hos Christum induimus, et cum Filio Dei sepelimur, membra beati illius capitis efficimur; ita non modo principibus ac regibus formidabiliores, sed patribus etiam venerabiliores nobis jure fuerint. Illi enim ex sanguinibus exque voluntate carnis nos genuerunt; hi vero illius, quæ ex Deo est generationis nobis auctores sunt, beatæ nempe illius regenerationis, veræ libertatis, et illius, quæ secundum gratiam est, adoptionis. Corporis lepram purgare; imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judæorum sacerdotibus licebat[1] : et tamen nosti quanta tunc esset pro sacerdotali dignitate concertatio. Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt; ita ut qui ipsos contemnunt longe sceleratiores et graviore supplicio digniores sint ipso Dathan et sociis ejus[2]. Illi enim etsi principatum ad se non spectantem sibi vindicarent, attamen miram quamdam de illo opinionem habebant, ut ex magno illius desiderio palam faciebant : hi vero postquam sacerdotium tantopere ornatum est, tantumque accepit incrementum; contra quam illi, sed tamen longe graviora ausi sunt. Neque enim par est contemptus, non competentem sibi honorem ambire, et tanta bona despicere. Sed tanto gravius hoc illo est, quantum est inter fastidium et admirationem intervallum. Quis ita miser fuerit, ut tot bona despiciat? Neminem dixerim, nisi quis diabolico stimulo concitetur. Verum eo jam redibo, unde digressus sum. Neque enim

[1] Levit. XIV, 4. — [2] Num. XVI.

in puniendo solum, sed etiam in benefaciendo, majorem sacerdotibus, quam parentibus, potestatem dedit Deus : tantaque est inter utrosque differentia, quanta inter præsentem et futuram vitam. Nam illi quidem in hanc vitam, hi in futuram gignunt. Atque illi ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, non ingruentem morbum depellere; hi vero ægram et mox interituram animam, sæpe servarunt; aliis remissiorem pœnam reddentes; alios prorsus labi non sinentes; idque non doctrinæ tantum atque monitionum, sed etiam orationum auxilio. Neque enim tantum cum nos regenerant; sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam » Infirmatur, inquit, quis in vobis? advocet presbyteros » Ecclesiæ, et orent super eo, ungentes eum oleo in no» mine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum : et exci» tabit eum Dominus : et si peccata fecerit, remittentur » ei [1]. » Insuper naturales parentes, si viros quosdam principes et potentes eorum liberi offenderint, opem ipsis nullam afferre possunt. Sacerdotes vero non principes, non reges, sed ipsum Deum iratum illis sæpe reconciliarunt. An postea quispiam ausit nos superbiæ accusare? Ego enim ex jam dictis, tantam puto religionem auditorum animos occupasse, ut non ultra eos, qui fugiunt; sed eos qui suopte motu accedunt, et tantum sibi ambiunt honorem, arrogantiæ et audaciæ damnent. Nam si ii quibus civitatum magistratus concrediti sunt, nisi admodum prudentes ac vigilantes fuerint, sæpe rempublicam se ipsosque simul in perniciem dederunt : qui Christi sponsam ornandam suscipit, quanta tibi videtur potestate indigere tum sua, tum superne data, ut non peccet?

VII. Nemo Christum magis, quam Paulus, dilexit; nemo majus, quam ille, studium exhibuit; nemo majore

[1] Jacob. v, 14, 15.

gratia dignatus est. Attamen tot fultus præclaris dotibus, adhuc timebat, tremebatque, tum principatus hujusmodi, tum subditorum causa : « Timeo enim, inquit, ne sicut » serpens Evam seduxit astutia sua ; ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate, quæ est in Christo [1] : » ac rursum : « In timore et tremore multo factus sum ad » vos [2] : » homo in tertium cœlum raptus [3], atque arcanis Dei communicans, totque perpessus mortes, quot dies post susceptam fidem vixerat : homo qui data per Christum potestate uti noluit, ne quis credentium scandalizaretur. Si igitur ille, qui majora, quam præcepta Dei ferrent, præstaret, et nusquam quæ sua erant quæreret, sed quæ subditorum ; ita formidolosus erat, cum ad principatus magnitudinem respiceret, quid faciemus nos, qui sæpe nostra quærimus, qui Christi mandata non solum non superamus, sed majori ex parte transgredimur ? « Quis infirmatur, inquit, et ego non infirmor ? Quis » scandalizatur, et ego non uror [4] ? » Talem esse oportet sacerdotem ; imo non talem solummodo : parva enim hæc sunt, imo nihil, his comparata, quæ jam dicturus sum ; quænam hæc ? « Optabam, ait, anathema esse a Christo » pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum car- » nem [5]. » Si quis possit hanc emittere vocem ; si quis ea præditus sit anima, quæ ad hujusmodi votum accedere possit ; is jure possit argui si fugiat. At si quis tantum ab hac virtute remotus sit, quantum nos sumus ; non cum fugerit, sed cum munus susceperit, odio dignus est. Neque enim si qua militaris dignitatis electio proponeretur ; et ii quibus tale munus deferendi potestas incumberet, fabrum ærarium, aut coriarium, aut similem artificem in medium pertractum exercitui præficerent ; miser ille

[1] 2 Cor. xi, 3. — [2] 1 Cor. ii, 3. — [3] 2 Cor. xii, 2. — [4] Id. xi, 29. — [5] Rom. ix, 3.

laudaretur si non fugeret, nec omnia ageret, ut non se in malum imminens conjiceret. Nam si satis est pastorem vocari, et munus utcumque accipere, nullumque adsit periculum, quivis pro lubito nos inanis gloriæ accuset; sin magna prudentia, si ante prudentiam magna Dei gratia, morum probitas, vitæ puritas, et major humana virtus requiritur in illo, qui talem curam suscipit; ne me venia privatum velis, si frustra ac temere me in perniciem dare nolim. Etenim si quis navem ducens innumeris onustam mercibus, remigibusque plenam, me ad gubernacula constitutum juberet Ægæum, Tyrrhenumve mare trajicere, ad primum rei auditum resilirem : ac si quis causam rogaret, me navem submersurum responderem.

VIII. Ita-ne ubi pecuniæ tantum jactura timetur, nec nisi corporeæ mortis periculum est, nemo arguet si quis magna cautione utatur; ubi autem naufragis non in hoc pelagus corruendum, sed in abyssum ignis cadendum est, et mors expectanda, non quæ animam a corpore, sed quæ hanc cum illo in supplicium æternum conjiciat, jam quia non temere in tantum nos malum præcipitavimus, irascemini nosque odio habebitis? Absit quæso et obsecro. Novi animam meam, infirmam illam et exiguam, necnon ingentem rei difficultatem. Majores sane fluctus iis, quos in mari excitant venti, sacerdotis animum concutiunt.

IX. Primus autem omnium est teterrimus ille vanæ gloriæ spiritus, longe infestior illo Sirenarum portento, quod Poëtæ confingunt. Illum enim multi præternavigantes effugere sine damno poterant; mihi ita molestus hic scopulus est, ut ne nunc quidem, ubi nulla me in hoc barathrum compellit necessitas, a malo hujusmodi evadere possim. Si quis autem hanc mihi præfecturam tradat, perinde faciat ac si ligatis a tergo manibus, me feris hujus scopuli incolis, quotidie lacerandum tradat. Quænam illæ

feræ? Ira, tristitia, invidia, contentio, calumniæ, criminationes, mendacium, hypocrisis, insidiæ, iræ contra nihil lædentes, voluptates de ministrorum turpitudine, luctus de prosperitate, laudum cupido, honoris desiderium : hoc enim maxime omnium humanum perimit animum; doctrinæ ad voluptatem, illiberales adulationes, palpationes sordidæ, despectus pauperum, cultus divitum, honores indebiti et damnosi, gratiarum largitiones periculum creantes tam largientibus quam accipientibus, timor servilis, vilissimisque tantum mancipiis congruens, fiduciæ eliminatio, humilitatis species quidem multa, veritatis nulla, arguendi et increpandi facultas sublata; imo potius contra inopes ultra mensuram, adversus autem optimates, ne hiscere quidem quisquam audet. Hæc quippe omnia et horum plura alit scopulus ille ferarum genera, quibus semel capti, in tantam necessario servitutem rediguntur, ut et in mulierum gratiam, multa sæpe facere cogantur, quæ ne fari quidem decet. Nam lex divina illas ab hoc ministerio repulit : ille vero se intromittere conantur : et quia nihil per se possunt, per alios omnia agunt, tantamque obtinent potestatem, ut quos velint episcopos vel cooptent, vel ejiciant, ac quæ sursum deorsum faciant : hoc sane in proverbio vulgatum, ipsis oculis videre licet; « Principes suos agunt subditi[1] : » atque utinam viri; non illæ etiam quibus ne quidem docere permittitur. Quid dico docere? nè quidem loqui in Ecclesia beatus Paulus concessit[2]. Audivi tamen quemdam dicentem, quod tantam ipsis impertisset libertatem, ut etiam Ecclesiarum antistites objurgarent, illosque acerbius, quam servos domini, incesserent.

X. Cæterum ne quispiam existimet me omnes simul de memoratis criminibus reos agere. Sunt enim, sunt, in-

[1] 1 Tim. II, 12. — [2] 1 Cor. XIV, 34.

quam, multi, his retibus superiores, imo plures, iis, qui capti sunt. Neque tamen sacerdotium tanquam horum causam malorum culpaverim, absit ut eo usque insaniam. Neque enim ferrum cædium, neque vinum ebrietatis, neque fortitudinem contumeliæ, neque robur inconsideratæ audaciæ; sed eos qui Dei donis illicite utuntur, omnes sanæ mentis homines, causam esse dicunt, illosque puniunt. Quandoquidem et sacerdotium nos jure culpare possit, si non recte ipsum tractemus : neque enim in causa est eorum, quæ supra diximus, malorum; sed nos ipsum tantis, quantum facultas tulit, polluimus sordibus, cum quibuslibet ipsum tradimus, qui cum ne animi quidem sui vim edidicerint, neque rei molem considerent, oblatum munus avide suscipiunt; cum autem manus operi admovenda est, imperitia sua obtenebrati, commissos sibi populos malis replent innumeris. Hoc sane, hoc ipsum pene in nobis futurum erat, nisi nos Deus subito ex tantis periculis eruisset, et Ecclesiæ suæ, et animæ nostræ consulens. Siquidem dic mihi, unde putas tantos in Ecclesiis oriri tumultus? Ego sane non aliunde existimo, quam quia præsulum electiones temere et inconsulto fiunt. Nam caput oportebat firmissimum esse, ut pravas exhalationes ex imo corpore emissas dispensare, et ad congruentem statum reducere posset. Cum autem per se caput infirmum est, nec morbosos illos vapores depellere potest; tunc ipsum infirmius in dies redditur, et reliquum corpus secum in perniciem trahit. Quod ne nunc etiam fiat, in pedum ordine nos Deus servavit, quo in statu ab initio fuimus. Multa enim, Basili, multa sane sunt, præter ea quæ diximus, sacerdoti necessaria, quæ nos non habemus. Illud vero præ omnibus, nempe illius muneris concupiscentia animus ejus omnino vacuus sit oportet; nam si ad eum principatum nimio affectu propendeat, eo adepto vehe-

mentiorem accendit flammam : ac vi captus, ut eum sibi firmiorem statuat, innumera sustinet mala; sive adulandum sit, sive quidpiam servile atque indignum sustinendum, sive pecuniæ multæ absumendæ. Nam quod multi ejus dignitatis gratia pugnantes Ecclesias cædibus repleverint, civitatesque devastaverint; id jam missum facio, ne quibusdam incredibilia narrare videar. Oportere autem puto tanta circa rem hanc pietate teneri, ut illius molem onusque declines; adeptus, non aliorum judicia expectes, si quando in delictum incidas depositione dignum; sed antevertens, te ipsum ab illo munere exturbes. Sic enim par est ut divinam misericordiam impetres : quod si præter decorum obsistas, te indignum venia constituis, magisque Dei iram accendis, dum secundum addis deterius facinus.

XI. Sed nemo unquam hoc dedecus sustineat. Grave quippe est, grave admodum hunc honorem appetere. Id vero dico, non cum beato Paulo decertans, sed verbis ejus maxime consentiens. Quid enim ait ille? « Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat[1]. » Ego vero non opus, sed auctoritatem et potentiam desiderare grave dico esse. Hancque concupiscentiam toto studio ab animo deturbandam, neque vel initio retinendam censeo, ut cum libertate omnia facere possit. Nam qui non concupiscit in hac potestate splendere, his sane deturbari non formidat. Si non formidet, cum ea quæ Christianos decet, libertate omnia facere poterit. Itaque qui inde deturbari metuunt ac formidant, duram multisque incommodis refertam sustinent servitutem, atque in hominum ipsiusque Dei offensionem incurrere sæpe coguntur. Non sic autem anima affecta esse debet. Sed quemadmodum in præliis strenuos milites videmus alacriter pugnare, fortiterque

[1] 1 Tim. III, 1.

cadere; ita et eos qui ad hoc ministerium accedunt, par est et sacerdotio fungi, et a principatu dejici, eo modo, quo christianos viros decet; cum sciant talem depositionem, non minorem, quam ipsum principatum, referre coronam. Quando enim quis, ut nihil indecorum, vel dignitati non consentaneum sustineat, simile quidpiam patitur, et se injuste deponentibus supplicium, et majorem sibi mercedem procurat : Nam « Beati, inquit, estis, » cum exprobraverint vos, et persecuti fuerint, et dixerint » omne malum verbum adversum vos mentientes, propter » me : gaudete et exultate, quia multa est merces vestra » in cœlis [1]. » Et hæc cum a comministris, vel per invidiam, vel ad aliorum gratiam, vel per inimicitiam, vel alia quadam non recta ratione, quis ex loco suo movetur. Cum autem ab adversariis id patitur, nulla puto esse oratione opus, ad lucrum demonstrandum, quod malitia sua ipsi colligunt. Id ergo undique circumspiciendum, et accurate explorandum est, ne qua desiderii illius scintilla ardens lateat. Optandum quippe est eos, qui initio hoc morbo liberi fuere, ubi ad hujusmodi dignitatem pervenerint, illum effugere posse. Quod si quis antequam honorem illum assequatur, hanc sævam immanemque feram penes se nutriat, dici nequit in quantam fornacem illum nactus se conjiciat. Nos autem; ne vero putes modestiæ causa ullatenus apud te mentiri velle; magna hujusmodi cupidine tenemur : quæ res una cum aliis omnibus non parum nos exterruit, et in hanc fugam vertit. Quemadmodum enim corporum amatores, quandiu licet cum amatis versari, graviorem morbi cruciatum habent, cum autem procul illis abducuntur, tunc insaniam excutiunt; sic et qui principatus istius cupidine tenentur, cum penes illum sunt,

[1] Matth. v, 11, 12.

malo ferendo sunt impares; ubi vero spem amittunt, cum expectatione ipsam cupidinem extinguunt.

XII. Hæc una causa est non mediocris (7): quæ licet sola esset, nos ab hac dignitate arcere posset. Verum et alia additur hac non minor. Quæ illa? Vigilantem oportet episcopum esse[1], perspicacem et innumeris undique præditum oculis, utpote qui non sibi solum, sed tantæ multitudini vivat. Nos vero segnes sumus et remissi, et nostræ saluti vix sufficientes. Hoc vel tute fateare, qui maxime omnium, amicitiæ causa, mala nostra obtegere conaris. Ne mihi enim hic jejunium alleges, vel vigilias, vel humi cubationem, et reliquam corporis macerationem: nam quantum ab his virtutibus absimus non ignoras. Etiamsi vero a nobis accurate excolerentur, nihil hæc nos tanta animi segnitie præditos, ad hanc præfecturam juvarent. Homini quippe in domuncula quadam incluso, et sua solum curanti hæc magnam afferrent utilitatem; sed in tantam multitudinem scisso, et cujusque subditorum peculiarem sollicitudinem gerenti, quid id lucri afferat ad illorum profectum, nisi animum virilem ac fortissimum obtineat?

XIII. Neque mireris si cum tanta tolerantia alterum postulo fortis animi experimentum? Nam delicatum cibum, potum, lectum despicere, multis facile esse videmus; maxime vero iis, qui natura agrestiores, et a teneris sic educati sunt, ac multis item aliis, corporis temperamento atque consuetudine laborum hujusmodi asperitatem mitigantibus. At contumeliam, damnum, molestum verbum, dicteria ab inferioribus, tum temere, tum in ipso judicio prolata, querimonias frustra et temere tum a principibus, tum a subditis oblatas; non multi ferre possunt, sed unus fortasse vel alter. Videreque est etiam viros fortes adhæc ita

[1] 1 Tim. III, 2.

ceu vertigine captos, ut vel immanissimis belluis ferius exasperentur: hos vero maxime a sacerdotii septis arcemus. Antistitem quippe nec inedia afflictari, nec nudis pedibus incedere, id sane Ecclesiæ cœtui nihil afferet detrimenti: furor autem animi, et illi et proximo magnas parit calamitates. Atque iis quidem, qui supra dicta non præstant, nulla adeo comminatio: at temere excandescentibus et gehennam et gehennæ ignem Deus comminatus est[1]. Quemadmodum igitur vanæ gloriæ cupidus, cum multorum præfecturam adit, majorem igni præbet materiam; sic et qui nec apud se, nec in familiaribus paucorum colloquiis iram continere nequit, sed facile excandescit, huic si popularis magistratus tradatur, ceu fera quædam a multis undique extimulata, nec quieto unquam animo esse potest, insuperque commisso sibi populo innumera procurat mala.

XIV. Nihil enim sic ingenii puritatem, mentisque aciem obturbabat, ut ira inordinata, quæ multo fertur impetu. « Ira enim, inquit ille, etiam prudentes perdit[2]. » Nam quemadmodum in nocturno prælio obtenebratus mentis oculus, amicos ab adversariis discernere nequit, nec nobiles ab ignobilibus; sed cum omnibus eodem se gerit modo, et si quid mali subeundum sit, omnia facile patitur, ut animi voluptatem impleat; nam certe voluptas quædam est animi excandescentia, et voluptate majorem in animum exercet tyrannidem, tranquillum ejus statum susdeque revolvens: nam in arrogantiam facile impellit, et simultates intempestivas, et odium sine ulla causa, et offensiones temere natas frequenter parat, multaque his similia et dicere et facere cogit, animo multo cum stridore morbi molestia ultro citroque tracto, ita ut nullo modo stare, et tanto impetui obsistere queat.

[1] Matth. v, 22. — [2] Prov. xv, 1.

Basilius. Ego vero te sic dissimulantem non ulterius patiar. Quis enim ignorat, quantum hoc morbo sis alienus? Chrysostomus. Quid igitur, inquam, o vir beate, vis me huic rogo admovere, ac feram quiescentem irritare? An ignoras id nobis non nostra virtute successisse, sed ex quietæ vitæ amore; cum vero qui sic affectus est, seorsum degentem et uno alterove utentem amico, hujusmodi incendium effugere posse; secus vero si in tot curarum abyssum incidat? Tunc enim non se solum, sed et alios permultos ad interitus præcipitium secum trahit, et ad probitatis curam segniores efficit. Solet enim subditorum turba præfectorum sibi mores ceu archetypum et quamdam imaginem spectare, seque ad illorum formam effingere. Quî ergo possit ille eorum tumores sedare, si ipse tumeat? Quis plebeius moderatus statim fieri cupiat, si principem iracundum videat? Neutiquam enim possunt sacerdotum vitia latere, sed etiam exigua cito conspicua sunt. Siquidem athleta quandiu domi manet, et cum nullo congreditur, licet infirmior sit, occultare se potest; cum autem nudatus in arenam descendit, statim qui sit evincitur. Homines itaque qui seorsim et in otio vitam agunt, vitiorum suorum tegmen habent solitudinem; in medium adducti, sicut vestimentum solitudinem exuere coguntur, exque externis motibus nudum omnibus animum exhibere. Quemadmodum ergo ipsorum præclara gesta multis prosunt, ad simile studium evocantia, sic et eorum vitia alios ad virtutis exercitium segniores efficiunt, et ad bonorum operum laborem torpere faciunt. Quamobrem animæ ejus pulchritudinem splendere oportet, ut spectatorum animos oblectare simul et illustrare possit. Nam vulgarium hominum peccata, quasi in tenebris perpetrata, peccantes solos perdunt: viri autem illustris et multis cogniti scelus, commune omnibus affert detrimentum,

dum remissos ad sudores pro bonis operibus capessendos supiniores efficit, eos autem qui sibi attendere cupiunt, ad superbiam excitat. Ad hæc vero, vulgarium delicta, vel in medium adducta, nemini ita profundam infligunt plagam : qui autem in hoc honoris fastigio sedent, primo omnibus sunt conspicui, deinde, licet in minimis labantur, quæ minora sunt aliis magna videntur. Non enim facti magnitudine, sed peccantis dignitate peccatum omnes metiuntur. Sane sacerdotem oportet ceu quibusdam adamantinis armis undequaque muniri assiduo nempe studio, et perenni circa vitam vigilantia; undique circumspiciendo, ne quis nudo ac neglecto loco reperto, letale infligat vulnus. Omnes enim circumstant parati, ut vulnerent ac dejiciant, non modo ex inimicis multi, sed etiam ex iis, qui amicitiam simulant.

XV. Tales igitur eligi oportet, qualia sanctorum olim illorum corpora in babylonica fornace Dei gratia exhibuit. Neque enim ignis hujus esca sunt sarmentum, pix et stupa ; sed his multo graviora, quandoquidem non sensibilis ille ignis subjacet, sed omnia devorans invidiæ flamma ipsum circumsistit, undique se attollens, ipsi ingruens, accuratiusque ipsum examinans, quam tunc ignis puerorum illorum corpora. Cum igitur vel tenue quodpiam stipulæ vestigium invenerit, statim inhærens vitiatam illam partem exurit ; reliquam vero structuram, etiamsi solaribus radiis splendidior fuerit, fumo illo adurit et obscurat totam. Donec enim sacerdotis vita probe undique concinnata fuerit, insidiis ille nullis pervius est; sin vel tantillum quid prætermittat; quod sane facile contingere potest, homo cum sit, et erroribus plenum vitæ hujus pelagus trajiciat, nihil reliqua illi bona opera prosunt, ut accusatorum voces effugiat; sed parvum delictum, reliquum omne obumbrat et obscurat: et de sacerdote omnes non quasi carne induto,

et humana natura prædito, sed quasi de Angelo, omni reliqua infirmitate libero, judicium ferre volunt. Ac sicut tyrannum, dum imperio potitur, omnes reformidant ipsique adulantur, quod eum deturbare non possint; cum autem rem ejus inclinatam vident, simulatum illum honorem abjicientes; qui paulo ante amici erant, derepente inimici et adversarii evadunt: et debilia quæque explorantes irrumpunt, imperiumque illius solvunt; sic et sacerdotibus contingit: qui paulo ante, dum munere potiretur, ipsum colebant ac reverebantur, parvam occasionem nacti, statim se fortiter comparant, ut eum non quasi tyrannum solum, sed quasi tyranno deteriorem deponant. Ac quemadmodum ille corporis sui satellites metuit; ita et hic proximos comministrosque suos, maxime omnium reformidat. Nulli quippe alii perinde ejus dignitatem affectant, ejusdemque res notas habent, atque illi: propinqui enim cum sint, si quid hujusmodi contingat, ante omnes id sentiunt, facileque etiam calumniantes credi, et dum parva magna faciunt eum sycophantia circumvenire possunt. Nam apostolicum illud dictum inversum est: « Et sive » patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: » sive glorificatur unum membrum, congaudent omnia » membra [1]. » Nisi forte tanta sit pietas, ut adversus omnia stare possit. Ad tantum itaque bellum nos emittis? et ad pugnam tam variam tamque multiformem animum nostrum sufficere posse putas? Undenam, quæso, et a quo id edoctus es? Nam si id tibi Deus indicavit, exhibe oraculum, et morem geram. Si non potes, sed ex humana opinione calculum ducis; ab isto tandem errore te libera. Nam circa ea, quæ ad nos spectant, nobis magis credendum, quam aliis: quandoquidem « Quæ sunt hominis ne- » mo novit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est [2]. » Quod

[1] 1 Cor. XII, 26. — [2] Id. II, 11.

enim et nos ipsos, et eos, qui nos elegerant, ridiculos redditurі essemus, hoc suscepto munere quodque magno dispendio nostro, in eum, in quo nunc versamur, vitæ statum reversuri fuissemus; si non antehac, his saltem verbis tibi persuasisse puto. Non enim invidia solum, sed quæ multo invidia vehementior est hujus principatus cupido, multos solet contra ipsum occupantem armare. Ac quemadmodum filii, qui principatum affectant, longam patrum senectutem moleste ferunt; sic et quidam eorum, cum vident sacerdotium in diuturnum produci tempus, quoniam interficere nefas, ipsum a dignitate deturbare satagunt, omnes illius constitui loco cupientes, ac singuli ad se deferri principatum expectantes.

XV. Vis-ne tibi aliam hujus pugnæ speciem ostendam, innumeris plenam periculis? Ito jam, ac publica festa spectato, ubi maxime ad dignitates ecclesiasticas electiones fieri mos est: ac tam multis sacerdotem criminationibus impeti videbis, quanta est subditorum turba. Omnes enim penes quos est hunc honorem conferre, in multas tunc scinduntur partes, ac neque mutuo, neque cum eo qui episcopatum sortitus est, presbyterorum cœtum consentire videas: sed unusquisque a suis partibus stat, alius hunc, alius illum eligens. Cujus rei causa hæc est, quod non idem omnes respiciant, quod respicere debebant, nempe animi virtutem; sed aliæ sunt hujus conciliandi honoris causæ, nimirum alius dicit: Hic eligatur, quia claro genere ortus; alius, Quod opibus abundet, nec egeat alimentis ex Ecclesiæ proventu quæsitis; alius, Quod ab adversariis ad nos transfugerit: ille sibi genere propinquum cooptat; hic adulantem sibi aliis vult anteponi; in eum vero, qui sit idoneus, nemo vult respicere, neque animi dotes explorare. At ego, tantum abest, ut ad sacerdotum probationem causas hujusmodi conseptaneas esse

putem, ut etiamsi quis multam pietatem exhibeat, quæ tamen non parum nobis ad hanc dignitatem confert, non ideo statim eum eligere ausim, nisi cum pietate magna sit prudentia præditus. Novi quippe multos, qui perpetuo sese coërcebant, ac jejuniis macerabant, quique dum soli degere et sua tantum curare poterant, Deo accepti erant, ac singulis diebus philosophiæ suæ incrementum non minimum addebant: at ubi in turbam prodiere, atque vulgi imperitiam emendare coacti sunt, alii ne principio quidem tanto negotio pares fuere; alii vi coacti, ut in munere perseverarent, missa pristina diligentia, et magnam ipsi jacturam fecerunt, et aliis nihil profuerunt. Sed neque si quis totum vitæ tempus in ultimo ministerii ordine transegerit, ad extremamque pervenerit senectutem, hunc statim propter ætatis reverentiam ad summum principatum evehemus. Cur enim, si decursa jam ætate, minus tamen idoneus maneat? Non quo velim canitiem dehonestare, nec legem constituere, ut qui ex choro monachorum veniunt, ab hac præfectura omnino arceantur. Contigit enim multos ex illo grege profectos, in hac dignitate claruisse: sed hoc probare contendo; si neque pietas sola, neque longæva senectus, satis sunt, ut quis sacerdotio digne fungatur: vix sane causas supra memoratas hoc ipsum præstare posse. Alii vero alias addunt etiam absurdiores; hi nimirum, ne se in adversariorum partes transferant, in cleri ordinem adleguntur; illi, propter nequitiam, ne contempti magna inferant mala. An possit iniquius quidpiam excogitari, quod homines improbi, innumeris repleti malis, inde colantur unde supplicio digni erant; et qua de causa ne limen quidem Ecclesiæ prætergredi licebat illis, eadem illi ad sacerdotalem ascendant dignitatem? Etiam-ne, dic mihi, quæremus divinæ in nos iræ causam, dum res tam sacras, adeo tremendas, hominibus,

tum improbis, tum indignis labefactandas tradimus? quando enim alii rerum sibi minime convenientium; alii multo majorum, quam vires ferant, præfecturam accipiunt; ii certe efficiunt, ut Ecclesia nihil ab Euripo differat.

XVII. Equidem prius exteros principes deridebam, quod in honorum dispensatione, non animi virtutem; sed pecunias, annorum numerum, et humanum patrocinium spectarent: ubi autem audivi hanc absurditatem in nostras etiam res debacchari, facinus hujusmodi non perinde grave visum est. Quid enim mirum si sæculares homines, popularem auram venantes, pecuniæ causa nihil non agentes, in hujusmodi vitia prorumpant; quando ii, qui se ab iis omnibus liberos esse simulant, nihilo melius, quam illi, sunt affecti: sed ubi de cœlestibus certamen est, perinde atque si de terræ jugeribus aut alio quopiam simili deliberaretur, gregarios homines talibus præficiunt rebus, quarum causa unigenitus Dei Filius gloriam evacuare suam[1], homo fieri, servi formam accipere, conspui, colaphis cædi, mortem turpissimam obire non recusavit[2]. » Neque hic tamen consistunt, sed alia addunt absurdiora. Non enim indignos solum deligunt, sed etiam idoneos dejiciunt. Nam quasi opus esset Ecclesiæ securitatem utrinque labefactari, ac causa illa prior non sufficeret ad iram Dei accendendam; ita alteram addiderunt non minus perniciosam. Etenim perinde perniciosum esse puto utiles arcere, atque inutiles introducere. Id autem ideo agitur, ut Christi ovile nulla ex parte consolationem invenire aut respirare valeat. Hæc nonne millibus digna fulminibus? Hæc nonne vehementiori etiam gehenna, quam sacræ Litteræ comminentur? Attamen hæc mala sustinet patiturque qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat[3].

[1] Philip. II, 7. — [2] Matth. XXVI, 67. — [3] Ezech. XVIII, 23, et XXIII, 33.

Quis non ejus clementiam admiretur? Quis non ejus misericordiam stupeat? Ipsi Christiani ea, quæ Christi sunt, plus quam hostes et inimici pessumdant: at ille Bonus adhuc benignitatem præfert, et ad pœnitentiam vocat. Gloria tibi, Domine, gloria tibi: quanta apud te clementiæ abyssus! quantus tolerantiæ thesaurus! qui per nomen tuum ex ignobilibus et obscuris, clari et conspicui evadunt, honore illo contra honorantem se utuntur, et non audenda audent, sancta contumeliis afficiunt, probos repellunt et ejiciunt, ut quiete et cum summa licentia nequissimi omnia pro libito subvertere possint. Cujus mali causas si ediscere velis, illas prioribus similes reperies: radicem enim, sive, ut ita dicam, matrem unam habent, invidiam. Earum autem non una tantum species est, sed diversæ. Hic enim, aiunt, quia juvenis est, ejiciatur; ille, quia adulari nescit; alius, quia in illius cujuspiam offensionem incurrit; alius, ne ille quispiam doleat, si eo, quem ipse obtulerat, ejecto, hunc electum videat; ille, quia mitis et probus est; ille, quia peccantibus terribilis; ille ob aliam similem causam: neque enim desunt obtentus, quos pro libito offerant; imo et facultatum copiam crimini dant, si nihil aliud proferendum habeant: Quinetiam illud, non oportere statim in hunc honorem assumi, sed sensim et paulatim; aliasque similes pro voluntate causas comminisci possunt. Ego vero hic libens sciscitarer. Quid episcopum tot ventis agitatum facere opus est? quomodo adversus tantos fluctus stare poterit? quomodo tot impetus repellet? Nam si recta ratione rem gerat, adsunt omnes, et ipsi et electis, inimici et hostes, et per contentionem omnia cum illo agunt, quotidianas seditiones movent, sexcenta item scommata in electos jaculantur, donec aut illos ejecerint, aut suos intruserint. Perinde atque si gubernator in navi piratas secum navi-

gantes habeat, qui et ipsi, et nautis et vectoribus assidue horisque singulis insidientur. Quod si illorum gratiam saluti suæ præponat, admissis non admittendis, illorum loco Deum ipsum inimicum habebit; quo quid deterius esse possit? et cum illis ipsis negotium difficilius, quam antea erit; omnibus simul consentientibus, ac fortioribus per concordiam effectis. Quemadmodum enim sævis ex adverso pugnantibus ventis, mare antea tranquillum, derepente furit atque intumescit, vectoresque perdit; sic et Ecclesiæ tranquillitas, corruptoribus admissis, tempestate et naufragiis infestatur multis.

XVIII. Cogita ergo qualem oporteat eum esse cui tantæ tempestati resistere necesse sit, et tot impedimenta rerum communi utilitati conducentium probe temperare. Nam et gravem illum, sed minime fastuosum, et formidabilem, sed humanum; et imperiosum, sed comem omnibus; et personam non accipientem, sed officiosum; et humilem, sed minime servilem; et vehementem, sed mansuetum esse oportet; ut contra illa omnia pugnare facile possit: atque eum qui idoneus sit, omnibus licet obsistentibus, cum magna potestate promovere; huic vero dissimilem cum eadem auctoritate, omnibus etiam conspirantibus, non admittere: sed unum tantum ob oculos habere, Ecclesiæ nempe structuram; nihilque vel ad inimicitiam vel ad gratiam facere. Num tibi videmur rei hujusmodi ministerium merito recusasse? atqui nondum omnia recensui, suppetunt et alia dicenda. Verum ne defatigeris dum amici ac vere germani viri, sese apud te excusantis, orationem toleras. Hæc porro non ad apologiam modo nostram tibi erunt utilia; sed ad ipsam fortasse muneris, de quo agitur functionem, non parum afferent lucri. Eum namque, qui vitæ hujusmodi semitam ingressurus est, omnia prius perscrutatum, sic ministerio manum admovere oportet,

Quare? Quia etsi nulla alia subesset causa, omnium probe gnaro id lucri accedet, ut non rei insolentia turbetur, cum hæc contingent. Vis igitur ut prius ad viduarum patrocinium veniamus, an ad virginum curam, an ad judicialis partis difficultatem. Nam in horum singulis varia est sollicitudo, et sollicitudine major metus. Ac primum, ut ab eo, quod aliis facilius esse videtur ordiamur; viduarum cura, ipsam suscipientibus solam sumptuum sollicitudinem afferre videtur[1]: at non ita se res habet. Sed hic quoque multo opus est examine, ubi illas deligere oportet: quandoquidem cum temere, et ut casus tulit, in album relatæ sunt, id innumera peperit mala. Etenim familias pessumdederunt, conjugia diremerunt, et in furtis, cauponis aliisque similibus turpiter se agentes sæpe deprehensæ sunt. Porro tales viduas sumptibus Ecclesiæ ali, id et a Deo supplicium et apud homines infamiam summamque damnationem parit, beneficorumque animum segniorem efficit. Nam quis unquam velit pecunias, quas Christo dare jussus est, iis largiri, qui Christi nomini calumniam pariunt? Ideoque multo et accurato scrutinio est opus, ut neque illæ, neque aliæ, quibus res familiaris sufficere potest, tenuiorum mensam absumant. Hanc perquisitionem alia non parva cura excipit, ut ipsis alimenta confertim quasi ex fontibus affluant, nec unquam desint. Siquidem insatiabile malum est invita paupertas, querelas, ingratumque animum præ se ferens. Multa prudentia diligentiaque est opus ut eorum obstruantur ora, quæ quamlibet criminationis occasionem arripiunt. Sane multi ubi quempiam vident pecuniis non deditum, statim ipsum ad hanc functionem idoneum pronuntiant. Ego vero non existimo hanc illi animi magnitudinem satis esse, sed oportere tamen illam cæteris præire, nam illius expers, vas-

[1] 1 Tim. v, 16.

tator potius quam patronus, et pro pastore lupus, fuerit. Verum cum illa, aliam in eo requirere oportet. Ea autem est, bonorum omnium hominibus conciliatrix patientia, quæ quasi in tranquillum quemdam portum animam deducit. Nam viduarum genus, tum paupertatis, tum ætatis, tum sexus nomine, immoderata quadam loquendi libertate utitur, sic enim congruentius loquemur; importune clamant, abs re queruntur et lamentantur, ubi gratiæ erant habendæ; incusant ubi laudandum erat : præfectumque oportet omnia fortiter ferre, neque ob importunas rixas, vel absurdas querelas ira commoveri. Illarum enim infelicitas misericordiam potius, quam contumeliam meretur : ipsarum autem ærumnis insultare, et paupertatis dolori contumeliam addere, extremæ crudelitatis fuerit. Quamobrem vir quidam sapientissimus, avaritiam superbiamque humanæ naturæ considerans, gnarus paupertatem hujusmodi esse, ut possit vel generosissimum animum dejicere, eoque deducere, ut iisdem in rebus sæpius impudenter agat; ne quis petentibus illis irascatur, neu frequentibus eorum precibus exasperatus, infestus evadat ille, qui opem ferre debet; ut sese mitem et aditu facilem exhibeat hortatur his verbis : « Inclina pauperi sine tristitia » aurem tuam, et responde illi in mansuetudine, paci» fica[1] ; » ac missum faciens eum, qui exasperat, quid enim jacenti dixeris? eum alloquitur, qui ejus infirmitatem ferre possit, monens, ut vultus blanditie ac verborum mansuetudine, etiam ante oblatum donum ipsum erigat. Quod si quis illarum quidem bona non usurpet, sed innumeris ipsas conviciis et contumeliis oneret, et adversus eas irritetur; non modo paupertatem largitione non sublevat; sed calamitatem ipsam conviciis auget. Etiamsi enim ob ventris necessitatem admodum impudentes esse cogantur,

[1] Eccli. IV, 8.

attamen de hujusmodi violentia dolent. Cum itaque famis ingruentis metu mendicare coguntur, et mendicando impudentes esse; ac rursum impudentia illa contumeliam pati, multiformis quædam, et mentem caligine offundens doloris vis earum animos occupat: oportet vero curatorem earum tanta esse æquanimitate, ut non modo indignatione sua dolorem non augeat; sed etiam cohortatione sua mœrorem mitiget. Nam quemadmodum qui contumelia afficitur, et si facultatibus abundet, pecuniarum commodum non sentit, ob inflictam contumeliæ plagam; ita qui blande et leniter compellatur, et cum consolatione donum accipit, gaudet et lætatur: duplexque munus ex largiendi modo consequitur. Hæc porro non a me ipso, sed ab illo qui paulo ante hortabatur, loquor. Nam « Fili, inquit, in bonis » ne des vituperium, et in omni dono dolorem verborum. » Nonne æstum ros sedabit? Ita melius est verbum dono. » Ecce enim verbum bonum est plus quam donum, et » utrumque est apud virum gratiosum [1]. » Illarum item præfectum, non mitem tantum et patientem, sed perinde œconomicum esse oportet. Id vero si abfuerit, rursum pauperum facultates in idem damnum recidunt. Nuper enim quis huic ministerio ascitus, multa auri vi collecta, ipse nec consumpsit, neque egentibus, paucis exceptis, distribuit, maximam vero partem terra obruit, donec superveniente tumultus tempore, hostium manibus illam tradidit. Magna itaque providentia est opus, ut Ecclesiæ facultates nec redundent, nec deficiant: sed quæ erogantur omnia statim sunt egenis distribuenda, atque in subditorum pio proposito Ecclesiæ thesauri colligendi sunt. In hospitibus autem excipiendis, et in curandis ægrotis, quanto putas opus esse pecuniarum sumptu, quanta præfectorum diligentia prudentiaque? Hanc enim expensam

[1] Eccli. xviii, 16, 17.

illa non minorem, imo sæpe majorem esse necesse est. Præfectumque ipsum in largitione decet reverentiam et prudentiam adhibere; quo iis, qui re familiari abundant, suadeat, ut certatim et hilariter sua dona erogent, ne, dum infirmorum commodo prospicit, beneficorum animos exasperet. Hic porro majorem alacritatem et diligentiam exhibere convenit: sunt enim ægri morosi, et segnes: ac nisi summam undique diligentiam curamque adhibeas, vel tantilla quidem negligentia potest magna ægrotanti mala importare.

XIX. Quod ad virginum curam attinet, tanto major adest metus, quanto depositum pretiosius, et quanto rege dignior hic grex est, quam alii. Nuper enim innumeræ in sanctarum hujusmodi chorum ingressæ, vitiisque multis refertæ, debacchatæ sunt. Hic vero luctus major fuit: ac quemadmodum non perinde est puella ne libera, an ejus ancilla peccet; ita non id ipsum est si virgo an vidua. His enim et nugari, et mutuis conviciis litigare, et adulari et impudenter agere, et nusquam non apparere et in foro sæpe ambulare, in usu frequenti est. Virgo autem majus certamen adiit, et supremam philosophiam sectatur, profiteturque se angelicam vitam in terra ducere, ac cum hac carne quæ incorporearum sunt Potestatum sibi præstanda proponit. Nec licet ei frequenter et inutiliter foras progredi, nec verba futilia vanaque proferre: convicii et adulationis ne nomen quidem norit oportet. Quapropter firmissima custodia et majori præsidio opus habet: nam sanctitatis hostis ipsas magis observat insidiisque appetit ad devorandum paratus, si quam labentem cadentemque videat: hominum item multi ipsis insidiantur, cum iisque omnibus naturæ petulantia: in summa duplex bellum ab ea geritur, aliud extrinsecus incumbens, aliud intrinsecus obturbans. Ideo magnus instat curatori timor, majus pericu-

lum, dolor ingens, si quid contra animi sententiam, quod absit, accidat. Nam si patri filia « Occulta [1] » vigilandi causa est, et sollicitudo ejus somnum ab eo depellit, timente ne aut sterilis sit, vel nubilem transgrediatur ætatem, vel perosa sit conjugi, quid patietur is, qui horum quidem nihil, sed alia iis longe graviora metuit? Neque hic vir contemni potest, sed ipse Christus : neque sterilitas in ignominiam tantum, sed malum in perniciem animæ desinit. Nam « Omnis arbor, ait, quæ non facit fructum » bonum, excidetur et in ignem mittetur [2]. » Ei vero quæ in sponsi odium incurrit, non satis est accepto repudii libello abire; sed odii illius pœnas luit, supplicium æternum. Certe pater carnalis multa habet, quæ facilem ipsi filiæ custodiam reddant; nam et mater et nutrix et famularum turba, et domus firmitas parentem ad virginem servandam juvant. Neque enim in forum eam frequenter prodire sinit; neque si prodeat, cuipiam occurrentium apparere cogitur, cum vespertinæ tenebræ conspici nolenti non minorem obicem obtendant, quam parietes domus. Præter hæc vero, nulla subest causa, quæ illam unquam ad virorum conspectum adigat : neque enim rerum necessariarum cura, neque lædentium molestiæ, neque simile quidpiam illam in talis congressus necessitatem impellit : cum illi pater vice omnium sit, ipsa vero unam habeat curam, ut nihil vel agat vel loquatur, quod honestatem dedeceat. At hic multa sunt quæ custodiam patri difficilem, imo arte superiorem reddant. Neque enim potest eam intus secum habere : hoc quippe contubernium, nec honestum esset, nec periculo vacaret. Licet enim hinc illis nihil damni adesset; sed veram sanctitatem servare pergerent, non minorem reddituri essent rationem pro iis animabus, quibus offendiculo fuissent, quam si

[1] Eccli. XLII, 9. — [2] Matth. III, 10.

ambo peccassent. Cum autem id fieri nequeat, non facile ipsi est animæ motus ediscere, et eos qui inordinati sunt resecare, qui vero debito ordine et modo procedunt, excolere, et in melius deducere : neque exitus in publicum curiose indagare in promptu est; nam quod illa inops sit et patrocinio destituta, non potest ipse tam accuratus decori et honesti explorator esse. Etenim cum ipsa sibi omnia administrare cogatur, si temperanter vivere nolit, exeundi occasiones comminisci potest. Oportetque aliquem jubentem domi manere, qui tales occasiones præscindat, ac necessaria suppeditet, necnon fœminam rem illius curantem : arcenda item est a funeribus ac pervigiliis. Novit enim, novit callidissimus ille serpens per bona etiam opera virus spargere suum : opusque est virginem undequaque muniri, et raro per annum domo egredi, nempe cum indeclinabiles ac necessariæ urgent causæ. Si quis vero dicat non opus esse ut res hujusmodi episcopo committatur, noverit is singularum rerum gestarum occasiones et causas ad ipsum referendas esse; ita ut multo utilius, si omnia ipse administret, iis criminibus liber futurus sit, quæ propter aliorum peccata subire debet; quam si dimissa hujusmodi administratione, pro aliorum gestis de ratione reddenda tremere cogatur. Ad hæc, qui per se id agit, admodum facile omnia percurrit; qui vero omnibus aliis ad suam sententiam pertractis id agere cogitur, non tantam habet laboris remissionem ex eo quod non sui solius arbitrio agat, quanta negotia et tumultus, per eos qui adversantur et pro suo pugnant judicio. Verum non omnes de virginibus sollicitudines recensendi facultas esset. Etenim cum in album referendæ sunt, non parum negotii facessunt ei, cui hæc administratio concredita est.

XVIII. Judiciorum officium innumeras parit molestias, multum negotii tot difficultates, quot ne forenses quidem

judices subeunt. Siquidem jus ipsum reperire labor est, repertum non violare difficile. Non modo autem negotium et difficultas adest, sed etiam periculum non parvum. Jam enim quidam ex infirmioribus in negotia delapsi, quia patrocinium non invenere, circa fidem naufragati sunt. Multi enim ex læsorum numero non minus, quam ipsos lædentes, eos qui sibi non ferunt opem, odio habent : ac neque negotiorum distractionis, neque temporum iniquitatis, neque sacerdotalis potentiæ mediocritatis, neque alius cujuspiam rationem habere volunt : sed sunt inexorabiles judices, hanc unam scientes apologiam, malorum se prementium exitum. Qui hunc præbere nequit, quamvis innumeras causas proferat, nunquam eorum condemnationem effugiet. Quia vero patrocinii mentionem feci, age aliam tibi querelæ causam declarabo. Nam nisi quotidie episcopus plus, quam ipsi forenses, domos circumeat, hinc offensiones innumeræ. Non enim ægri solum, sed etiam qui bene valent, invisi se volunt; non pietatis religionisve causa, sed honoris dignitatisque id multi exigunt. Quod si forte contingat ut aliquem ex ditioribus potentioribusque, urgente casu, in Ecclesiæ lucrum frequentius visitet, statim palpatoris atque adulatoris notam sibi inurit. Sed quid patrocinia et aditus memoro, quando ex compellationibus solum, tantam criminationum molem afferunt, ut ex animi mœrore sæpe illi graventur et decidant? Jamvero vel oculorum contuitus explorantur : nam ejus vel simpliciora gesta ad trutinam vocant bene multi, vocis modum, aspiciendi, videndique rationem. Illi cuipiam, aiunt, effuse arrisit, hilari ipsum vultu et magna voce salutavit : me vero longe parcius et perfunctorie. Quod si multis assidentibus, non undique oculos circumferat inter loquendum, id pro contumelia multi habent. Quis igitur nisi admodum fortis tam multis accusatoribus sufficere

poterit, ut vel ab illis nullatenus in crimen vocetur, vel accusatus sese expediat? Oportet enim accusatorem esse neminem; si id minus fieri possit, oblata saltem crimina abluere. Quod si ne hoc quidem facile est, sed quidam in temere et frustra culpando gaudent; fortiter ferenda est querimoniarum hujusmodi mœstitia. Etenim qui jure accusatur, facile accusantem tulerit: quandoquidem enim nullus accusator acerbior est ipsa conscientia; ab illo actore omnium molestissimo capti, externos accusatores, utpote mitiores facile patimur. Qui autem nullius sibi culpæ conscius est, falso accusatus, continuo in iram vertitur, et in mœrorem facile decidit, nisi prius ad multorum ferendas insanias exercitatus fuerit. Neque enim fieri potest, calumniis impetitum, et inique damnatum non turbari, et de tanta iniquitate nihil pati. Quid memorem tristitiam, tum subeundam, cum quempiam ex cœtu Ecclesiæ amovere opus est? Utinam vero malum totum in tristitia consisteret: certe hinc pernicies non modice. Metuendum quippe est, ne ultra modum pœnis affectus ille, id patiatur, quod a beato Paulo dictum est, « Ne abundantiori » tristitia absorbeatur [1]. « Maxima ergo diligentia hic opus est, ne quod prodesse illi debuerat, majoris ipsi damni sit occasio: nam quæcumque ille post hujusmodi curationem peccata admiserit, communem tam ipsi quam medico iram accendunt, si hic non recte vulnus inciderit. Quot autem supplicia expectanda sunt, cum quis non ex peccatis modo suis, sed ex aliorum quoque delictis in extremum periculum adducitur? Nam si de propriis sceleribus rationem reddituri exhorrescimus, ac si non valeamus ignem illum effugere, quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causam sit dicturus? Quod autem hoc verum sit, audi beatum Paulum dicentem; imo potius non illum,

[1] 2 Cor. II, 7.

sed in ipso loquentem Christum : « Obedite præpositis ves-» tris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi ratio-» nem pro animabus vestris reddituri[1]. » Num exiguus videtur hic comminationis terror? Is quantus sit dici nequit. Verum hæc satis sunt, quæ vel pertinacioribus fidem faciant, nos non superbia vel vana gloria captos, sed nobis tantum metuentes, et rei molem considerantes, hujusmodi fugam fecisse.

LIBER IV.

De Sacerdotio.

I. *Non eos tantum, qui ad clerum pervenire student, verumetiam qui vim patiuntur, ob peccata graviter puniri.*—II. *Qui indignos ordinant, idem quod hi supplicium experturos esse licet ipsos non norint.*—III. *Sacerdoti necessariam esse expeditam dicendi facultatem.* —IV. *Ad quorumvis concertationes et Græcorum, et Judæorum, et hæreticorum eum paratum esse oportere.* — V. *Perquam peritum dialecticæ esse oportere.* — VI. *B. Paulum id optime præstitisse.*—VII. *Eumdem non signis tantum claruisse, sed etiam arte dicendi.* — VIII. *Eumdem id a nobis quoque velle exerceri.* — IX. *Quo nisi præditus sit episcopus, subditos non leve damnum necessario subire.*

I. His auditis, Basilius, paulum cunctatus[1] : Atsi tu quidem, inquit, hanc dignitatem affectasses, hunc jure timorem admittere posses. Nam qui ad rei cujuspiam

[1] Hebr. XIII, 17. — [2] Vidè D. Guillon, tom. X, p. 375-410.

administrationem se idoneum esse professus est, quod eam arripere studuerit; illa sibi concredita, si labatur, non potest ad imperitiæ excusationem confugere; utpote qui antevertens hanc sibi ipse defensionem ademerit; quod accurrerit, eamque sibi administrationem rapuerit, neque dicere potest is, qui lubens et sponte huc accessit: Invitus hac in re peccavi, invitus illum quempiam perdidi. Respondebit illi, qui tum hac in re judex futurus est: Et cur tantæ tibi conscius imperitiæ, cum mens ad talem inculpate tractandam artem tibi non adesset, involasti, aususque es majora, quam vires ferrent, negotia suscipere? Quis te coëgit? quis reluctantem et fugientem vi pertraxit? At tu nihil unquam simile audies, neque possis unquam hujusmodi delicti te ipsum damnare, omnibusque planum est te ne tantillum quidem ad hunc suscipiendum honorem laborasse, sed id aliorum opera factum esse. Atque adeo quod illis nullam peccatorum veniam relinquit, hoc tibi magnam defensionis materiam suppeditabit. Chrysostomus. Ad hæc ego caput cum movissem, sensimque arrisissem, hominis simplicitatem miratus, hæc locutus sum. Equidem optarim rem ita se habere, ut dicis, vir omnium optime, non ut id suscipere possem, quod nunc refugi. Etiamsi enim mihi nullum supplicium propositum esset, si perfunctorie et imperite Christi gregem curassem: at illud mihi omni supplicio gravius foret, si post tantas mihi concreditas res, erga eum, qui concredidisset, ita ingratus viderer. Quare igitur optarim illam tuam opinionem non falsam esse? ut miseris et infelicibus, sic enim vocandi ii, qui hoc negotium probe tractare nesciunt, quamvis sexcenties ipsos vi adactos, et ignorantes peccare dicas; ut illis, inquam, effugere liceat ignem illum inextinguibilem, et tenebras exteriores, vermemque nunquam morientem, ne dissecentur et cum hypocritis pereant. Verum quid

tibi faciam? Non ita se res habet, non ita sane. Ac si vis, ut a regno primum quod apud Deum tanti non est, quanti sacerdotium, eorum quæ dixi, fidem faciam. Saül ille, filius Cis[1], non suopte motu et cura rex factus est: sed abiit, ut quæreret asinas, et super iis Prophetam interrogare cœpit: ille vero de regno ipsum allocutus est. Neque tamen ille statim regnum adiit, licet id a Propheta audisset, sed deprecabatur, renuebatque dicens: « Quis sum »ego, et quæ domus patris mei? Quid ergo? An cum honore sibi per Deum tradito male usus esset, potuit his verbis eximi ab ira ejus, qui se in regem constituerat? Atqui poterat ad Samuëlem increpantem dicere: Num ego regnum invasi? Num insilivi in hanc potentiam? Vitam privatam, otiosam et qui tam ducere volebam: tu vero me in hanc dignitatem pertraxisti. Si in illa humilitate permansissem, hæc offendicula facile declinassem: nam cum ex vulgarium et ignobilium essem numero, ad hoc opus missus nunquam fuissem: neque mihi bellum contra Amalecitas Deus commisisset: quo mihi non commisso, in peccatum hujusmodi nunquam incidissem. Verum hæc omnia ad defensionem infirma sunt; nec infirma modo, sed periculosa, quæ Dei magis iram accendant. Eum enim, qui meritis majorem dignitatem accepit, non oportet ad peccatorum excusationem honoris magnitudinem ostendere; sed ad majorem in virtute profectum uti magno illo Dei erga se studio. Ille vero quia meliorem nactus dignitatem, ideo peccare sibi licitum esse existimabat, nihil aliud, quam Dei clementiam peccatorum suorum causam facere conatus est. Quod sane impiis, et iis qui vitam ignave ducunt, mos est dicere. Nos autem non sic affectos esse, nec in similem decidere insaniam decet; sed ubique curare ut quæ facultatis nostræ sunt adhibeamus,

[1] 1 Reg. IX.

ac bene de Deo cogitemus et loquamur. Neque enim Heli, ut misso regno ad sacerdotium, de quo nunc agitur, transeamus, principatum studio acquisierat[1]. Quid igitur id illi profuit, cum peccasset? quid dico, acquisierat? Ne quidem si voluisset, lege ita cogente, poterat effugere : nam ex tribu Levi erat, et principatum ex generis retro successione accipere illum oportebat. Attamen et hic non minimas filiorum petulantiæ pœnas luit. Quid autem ille qui primus Judæorum sacerdos fuit, de quo tam multa cum Moyse Deus verba fecit? Quia non potuit solus tantæ multitudinis furori obsistere, annon parum abfuit, quin periret, nisi fratris patrocinium Dei iram avertisset[2]? Quia vero Moysis mentionem fecimus, e re fuerit etiam ex iis quæ ipsi contigerunt, rei veritatem probare. Hic quippe beatus Moyses, tantum abfuit, ut præfecturam Judæorum invaderet, ut oblatam recusaret[3], Deoque jubente renueret, atque ipsum irritaret. Neque tunc tantum, sed etiam postea cum principatum obtineret, lubens mortem subiisset, ut eum exueret, « Occide me, inquit, si ita mecum facturus es[4]. » Quid igitur? postquam peccavit ad aquam, potuere-ne assiduæ illæ recusationes ipsum defendere, et a Deo veniam impetrare[5]? Ecquanam alia de causa a terra illa promissionis privatus est? Certe non alia, ut omnes scimus, quam propter hoc peccatum, cujus causa admirandus ille vir, non eadem, quæ subditi, consequi potuit. Sed post multa tempora multasque miserias, post evagationem illam inenarrabilem, post bella et tropæa, extra terram illam obiit, pro qua tot susceperat labores, marisque incommoda passus, portus commoda non assecutus est. Vides non modo raptoribus, sed etiam iis, qui aliorum studio huc evehuntur, nullam relinqui peccatorum excusatio-

[1] 1 Reg. IV, 18. — [2] Exod. XXXII, 10. — [3] Id. IV, 13. — [4] Num. XI, 15. — [5] Id. XX, 12.

nem. Quando enim ii, qui Deo se ordinante recusaverant, tantas pœnas luerunt : nihilque potuit ab hoc periculo eximere Aaron[1], non Heli, non beatum illum virum, sanctum, Prophetam, mirabilem, mitissimum omnium qui erant super terram[2], quasi amicum cum Deo colloquentem ; vix nobis, qui ab illius virtute tantum absumus, satis ad defensionem esse poterit, quod nobis conscii simus, nos hujusmodi munus nullo studio consecutos esse. Cum maxime multæ ex hujusmodi ordinationibus, non divina gratia fiant, sed hominum studio. Judam Deus elegit, et in sanctum illum chorum cooptavit, atque ipsi apostolicam dignitatem ut reliquis tradidit ; imo quidpiam plus dedit, quam aliis, pecuniarum nempe dispensationem[3]. Quid igitur ? An quia utroque munere contra quam debuit usus est, cum eum, quem prædicandum susceperat, prodidit, et creditas pecunias male impendit, supplicium effugit ? Certe hoc potissimum nomine, gravius inde sibi supplicium attraxit ; idque jure merito. Non enim a Deo acceptis honoribus ad ejus offensionem utendum est, sed ad ei magis placendum. Ille vero, quia majore dignatus honore, dum rogat, debitum sibi supplicium effugere posse liceat, perinde agit, ac si quis ex incredulis Judæis Christum audiens dicentem, « Nisi venissem, et locutus fuissem eis, peccatum » non haberent, et nisi signa fecissem eis, quæ nullus alius » fecerat, peccatum non haberent[4] ; servatorem ac beneficum incusaret his verbis : Cur venisti, ac locutus es ? Cur signa fecisti, ut majore nos supplicio afficeres ? Sed furoris ac summæ insaniæ sunt hæc verba. Medicus enim non ut te damnaret venit, sed ut curaret ; non ut te ægrotantem despiceret, sed ut a morbo penitus liberaret. Te autem ultro ejus manibus summovisti. Gravius igitur supplicium subeas. Quemadmodum enim si curationi te

[1] Num. XII, 3. — [2] Exod. XXXIII, 11. — [3] Joan. XII, 6. — [4] Id. XV, 22.

subdidisses, a pristinis malis liberareris; sic quia præsentem effugisti, non ultra poteris illa abstergere, cumque non possis, horum pœnas dabis. Et quia vanam, quantum penes te fuit, ejus sollicitudinem fecisti, ideo non parem, quam ante collatum a Deo honorem, sed longe graviorem cruciatum sustinebis. Etenim is, quem beneficia accepta meliorem non reddunt, jure acerbius plecti meretur. Quia igitur hujusmodi defensio infirma esse demonstratur, nec solum non tutatur eos qui ad illam confugiunt; sed magis etiam prodit; aliud nobis præsidium quærendum.

II. Quodnam illud, inquit Basilius, quandoquidem ego in me ipso esse non possum, tantum mihi terroris ac formidinis verba tua incusserunt. Chrysostomus. Ne, quæso et obsecro, te eo usque dejicias. Est enim, est sane præsidium nobis infirmis, ut nunquam eo incidamus; vobis autem fortibus, ut spem salutis post Dei gratiam non alibi ponatis, quam ut nihil indignum faciatis illo dono, et ipso largitore Deo. Maximo quippe supplicio digni erunt ii, qui postquam studio suo dignitatem hujusmodi sunt adepti, vel ex ignavia, vel ex improbitate, vel ex imperitia, non recte illa utuntur. Neque tamen ideo iis, qui nullo studio ipsam assecuti sunt, venia relinquitur: sed ne ipsis quidem ulla superest excusatio. Oportet enim, arbitror, quamvis sexcenti advocent et cogant, non illos respicere; sed primo animum explorare suum, et omnia accurate scrutatum, ita vim inferentibus cedere. Jam nullus se domum ædificaturum polliceri audeat, nisi sit architectus, neque ægrotantia corpora curare, nisi medicinam calleat. Sed etiamsi vim inferant, semper obsistet, nec pudebit eum ignorantiæ. Cui autem tam multarum animarum cura concredenda est, is nonne prius se ipsum explorabit; sed etiamsi omnium imperitissimus sit, ministerium suscipiet, quia alius quispiam id jubet, aliusque cogit, et ne in cu-

juspiam offensionem incurrat? Annon se ipse sponte cum illis in præcipitium conjicit? cum liceret sibi saluti suæ consulere, alios secum in perniciem trahit. Undenam salutem sperare possit? unde veniam consequi? Quinam tunc nobis patrocinabuntur? An ii, qui nobis vim nunc inferunt, et ad necessitatem adigunt? At hos ipsos quis illo tempore servabit? Nam et ipsi deprecatoribus indigebunt, ut ignem effugiant. Quod autem hæc dicam non ut tibi terrorem incutiam, sed ut veritas postulat, audi quid Paulus dicat Timotheo discipulo, germano filio atque dilecto: « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris » peccatis alienis[1]. »

III. Vides-ne quanta eos qui nos ad eam dignitatem perducturi erant, non reprehensione modo, sed etiam pœna, quantum in nobis fuit eripuerimus? Sicut enim iis, qui electi fuere, non satis est ad defensionem dicere, Non sponte accessi, nec rem prospiciens effugi; ita nec eos, qui elegerunt, juvabit, si dicant se ordinatum non novisse. Sed ideo majus crimen efficitur, quia quem non noverant produxerunt, et quæ videtur esse defensio, crimen auget. Quomodo enim non absurdum fuerit eos, qui mancipium emere volunt, et medicis ostendere, et emptionis sponsores postulare, et vicinos interrogare, nec tamen postea confidere, sed diuturnum ad probationem tempus poscere; in tantum vero ministerium inscribere quempiam volentes, temere et ut fors ferat, sive ad gratiam, sive ad invidiam testimonium judiciumque ferre, nullo alio habito examine? Quis ergo pro nobis tunc deprecabitur, cum ipsi qui patrocinari debebunt patrocinio egeant? Proinde oportet eum, qui ordinaturus est, multa prius perquisitione uti; sed multo majore eum, qui ordinandus est. Etiamsi enim peccatorum supplicii consortes habitu-

[1] 1 Tim. v, 22.

rus sit eos, qui elegerunt; attamen non ipse quidem hac ratione supplicium evadit, imo gravius sustinet; nisi fortasse illi humana aliqua ratione ducti, contra quam consentaneum sibi videbatur, electionem fecerint. Nam si in ejusmodi delicto deprehensi fuerint, et quem indignum certo scirent, quadam de causa cooptarint, paria luent supplicia : fortasse vero majores pœnas dabit qui non idoneum constituit. Nam qui potestatem dat volenti Ecclesiam corrumpere, is facinorum ejus auctor fuerit. Quod si nulli eorum obnoxius ipse fuerit, sed vulgi opinione se deceptum dicat; ne sic quidem impune fuerit, sed paulo minores, quam qui ordinatus est, dabit pœnas. Quare? Quia verisimile videtur eos, qui elegere, falsa vulgi opinione deceptos, eo animum appulisse; sed qui electus fuit non perinde dicere potest, me ipsum ignorabam, ut alii ipsum ignorasse dicunt. Sicut igitur gravius plectendus est, quam ii, qui ipsum cooptarunt, ita accuratius sui ipsius examen, quam illi, facere debet : ac si ipsum illi ignorantes pertrahant, obviam ire debet, docereque causas eas, per quas ab errore desistant, seque vel probatione indignum ostendens, a tantarum rerum mole eximat. Cur enim cum de re militari, de mercatura, de agricultura, deque aliis sæcularibus rebus deliberatur; non agricola navigationem, nec miles agriculturam, nec gubernator militiam suscipiat, etiamsi mortem illis sexcenties commineris? Nempe quia periculum ex imperitia emergens singuli prospiciunt. Ita-ne ergo ubi de modicis rebus periclitamur, tanta utemur providentia, neque cogentium violentiæ cedemus : ubi autem æternum supplicium paratur, iis quos non norunt, sacerdotium tradunt, an temere et inconsulto, vim ab aliis illatam obtendentes, in tantum nos periculum conjiciemus? At hæc non tolerabit qui tunc nos judicaturus est. Oportebat enim majorem circa

spiritualia cautionem, quam circa carnalia exhibere : jam vero ne parem quidem exhibere deprehendimur. Dic enim mihi, si quem suspicati fabrum esse, qui tamen faber non esset, ad opus vocaremus, sequereturque ipse, qui manus ad materiam ædificio paratam admovens, ligna, lapidesque labefactaret, sicque domum construeret, ut statim collaberetur, num ad illius defensionem satis esset, quod coactus nec suopte motu venisset? Nequaquam, idque jure ac merito : oportebat enim etiam aliis vocantibus resilire. Ita-ne qui ligna et lapides labefactavit, debitas pœnas nullo modo effugiat, qui autem animas perdiderit, ac negligenter ædificaverit, vim sibi illatam ad supplicium declinandum sibi satis esse putabit? Quomodo id non admodum ineptum fuerit? Nondum enim adjicio, nolentem a nemine compelli posse. Sed esto, ingentem vim passus sit, machinisque variis impetitus deciderit; an hoc illum supplicio eximet? Ne, obsecro, ne eo usque nos ipsos decipiamus; ne nos ignorare simulemus ea, quæ vel puerulis nota sunt. Neque enim, ubi rationes reddendæ erunt, ignorantiæ simulatio nobis prodesse poterit. Principatum hujusmodi non ipse ambivisti imbecillitatis tuæ conscius? Probe et optime illud. Oportebat ergo cum id esset animi, etiam aliis vocantibus resilire. An cum nemo vocaret, infirmus et non idoneus eras, statim vero atque reperti sunt qui hunc tibi honorem conferrent, statim fortis effectus es? Hæc risu digna et nugæ sunt, extremoque supplicio digna. Nam propterea monet Dominus, ne qui turrim vult ædificare prius jaciat fundamentum[1], quam vires suas exploraverit, ne prætereuntibus sexcentas ridendi ansas præbeat. At illius quidem jactura sola derisione terminatur; hic vero supplicium est « Ignis inextinguibilis[2], » vermis qui non moritur, stridor dentium, tenebræ exteriores, disse-

[1] Luc. XIV, 28. — [2] Matth. III, 12, et Isaï. LXVI, 24.

cari [3] in hypocritarum numero constitui. Horum tamen omnium nihil perpendere volunt accusatores nostri[1] : alioquin finem culpandi ejus facerent, qui non frustra perire velit. Non agitur nunc de dispensatione frumenti et hordei, boum et ovium, aliorumque similium, sed de ipso Jesu corpore. Nam Ecclesia Christi secundum beatum Paulum, corpus Christi est[2] : parque est eum, cui corpus illud creditum est, ejus habitum optimum, et ingentem pulchritudinem summe curare, et undique circumspicere, ne macula, vel ruga, vel labes similis, ejus speciem ac decorem dehonestet. Et quid aliud præstet, quam ut illud capite immortali ac beato dignum exhibeat. Nam qui athleticæ habitudini dant operam, opus habent medicis, pædotribis, diæta temperata, exercitatione frequenti, infinitaque observatione : etenim si quid vel minimum negligatur, id omnia evertit ac dejicit; ii quibus corporis Christi cura incumbit, cui corpori certamen est, non contra corpora, sed contra invisibiles Potestates : quomodo illud integrum et sanum servare poterunt, nisi humanam virtutem multum transcendant, et omnem animæ utilem curandi modum probe norint?

IV. An ignoras hoc corpus pluribus et morbis et insidiis obnoxium esse, quam carnem nostram; itemque citius corrumpi tardiusque sanari? Humana certe corpora curantibus, varia inventa sunt medicamina, diversorum instrumentorum apparatus, alimenta ægris congruentia, aëris quoque natura sæpe sufficit ad ægri valetudinem; est etiam cum somnus opportune cadens, omnem medico laborem auferat. Hic vero nihil simile excogitari potest; sed una post operum exemplum datur machina viaque ad curationem, nempe verbi doctrina. Hoc est instrumentum, hoc esca, hoc aëris temperies optima; hoc vice medica-

[1] Matth. xxv, 30. — [2] Coloss. I, 18, et Ephes. V, 27.

menti, hoc vice ignis ac vice ferri, sive urendum, sive secandum sit, illo uti necesse est : si illud nihil possit, reliqua omnia incassum abeunt. Hoc et jacentem animam excitamus, et tumentem compescimus, et redundantia præscindimus, et deficientia supplemus, et reliqua omnia facimus, quæ ad animæ conferunt incolumitatem. Nam ad vitæ optimam constitutionem, alterius vita ad simile studium et æmulationem revocare possit. Cum autem anima circa spuria dogmata ægrotat, tunc verbi usus maxime necessarius est, non ad domesticorum securitatem tantum, verumetiam ad externa bella. Nam si quis frameam spiritus habeat, clypeumque fidei talem, ut possit miracula edere, et portentis impudentium ora obstruere, nihil opus fuerit verbo; imo ne tunc quidem inutilis esset ejus natura, sed etiam admodum necessaria. Etenim beatus Paulus ipsum adhibuit, etiamsi signorum gratia ubique admirationi esset. Et alius quidam ex eodem choro, ut verbi virtutis curam habeamus monet his verbis : « Parati estote » ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ » in vobis est, spe[1]. » Et quidem nulla alia de causa tunc omnes Stephano viduarum œconomiam commiserunt [2], quam ut ipsi verbi ministerio vacarent. Verumtamen non perinde verbum requireremus, si virtutem signorum haberemus. Sin virtutis illius ne vestigium quidem relinquitur, multi vero undique instant inimici; sermone muniamur necesse est, ne inimicorum telis confodiamur, imo potius ut ipsos feriamus.

V. Quapropter ingens adhibere studium oportet, ut Christi verbum affatim in nobis habitet[3]. Neque enim ad unum pugnæ genus apparatus noster est, sed multiplex hoc bellum est, ex variisque constans inimicis. Neque ipsi iisdem utuntur armis, neque uno tantum modo nobiscum

[1] 1 Petr. III, 15. — [2] Act. VI, 2. — [3] Coloss. III, 16.

congredi meditantur : opusque est eum, qui cum omnibus pugnam commissurus est, omnium technas notas habere, ac eumdem esse, sagittarium et funditorem, tribunum, et manipuli ductorem, militem et ducem, peditem et equitem, navalis et muralis pugnæ peritum. Etenim in militaribus præliis, quod quisque opus peragendum suscipit, hoc irruentes propulsat. Hic vero non ita se res habet; nisi enim qui victoriam reportaturus est, omnes dimicandi artes noverit; novit diabolus, vel per unam partem, si ea negligatur, prædonibus suis immissis, oves diripere. At non item cum pastorem senserit omni scientia præditum esse, omnesque ipsius insidias probe callere. Quamobrem oportet nos omnibus ex partibus munitos esse. Etenim urbs donec undique circummunita est, obsidentes se irridet, ac secure admodum agit; si quis vero murum diruerit ad januæ solum magnitudinem, tunc nihil illi prodest septum, licet reliquum omne munitum sit. Eodem modo et Dei civitas, dum eam undique pro muro ambit pastoris solertia atque prudentia; adversariis suæ omnes machinæ in opprobrium risumque cedunt, eamque incolentes illæsi evadunt; ubi autem quispiam eam ex parte demoliri possit, etiamsi non totam destruxerit, a parte totum, ut ita dicam, deinceps labefactatur. Quid enim cuipiam profuerit adversus gentiles fortiter pugnare, si illum populentur Judæi? Quid si utrisque devictis, a Manichæis diripiatur? vel si his etiam prostratis, qui fatum inducunt intus positas oves jugulent? Ecquid opus est omnes diaboli hæreses recensere? quas omnes nisi pastor sciat probe refellere, vel per unam possit lupus maximam ovium partem devorare. Sane cum de militibus agitur, ab iis qui stant et dimicant, sive victoria, sive clades expectanda est : hic vero longe secus : sæpe namque aliorum pugna, eos qui ne ab initio quidem congressi sunt, quique nullum suscepere

laborem, quiescentes sedentesque victores constituit : tum is qui non magnopere exercitatus est proprio confossus gladio, et amicis et inimicis se deridendum propinat. Verbi gratia, nam tibi dicta mea exemplo palam facere conabor ; legem a Deo Moysi datam tum Valentini et Marcionis insaniæ sequaces, tum alii quotquot eodem morbo contacti sunt ex divinarum Scripturarum catalogo expungunt. Judæi vero tanto illam in honore habent, ut etiam vetante tempore omnia contentiose, vel præter Dei placitum observent. At Ecclesia Dei amborum immoderatam sententiam devitans, media incedit via, ut nec illius jugo se subjiciat, nec eam improbari patiatur. Imo illam vel cessantem laudat, quia olim in tempore suo utilis fuit. Oportet autem eum, qui adversus utroslibet debellaturus sit, hunc modum callere. Nam si Judæos docere volens, quod intempestive legi veteri hæreant, acriter illam incusare aggrediatur, hæreticis ipsam vituperare volentibus non parvam dederit ansam ; sin hæreticorum ora obturare volens, illam immodice extulerit, et quasi in præsenti necessariam commendaverit ; Judæorum ora aperiet. Rursus qui cum Sabellio insaniunt, et quos Arii rabies invasit, ambo ultra modum progressi, a sana fide lapsi sunt ; ac nomen quidem Christianorum utrique obtinent : si quis vero corum dogmata expenderit, alios haud melius, quam Judæos, affectos esse deprehendet, uno tantum excepto nominum discrimine ; alios vero magnam affinitatem cum Pauli Samosateni hæresi habere : sed utrosque procul a veritate esse. Magnum igitur hic periculum, arcta et angusta via est, præcipitii utrinque intercepta : metusque est non modicus, ne quis alium ferire studens, ab alio confodiatur. Nam si quis unam dicat deitatem, hanc statim vocem Sabellius ad suam pertrahet insaniam ; sin distinxerit, et alium dicat esse Patrem, alium Filium,

alium Spiritum sanctum, instat Arius in diversitatem substantiæ personarum distinctionem trahens. Oportet autem et impiam illius confusionem, et furiosam hujus divisionem aversari et fugere, divinitatem Patris, Filii et Spiritus sancti unam confitentes, tres autem hypostases adjicientes: hac quippe ratione utrorumque incursus arcere poterimus. Multos item alios congressus enarrare tibi possemus, in quibus nisi fortiter diligenterque pugnaveris, plurima ex certamine vulnera referes.

VI. Jam quis recensere possit domesticorum rixas? Non enim illæ minores sunt externis insultibus, imo majores pariunt docenti sudores. Alii namque præ curiositate temere omnia indagare volunt, ex quorum notitia nihil eveniat lucri, imo quæ edisci neutiquam possunt. Alii rursus Dei judiciorum rationes ab eo postulant, et abyssum illam multam dimetiri conantur: « Judicia namque tua, inquit, » abyssus multa[1]. » De fide autem et de vitæ institutione paucos curare deprehendas: sed multo plures hæc curiose scrutantes perquirentesque, quæ nec inveniri possint, ac quorum exquisitio Deum irritet. Nam ubi ea ediscere conamur, quæ ille nos scire non velit, nec sciemus unquam; quî enim nolente Deo? id unum reportabimus, ut quærendo periclitemur. Attamen, hæc cum ita se habeant, cum quis auctoritate interposita curiosorum hominum ora obstruxerit, arrogantiæ et imperitiæ notam sibi inurit. Quamobrem hic multa opus antistiti prudentia, ut possit eos a quæstionibus tam absurdis abducere, et supra memoratas criminationes declinare. Adversus hæc omnia nihil aliud quam verbi auxilium datum est, qua facultate si antistes careat, subditorum animi nihilo melius quam naviculæ procellis agitatæ affecti erunt; de iis loquor, qui infirmiores et curiosiores sunt. Quamobrem par est sa-

[1] Psal. xxxv. 6.

cerdotem nihil non agere, ut sibi facultatem hanc comparet.

VII. Tum Basilius : Cur ergo Paulus, inquit, hanc sibi facultatem comparare non curavit[1], neque de eloquentiæ inopia erubuit, imo palam fatetur se idiotam esse; idque ad Corinthios scribens, qui eloquentiæ laude florebant, de qua summe gloriabantur? Chrysostomus. Hoc est, inquam, hoc est, quod plerosque perdidit, et circa veram doctrinam segniores effecit. Cum enim apostolicæ mentis altitudinem exacte scrutari non possent, neque verborum sensum capere, omne tempus somnolentiæ et oscitantiæ dederunt, inscitiam illam amplexati, non qua Paulus se inscium esse dicit, sed a qua tanto ille abfuit intervallo, quanto nullus hominum, qui sub cœlo sunt. Cæterum hoc pertractandum aliud in tempus reservamus : interim illud dicam : Ponamus Paulum esse idiotam, etiam in illa, qua ipsi volunt, parte : Quid hoc ad nostræ ætatis homines? Ille quippe multo majorem verbo virtutem habuit, quæ longe plura præstare posset; nam ostendens se tantum ac tacens[4], dæmonibus formidabilis erat. Hodierni autem homines omnes simul coacti, infinitis tum precibus[3], tum lacrymis, nunquam tantum possint, quantum olim Pauli semicinctia potuere. Paulus quidem precibus mortuos suscitabat[3], et alia insuper miracula ejusmodi edebat, ut ab externis Deus esse putaretur, ac prius, quam ex hac vita transferretur, dignus habitus est, qui raperetur usque ad tertium cœlum, verborumque particeps fieret, quæ humanam audire naturam non licet. At qui nunc vivunt; (nihil ego eloqui possum, quod molestum vel grave esse videatur : hæc quippe non insultans eis dico, sed admiratione captus;) quomodo non perhorrescunt, dum se

[1] 2 Cor. xi, 6. — [2] Act. xix, 11. — [3] Id. xiv, 11. — [4] 2 Cor. xii, 2.

tali viro comparant? Nam si miraculis omissis, ad vitam beati illius viri accedamus, ejusque mores angelicos disquiramus, in hac re magis, quam in signis, Christi athletam superantem videbis[1]. Quid enim memores, studium, probitatem, frequentia pericula, continuas sollicitudines, indesinentem pro Ecclesiis mœrorem[2], erga infirmos commiserationem, multas ærumnas, novas persecutiones, quotidianas mortes? Quis orbis locus, quæ continens, quod mare Justi hujus certamina ignoravit? Illum inculta quoque terra noverat, dum illum sæpe periclitantem excipiebat. Omne quippe genus insidiarum tulit, et omnem victoriæ modum expertus est, ac neque certaminum neque coronarum finem invenit. Verum nescio quo pacto eo animum appuli, ut virum contumelia afficerem. Gesta quippe ejus omnem sermonem superant; meum vero tantum, quantum nos superant dicendi periti. Attamen ne sic quidem; neque enim ab exitu, sed a voluntate Beatus ille nos metitur; non cessabo donec hoc addiderim, quod tanto præstantius est supra dictis, quanto ille præstantior omnibus hominibus. Quid illud est? Post tam multa egregia facinora, post innumeras coronas, in gehennam abire, et æterno tradi supplicio optavit[3], ut Judæi, qui ipsum sæpe lapidaverant, imo, quantum in ipsis erat, occiderant, salvi essent et ad Christum accederent. Quis ita Christum amavit? Si tamen id amor dicendum est, et non quippiam amore præstantius. Etiamne igitur nos ipsos cum illo conferemus, post tantam, quam cœlitus accepit, gratiam, post tantam virtutem, quam ex se ipso exhibuit? Ecquid illo audacius? Quod autem non adeo idiota fuerit, ut ipsi arbitrantur, id jam commonstrare aggrediar. Hi enim non modo idiotam vocant eum, qui in externam litterarum præstigiis non exercitatus fuerit; sed etiam eum,

[1] 2 Cor. xi, 26. — [2] 1 Cor. ix, 22. — [3] Rom. ix, 3.

qui pro veris dogmatibus pugnare nesciat: ac recte quidem. At Paulus non utrobique se idiotam profitetur, sed in horum altero tantum. Et ut id confirmaret, distinctionem accurate posuit, cum diceret, sermone se idiotam esse[1], sed non cognitione. Sane si Isocratis leporem exigerem, si Demosthenis acumen, si Thucydidis gravitatem, si Platonis sublimitatem, hoc Pauli testimonium in medium afferendum esset. Nunc autem illa omnia missa facio, necnon curiosum illum exterorum ornatum, nihilque curo dictionem enuntiationemque. Sed esto illum dictione inopem esse, et compositionem nominum simplicem ac remissam; dum ne cognitione, et dogmatum accuratione idiota sit; ne ideo, ut ignaviam tegat suam Beato illi quod maximum in bonis est laudemque præcipuam auferat.

VIII. Undenam, obsecro, Judæos Damascum incolentes confudit[2], cum nondum miracula edere cœpisset? Unde Hellenistas item prostravit? Quare Tarsum missus est? Nonne quia vi verbi superabat, et in tantum ipsos premebat, ut se victos esse non ferentes, ad illius necem inflammarentur? Nondum enim miracula edere cœperat: neque possit quispiam dicere, multos ipsum ob miraculorum gloriam admirandum habuisse, cosque qui cum eo pugnabant, viri existimatione fuisse prostratos[3]. Nam ad id usque tempus sermonis vi superabat. Adversus eos autem qui Antiochiæ judaïzare aggrediebantur[4], quomodo dimicabat, disputabatque? Areopagita vero ille, superstitiosissimæ urbis illius civis, nonne ex sola ejus concione cum uxore secutus eum est? Eutychus autem quomodo de fenestra delapsus est[5]? nonne quia usque ad multam noctem eius audiendæ doctrinæ vacabat? Quid vero Thes-

[1] 2 Cor. xi, 6. — [2] Act., ix, 22, et ix, 29. — [3] Galat. ii, 11. — [4] Act. xvii, 34. — [5] Id. xx, 9-15.

salonicæ et Corinthi? Quid Ephesi, et in ipsa Roma? nonne dies noctesque insumebat in exponendis Scripturis? Jam quid dixeris de illius disputationibus cum Epicureis et Stoïcis[1]? Nam si omnia recensere velimus, longius excurret oratio. Cum itaque et ante signa, et in mediis signis, ipsum multa dicendi vi usum esse palam sit, quomodo adhuc audeant idiotam dicere eum, qui disputationibus et concionibus magnam sibi apud omnes admirationem conciliavit? Cur Lycaones ipsum Mercurium esse suspicati sunt[2]? Nam quod dii esse putarentur, id ex signis efficiebatur, quod vero Paulum Mercurium esse putarent, id non signorum, sed eloquentiæ causa evenit. Quare beatus ille vir prærogativam inter cæteros Apostolos habuit? Unde per totum orbem multus in omnium ore versatur? Quare non apud nos modo, sed et apud Judæos et Græcos maxime omnium admirationi habetur? Nonne ex Epistolarum virtute, qua non iis solum, qui tunc erant, fidelibus, sed etiam iis, qui ab illo tempore in hunc usque diem fuere, et iis qui post futuri sunt usque ad novissimum Christi adventum, profuit profuturusque est, nec juvandi finem faciet, donec humanum genus permanserit? Quemadmodum enim murus ex adamante constructus, sic scripta ejus universas orbis Ecclesias circummuniunt. Ipseque instar fortissimi athletæ stat etiamnum medius, captivam ducens omnem cogitationem in obedientiam Christi, et destruens omnem celsitudinem elevantem se contra cognitionem Dei[3]. Hæc porro omnia operatur per admirandas illas Epistolas divina plenas sapientia, quas reliquit nobis. Neque solum ad dogmata spuria confutanda, germanaque tutanda, idonea sunt ejus scripta; sed etiam ad bonam vitam instituendam non minimæ utilitatis sunt. Horum enim subsidio hodieque Ecclesiarum

[1] Act. xvii, 18. — [2] Id. xiv, 12. — [3] 2 Cor. x, 5.

præfecti utentes virginem castam [1], quam ille Christo adaptavit; concinnant efformantque, et ad spiritualem pulchritudinem deducunt. His item irruentes in illam morbos depellunt, partamque sanitatem conservant. Talia nobis idiota ille remedia reliquit, tanta virtute prædita, quorum experientiam habent, qui illis frequenter utuntur. Quod autem ille hac in parte magnam sollicitudinem posuerit, hinc palam est.

IX. Audi vero quid in Epistola sua discipulo dicat : « Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ [2] ; » cujus rei fructum adjicit, dicens : « Hoc enim faciens, et te ipsum » salvum facies, et eos qui te audiunt. » Ac rursum, « Ser» vum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse » ad omnes, docibilem, patientem. » Ac progressus ait : « Tu vero permane in iis, quæ didicisti et credita sunt » tibi, sciens a quo didiceris, et quia ab infantia sacras » Litteras nosti, quæ te possint instruere ad salutem. » Ac rursus, « Omnis Scriptura divinitus inspirata, inquit, uti» lis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, » ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei [3]. » Audi item quid Tito dicat, de episcoporum constitutione disserens, « Oportet enim, inquit, episcopum amplecti » eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possit eos, qui contradicunt, arguere [4]. » Quî ergo idiota, ut hi dicunt, contradicentes arguere et refrenare poterit ? Quorsum attendere lectioni et Scripturis, si ea nobis ignorantia amplectenda est ? Hæc obtentus sunt et prætextus, ac segnitici ignaviæque excusationes. Verum, inquies, hæc episcopis præcipiuntur : nam de episcopis nobis jam est sermo : quod autem et subditis idipsum conveniat, audi quid in alia Epistola aliis dicat : « Verbum

[1] 2 Cor. xi, 2. — [2] 1 Tim iv, 13. — [3] 2 Tim. ii, 24 ; iii, 14 et 16. — [4] Tit. i, 17.

» Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia ; » ac rursum : « Sermo vester semper in gratia sale si con- » ditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respon- » dere [1]. » Jam quod velit ad respondendum esse paratos [2], in omnibus dicitur. Ad Thessalonicenses vero : « Ædificate, » inquit, alterutrum, sicut et facitis [3]. » Cum autem de sacerdotibus verba facit : « Qui bene præsunt presbyteri, » inquit, duplici honore digni habeantur, maxime qui la- » borant in verbo et doctrina [4]. » Etenim hic est perfectis- simus doctrinæ terminus, cum et operibus et dictis suis discipulos in beatam a Christo institutam vitam deducunt. Neque enim facta sufficiunt ad docendum. Non meus est sermo, sed ipsius Servatoris. « Qui enim, ait, fecerit et » docuerit, hic magnus vocabitur [5]. » Nam si facere idem esset quod docere, superflue secundum illud adderetur; satis enim fuisset dixisse tantum, « Qui fecerit. » Nunc vero quod inter utrumque distinguat, ostendit alias esse operum partes, alias sermonis, adque perfectam ædifica- tionem unum altero indigere. Annon audis quid Ephesio- rum presbyteris dicat vas illud electum Christi? « Propter » quod, inquit, vigilate memoria retinentes, quoniam per » triennium non cessavi cum lacrymis monens unumquem- » que vestrum [6]. » Nam quid opus lacrymis, vel verbis com- monitoriis, vita in illo apostolica ita fulgente? Sed ad præceptorum observationem id nobis admodum conferre possit, neque enim ipsum solum omnia præstare posse dixerim.

X. Cum autem de dogmatibus certamen fuerit, om- nesque ab iisdem scripturis dimicaverint, quam vim hic vitæ institutum exhibere possit? Quid utilitatis sudores multi afferant, cum post tantos illos labores, ex magna

[1] Coloss. III, 16, et IV, 6. — [2] 1 Petr. III, 15. — [3] 1 Thess. V, 11. — [4] 1 Tim. V, 17. — [5] Matth. V, 19. — [6] Act. XX, 31.

sua imperitia quis in hæresim lapsus, ab Ecclesiæ corpore abscissus fuerit? quod quidem scio multis accidisse. Quod lucrum ipsi ex tolerantia? Nullum : sicut nec ex sana fide, si vita corrupta fuerit. His sane de causis, harum concertationum maxime omnium peritum esse oportet eum, qui aliorum docendorum munus sortitus est. Nam etiamsi tutus ipse perstet, nihil ab adversariis læsus; at subditorum simpliciorum multitudo, cum viderit ducem superatum nihil posse adversariis opponere, non infirmitatem ejus, sed dogmatis imbecillitatem prostratam esse putabunt. Atque ob unius imperitiam multus populus in extremam perniciem dejicitur. Etiamsi enim se non adversariorum in partes recipiant, attamen, de quibus confidere poterant, de iisdem dubitare coguntur : et iis, quæ cum inconcussa fide adierant, cum eadem jam firmitate adhærere non possunt. Sed tanta tempestas eorum inest animis, idque ex doctoris sui clade, ut in naufragium tandem pessimum desinant. Quanta vero pernicies, quantusque ignis, in miserum caput illius pro singulis pereuntibus coacervetur, non opus est ut a me discas, cum omnia accurate scias. Hoccine igitur est arrogantiæ, hoccine vanæ gloriæ, quod noluerim tot hominum perniciei causam esse, et mihi majus attrahere supplicium, quam id quod repositum est? Ecquis hæc dixerit? Nemo, nisi frustra criminari, et in alienis calamitatibus philosophari velit.

LIBER V.

De Sacerdotio.

I. *Multum laboris ac studii adhibendum, in homiliis popularibus concinnandis.*—II. *Huic muneri deputatos,*

laudes spernere, ac dicendi peritos esse debere.—III. *Nisi utroque sacerdos sit præditus, inutilem populo fore.* — IV. *Invidiam contemnat oportere.*—V. *Erudito plus studii et diligentiæ opus esse, quam inerudito.* — VI. *Judicium multitudinis imperitæ neque omnino contemnendum, neque omni ex parte curandum esse.* — VII. *Sermones omnes eo, ut Deo tantum placeatur, dirigendos esse.*—VIII. *Qui non sit laudis contemptor, ei multa gravia esse sustinenda.*

I. Quanta sit doctori[1] experientia opus ad certamina pro veritate suscipienda, sat a nobis demonstratum esse puto. Aliud præterea dicendum restat, quod est infinitorum causa periculorum; imovero non illud esse causam dixerim, sed eos qui illo probe uti nesciunt: quandoquidem res ipsa et salutis et multorum bonorum conciliatrix est, dum a viris probis et diligentibus administretur. Quid illud est? Labor multus in disputationibus publice ad populum habendis insumptus. Primum enim magna subditorum pars nolunt eos, qui loquuntur, in præceptorum habere loco; sed discipulorum ordinem supergressi, eorum conditionem usurpant, qui in externorum theatris certamina spectaturi sedent. Ac quemadmodum ibi multitudo in contraria studia scinditur; aliis huic, aliis illi faventibus: ita et hic divisi, alii ad hujus, alii ad illius partes transeunt, vel ad gratiam vel ad odium aures dicentibus accommodantes. Neque id solum molestum est, sed et aliud quiddam non levius. Nam si quem contingat partem aliquam eorum, quæ ab aliis elaborata sunt, concioni suæ intexere, pluribus, quam qui pecunias suffurantur, opprobriis oneratur. Sæpe vero nihil ab aliis mutuatus, sed in ejus rei tantum suspicionem veniens, paria patitur ac si

[1] Vide D. Guillon, tom. x, p. 433-449.

deprehensus fuisset. Ecquid dico eorum, quæ ab aliis elaborata fuerint? Certe ne illi quidem licet inventis suis assidue uti: non enim ad utilitatem, sed ad voluptatem plurimi audire solent : quemadmodum qui de tragœdis vel de citharœdis judicaturi sedent.

II. Atque adeo dicendi vis illa, quam nuper explodebamus; ita desiderabilem nunc se præbet, ut ne in sophistis quidem cum mutuo altercari coguntur, tanta requiratur. Generoso itaque hic opus est animo, qui nostram exiguitatem longe superet; ut inordinatam illam infructuosamque vulgi voluptatem compescat, et auditum eorum ad utiliora transferat; ita ut populus ipsum sequatur, ipsique morem gerat; sed non ille secundum vulgi cupidinem feratur. Id vero nullo modo consequi possis, nisi hoc utrumque affuerit, laudum contemptus, et vis dicendi. Nam si alterum absit, aliud ab altero disjunctum inutile efficitur. Etenim si laudes aspernans non proferat doctrinam gratia et sale conditam[1], despicabilis apud multos evadit, nihil lucri ex illa animi magnitudine referens; sin hac parte strenue se gerens a populari aura vincatur, tum ipsi, tum populo idipsum accidit detrimenti, cum ex laudum cupidine eo ducatur, cum ad gratium magis, quam ad utilitatem auditorum concionari studeat. Ac quemadmodum, qui nec laudibus movetur, nec dicendi vi præditus est, is neque vulgi voluptatibus cedere, neque tantillam utilitatem ob imperitiam loquendi afferre potest; ita qui laudum amore capitur, nactus eam facultatem, qua multos ad meliorem frugem reducere possit; mavult tamen delectabilia proferre, dum populares in plaudendo tumultus lucretur.

III. Is itaque qui optimus populi ductor futurus sit, utrumque fortiter teneat oportet, ut ne alterum altero

[1] Coloss. IV, 6.

evertatur. Cum enim in medio surgens ea dixerit, quæ ignavos perstringere possint; si deinde labatur et decidat, ac præ dicendi inopia erubescere cogatur, jam dictorum lucrum statim effluit. Nam qui corripiuntur, dum de dictis dolent, nec se alio modo ulcisci possunt, ignorantiam ipsi exprobrant, hac putantes se ratione opprobria tegere sua. Quamobrem oportet eum, ceu aurigam optimum, inter has virtutes accurate procedere, ut utramque rite tractare possit. Etenim cum ille se apud omnes inculpatum præstiterit, tunc quanta potestate voluerit, subditos suos omnes pro lubito vel castigare, vel remissius tractare poterit. Hoc nisi prius agatur, haud factu id facile fuerit. Animi porro magnitudinem non in laudum contemptu tantum exhibere par est; sed ulterius progrediendum, ne imperfectum lucrum accedat.

IV. Quodnam igitur aliud contemnendum est? Livor et invidia. Intempestivas autem accusationes, (necesse quippe est antistitem absurdas etiam reprehensiones sustinere;) neque admodum timere, formidareque, neque prorsus negligere convenit. Sed etiam si illæ falsæ sint, etiamsi a plebeiis offerantur, statim eas extinguere conandum est. Nihil enim ita famam seu bonam, seu malam auget, ut incompositum vulgus: cum enim sine examine et audire et garrire soleat, temere quidquid occurrit loquitur, nulla prorsus veri ratione habita. Quamobrem non oportet vulgus contemnere, sed pravas suspiciones statim ab initio excindere, accusatores de contrario persuadendo, etiamsi illi a ratione alienissimi sint: demum nihil retro relinquere convenit, quod pravam opinionem delere possit. Sin vero postquam omnia præstiterimus, nolint accusatores morem gerere, tunc contemptu opus erit. Quandoquidem si quis casibus hujusmodi animo dejiciatur, is nunquam poterit quidpiam generosi vel admirandi præs-

tare. Nam mœror animi assiduæque sollicitudines, animi vim prosternere possunt, et in extremam imbecillitatem deducere. Sic igitur oportet sacerdotem erga subditos affectum esse, ut pater est erga tenerrimos filios: ac quemadmodum illis nec insolescentibus, nec percutientibus, nec flentibus commovemur; sed neque cum nos effusis cachinnis irriserint, admodum curamus: ita nec horum vel laudibus intumescere, vel vituperiis dejici oportet; cum hæc illi intempestive faciunt. Grave illud est, o vir beate, imo tale fortasse puto, quod præstari non possit. Siquidem laudatum hominem non gaudere, nescio an cuipiam vel magna virtute prædito acciderit. Gaudentem vero necesse videtur id desiderare unde gaudio fruitur, desiderantem porro gaudio frui, prorsus necesse est, si id non consequatur, dolere, torqueri, cruciari, ac mœrore affici. Quemadmodum enim ii, qui in divitiis lætantur, si quando in paupertatem decidant, ægre ferunt: et qui delicatis cibis assueverunt, nunquam patiantur tenui uti victus ratione: sic et laudis amatores: non modo cum temere vituperantur; sed etiam cum non assidue laudantur, ceu fame quadam contabescunt; maxime si in ipsis laudibus educati fuerint, aut si alios laudari audierint. Qui vero cum tali cupidine in doctrinæ certamen descenderit, quam multis illum negotiis, quam multis doloribus obnoxium fore putas? Neque mare unquam potest fluctibus carere, neque illius animus sollicitudine et mœstia.

V. Nam si is fuerit magna dicendi vi præditus; hoc autem in paucis invenitur; ne sic quidem ab assiduo animi mœrore vacuus erit. Etenim cum eloquentiam non natura, sed disciplina pariat, licet ad summum ejus apicem quis pervenerit; ab illa certe destituetur, nisi assidue studio et exercitatione illam excoluerit: ita ut magis peritioribus, quam imperitioribus sit laborandum. Neque enim par

jactura utrosque, si negligentes fuerint, manet; sed tanto major hæc, quantum est inter peritiam et imperitiam intervallum. Atque illos quidem nemo culpaverit, si nihil eximium attulerint; hic vero nisi quidpiam majus existimatione, qua valet apud omnes, semper protulerit, in omnium reprehensionem incurrit. Ad hæc, illi pro modicis concionibus, magnam consequuntur laudem; hi vero, nisi mirabilia et stupenda proferant, non modo laudibus privantur, sed etiam a multis redarguuntur. Auditores quippe non tam de concione, quam de concionantis existimatione sedent judices. Quapropter ubi quispiam universos vi dicendi superat, tum illi plus, quam cæteris, studio laboreque opus est. Neque enim licet illi id perpeti, quod toti humanæ naturæ commune est, ut scilicet non semper in omnibus probe rem gerat: sed si illa, quæ concionando dicit, cum famæ magnitudine non consentiant, scommata dicteriaque a multitudine refert. Nemo secum reputat, aut incidentem mœrorem, aut angustiam animi, vel sollicitudinem, vel persæpe iram, mentis aciem tenebris offudisse, neque sivisse sensa ejus pura sinceraque prodire: atque homo cum sit, non posse semper eum ipsum esse, neque in omnibus prospere agere, sed quod fieri solet, accidere ut nonnunquam labatur, ac minora, quam pro solituta virtute, exhibeat. Nihil horum, ut dixi, cogitare volunt: sed ac si de Angelo judicium ferrent, ita ipsum redarguunt. Alioquin vero solet homo præclara proximi sui gesta, quantumvis multa et magna despicere: si autem vitii quidpiam appareat, quantumvis leve sit, quamvis jamdiu acciderit; statim dignoscitur, confestim arripitur, et nunquam e memoria excidit: atque illud perquam tenue exiguumque, multorum magnorumque virorum sæpe famam imminuit.

VI. Vides, o vir generose, eum qui vi dicendi præditus

sit, majore sollicitudine opus habere: ac præter studium tanta tolerantia indigere, quanta non omnes, quorum prius memini, opus habuere. Nam multi sæpe illum temere adoriuntur, et cum nihil criminis offerri possit, non aliam odii causam habent, quam quia apud omnes bene audit. Horum invidiam fortiter ferre par est: nam execrandum hujusmodi odium, quod temere conceperunt, cum tegere non valeant, clam conviciantur, incusant, calumniantur, palamque malitiam exercent. Animus autem qui ad illa singula dolere atque irritari cœperit, non ultra progredi potest, sed dolore contabescit. Etenim non per se tantum se ipsi ulciscuntur, sed etiam aliorum utuntur opera: ac sæpe unum quempiam dicendi imperitum cooptantes, laudibus celebrant, ac supra meritum admirantur: alii furore ducti, alii imperitia simul et livore impulsi; non ut mirabilem exhibeant eum, qui talis non est, sed ut hujus gloriam de medio tollant. Neque adversus istos tantum athletæ illi certamen est; sed plerumque adversus totius populi imperitiam. Quia enim fieri nequit, ut totus cœtus ex litteratis viris coaluerit, sed magna Ecclesiæ pars ex idiotis constat: reliqui vero illis sagaciores quidem sunt, sed ab iis, qui de dicendi facultate judicium ferre valent, tantum numero distant quantum iidem a reliquis omnibus; unus scilicet vel alter sedet hac præditus facultate, necesseque est ut qui eloquentius dixerit, minorem sibi plausum conciliet, et aliquando sine laude discedat. Sane contra hujusmodi inæquabilitatem animum generose præparare decet, iisque parcere qui per ignorantiam illud agunt, eos autem, qui per invidiam, ut miseros infelicesque deplorare, a neutroque horum quidpiam putare a sua vi dicendi esse detractum. Neque enim si optimus pictor, qui omnes in hac arte præcellat, per quam diligenter a se depictam imaginem, ab imperitis derideri videat, ideo de-

bet animo concidere, nec imperitorum judicio picturam parvi ducere; quemadmodum neque picturam quæ nihili sit, ex imperitorum admiratione magni facere. Nam optimus artifex, ipse suorum opificiorum judex esto, et pulchra fœdave illa existimet, cum mens eadem, quæ illa edidit, hunc calculum feret: aliorum autem opinionem erroneam et artis imperitam, ne quidem in mente reponat.

VII. Ne itaque is qui doctrinæ laborem suscepit, aliorum laudes attendat, neque his deficientibus animum despondeat. Verum sermonem suum ad Dei placitum concinnans; (hæc enim ejus norma, hic terminus artificii debet esse, non plausus vel laudes;) siquidem ab hominibus etiam laudetur, laudes ne rejiciat; sin laudes ab auditoribus non referat, ne quærat illas, nec ideo doleat. Laborum quippe solatium illud satis erit, omniumque maximum, si conscius sibi fuerit, se ad Dei placitum doctrinam concinnasse suam. Nam si contingat eum laudis cupidine abripi, nihil juvabunt ingentes illi labores, nihil dicendi facultas. Animus enim, qui stultas multorum reprehensiones ferre nequit, dissolvitur, ac dicendi studium abjicit.

VIII. Quamobrem hac primum disciplina imbui par est, nempe contemnendas esse laudes. Neque enim satis est dicendi vi præditum esse ad eam facultatem conservandam, nisi hoc etiam adsit. Quod si quis cum accurate examinare velit qui facultate ista caret, comperiet non minus illum, quam hunc laudum contemptu egere; nam si a popularis auræ cupidine vinci se patiatur, multis in rebus necessario delinquet. Cum enim eo pervenire nequeat, ut dicendi laude florentibus æqualis sit; ipsis tum insidiari, tum invidere, tum crimen offerre, tum alias turpiter injurias inferre non dubitabit; sed nihil non audebit, etiamsi animam perdere opus sit, ut ejus gloriam in suæ

tenuitatis conditionem deducat. Ad hæc, a sudoribus laboribusque abstinebit, ceu quadam torpedine ejus animo circumfusa. Nam multum laborantem modicam referre laudem, id sane in altum somnum conjiciat et vertat cum, qui laudes contemnere nequit. Quandoquidem et agricola, cum in sterili agro laborat, et petrosa arare cogitur, cito absistit ab opere, nisi magna laborandi alacritas et famis timor urgeat. Etenim si ii quibus magna inest dicendi facultas, tanta exercitatione opus habent ut illam conservent; qui nihil omnino collegit, sed ipso certaminis tempore meditari cogitur, quantam difficultatem, quantum tumultum, quantam perturbationem patietur, ut multo labore tantillum quidpiam congregare possit? Si quis vero inferioris dignitatis et ordinis, hac in parte plus, quam ille, clarescere possit, divino quodam hic opus est animo, ut ne livore capiatur, neu in mœrorem decidat. Nam ab inferioribus superari eum, qui majoris sit dignitatis, illudque fortiter ferre, non exigui, nec nostri, sed adamantini fuerit animi. Ac si quidem is, qui præcellit, probus admodumque modestus fuerit; malum utcumque tolerari potest; sin audax, arrogans et vanæ gloriæ cupidus, mors illi quotidie optanda est, ita nempe ipsi vitam amaram reddet; dum palam antecellit, clam irridet, ac quotidie quidpiam ex ejus autoritate divellit, omniaque ipse esse cupit. Maximumque in his omnibus præsidium habet, libertatem in dicendo, et multitudinis in se studium, subditorumque omnium erga se amorem. An ignoras quantum animis Christianorum concionum desiderium; atque eos qui illam exercent artem, non apud exteros modo, sed etiam apud domesticos fidei in honore haberi? Quis igitur tantum dedecus ferat, cum nempe ipso loquente taceant omnes, et molestiam sibi inferri putent, orationisque finem quasi a laboribus requiem expectent; altero

autem prolixius orante, alacriter auscultent, ac finem dicendi faciente, ægre ferant, tacere volente indignentur? Hæc licet nunc parva tibi videantur ac despicabilia, utpote inexperto : tamen satis sunt ut et animi studium extinguant, mentisque vim enervent, nisi quis humanis omnibus se morbis eximens, perinde atque incorporeæ potestates affectus esse studeat, quæ nec invidia, neque gloriæ amore, neque alio quopiam simili morbo rapiuntur. Si quis igitur hominum talis est, ut possit hanc captu difficilem, inexpugnabilem et indomitam feram, popularem scilicet auram, conculcare, ac multiplicia illius capita præcidere, imo ne nasci quidem sinere, is facile poterit permultos illos insultus depellere, ac tranquillo quodam portu frui. At si ab illa liber non fuerit, sane multiplex bellum, frequentem tumultum, animi mœstitiam, cæterarumque ægritudinum turbam, contra animam ipse suam præparabit. Quorsum attinet reliquas enumerare difficultates, quas nec docere, neque ediscere quisquam possit, nisi in rebus ipsis fuerit?

LIBER VI.

De Sacerdotio.

I. *Pœnas dare sacerdotes etiam pro populi delictis.* — II. *Majore, quam ipsos monachos, vitæ diligentia opus habere.* — III. *Faciliore vitæ ratione frui monachum, quam ecclesiæ præfectum.* — IV. *Sacerdotem terrarum orbi, aliisque rebus tremendis præpositum esse.* — V. *Sacerdotem ad omnia aptum esse debere.* — VI. *Vitam monasticam non tantum patientiæ argumentum*

esse, quantum multitudinis præfecturam. — VII. *Eum qui seorsim vivat, eumque qui in rerum medio versetur, non super iisdem exercitari.* — VIII. *Facilius eos qui solitarie vivunt, quam eos qui multorum curam gerunt, virtutem exercere.* — IX. *Non contemnendas esse vulgi suspiciones, quamvis falsas.* — X. *Non magni esse negotii se ipsum servare.* — XI. *Longe graviorem pœnam manere sacerdotum peccata, quam idiotarum.* — XII. *Exemplis probatur et dolorem propter sacerdotii expectationem oriri, et timorem.* — XIII. *Omni bello molestiorem esse tentationem diaboli.*

I. Res quidem hujus mundi tales sunt, quales audisti[1]: illius autem vitæ (futuræ) res quomodo feremus, cum de singulis nobis commissis hominibus rationem reddere cogemur? Non enim in pudore sistit damnum, sed æternum expectatur supplicium. Illud enim, « Obedite præpositis » vestris, et subjacete eis; quia ipsi vigilant pro animabus » vestris, ut rationem reddituri[2]; » etiamsi prius dixeram, tamen ne nunc quidem tacebo. Nam tantæ comminationis metus frequenter animum concutit meum : si enim ei, qui vel minimum unum scandalizaverit, expedit ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, et demergatur in mare[3]; et omnes qui conscientiam fratrum suorum percutiunt, in ipsum Christum peccant; qui non unum modo, vel duos, vel tres, sed tantam multitudinem perdunt, quid passuri sunt[4]; et quas pœnas daturi? Neque enim imperitia in causam afferenda est, neque ad ignorantiam confugiendum, neque necessitas aut vis obtendi potest; sed potius subditus, si quidem liceret, hoc id propriis pec-

[1] Vide D. Guillon, tom. x, p. 467-611. — [2] Hebr. XIII, 17. — [3] Matth. XVIII, 5. — [4] 1 Cor. VIII, 12.

catis effugio uti posset quam in aliorum delictis antistites. Quare? Quia is, qui ad hoc deputatus est, ut aliorum ignorantiam emendet, et diabolicum bellum instans prænuntiet, nequit ignorantiam obtendere, nec dicere: Non audivi tubam, bellum non prævidi. Ad hoc quippe sedebat, ut Ezechiel ait, ut aliis tuba caneret, et futuras ærumnas prænuntiaret [1]. Ideoque supplicium nulla excusatione vitari potest, etiamsi unus tantum periisset. Nam si accedente framea, populo non tuba cecinerit, ait, nec speculator signum dederit, adveniensque framea animam invaserit; ipsa quidem propter iniquitatem suam capta est, sanguinem vero ejus de manu speculatoris requiram. Desine ergo nos in tam inevitabile judicium impellere, neque enim de ducendo exercitu, neque de regno sermonem habemus, sed de negotio, quod angelica virtute opus habeat.

II. Etenim solaribus radiis puriorem esse oportet sacerdotis animam, nequando Spiritus sanctus illum desertum relinquat; ut possit dicere: « Vivo autem, jam non ego: » vivit vero in me Christus [2]. » Nam si ii, qui eremum incolunt, et urbe et foro et tumultibus procul, semper portu et tranquillo cœlo fruentes, nolunt tamen ejusmodi vitæ instituto confidere; verum sexcentas alias custodias adhibent, undique se circummunientes, et cum magna accuratione omnia et dicere et facere satagentes, ut cum fiducia et puritate sincera, quantum humanæ vires patiuntur, accedere ad Deum possint, quanta putas oportere sacerdotem uti vi atque violentia, ut possit animam ab omni inquinamento eripere, et spiritualem pulchritudinem illæsam servare? Etenim multo majore, quam illi, eget puritate: ac qui majore indiget, ille pluribus necessitatibus subjacet, quæ possint illum inquinare, nisi assidua

[1] Ezech. xxxiii, 3. — [2] Galat. ii, 20.

vigilantia, multaque animi attentione usus, inaccessum illis animum reddat suum. Nam et oris venustas, et motuum mollities, et incessus affectata ratio, et vocis confractio, oculorum et malarum stigmata, cincinnorum compositiones, capillitii tinctura, vestium sumptuositas, auri varius ornatus, gemmarum pulchritudo, unguentorum fragrantia, aliaque omnia, quæ muliebre genus affectare solet; animum turbare possunt, nisi temperantiæ austeritate se munierit. Sed ab iis turbari mirum non est; at per res iis contrarias posse diabolum humanas animas confodere, id sane stupore et dubitatione plenum. Jam enim nonnulli, qui hæc venabula effugerant, a longe diversis capti sunt : etenim neglecta facies, squallida coma, sordida vestis, habitus incompositus, morum verborumque simplicitas, incessus non affectatus, vox inconcinna, victus paupertas, contemptus ac præsidii penuria, itemque solitudo, spectatorem primum ad misericordiam, deinde in extremam perniciem pertraxerunt. Multique ex prioribus elapsi retibus, nempe aureis ornatibus, unguentis, vestimentis cæterisque supra memoratis, in hæc adeo ab illis diversa ceciderunt, perieruntque.

III. Cum ergo per paupertatem, et divitias; per ornatum et habitus neglectum; per compositos mores et incompositos, atque uno verbo per omnia alia supra enumerata, bellum in spectantis animo accendatur, et machinamenta illum undique circumsistant, undenam respirare poterit tot illi circompositis laqueis? Quas inveniat latebras, non dico, ne vi capiatur, id quippe non admodum difficile est; sed ut animum suum a fœdis cogitationibus imperturbatum custodiat? Mitto honores, innumerorum causas malorum. Etenim qui a mulieribus deferuntur, temperantiæ assiduitate enervantur; attamen ii sæpe dejiciunt eum, qui contra tales insidias perpetuo vigilare

nescit. Honores autem a viris delatos, nisi quis magna cum animi constantia exceperit, a duobus contrariis morbis corripitur, a servitute scilicet quæ ex adulatione nascitur, et ab arrogantiæ insania, dum adulatoribus suis se subjicere cogitur, et ex honoribus per eos delatis adversus tenuiores inflatur, et in amentiæ barathrum dejicitur. Hæc quidem a nobis dicta sunt : quam vero damnosa sint, nonnisi expertus probe discere potest. Neque enim hæc tantum, sed longe his plura et periculosiora in medio versanti accidere necesse fuerit. Qui vero solitudinem colit, horum omnium immunitatem consequitur : si quando absurda cogitatio, quid simile ipsi repræsentaverit, imbecilla tamen est phantasia, quæ cito possit extingui, quia nulla extrinsecus flammæ materia ex oculorum aspectu suppeditatur. Ac monachus quidem sibi soli timet ; si vero de aliis quandoque curare cogatur, certe paucissimi illi sunt ; sin plures fuerint, at multo minores numero, quam ii qui in Ecclesiis versantur, atque ii multo leviorem præfecto suo sollicitudinem exhibent, non ob paucitatem tantum, sed quoniam omnes a sæcularibus rebus vacui degunt, nec liberos, nec uxorem, neque ullam hujuscemodi curam susceperunt. Id porro illos admodum præfectis morigeros efficit, et quod communi domicilio utantur, facile possunt eorum delicta et cognosci et emendari, quod non modicum confert ad virtutis incrementum, cum scilicet magister perpetuam gerat sollicitudinem.

IV. Eorum vero, qui sacerdoti subsunt, maxima pars sæcularibus curis sunt addicti, quod illos ad spiritualia opera peragenda segniores reddit. Unde et doctorem necesse est singulis, ut ita dicam, diebus sementem jacere, ut assiduitate illa possit doctrinæ verbum ab auditoribus retineri. Etenim divitiæ ingentes, potentiæ magnitudo, segnities ex voluptate nata, multaque alia, jactum semen

suffocant. Sæpe vero spinarum frequentia, ne ad superficiem quidem terræ semen cadere sinit. Hinc vero ærumnarum magnitudo, vis paupertatis, molestiæ assiduæ, aliaque hujusmodi, prioribus contraria, a divinorum studio abducunt. Peccatorum autem ne tantilla quidem pars potest in eorum notitiam venire. Quomodo enim, cum maximam eorum partem ne de facie quidem norit? Ac quæ ad populum quidem spectant his sunt perplexa difficultatibus. Quod si quis ea, quæ ad Deum pertinent, exploraverit; priora nihil prorsus esse videbuntur, ita majorem hæc diligentioremque curam postulant. Nam qui pro tota civitate, et quid dico civitate? imo pro universa terra oratorem agit, Deoque supplicans, ut omnium peccatis sit propitius non virorum tantum, sed etiam eorum qui obierunt, qualem, quæso, oportet esse? Equidem neque Moysis, neque Eliæ fiduciam, ad hujusmodi supplicationem sufficere posse putaverim: etenim ac si mundus totus sibi concreditus sit, ac si omnium pater ipse sit, sic ad Deum accedit, rogans omnia mundi bella extingui, tumultus sedari, pacem, prosperitatem, omnium singulis imminentium, qua privatim, qua publice malorum celerem depulsionem. Oportet autem illum singulos, pro quibus precatur, adeo in omnibus antecellere, ut præfectus subditis præcellere debet. Cum autem Spiritum sanctum invocaverit, et horrendum illud sacrificium obtulerit, et communem omnium Dominum assidue tractaverit, quo illum, quæso, in ordine constituemus? Quamnam ab illo puritatem, quam pietatem exigemus? Cogita quales oporteat esse manus illas, qualem eam linguam, quæ illa verba effundat, qua denique non puriorem sanctioremque illam animam, quæ tantum Spiritum suscipiat? Tunc Angeli sacerdoti adsunt, totusque cœlestium Virtutum ordo clamat, ac vicinus altari locus, in illius, qui ibidem jacet honorem, iis repletus

est: idque vel ex iis, quæ tunc peraguntur, credibile est. Ego vero aliquem olim narrantem audivi, quemdam senem, virum admirabilem, ac revelationibus assuetum, dixisse, visione hujusmodi se quodam tempore dignum habitum fuisse, scilicet multitudinem Angelorum derepente vidisse, quantum ejus facultas ferebat, splendidis vestibus indutorum, et altare circumdantium, inclinato capite; ac si quis milites præsente imperatore stantes videret: quod et ipse mihi persuadeo. Alius item narravit mihi, non ab alio edoctus, sed cum ipse vidisset et audisset, scilicet eos qui ex hac vita migraturi sunt, si mysteriis pura conscientia participaverint, animam efflaturos, ab Angelis satellitum more ipsos, ob illud quod acceperunt, stipantibus illuc abduci. Tu vero nondum exhorrescis, hujusmodi animam in tam sacrum mysterium introducens, et sordidis indutum vestibus in sacerdotum dignitatem illum promovens, quem a reliquo convivarum choro Christus expulit[1]. Animam quippe sacerdotis, instar lucis totum orbem illustrantis splendere oportet. Nostra autem anima, ob pravam conscientiam tantas habet circumfusas tenebras, ut semper se abdat, nec possit unquam cum fiducia Dominum suum obtueri. Sacerdotes sal sunt mundi: nostram vero insipientiam, et in omnibus imperitiam, quis facile tulerit, nisi vos qui nos ultra modum amare consuevistis? Neque enim purum duntaxat esse oportet, utpote qui tanto ministerio dignatus sit; sed etiam prudentem et rerum peritum multarum: multa quoque sæcularia nosse debet, non minus, quam ii qui in medio rerum versantur, omnibusque tamen exutum magis, quam monachi, qui montes occuparunt. Nam cum necesse sit cum cum viris versari, qui et uxores habent, et liberos alunt, et servos possident, qui divitiis circumfluunt, res publicas agunt, et in magis-

[1] Matth. xxii. 13.

tratibus versantur, multiformem illum esse par est. Multiformem dico, non subdolum, non adulatorem, non hypocritam; sed multa libertate ac fiducia plenum, qui sese utiliter attemperare sciat, cum id negotiorum conditio postulat: mansuetum item et austerum. Non enim uno uti oportet modo erga subditos omnes, quandoquidem nec medicis una erga ægrotos omnes lege uti convenit; neque gubernatori, unam tantum cum ventis pugnandi artem callere: etenim hanc quoque navem assiduæ tempestates jactant undique. Hujusmodi autem procellæ non extrinsecus tantum adoriuntur, sed etiam intrinsecus nascuntur, multaque opus est tum attemperatione, tum diligentia.

V. Hæc porro omnia, diversa licet, finem respiciunt unum, nempe Dei gloriam, atque Ecclesiæ ædificationem. Magnum est monachorum certamen, eorumque labor multus: sed si quis probe administratum sacerdotium cum illorum laboribus conferat, tantum reperiet discrimen, quantum est inter idiotam et regem intervallum. Illic enim etiamsi multus adsit labor, at communis animæ corporisque concertatio; imo potius ex corporis exercitatione magna laboris pars perficitur; ac si illud robustum non fuerit, sola et otiosa manet alacritas animi, cum non possit in opus exire; siquidem assiduum jejunium, humi cubatio, vigiliæ, balnei privatio, sudor ingens, cæteraque omnia ad corpus macerandum idonea, statim de medio tolluntur, cum id quod castigandum erat robore careat: hic vero sola puraque ars animi requiritur, neque corporis habitudine est opus, ut animi virtus exhibeatur. Quid enim nobis confert corporis robur, ut ne arrogantes simus, neque iracundi, nque petulantes; sed vigilantes, temperantes, ornati, cæterisque omnibus præditi quibus beatus Paulus optimi sacerdotis imaginem nobis depinxit[1].

[1] 1 Tim. III, 2.

Verum id de monachi virtute dici nequit : sed quemadmodum iis, qui res stupendas exhibent, instrumentis multis est opus, itemque rotis, funiculis et gladiis ; philosophus vero totam in mente artem reconditam habet, externisque rebus non indiget ; ita et hoc loco se res habet. Nam monachusquidem corporis incolumitate opus habet, itemque locis ad vitam hanc instituendam idoneis ; ut neque nimis ab hominum consortio remotus, tamen solitudinis quietem nanciscatur ; insuperque temperatis anni tempestatibus non careat : nihil quippe sic intolerabile ei, qui jejuniis maceratur, quam aëris intemperies. Non loquor hic de vestium et victus apparatu, quem ut sibi monachi suppeditent, magnopere laborant, suis ipsi manibus omnia conferre studentes.

VI. Sacerdos autem nullius eorum in usum suum opus habebit ; utpote qui non peculiarem sibi, sed communem vitam ducat, in his rebus quæ damnum non afferant ; totamque scientiam in animæ thesauris reconditam habeat. Quod si quis vitam illam admiretur, qua quis intra se ipsum manens, hominum consortium aversatur, ego quoque illud sapientiæ specimen esse fatear : non tamen idoneum argumentum virtutis animi. Nam qui in portu ad gubernacula sedet, nondum idoneum artis suæ periculum fecit : eum vero qui in medio pelago, sæviente tempestate, navem eripere potuit, nemo est quin gubernatorem optimum dicat. Proinde nec monachus admodum laudandus, quod apud se vivens, neque turbetur, neque in multa magnaque peccata labatur ; neque enim adsunt quæ animum lacessant et incitent.

VII. Sed si quis sese in turbas conjecerit, et multorum ferre peccata coactus, immotus firmusque manserit, in tempestate quasi tranquillo tempore animum gubernans suum, hic apud omnes plausu et admiratione dignus,

idoneum quippe virtutis suæ experimentum dedit. Ne itaque mireris, si forum, multorumque consortium fugientes, accusatores multos non habeamus : neque enim si dormiens non peccarem, aut non colluctans non caderem, aut non pugnans non ferirer, ideo mirari oporteret. Quis, quæso, quis improbitatem meam revelare poterit? an tectum, an ædes? at ne vocem quidem emittere possint. An mater potius, cui res omnes meæ notæ sunt? At ne cum illa quidem mihi consortium est, neque inter nos ulla unquam rixa suborta est: quod etiamsi accidisset, nulla mater sic amoris et affectus erga prolem expers fuerit, ut quem parturivit, peperit, educavit, nulla impellente causa, nulloque cogente, accuset atque criminetur apud omnes. Nam si quis alioquin hanc animam nostram diligenter explorare voluerit, mala multa reperiet, ipseque non ignoras, qui maxime omnium nos laudibus apud universos efferre soles. Quod autem non modestiæ causa sic loquar, recordare quoties tibi dixerim, cum idem sermo sæpe inter nos incideret, si optio mihi daretur, ubinam magis splendescere vellem in Ecclesiæ-ne præfectura, an in monastica vita, me prius illud vitæ genus mille calculis antepositurum : neque enim finem faciebam unquam, eos apud te suspiciendi, qui illo ministerio probe fungi possent. Quod autem illud quod tanti faciebam, non declinaturus fuissem, si modo rite administrando par fuissem, nemo negaverit. Verum quid faciam? Nihil enim minus aptum ad Ecclesiæ præfecturam, quam socordia et incuria, quam alii exercitationem quamdam admirabilem esse putant: ego vero illam ceu velamen ignaviæ meæ habeo, qua defectuum meorum partem maximam obtego, neque sese prodere patior. Nam qui tanto est otio et tantæ quieti assuetus, quantumvis magna sit præditus indole, peritiæ defectu statim perturbatur et angitur, ac non mi-

nimam virtutis ejus partem resecat exercitationis inopia. Cum autem simul et tardioris ingenii, et verborum certaminumque hujusmodi expers fuerit; quæ sane nostra conditio est, a lapidibus nihil differet, si hanc suscipiat administrationem. Quamobrem pauci admodum sunt, qui ex palæstra illa in hæc certamina descendant: ex iis vero complures sese quales sint produnt, animo concidunt, resque et ingratas et acerbas ferre coguntur. Neque id mirum insolensve est. Cum enim certamina exercitationesque non circa res solitas versantur, tum is qui decertat ab inexercitatis nihil differt. Gloriam imprimis contemnat oportet is, qui in hoc stadium descendit, ira superior sit, prudentia plenus multa; huic autem qui monasticam amplectitur vitam, nulla exercitationis occasio proponitur: neque enim adsunt multi, qui illum ad iram concitent, ut iræ vim coërcere studeat: neque qui illum mirentur, ipsique plaudant, ut popularem auram respicere discat: prudentiæ, autem quæ in Ecclesia administranda requiritur, non magna apud illos cura habetur. Cum igitur ad certamina descenderint, quorum nullum antea periculum fecerunt, hærent, vertigine et consilii inopia laborant: ac præterquam quod ad virtutem nullum progressum faciunt, etiam eorum quæ prius habebant, plerumque jacturam faciunt.

VIII. Tum Basilius: Quid igitur? An eos, qui in medio rerum versantur, qui de sæcularibus negotiis curam gerunt, qui in rixis et conviciis ætatem contriverunt, qui ingenti dexteritate pleni sunt, qui deliciis assuevere, Ecclesiæ regimini præficiemus? Chrysostomus: Bona verba, quæso, o vir beate. Ili quippe ne in mentem quidem venire debent, cum de sacerdotum delectu agitur. Sed si quis in omnium consortio et contubernio possit puritatem, tranquillitatem, sanctitatem, patientiam et sobrietatem,

necnon alia quæ monachis insunt bona, intemerata et inconcussa magis, quam monachi ipsi servare. Quandoquidem is, qui vitiis multis laborat, cum possit illa in solitudine tegere, curareque ne in opus erumpant, si cum nullo consortium habeat; is, inquam, si in medium prodeat, nihil aliud lucrabitur, nisi ut deridendum se propinet, magisque periclitabitur, quod nobis propemodum accidisset, nisi Dei providentia ignem a capite nostro citius abegisset. Neque enim qui sic affectus est latere potest, palam constitutus, sed qui sit statim deprehenditur. Ac quemadmodum metallicas materias ignis probat, sic cleri probatio humanos discernit animos. Ac si quis iracundus, si ignavus, si vanæ gloriæ cupidus, si arrogans, sive alio quopiam morbo sit affectus, omnia retegit, vitiaque sua revelat: nec revelat tantum, sed graviora, et valentiora efficit. Etenim corporis vulnera, attrita, curatu difficiliora evadunt: itemque animi morbi, si perfrices irritesque, exasperari consueverunt, illisque correptos plura peccare cogunt. Nam ad gloriæ cupidinem efferunt eum, qui sibi non attendit, necnon ad arrogantiam et pecuniarum cupiditatem, in delicias quoque pertrahunt, in ignaviam, in segnitiem, paulatimque ad ulteriora, quæ ab illis gignuntur, mala. Multa quippe in medio sunt, quæ possint animæ diligentiam solvere, ipsumque ad Deum cursum sistere: atque imprimis colloquia cum mulieribus. Neque potest antistes, qui totius gregis curam suscipit, viris tantum curandis operam dare, mulieres vero negligere: qua in re maxima opus est providentia, quod ad peccandum quisque proclivis sit. Sed oportet eum qui episcopatum sortitus sit, earum curandæ incolumitati, si non majorem, certe parem sollicitudinem impendere. Necesse quippe est illas invisere ægrotantes, consolari lugentes, increpare socordes, juvare laborantes. Dum hæc vero

fiunt, multos adrependi aditus inveniet malignus ille, nisi quis accurata se custodia muniat. Etenim non impudicæ solum, sed pudicæ etiam mulieris oculus animum ferit, adulationes emolliunt, honores in servitutem redigunt: charitasque fervens, bonorum causa omnium, non recte illa utentibus malorum omnium causa efficitur. Aliquando etiam sollicitudines frequentes mentis acumen hebetant, volucremque plumbo graviorem reddunt. Denique ira quæ animum invaserit, fumi instar interiora obtinet omnia. Quis tandem reliqua recenseat damna, contumelias, molestias, querimonias, tum digniorum, tum vulgarium; tum prudentium, tum imprudentium. Hoc enim maxime genus eorum, qui recto animi judicio carent, querelis deditum est, nec facile excusationem admittit.

IX. Probum vero antistitem, ne hos quidem contemnere par est; sed apud omnes, de oblatis criminationibus sese purgare; idque multa cum comitate, et mansuetudine, iniquas potius criminationes condonantem, quam indigne et ægre ferentem. Si enim beatus Paulus ne in furti apud discipulos suspicionem veniret, timuit; ideoque et alios in pecuniarum administrationem secum assumpsit: « Ne quis, inquit, nos vituperet in hac plenitu» dine, quæ ministratur a nobis[1]; » quomodo non omnia a nobis agenda sunt, ut pravas suspiciones de medio tollamus, etsi falsæ illæ, etsi absurdæ fuerint, etiamsi ab existimatione nostra longe sint alienæ. A nullo quippe nos peccato tantum absumus, quantum Paulus a furto: attamen cum a pravo hujusmodi facinore adeo remotus esset, ne sic quidem multorum suspicionem neglexit, etiamsi admodum iniquam atque insanam. Insania enim fuisset tale quidpiam suspicari de beato illo et admirando capite: nihilominus tamen ille suspicionis tam absurdæ, quæ non-

[1] 2 Cor. VIII, 20.

nisi in furiosi cujuspiam mentem venire poterat, occasiones diu ante tollit: neque vero vulgi contempsit insaniam, neque dixit: Cui unquam in mentem veniat talia de nobis suspicari, quando universi nos tum a signis miraculisque, tum a probitate vitæ honori et admirationi habent? Sed contra ille et suspicatus est et expectavit hanc fore malam suspicionem, et radicitus illam avulsit; imo potius illam ne exoriri quidem passus est. Quare? « Providemus, in- » quit, bona, non tantum coram Domino, sed etiam coram » hominibus[1]. » Tantum scilicet, imo majus oportet studium adhibere, ut non modo malam subortam famam arceamus; sed etiam ut procul prospiciamus, unde ea oriri possit; et occasiones præscindere, unde ea nascitur, neque expectare dum percrebrescat et in vulgi ore versetur. Tunc enim non facile est eam delere, imo admodum difficile, forteque nulla arte fieri possit; neque periculo vacat, ne multorum damno tunc fiat. Sed quousque tandem immorabor in persequendis iis, quæ assequi minime possim? Nam omnes, quæ illic occurrunt, difficultates recensere, nihil aliud fuerit, quam pelagus ipsum dimetiri. Nam etiamsi quis ab omni animi ægritudine purus esset, quod minime fieri potest, ut aliorum delicta corrigat, innumera pati cogitur mala. Quibus si addas proprias ægritudines, vide mihi laborum sollicitudinumque abyssum ingentem: et quanta ferenda sint in superandis propriis alienisque vitiis.

X. Tum Basilius: Nunc vero, inquit, nullum-ne tibi certamen hujusmodi? An curis vacas, dum solitarius vivis? Chrysostomus. Adsunt et nunc curæ, inquam. Qui enim fieri potest hominem hanc ærumnosam vitam ducentem, curis angustiisque vacare? Verum non idem labor est, immensum in pelagus incidere, et flumen trajicere:

[1] Rom. XII, 17.

par quippe est inter has et illas curas intervallum. Equidem si possem aliorum servire commodis, id vellem ac multis votis exoptarem: sin alios juvare non possim, at mihi certe satis esse putabo, si me servare et ex fluctibus eruere possim. Putas-ne, inquit, Basilius, te salutem consequi posse, qui aliorum neminem ulla in re juveris? Chrysostomus. Optime, inquam, dixisti : neque enim id credere valeam, posse quempiam salutem consequi, qui ad proximi sui salutem nihil unquam egerit. Non enim miserum illum juvit, quod talentum non minuisset[1]; imo et perdidit illud, quod non auxisset, ac duplum reportasset. Verumtamen mihi levius fore supplicium existimo, cum accusabor, cur non aliorum salutem procurarim; quam si et alios et me ipsum perdidissem multo deterior effectus post tantum susceptum honorem. Nunc enim tantum mihi credo fore supplicium, quantum peccatorum magnitudo postulat; postquam autem præfecturam hanc suscepissem, non duplum modo triplumve, sed multiplex, quod pluribus offendiculo fuissem, quodque majorem adeptus dignitatem Deum me honorantem offendissem.

XI. Quapropter Israëlitas vehementius accusans, eo illos majore dignos supplicio exhibet, quod post multos ab se susceptos honores peccassent : modo dicens : « Verumtamen vos novi ex omnibus tribubus terræ : propterea vindicabo super vos impietates vestras[2]; » modo autem : « Accepi ex filiis vestris in Prophetas, et ex juvenibus vestris in sanctificationem[3]. » Et ante Prophetarum tempora cum de sacrificiis ageretur, ostendere volens, peccata, longe majori supplicio expiari cum a sacerdotibus[4], quam cum a privatis perpetrantur, præcipit tantum pro sacerdotibus offerri sacrificium, quantum pro uni-

[1] Matth. xxv, 24. — [2] Amos. III, 2. — [3] Id. II, 11. — [4] Levit. IV, 3-14.

verso populo. Quod nihil significat aliud, quam sacerdotis vulnera majore auxilio indigere, atque tanto, quanto conjuncta simul universi populi vulnera indigent: porro majori nequaquam indigerent, nisi graviora essent. Graviora autem sunt non natura sua, sed dignitate sacerdotis illa admittere audentis[1]. Et quid loquor de viris hoc ministerium pertractantibus? Nam et sacerdotum filiæ[2], quibus nihil cum sacerdotio commune, propter paternam tamen dignitatem peccatorum suorum multo acerbiorem pœnam subeunt. Ac peccatum quidem earum, peccatis aliarum ex privatis parentibus prognatarum par et æquale est: nam fornicatio utrinque est: sed supplicium longe gravius.

XII. Vides-ne quam abunde declaret Deus, longe majorem se pœnam a principe, quam a subditis exposcere? Neque enim qui in sacerdotis filiam, patris causa, gravius, quam in alias animadvertit, eum qui illi additamentum pœnæ procurat, pari cum aliis pœna plectet, sed multo graviore: idque jure ac merito. Non enim damnum in ipso solo consistit, sed etiam infirmiorum, qui in ipsum respiciunt, animos dejicit. Hoc ipsum docere cum vellet Ezechiel, arietes ab ovibus discernit in judicio[3]. An tibi nunc videmur jure timuisse? Nam præter illa, quæ dicta sunt, quanquam multum nunc laborem subire oportet, ne ab animi affectibus omnino prosternar; attamen laborem suscipio, nec certamen subterfugio. Etenim a vana quidem gloria nunc capior; attamen sæpe resipisco, et me captum fuisse video: interdum vero in servitutem redactum animum increpo. Absurdæ cupidines me etiam nunc incessunt, sed quæ remissiorem flammam accendant, quod externis oculis materia nulla igni apta suppetat. A maledictorum probro et auditu prorsus vaco, cum nulli, qui

[1] Levit. xxi, 9. — [2] Deut. xii. — [3] Ezech. xxxiv, 17.

me alloquantur, adsint : neque enim hi parietes emittere vocem queant. Sed nec ab ira temperare possum, etiamsi nullus adsit qui exasperet : iniquorum quippe virorum ipsorumque facinorum memoria, animum mihi intumescere facit; verum id non usque in finem : statim enim ipsum ardentem compescimus, et ad quiescendum deducimus in nobis ipsis dicentes admodum insulsum extremæque miseriæ esse, dum nostra omittimus mala, de alienis tam curiosos esse. Verum si ad turbam me conferam, innumerisque tumultibus occuper, jam non hujusmodi admonitione perfrui potero, neque cogitationes illa me probe instituentes reperire. Sed quemadmodum ii, qui per præcipitia vel fluentis aliquibus, vel alio quodam modo ducuntur, proximam quidem perniciem prævidere possunt auxilium vero nullum sibi excogitare valent; sic et ego si in tantum ægritudinum tumultum incidam, supplicium quidem quotidie mihi augeri cernere potero; in me ipso autem cogitare ut nunc cogito, ac furentes animi impetus frenare non ita facile erit mihi, ut prius erat. Mihi quippe anima est infirma, pusilla, captuque facilis, non his solum affectibus, sed et omnium acerbissimo, nempe invidiæ : neque illa contumelias, neque honores moderate ferre novit; sed et illis admodum extollitur, et his valde deprimitur. Quemadmodum ergo feræ immanes, dum corpore bene valent ac gestiunt, se adorientes facile vincunt, si maxime ii infirmi sint et imperiti; si quis vero illas fame macerarit, hinc evenit ut illarum furor sopiatur, viriumque magna pars extinguatur; sic et animi affectus, qui imbecillos reddit, eosdem rectæ rationi subjicit; si quis contra diligenter aluerit, graviorem sibi adversus eos pugnam parat, et ita terribiles reddit, ut in servitute ac metu totam vitam ducat. Quænam igitur belluarum harum alimenta; vanæ gloriæ quidem, honores et laudes; arrogantiæ vero;

potentiæ et dignitatis magnitudo; livoris, aliorum celebritas; avaritiæ, largientium liberalitas; luxuriæ, deliciæ, et frequens mulierum consuetudo : et sic aliud ab alio fovetur. Hæ porro omnes belluæ me in rerum medium accedentem invadent, animam meam dilaniabunt, terrorem incutient, et gravius mihi adversus illa bellum parabunt; hic vero sedenti mihi, magna tamen adhibita violentia subjicientur. Subjicientur tamen per Dei gratiam, ita ut præter latratum nihil plus habeant. Ideo hanc domunculam incolo, nemini aditum do, cum nemine consortium, colloquiumque misceo, similesque alias criminationes innumeras audiens facile fero, quas libenter quidem abstergerem; cum vero non possim, excrucior doleoque. Neque enim mihi facile est simul hominum consuetudine uti, atque in præsenti securitate manere : quamobrem te rogo mei potius tanta intercepti difficultate miserearis, quam me calumnieris : at nondum id tibi persuadere potui. Tempus itaque est, ut quod unum mihi superest arcanum, id in te tandem effundam; quod fortasse multis incredibile videatur : neque tamen in medium proferre pudebit. Etiamsi enim quod dicturus sum et malæ conscientiæ, et innumerorum delictorum argumentum sit; cum is qui nos judicaturus est Deus omnia accurate noverit, quid ultra nobis ex hominum ignorantia conferri poterit? Quid est igitur illud arcanum? Ab eo ipso die, quo mihi hanc suspicionem injecisti, sæpe fuit periculum ut hoc corpus mihi penitus dissolveretur; tantus timor, tantusque mœror animum meum occupavit. Mecum enim reputans Christi sponsæ gloriam, sanctitatem, spiritualem pulchritudinem, prudentiam, ornatum; meaque considerans mala, non cessabam illam deflere, meque miserum dicere, ac frequenter gemens, hærensque, talia mecum loquebar : Quis consilii hujus auctor fuit? Quid tantum peccavit Ecclesia

Dei? Quæ tanta res Dominum ejus exacerbavit, ut omnium ignominiosissimo mihi traderetur, et tantam paterétur infamiam? Hæc frequenter mecum revolvens, cum indignitatis tantæ ne cogitationem quidem ferre possem, quasi attonitus et stupore perculsus, nec videre nec audire quidpiam poteram. Cum me hoc animi deliquium desereret; interdum quippe desistebat; succedebant lacrymæ et mœstitia: tum post lacrymarum satietatem, iterum adventabat timor, mentem turbans, tumultu replens ac concutiens. In æstu tanto præteritum transegí tempus. Tu vero ignorabas, et in tranquillitate me versari arbitrabare. At nunc tibi animæ meæ procellam revelare tentabo: hinc fortasse mihi, positis criminationibus, veniam concedes. Quî illam tibi, quî detegere possim? Si quidem clare videre velles, non alio modo possem, quam cor detegendo meum. Cum autem id fieri nequeat, per obscuram quamdam imaginem, pro facultate mea, mœstitiæ meæ interim fumum tibi depingere conabor. Tu vero ex ipsa imagine mœstitiam solum colligas oportet. Supponamus esse puellam cuidam desponsam, regis, qui universo orbi dominetur, filiam, inenarrabili pulchritudine, ita ut humanam transcendat naturam, et hac in re totum muliebre genus magno admodum discrimine superet: ad hæc animi virtute tanta, ut virorum genus, eorum qui vel ante fuerunt; vel post futuri sunt, longo post se intervallo relinquat; morumque honestate omnes philosophiæ terminos excedat, facieique venustate corporeum omnem decorem obscuret: procumque ejus non ob ea tantum, quæ diximus, virginis amore ardere; sed præterea alio nescio quo erga illam furore affici, ita ut insanissimos, qui unquam fuerint, amatores longe retro relinquat: hinc ponamus illum, sic amore flagrantem, alicunde audivisse, futurum ut puellam illam ab se adamatam, vilissimæ con-

ditionis vir, ignobilis, corpore mutilus, omniumque mortalium nequissimus, in uxorem ducat. An tibi exiguam doloris nostri imaginem repræsentavimus? Satis-ne erit imaginem huc usque deduxisse? Meæ declarandæ mœstitiæ satis esse puto, cujus unius causa exemplum hoc adhibuimus. Ut autem metus stuporisque mei magnitudinem tibi oculis subjiciam, ad aliud me confero exemplum. Ponamus exercitum peditibus, equitibus nauticisque viris instructum : ac mare quidem operiat triremium numerus; rursumque camporum planities, montiumque vertices occupent peditum equitumque phalanges : æs armorum solis splendore reluceat, atque hinc emissis radiis galearum clypeorumque coruscatio vibretur : hastarum fragor, equorumque hinnitus ad ipsum cœlum feratur : neque mare, neque terra appareat, sed æs et ferrum undique. Ipsisque bellatoribus adversi acie instructa stent hostes, feri quidam trucesque viri. Instet jam conflictus tempus : hinc raptum quispiam adolescentem, in agro educatum, qui præter pastoritiam lyram et pedum nihil prorsus sciat : ipsumque armatura ærea induat, ac per totum exercitum circumducat, ostendat manipulos manipulorumque ductores, sagittarios, funditores, ordinum præfectos, duces, cataphractos, equites, jaculatores, triremes, triremium præfectos, munitos ibidem milites, machinarum navalium copiam : ostendat item hostium aciem universam, formidolosos aspectus, armorum apparatum diversum, immensam multitudinem, valles, alta præcipitia, montium scrabrosa : ostendat item apud adversarios, equites quibusdam præstigiis volantes, et cataphractos per aërem delatos, omnisque incantationis vim speciemque : recenseat ipsi bellorum calamitates, missilium nubem, telorum imbrem, hinc magnam caliginem, et tenebras, obscurissimam noctem, quam sagittarum vis

efficiat, ita ut illa tanta frequentia solares radios avertat: pulverem non minus, quam tenebras, oculos obscurantem, sanguinis rivos, cadentium gemitus, stantium clamores, prostratorum acervos, rotas sanguine tinctas, equos cum sessoribus præcipites actos a multitudine cadaverum, terram mixtim hæc omnia tenentem, sanguinem, arcus, tela, equorum ungulas, hominumque capita simul jacentia, et brachia, collum, tibiam, pectus dissectum, cerebella gladiis hærentia, teli cuspidem effractam, oculumque ceu infibulatum habentem : enarret item nautici belli mala, triremes alias mediis in fluctibus conflagrantes; alias cum militibus ipsis demersas, fluctuum fragorem, nautarum tumultum, militum clamorem, unda sanguineque mixtam spumam, eamdemque in navibus simul omnibus irrumpentem, in tabulatis cadavera, alia item demersa, alia supernatantia, alia æstu maris ad littus appulsa, alia in ipsis fluctibus obruta, quæ navibus iter claudant : omnibusque belli tragœdiis accurate exhibitis; addat et captivitatis calamitates, et omni morte duriorem servitutem. His porro dictis, jubeat equum statim conscendere, universique illius exercitus ducem agere. An putas adolescentulum illum vel solam horum narrationem ferre posse, ac non potius vel a primo rei aspectu animo defecturum esse?

XIII. Ac ne putes me rem oratione amplificare, neve quia hoc corpore ceu quodam carcere inclusi, invisibilium nihil prorsus cernere possumus, magna esse ducas ea, quæ a me dicta tunt. Multo hac majorem et horribiliorem pugnam videres, si caliginosissimam diaboli aciem, furiosumque conflictum oculis istis cernere posses. Non enim illic ferrum aut æs, non equi, currus et rotæ, non ignis et tela, non hæc visibilia; sed alia multo his terribiliora machinamenta. Adversariis istis nihil opus est thorace, non

clypeo, non ensibus et hastis; sed vel solus execrandæ aciei aspectus animam dissolvere possit, nisi admodum generosa fuerit, et præ virtute propria, multa fruatur a Deo providentia. Ac si fieri posset ut hoc exuto corpore, vel cum ipso corpore conspicue ac sine timore totam ejus aciem, et bellum contra nos instructum ipsis oculis cerneres; videres utique, non sanguinis torrentes, non cadavera, sed animarum ruinas tantas, adeoque gravia vulnera, ut tota illa belli descriptio, quam modo expressi, puerorum oblectamenta et ludi esse videantur potius, quam bellum: tam multi scilicet ii sunt qui quotidie feriuntur. Vulnera autem non eamdem inferunt necem, sed quantum est inter animam et corpus discrimen, tanta est inter hanc et illam differentia. Nam cum anima plagam accipit et cadit, non sine sensu jacet ut corpus; sed jam inde ex mala conscientia contabescit, post obitum vero judicii tempore, æterno traditur supplicio. Quod si quis de vulneribus a diabolo inflictis nihil doleat, majus ipsi damnum ex indolentia illa infligitur: quem enim prior plaga non mordet, is secundam et subinde aliam facile recipit. Siquidem nefarius ille usque ad extremum halitum nunquam finem feriendi facit, si supinam inveniat animam, prioresque plagas contemnentem: etenim si conflictus modum expendere velis, hunc vehementiorem, callidioremque reperias. Neque enim quisquam est, qui fraudis et doli tantas species norit, quantas ille scelestus: neque inimicitias quis tam implacabiles exercere possit contra sibi infensissimos hostes, quantas malignus ille dæmon contra humanam naturam. Animum autem si quis examinaverit, quo pugnam committit, certe ridiculum putabit homines ipsi hac in parte conferri. Sin iracundissimas, truculentissimasque feras quispiam deligens, eas illius insaniæ comparare voluerit, mansuetissimas illas

humanissimasque cum illo comparatas esse inveniet : tantum ille furorem spirat, cum animas nostras adoritur. Pugnæ porro hominum breve tempus est; imo in hac brevitate temporis, multæ dantur induciæ. Nox quippe superveniens, et occidendi labor, et cibi capiendi tempus, aliaque multa, militi quiescendi potestatem faciunt; ita ut armaturam omnem exuat, parumque respiret, seque cibo potuque reficiat, ac multis aliis rebus pristinas vires recuperet. In bello autem contra malignum illum, nunquam licet arma ponere, nec somnum capere eum, qui velit semper invulneratus esse. Ex duobus enim unum necessario eligat oportet, ut aut cadat et pereat armis nudatus; aut armatus stet vigiletque semper. Nam ille stat perpetuo cum acie sua, nostram segnitiem observans, majusque studium ad nostram perniciem adhibens, quam nos ad salutem nostram. Ac quod a nobis non videatur, quodque derepente irrumpat, quæ maxime in causa sunt innumerabilium malorum; id certe iis, qui non semper vigilant, magis dubium hujus quam illius belli eventum faciunt. Hic igitur nos volebas milites Christi ducere? At hoc fuisset diabolo ducem esse : nam cum is, qui debet alios ad bellum instruere, ipsisque imperare, omnium imperitissimus infirmissimusque est, imperitia sua concreditos sibi milites prodens, diabolo magis, quam Christo ducem agit. Tu vero quid ingemiscis? quid lacrymaris? Non enim quæ ad me pertinent nunc lacrymis digna sunt, sed gaudio et lætitia. Basilius. At non item mea, inquit, sed potius sexcentis sunt digna planctibus. Vix enim hactenus animadvertere potui, in quantum malorum me conjeceris. Siquidem ideo te adieram, ut quid criminatoribus tuis mihi respondendum esset ediscerem : tu vero me dimittis curam aliam pro alia injiciens. Non enim jam mihi curæ est quid illis pro te respondeam ; sed quam ad Deum

parabo pro me proque malis meis defensionem. Cæterum te rogo et obsecro, si qua tibi est rerum mearum cura, si qua in Christo consolatio, si qua viscera et commiserationes[1], etenim nosti me tua potissimum opera in hoc periculum conjectum fuisse : manum mihi porrigas, illa dicens faciensque, quæ nos emendare possint. Ne animum inducas, ut ad brevissimum nos tempus deseras; sed nunc magis, quam prius, commune sit nobis contubernium. CHRYSOSTOMUS. Ego autem ad hæc verba subridens : Et qua in re, inquam, tibi usui esse possim in tanta illa negotiorum mole? Cæterum, quia id tibi in voto est, bono animo esto, o dilectum mihi caput! quo enim tempore a curis hujusmodi tibi respirare licebit, adero tibi, teque consolabor, quantum in me erit nulla tibi in re defuturus. Ad hæc ille magis illacrymans surgit. Ego vero virum complexus, caputque deosculatus, ipsum deduxi, hortatus, ut quod acciderat fortiter ferret, his verbis : Fiduciam in Christo habeo qui te vocavit, suisque præfecit ovibus, te tantam ex hoc ministerio acquisiturum fiduciam, ut nos illa die periclitantes in æterna tabernacula recipias.

[1] Philip. II, 1.

HOMILIA.

Rem esse periculi plenam cum iis qui dicunt, tum iis qui audiunt, ad gratiam concionari : atque utile esse, et justitiam maximam propria incusare peccata.

I. Satis, opinor, vos nuper increpavimus; ac profundiorem plagam infliximus : itaque necesse est hodie medeamur, ac mitiora medicamenta quædam apponamus. Hic enim optimus est medicinæ modus, ut non modo secentur ulcera, verumetiam obligentur : hæc præclara doctrinæ lex est, ut non modo reprehendantur discipuli, verumetiam cohortationibus et consolationibus adjuventur. Ita quoque Paulus fieri jussit : « Argue, increpa, exhor» tare [1]. » Quod si semper exhortetur quispiam, negligentiores reddit auditores : si tantum increpet, asperiores efficit. Cum enim assiduarum onus reprehensionum ferre non possint, confestim abscedunt. Quocirca varius quidam adhibendus est docendi modus. Quando igitur superiori collecta cujusque mentem acrius sermo perstrinxit, leniori nunc docendi modo nobis est opus hodierno die, ac doloribus, quos reprehensiones inusserunt, necesse est tanquam oleum lenitatem sermonis instillemus, si prius vobis in memoriam reprehensiones ipsas revocaverimus. Legem Pauli vobis nuper de Sacramentorum participatione recitavimus, qua cuncti, qui mysteriis initiati sunt, obstringuntur. Hæc autem lex erat : nihil enim rursus illam prohibet recitari : « Probet autem se ipsum unusquis-

[1] 2 Tim. IV, 2.

» que, et sic de pane illo edat, et de calice bibat [1]. » Sciunt, qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus, et quis hic panis sit, quisve calix. « Qui enim manducat et bibit, inquit, in- » digne Domino, reus erit corporis et sanguinis Domini. » Hanc vobis legem recitavimus, et verborum sensum exposuimus. Diximus qui sic, « Reus erit corporis et san- » guinis Domini, » easdem nimirum pœnas daturum, quas et illi, qui Christum crucifixere, substinebunt. Nam quemadmodum homicidæ illi rei facti sunt sanguinis, sic et isti qui sacramentis indigne communicant. Hoc enim est, « Reus erit corporis et sanguinis Domini. » Videbatur dictum illud plane modum excedere, atque intolerabiles minæ censebantur, rationem adjunximus ductam ab exemplo, quæ mirifice quadrabat. Ut enim sive quis regiam purpuram discindat, inquiebam, sive luto coïnquinet, ex æquo regem, qui ea indutus est, afficit contumelia : sic nimirum hoc loco cum illi, qui dominicum corpus necarunt, tum qui immunda recipiunt anima, parem injuriam regio inferunt vestimento. Disciderunt quidem illud in cruce Judæi : coïnquinat autem is, qui immunda suscipit illud anima : itaque licet diversa peccata sint, tamen æqualis est injuria. Hoc multos perstrinxit, hoc multos perturbavit, et conscientiam auditorum pupugit, nec auditorum tantum, sed meam, qui ad vos sermonem habeo, priusquam vestram. Communis est quippe doctrina, communia sunt vulnera : quapropter et communia adhibeo medicamenta. Hoc divinæ benignitatis opus fuit, ut et is qui sermonem habet, et qui audiunt, iisdem subjaceant legibus, ejusdem participes sint naturæ, et pariter reus quisque sit, ubi transgressus legem fuerit. Qua de causa? Ut moderatam adhibeat increpationem; ut indulgentior fiat in eos qui peccant; ut ne, propriæ memor imbecillitatis,

[1] 1 Cor. xi, 28.

intolerandam adhibeat reprehensionem. Propterea non Angelos e cœlo delapsos magistros humanæ naturæ præfecit, ne propter excellentiam naturæ, atque humanæ infirmitatis ignorationem asperiores reprehensionem nobis adhiberent : sed homines mortales magistros ac sacerdotes concessit, homines infirmitate circumdatos, ut hoc ipso, quod eisdem obnoxii sint, et is qui sermonem habet, et illi qui audiunt, concionatoris linguæ frenum injiciatur, quod eum non sinat ultra modum suas castigationes extendere. Atque hoc verum esse declarat Paulus, qui legem illam tulit, et hanc causam nos docuit his verbis utens : « Omnis enim pontifex ex hominibus assumptus pro homi» nibus constituitur, qui condolere possit iis, qui ignorant, » et errant. » Qua occasione, et cur tandem? « Quoniam » et ipse circumdatus est infirmitate[1]. » Vides infirmitatem compassionis occasionem esse, neque sinere cognationem naturæ, ut quis in reprehendendo modum excedat, etsi vehementer contendat? Sed quam ob causam ista dixi? Ne forte dicatis : Tu qui mundus es a peccatis, et a molestia, quam increpatio parit, immunis ac liber es; magna cum potestate profundiorem nobis sectionem infligis. Siquidem ego prior molestiam sentio, quandoquidem et ipse obnoxius sum peccatis. « Omnes enim in correptionibus » sumus, et, Nemo gloriabitur castum se habere cor[2]. » Itaque non quod in alienis philosopharer malis, neque ex inhumanitate quapiam, sed præ nimia sollicitudine reprehensiones illas adhibui. Nam in corporum quidem curatione, qui plagam infligit, nullum plagæ sensum capit, sed ille, qui secatur, solus doloribus cruciatur : at in animarum curatione non ita : nisi forte fallar, dum ex meis de aliorum rebus judico, sed ipse prior cruciatur, qui concionem habet, quando cæteros increpat. Neque enim sic

[1] Hebr. v, 2, 3. — [2] Prov. xx, 9, et Eccli. vii, 6.

a cæteris reprehensi dolemus, ac si alios reprehendamus ob peccata, quorum ipsi rei simus. Statim enim concionatorem objurgat conscientia, quodque se videat magisterii dignitate decoratum in eadem cum discipulis peccata prolabi, atque iisdem reprehensionibus indigere, graviorem concionatori dolorem inurit.

II. Atque hæc non sine causa nunc conqueror, sed quoniam permulti eorum quæ dicta sunt, acerbitatem non ferentes, cum hinc recessissent, accedentes indignabantur, et excandescebant. Avocas nos, aiebant, a sacra mensa, et a communione repellis. Idcirco hæc dicere sum coactus, ut intelligatis me non avocare, sed potius convocare; non repellere, nec arcere, sed per ipsas reprehensiones magis allicere. Metus enim denuntiati supplicii, cum tanquam ignis in ceram in eorum conscientiam, qui peccant, inciderit, delicta dissolvit ac discutit, dum semper imminet, et puram ac splendidam mentem reddens majorem fiduciam nobis inserit : porro fiducia concepta major exoritur animi promptitudo, ad frequentem ineffabilium ac tremendorum mysteriorum communionem obeundam. Et quemadmodum qui acerba medicamenta porrigit iis, qui stomachi vitio cibos fastidiunt, ac pravos expurgat humores, dejectum excitat appetitum, et efficit, ut majori alacritate consuetos cibos degustent. Sic nimirum is qui acerba profert verba, pravisque mentem cogitationibus purgat, et grave peccatorum onus excutit, efficit, ut conscientia respiret ac multa cum voluptate dominicum corpus degustet. Non est igitur ob ea quæ dicta sunt succensendum; sed ea approbanda sunt et laudanda. Quod si forte imbecilliores sint quidam, neque defensionem hanc nostram ferant, ita cum illis agam, ut moneam me non a me ipso latas leges exponere, sed de cœlo delapsas litteras legere, ac proinde necessarium esse, ut cum

hoc mihi creditum sit ministerium, aut quæ continentur illis confidenter ac libere cuncta dicam, et utilitatem ubique non voluptatem quæram auditorum, aut eorumdem odium reformidem, et hoc intempestivo beneficio salutem meam simul et illorum prodam. Nam et concionatori simul et auditoribus admodum periculosum esse quidpiam ex legibus divinis celare, ac tanquam cædis patratæ reos judicari doctores, nisi absque metu cuncta Dei jura, ac decreta promulgent, Pauli vobis testimonio comprobabo. Propterea namque in omnibus rebus ad beatam illam animam sæpe confugio, quod fructuosæ quædam sacræque leges Pauli sint verba. Non enim Paulus est, qui loquitur, sed qui ejus animam movet Christus, siquidem per illum cuncta loquitur, quæ ille pronuntiat. Quid igitur ait Paulus? Cum eos qui Ephesum incolebant vocasset ac postremam ad illos concionem habuisset [1], propterea quod ab illis deinceps discessurus erat, ut illorum præsules docerent, non minus quam qui sanguinem funderent discipulorum, eos qui res utiles celarent pœnis esse obnoxios ac suppliciis, ita loquitur : « Mundus sum ego a sanguine om» nium. » Quid ita? « Non enim subterfugi, quominus an» nuntiarem vobis omne consilium Dei : » itaque si subterfugisset, quominus annuntiaret, mundus a sanguine non fuisset, verum ut homicida damnatus esset, ac merito sane. Nam homicida quidem corpus tantum interficit : qui vero ad gratiam concionatur, et segniores reddit auditores, animam perdit : atque ille quidem præsenti morti tradit : hic vero perditanimam, et ad æternas pœnas suppliciaque transmittit. An igitur solus hoc dicit Paulus? Nequaquam, sed ante Paulum Deus rursus istud ipsum per Prophetam subindicat ita dicens : « Speculatorem » dedi te domui Israël [2]. » Quid est hoc, speculatorem?

[1] Act. xx, 27. — [2] Ezech. III, 17.

Speculator dicitur is, qui dum exercitus inferius confident, sublimem et eminentem in colle locum occupat, et inde invadentes hostes speculatur, atque in valle sedentibus eorum adventum denuntiat, ut ad pugnam capessendam eos excitet, ne si in illos incautos irruant, magna illos cum facilitate trucident. Quando igitur multa, quæ nobis imminent, mala non videmus nos, qui humi versamur, ita divina gratia disponente factum est, ut tanquam in sublimi loco prophetiæ stantes Prophetæ sancti irruituram in nos iram divinam a longe prænuntiarent; ut nos per pœnitentiam reparantes, animamque nostram lapsam erigentes, multo ante infligendam a Deo plagam repellamus. Idcirco, « Speculatorem, inquit, dedi te domui » Israël: » Ut calamitatem imminentem prænunties, quemadmodum hostes ille. Neque vero mediocrem pœnam concionatori, qui divinam iram non prænuntiarit, imponit. Quam vero tandem? Animas eorum, qui perierint, inquit, de manu tua requiram. Quis igitur est ille tam crudelis et inhumanus, et immisericors, qui concionatori vitio vertat dicenti, deque ira divina frequenter verba facienti, cum tantas luiturus sit pœnas, si tacuerit? Nobis ergo qui concionamur, nequaquam prodesse si talia siluerimus, sufficienter et Propheta nos docuit, et Apostolus : sed neque vobis prodesse qui auditis, inde constabit. Nam si ego dum sileo, peccata silentio absconderem, recte succenseret unusquisque, ac merito indignaretur, nisi silerem : sin autem quantumvis jam non sileamus, omnino necesse est ut illic delicta manifestentur, quid poterit silentium prodesse? Imo nihil proderit, sed summopere nocebit. Nam si quidem nunc proloquar, ad pœnitentiam et animi compunctionem inducam : sin taceam, nunc quidem eorum quæ peccaverimus, non recordabimur, neque pœniten-

tiam agemus; at in futuro sæculo nuda et aperta præ oculis nostris intuebimur, ac frustra et incassum lamentabimur.

III. Quando igitur omnino necesse est, ut vel illic, vel in hac vita ob delicta compungamur, satius est ut illud hic potius, et non illic fiat: unde id constat? Ex propheticis verbis, ex evangelicis. Nam Propheta quidem sic ait: «In inferno autem quis confitebitur tibi[1]?» Non quod non confiteamur, sed quod frustra illud faciamus. Christus autem per parabolam hoc ipsum docuit. Erat enim, inquit, Lazarus quidam mendicus undique ulceribus plenus[2], immedicabili morbo laborans: alter autem quidam dives pauperi micas non impertiebat. Et quid opus est parabolam totam percurrere? Quippe nostis historiam omnem, crudelitatem divitis, quo pacto mendicum participem mensæ non faceret; egestatem illius ac famem, qua perpetuo conflictabatur. At hæc in hac vita: postquam autem mortuus est uterque, videt illum mendicum in sinu Abrahæ dives. Et quid ait? « Pater Abraham, mitte illum ut ins» tillet extremo digiti sui in linguam meam, ut requiescam » a dolore[3].» Vides retributionem? Non impertiit ipsi micas, unius aquæ guttæ non fit particeps. « In qua enim mensura, » inquit, mensi fueritis, remetietur vobis[4]. » Quid ergo Abraham? «Fili, recepisti bona tua, et Lazarus mala: et » nunc hic quidem hic consolatur, tu vero cruciaris[5].» Sed quod est in quæstione positum, illos nimirum ob peccata compungi, et converti, ac pœnis gehennæ fieri meliores, nihil tamen hoc illis ad levanda flammæ tormenta prodesse, quæ sequuntur ostendunt; « Pater enim, inquit, » mitte illum in domum meam, ut cognatis meis testetur, » et non veniant in hunc locum. » Cum beneficium ipse non obtinuisset, aliorum postea salutem procurat. Vidisti

[1] Psal. vi, 6. — [2] Luc. xvi, 19. — [3] Ibid. 20-24. — [4] Marc. iv, 24. — [5] Luc. xvi, 25.

quo pacto crudelis antea fuerit, quo pacto deinde benignus evaserit? Lazarum ante oculos jacentem præteribat, dum viveret, jamvero etiam absentium cognatorum curam gerit: ac tum quidem tum opibus circumflueret, ad miserabile mendici spectaculum non inflectebatur, jamvero dum in doloribus ac necessitatibus versatur inevitabilibus, de propinquis suis est sollicitus, ac mitti rogat, qui hæc illis annuntiet. Vides ut benignus et clemens evaserit et misericors? Quid igitur? numquid illi profuit pœnitentia? num aliquid lucri ex illa cumpunctione collegit? Nihil omnino: quippe quod intempestiva esset pœnitentia. Solutum erat theatrum, sublatus locus certaminis, non amplius luctarum tempus fuit. Propterea moneo, precor et obsecro, hic lamentari oportet, ac propter peccata lugere. Hic nos verba contristent, ne nos illic res terreant: hic nos pungat oratio, ne nos illic vermis pungat venenatus: hic nos urat reprehensio, ne nos gehenna ignis illic urat. Eos qui hic lugent, consentaneum est illic consolari: eos qui hic in deliciis degunt et rident, nec ullo propter admissa peccata dolore tanguntur, plane illic lugere ac lamentari, ac frendere dentibus est necesse. Non mea sunt hæc verba, sed ipsius, qui judicium in nos tum temporis exercebit. « Beati quippe, inquit, ii, qui lugent, quoniam »ipsi consolabuntur. Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis[1].» Quanto igitur satius est temporariam compunctionem et luctum cum æternis bonis et voluptate, quæ finem non habeat, commutare, quam brevi hac et temporaria vita ridendo transacta, illuc abire immortali supplicio plectendos? At verecundaris et erubescis enuntiare peccata? sane quidem si coram hominibus ea dicenda essent et evulganda; non tamen ita pudere te oportuit: pudor enim est et ignominia peccare, non quæ peccaveris confiteri; jamvero

[1] Matth. v, 4.

neque necessarium est testibus præsentibus confiteri. Apud conscientiæ rationes fiat inquisitio delictorum : sine testibus sit judicium, Deus te confitentem solus audiat, Deus qui peccata non exprobrat, sed confessione peccata delet. At hoc pacto etiam pigritaris ac detrectas ? Scio equidem conscientiam suorum delictorum memoriam minime ferre. Nam si tantum subeat animum eorum quæ deliquimus recordatio, tanquam pullus quidam indomitus ac frenatu difficilis mens resilit. Sed tu coërce illam ac refrena, demulce manu, cicurem illam redde, persuade fore, ut nisi nunc confiteatur, illic confiteatur, ubi major pœna, ubi diffamatio major. Hic judicium fit sine testibus, ac tu ipse in te judicium exerces, qui peccasti : at illic in medium orbis terrarum cuncta producentur, nisi prius hic fuerint a nobis deleta. Erubescis peccata confiteri ? erubesce peccata committere. Nos vero dum illa committimus, temere et impudenter ea aggredimur : cum autem ea fuerint confitenda, tum nos pudet pigetque, cum id alacriter a nobis fieri oporteret. Non enim ignominiosum est incusare peccata, sed justitia et virtus. Nisi justitia esset, ac virtus, non proposuisset illi mercedem Deus. Nam confessionem obtinere mercedem, audi quibus verbis Scriptura testetur : « Dic tu iniquitates tuas primus, ut » justificeris[1]. » Quem tandem pudebit illius operis, quo fit justus ? quem confiteri peccata pudeat, ut peccata solvat ? Num enim idcirco peccata jubet confiteri, ut puniat ? Imo ut dimittat.

IV. Nam in externis quidem tribunalibus post confessionem sequitur pœna. Propterea Psalmus etiam hoc ipsum reformidans, ne quis metu pœnæ, quæ confessionem sequatur, peccata denegaret, ait, « Confitemini Domino, » quoniam bonus ; quoniam in sæculum misericordia

[1] Isaï. XLIII, 26.

» ejus[1]. » Num enim tua peccata nescit, nisi tu confessus fueris? quid ergo tibi prodest si minime confiteare? Num. enim potes latere? Quamvis non dixeris, ille novit. Quod si tu dixeris, ille obliviscitur. « Ecce enim ego sum Deus, » qui deleo iniquitates tuas, et non recordabor[2]. » Vides? non recordabor, inquit. Est enim hoc clementiæ. At tu recordare, ut castigationis captes occasionem. Hæc cum audiisset Paulus, peccatorum, quorum non recordabatur Deus, perpetuo recordabatur cum ita diceret: « Non sum » dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Eccle» siam Dei[3]. » Et, « Christus venit in mundum peccatores » salvos facere, quorum primus ego sum[4]. » Non dixit, eram, sed, sum. Facta erat remissio peccatorum apud Deum, et apud Paulum peccatorum memoria non delebatur. Quæ Dominus deleverat, hæc ipse divulgabat. Audistis enim Prophetam dicentem: « Et non recordabor[6]: » at tu recordare. Deus vas electionis ipsum vocat, et iste se peccatorum primum vocat. Quod si peccatorum non obliviscebatur, cogita quo pacto Dei beneficiorum recordaretur. Quid ego dico, memoriam peccatorum minime probro afficere? Non ita nos memoria recte factorum reddit illustres, ut memoria peccatorum. Imo vero non modo non reddit illustres memoria recte factorum, sed etiam opprobrio afficit et condemnat: at peccatorum memoria fiducia nos ac justitia multa cumulat. Quis hoc dicit? Pharisæus et Publicanus. Nam hic quidem cum sua peccata dixisset, justificatus descendit: ille vero cum sua recte facta dixisset, Publicano factus inferior descendit. Vides quantum efferat damni recte factorum meminisse: quantam pariat utilitatem peccatorum minime oblivisci? Ac merito sane: qui namque recte factorum meminit, in superbiam effertur, cæteros homines aspernatur,

[1] Psal. cv, 1. — [2] Isai. xliii, 25. — [3] 1 Cor. xv, 9. — [4] 1 Tim. i, 15.

quod et accidit Pharisæo : neque enim in tantam venisset arrogantiam, non dixisset : « Non sum sicut cæteri homines[1], » nisi jejunii sui decimarumque meminisset ; memoria vera peccatorum mentem reprimit, humilitatem suadet ac per humilitatem benevolentiam Dei conciliat, Audi, quæso, quo pacto nos Christus recte facta oblivioni tradere jubeat. « Cum feceritis hæc omnia, dicite, Servi inutiles sumus[2]. » Tu dic inutilem esse te servum, non ego te inutilem reddo. Tu si tuam ipse vilitatem confessus fueris, ego te illustrem reddo, et corona remuneror. Vides quot testimoniis utilem esse peccatorum memoriam nobis fuerit comprobatum, et noxiam memoriam recte factorum : et contra rursus supplicium nobis ex oblivione peccatorum, utilitatem autem ex oblivione recte factorum oriri ? Vis etiam aliunde cognoscere maximum esse recte factum peccatorum recordari ? audi Jobum. Ut enim cæteris gloriabatur, ita et confessione peccatorum, cum ita diceret : « Quod si cum » sponte peccassem expavi frequentiam multitudinis, ut » non enuntiarem peccata mea[3]. » Horum autem verborum hic sensus est. Nunquam mihi cœtus conservorum pudorem imposuit. Quid enim prodest ignotum esse hominibus, cum judex omnia noverit ? quid vero nocet, quod hi quæ a nobis commissa sunt, noverint, si nos ille pœna voluerit liberare ? Licet omnes condemnent, si me calculo suo judex absolvat, nihil illorum sententiam curo : licet omnes laudent et celebrent, si me ille condemnet, nihil mihi judicium illorum prodest. Semper enim oculos in illum oportet convertere, idemque præstandum est in peccatis, quod in pecuniarum impensa præstamus. Statim enim atque e cubili surreximus, antequam pedem in forum inferamus, aut aliquod privatum publicumque negotium aggrediamur, vocato servo rationem ab eo exigimus

[1] Luc. XVIII, 11. — [2] Id. XVII, 10. — [3] Job. XXXI, 34.

expensarum, ut videamus quid perperam, quid in legitimos usus insumptum fuerit, quantumque sit reliquum : quod si perexiguum esse viderimus id, quod restat, omnes vias augendorum redituum excogitamus, ne forte incauti fame conficiamur. Hoc igitur et in actionibus nostris faciamus : advocata conscientia nostra, rationes exigamus ab ea verborum, actionum, cogitationum. Disquiramus quid commode utiliterque sit insumptum, quid in nostrum damnum: quis sermo perperam fuerit impensus in detractiones, in turpiloquia, in contumelias : quænam cogitatio ad lasciviam oculum concitarit ; quod consilium in damnum nostrum in opus exierit, sive manibus illud, sive lingua, sive oculis ipsis fuerimus executi. Et ab intempestivis quidem sumptibus abstinere studeamus, in locum autem eorum, quæ male insumpta sunt, alios reditus recondamus: loco verborum temere prolatorum, preces: loco aspectuum lascivorum, eleemosynas et jejunia. Si enim intempestive simus insumpturi, nihil autem recondituri, neque boni quidquam nobis in thesauris reposituri, in extremam egestatem redactos incautos nos in æternum ignis supplicium præcipites agemus. Ac pecuniarum quidem summo mane solemus rationes inire : actionum vero post prandium, vel sub ipsam vesperam in lecto jacentes, nemine interpellante, nemine interturbante, a nobis ipsis omnium, quæ fecimus, ac diximus, rationem exigamus, Quod si quid peccatum esse animadvertamus, castigemus conscientiam, mentem increpemus, cor nostrum ita vehementer compungamus, ut non amplius, ubi surrexerimus, in idem peccati barathrum nos audeamus impellere, vespertinæ memores sectionis.

V. Hoc enim tempus aptius esse ad ejusmodi ratiocinium, audi quo pacto testetur Propheta, cum dicat : « Quæ » dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compun-

» gimini[1]. Multa interdiu non ut volumus a nobis fiunt, et amici offendunt, et exasperant servi, contristat uxor, filius dolore afficit, negotiorum sæcularium ac publicorum nos turba circumsidet, neque possumus intelligere, ne quidem qua ratione supplantemur. At his omnibus expediti, cum soli fuerimus vesperi, multaque frui licuerit tranquillitate, judicium in lecto excitemus, ut Deum nobis propitium ejusmodi habita quæstione reddamus. Quod si quotidie peccemus, et animum nostrum vulneremus, nunquam autem sentiamus : ut qui vulnera frequenter accipiunt, ac deinde contemptis illis febrim sibi vel intolerandum accersunt interitum : sic et nos hoc continuo stupore, inevitabili nos obnoxios supplicio reddidimus. Scio molesta esse quæ dicimus, sed multam pariunt utilitatem. Clementem Dominum habemus, occasionem tantum arripere vult, et omnem confestim exhibet humanitatem. Si enim cum peccamus, et impuniti manemus, deteriores non fieremus, saltem nobis pœnam remitteret : sed hoc probe novit non minus damni nobis peccatorum impunitatem, quam ipsamet afferre peccata. Propterea supplicium infert, non ut præteritorum pœnas exigat, sed ut in futurum emendet. Atque ut hoc verum esse noveris, audi quid ad Moysem dicat Deus : « Dimitte me, et indignatus ira » alteram eos[2]. » Dimitte me, dicebat, non quod eum Moyses retineret ; nihil enim ad ipsum locutus erat, sed tacitus coram eo stabat ; verum occasionem ei præbere volebat pro illis orandi. Nam quoniam illi supplicio digna peccata commiserant, et supplicio inevitabili, nec tamen illos volebat punire, sed humanitatem in eos exercere ; hoc vero segniores illos reddebat : utrumque præstabat, ut neque supplicium inferretur, nec deteriores impunitate illi fierent, cum intelligerent se non suo merito, sed propter

[1] Psal. IV, 5. — [2] Exod. XXXII, 9.

Moysis patrocinium iram Domini evitasse. Hoc nos etiam sæpenumero facimus, dum servos qui animadversione digna delicta commiserint, neque punire volumus, neque pœnarum metu liberare, amicis injungimus, ut e manibus nostris eos eripiant, ut et metus in eis æque vehemens maneat, et plagas a nobis inferendas effugiant. Tale quid etiam Deus præstitit : idque verum esse, ipsius constat ex verbis, « Dimitte me, inquit, et indignatus ira. » Atqui nos cum pœnas sumere volumus, et nemo permittit, tum indignari solemus : ipse vero dicit : Dimitte, et indignabor ira : ut intelligas, iram in Deo perturbationem non esse, sed supplicium, quo nos afficit, hac appellatione designari. Cum igitur Moysem dicentem audiveris : « Si quidem remittis eis peccatum, remitte[1] : » prius quam servum, Dominum mirare, quod hujus ipse benignitatis occasionem illi præbuerit. Neque vero tantum id hoc loco fecit, sed et ad Jeremiam et ad Ezechielem idipsum loquitur : « Circumcurrite, et videte in viis Jerusalem, si » est aliquis faciens judicium et justitiam, et propitius » ero eis[2]. » Vides benignitatem? unius virtute multi etiam pravi simul fruuntur : at si vel unus fuerit virtute præditus cum numeroso populo mixtus, non abripitur simul : sed homo quidem unus, qui recte vivat, integrum populum eripere poterit iræ divinæ, sed integra civitas depravata hominem vitæ probæ ad societatem pœnæ ac supplicii sui pertrahere non poterit, ac simul perdere. Atque hoc ex Noë liquet : qui pereuntibus cunctis solus salvus evasit, atque ex ipso Moyse patet, qui solus veniam tanto populo valuit impetrare. Ego vero possum et aliud multo majus divinæ benignitatis indicium proferre. Cum enim homines viventes, et qui gratia valeant ac fiducia, non invenit, qui peccati reos possint periculis liberare, ad vita functos

[1] Exod. xxxii, 31. — [2] Jerem. v, 4.

confugit, et propter illos ait se delicta dimittere, quemadmodum et Ezechiæ dixit : « Protegam urbem istam propter » me, et propter David servum meum [1], » qui jam mortuus erat. Cum igitur hæc nobis explorata sint, Deum omnia movere ac moliri, ut nos pœnis ac supplicio liberet, multas occasiones illi præbeamus, confitentes, pœnitentiam agentes, lacrymas fundentes, orantes, iram proximis dimittentes, propinquorum egestatem sublevantes, in orationibus vigilantes, humilitatem exhibentes, peccatorum assidue recordantes. Non enim sufficit dicere, Peccator sum, sed et singulæ sunt delictorum species exprimendæ. Ut enim si in spinas ignis inciderit, facile illas consumit: sic etiam mens quæ delicta sua frequenter apud se versat, facile illa perdit ac demergit. Deus autem qui transcendit iniquitates, et aufert injustitias, nos et a peccatis liberet, et cœlorum regno donet, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 4 Reg. xx, 6.

HOMILIA.

Cum presbyter fuit ordinatus, de se ac de episcopo, deque populi multitudine.

I. Num vera sunt quæ nobis acciderunt? num reipsa gesta sunt, nec falsi sumus, neque quæ nunc fiunt sunt nox et somnia? an vere dies est, et vigilamus omnes? Et quis credat quod in die, cum sobrii sunt, ac vigilant homines, adolescens infimæ sortis et abjectus, ad tantum dignitatis fastigium subvectus sit? Nam nocte talia accidere nihil sit incredibile. Tum enim quidam et corpore mutili, et adeo tenues, ut ne necessarius quidem suppetat victus, in somnis sibi videntur integris membris, et formosi, et regali frui mensa: sed quæ videbantur, somnus erant, et insomniorum ludibria: siquidem hæc est natura somniorum, vafra quædam ac versuta res est, ac prodigiorum artifex, gaudet novis et incredibilibus simulacris illudere. At vero nec interdiu, nec revera quis unquam videat hoc accidere. Verum omnia nunc contigerunt, facta sunt, perfecta sunt,[1] quemadmodum videtis; hæc, inquam, somniorum visis incredibiliora: et civitas tantæ magnitudinis, tam frequentata, populus et multus, et admirandus ad meam inhiat exiguitatem, tanquam a nobis magnum quiddam ac præclarum auditurus. Atqui etiamsi mihi amnium more perennium profluerct oratio, sique verborum fontes essent in ore meo, protinus ex tantæ multitudinis ad audiendum concursu, metu sisteretur profluvium, et retro fluenta resilirent. Nunc vero cum tantum absimus a fluminum ac fontium copia, ut nec exiguæ pluviolæ medio-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIX, p. 434-437.

critatem obtineamus, quî fieri possit, ut me non deficiat tam exiguus fluxus, metu arefactus, idemque eveniat, quod in corporibus solet accidere? Quid accidit in corporibus? multa frequenter quæ manu tenemus, quæ digitis stringimus, præ metu nobis excidunt omnia, dissolutis nervis nostris corporisque vigore remisso. Itidem mihi profecto nunc metus est, ne idem eveniat in animo nostro, videlicet ne quæ multo cum labore excogitavimus, quanquam et hæc sane perquam exilia parvique momenti, præ pavore veniant in oblivionem, et evanescant abeantque, animum nostrum desertum relinquentia. Quapropter pariter omnes, tum vos qui cum imperio estis, tum vos qui paretis imperio, obsecro : ut quantam nobis anxietatem injecistis vestro ad audiendum concursu, tantumdem nobis audaciæ inspiret precum vestrarum diligentia, si rogetis illum, qui dat sermonem evangelizantibus virtute multa [1], ut nobis quoque det sermonem in apertione oris nostri. Nullus omnino vobis tot ac tantis viris labor erit unius adolescentis animum timore dissolutum, denuo confirmare : quin et par fuerit, ut quod nunc petimus, præstetis : quandoquidem tantam aleam subivimus propter vos vestramque charitatem [2], qua nihil violentius aut imperiosius, ut quæ nos non admodum dicendi peritos, ad dicendum pertraxit, effecitque ut ad doctrinæ stadium exiremus, licet ante hac hoc palæstræ genus nunquam attigerimus, sed semper in auditorum ordine, quieto silentio frui soleamus. Verum quis sit adeo durus et intractabilis, ut istum vestrum conventum silentio prætereat, et amicos nactus audiendi studio flagrantes, non alloquatur, etiamsi omnium hominum esset loquendi imperitissimus? Cupiebam equidem primum in Ecclesia dicturus, procœmiorum primitias illi dicare,

[1] Psal. LXVII, 12. — [2] Ephes. VI, 19.

qui linguam nobis hanc dedit, nimirum Deo. Atque ita sane fieri oportuit; neque enim areæ tantum ac torcularis, verumetiam verborum primitias oportet verbo persolvere, multoque magis verborum quam manipulorum. Quinetiam ut ad vos hic fructus magis pertinet, ita ipsi Deo qui honoratur acceptior est. Botrum enim et spicam suo terra emittit gremio, alit pluviarum irrigatio, colit agricolarum manus: at sacrum hymnum parit animi pietas, alit bona conscientia, Deus in cœlestia recipit horrea: porro quanto præstantior est animus terra, tanto hic illo melior est proventus. Quapropter et Prophetarum quispiam vir magnus et admirandus, nomen illi Osee, eos qui Deum offenderant, parabantque illum sibi propitium reddere, adhortatur, ut ferant secum, non armenta boum, neque similæ mensuras tot aut tot, neque turturem, neque columbam, neque aliud quidquam istiusmodi rerum: sed quid? « Ferte vobiscum verba [1], » inquit. Et quale sacrificium, dixerit aliquis, sunt verba? maximum quidem, o charissime, ac splendidissimum, cæterisque omnibus præstantius. Et quis ista dicit? is nimirum qui hæc omnia novit maxime atque exactissime, videlicet magnanimus ille ac magnus David. Is enim cum aliquando Deo gratiarum actiones immolaret pro victoria quam ex hoste tulerat, ita ferme loquitur: « Laudabo nomen Dei mei cum » cantico: magnificabo eum in laude [2]. » Mox hujus sacrificii præstantiam nobis aperiens, subjecit, « Et placebit » Deo supra vitulum novellum, cornua producentem, et » ungulas. » Cupiebam igitur et ipse hodie has mactare victimas, et altare spirituale hisce cruentare hostiis: sed quid faciam? Vir quidam Sapiens obturat mihi os, deterretque dicens: « Non est speciosa laus in ore peccatoris [3]. » Quemadmodum enim in coronis non sat est flores esse

[1] Osee. XIV, 3. — [2] Psal. LXVIII, 31. — [3] Eccli. XV, 19.

puros, nisi pura sit et manus eas contexens : sic et in sacris hymnis oportet non verba tantum esse pia, verumetiam animum hymnos concinentem. At is mihi impurus est, fiduciæ vacuus, utpote multorum plenus scelerum. Porro sic affectis, non hæc modo lex obturat os, verumetiam alia quædam illa vetustior, et ante illam lata, quam et ipsam adjecit is, qui modo nobis de sacrificiis locutus est David. Cum enim ait : « Laudate Dominum de cœlis, » laudate eum in excelsis[1] : » et paulo post rursus dicens; « Laudate Dominum de terra : » cum utramque invitat creaturam, et quæ sursum est, et quæ inferne, sensibilem atque intelligibilem, conspicuam, et inconspicuam quæ supra cœlos est, et quæ sub cœlo, et ex utraque chorum constituit unum; atque ita jubet hymnis celebrare regem universorum, nequaquam invitavit peccatorem, sed et hic illi fores occlusit.

II. Cæterum, ut vobis quod dico fiat evidentius, ipsum Psalmum ab initio vobis prælegemus. « Laudate Dominum » de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes » Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus. » Vides Angelos laudantes? vides Archangelos? Vides Cherubim et Seraphim, summas illas Virtutes? cum enim ait, « Omnes Virtutes ejus, » universum populum cœlestem complectitur. Numcubi vides peccatorem? Et quomodo, dixerit aliquis, in cœlo videre possum? Ergo age in terram descendamus, ad alteram chori partem transeuntes, nec hic rursus videbis peccatorem. « Laudate Dominum de terra » dracones et omnes abyssi, bestiæ et omnia pecora, rep» tilia et volucres pennatæ[2]. » Haud frustra neque temere, dum hæc loquor, intersilui. Quia et mentis cogitatio metu confusa est, ad amaras usque lacrymas, gravemque ejulatum fere perducta. Quid enim, obsecro, possit esse mi-

[1] Psal. CXLVIII, 1. — [2] Ibid. 10.

serabilius? scorpii, serpentes ac dracones invitantur ad laudandum eum a quo conditi sunt : solus peccator ab hac sacra chorea submotus est, idque jure optimo. Mala et effera bestia est peccatum, non quidem in conserva corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriam effundens malitiam : « Propter vos, inquit, nomen meum » blasphematur in gentibus [1]. » Eoque peccatorem tanquam e sacra patria abegit ex orbe terrarum Propheta, et exulare coëgit : atque uti musicus optimus e cithara bene modulata chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur : et peritus artis medicus, membrum putrefactum amputat, ne hæc lues ad cætera membra sana transiliat ; eumdem ad modum Propheta fecit, dum veluti chordam dissonam ac veluti membrum ægrum, ab universo creaturæ corpore peccatorem resecat. Quid igitur nobis faciendum est? Posteaquam rejecti sumus, posteaquam resecti sumus, omnino sileamus oportet : dic igitur, obsecro, num tacebimus? neque quispiam nobis permittet hymnis celebrare Dominum nostrum? ergo-ne frustra vestras preces imploravimus? frustra ad vestra confugimus patrocinia? Absit ut frustra : reperi enim, reperi et alterum glorificandi modum, vestris in hac hæsitatione precibus, ceu fulguribus in caligine apparentibus conservos laudabo. Fas enim est et conservos nostros laudare, quibus laudatis haud dubium est, quin ea gloria ad dominum transeat. Quod autem hinc glorificetur, docet ipse Christus dicens : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut vi» deant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum » qui in cœlis est [2]. » En alter glorificandi modus, quo et peccatori fas est uti, ut legem tamen non violet.

III. Quem igitur, quem, inquam, conservorum laudabimus? quem alium, quam illum communem hujus

[1] Isaï. LII, 5, et Rom. II, 24. — [2] Matth. V, 16.

patriæ doctorem, et per patriam, universi orbis terrarum? Quemadmodum enim vos ille docuit ut usque ad mortem pro veritate staretis : ita et vos alios homines docuistis, a vita citius, quam a pietate recedendum esse. Vultis igitur illi posthac laudum coronas plectamus? volebam equidem et ipse, sed video recte factorum pelagus immensæ profunditatis, vereorque ne sermo noster ad fundum delatus, præ imbecillitate non possit in altum recurrere. Oportet enim vetusta narrare facinora, peregrinationes, vigilias, curas, judicia, pugnas, tropæa tropæis, victorias victoriis cumulatas, res gestas, non nostram modo, sed et omnem humanam linguam superantes, quæque vocem requirunt apostolico spiritu concitatam, qui potest omnia tum eloqui, tum docere : sed hanc partem prætercurrentes, ad alteram, quæ minus habet periculi accedemus, quam vel exigua scapha licet enavigare. Age igitur de temperantia dicere tentabimus, quomodo ventri imperarit, quomodo delicias contempserit, quomodo mensam sumptuosam deriserit, idque cum in domo sumptuosa esset educatus. Nam mirum non est eum, qui in paupertate vixit, ad hanc squallidam asperamque venire vitam, quandoquidem is habet ipsam paupertatem peregrinationis ac viæ comitem, quæ illi sarcinam in dies reddit leviorem. At qui fuit divitiarum dominus, haud facile sese ab illarum explicet complexu, tantum cupiditatum examen animam illam circumvallavit. Tam gravis et caliginosa affectuum nubes mentis illius oculos obducit, ut non sinat ad cœlum intuitum erigere, sed cogat deorsum inclinare caput, et ad terram inhiare. Nec est alia res, quæ perinde obstet quominus proficiscamur in cœlum, ac divitiæ, et hinc venientia mala. Nec meus est hic sermo, sed ab ipso Christo devenit sententia : « Facilius est, inquit, came» lum per foramen acus ingredi, quam divitem in regnum

» cœlorum[1]. » Sed ecce, quod erat difficile, vel impossibile potius, factum est possibile. Et de quo Petrus olim dubitabat apud præceptorem, voluitque ex eo discere, jam ipsa experientia novimus omnes, imo etiam amplius. Non enim jam dives ipse tantummodo ascendit in cœlum, verumetiam populum introducit, cum præter divitias, et alia his non minora habeat impedimenta, quod juvenis est, quod ante tempus orphanus, quæ res quemvis hominis animum possint in fraudem illicere. Ejusmodi habent incantamenta, ejusmodi præbent venena : verum hæc istæ devicit, et cœlum apprehendit, seseque contulit ad cœlestem philosophiam, ac neque splendorem præsentis consideravit vitæ, neque ad progenitorum claritatem respexit : imo potius ad majorum claritatem respexit, non quidem istorum quos ipsi natura necessario devinxerat, sed qui juxta pietatis propositum conjuncti sunt, eoque talis factus est quales illi fuerint. Respexit ad patriarcham Abraham, respexit ad magnum illum Moysem, qui cum esset in regio educatus palatio, mensa sybaritica frui consuetus, et inter Ægyptios relictus strepitus ac tumultus; nostis autem cujusmodi sint barbarorum illorum mores, quam fastus et arrogantiæ pleni sint; contemptis illis omnibus, ad lutum et laborem figulorum ultro se contulit, et in servorum numero esse concupivit, qui rex erat et regis filius. Atqui hanc ob causam post reversus est majore cum dignitate, quam antea gerebat atque abjecerat. Siquidem post exilium, post servitutem apud socerum, post ærumnas peregre toleratas, rediit, regis ipsius princeps, imo verius regi jam factus Deus. « Feci, inquit, te Deum Pharaoni[2], » ipsoque rege splendidior erat, non gestans diadema, neque purpura amictus, neque curru vectus aureo, sed universo illo fastu conculcato. « Omnis enim filiæ regis gloria

[1] Matth. XIX, 24. — [2] Exod. VII, 1.

» ab intus[1]. » Reversus est igitur sceptrum gestans, quod imperaret, non hominibus tantum, sed et cœlo, terræ, marique, aëris et aquarum naturæ, stagnis, fontibus ac fluminibus : in quæcumque enim voluit Moyses, in ea vertebantur elementa, et in manibus illius denuo transformabatur creatura : quæ non aliter quam ancilla quæpiam officiosa, conspicata heri sui amicum advenisse, per omnia parebat, dictoque audientem se præbebat, perinde atque ipsi domino. Ad quem hic, quem nunc laudandum suscipimus, respiciens, illi similis effectus est, cum esset juvenis, si tamen unquam fuit juvenis : non enim sane credo, usque adeo illi ab ipsis cunabulis mens erat cana : sed cum juxta supputationem ætatis esset juvenis, omnem arripuit philosophiam : et posteaquam cognoverat naturam hominis esse veluti fundum quemdam et agrum sylvestrem, animi morbos oratione pietatis ceu falce quapiam facile resecuit, agricolæ purgata reddens arva ad jaciendum sementem : ea recepta totum semen ad profunda demisit, ut deorsum radicatum, nec ad solarium radiorum impetum cederet, nec a spinis male suffocaretur. Animum quidem ad hunc curavit modum : carnis vero lasciviam temperantiæ remediis compressit, tanquam equo cuipiam rebelli, corpori jejunii frenum injiciens, et adeo in diversum tendens, ut ipsa concupiscentiarum ora, cum moderatione congruente cruentaret. Nam neque corpus excruciabat, ne immodice stringendo equum, sibi ad ministerium redderet inutilem, neque patiebatur supra modum obesum fieri, ne corpulentior factus, rursus erigeret sese adversus rationem habenas moderantem : sed simul et sanitatis illius et moderationis curam habuit. Neque vero cum talis in juventute fuisset, posteaquam teneram ætatem excessit, hanc quoque curam abjecit : verumetiam

[1] Psal. XLIV, 14.

nunc qui in senectute, velut in amœno portu sedet, rursus eamdem curam observat. Nam juventus, o dilecte, pelago furenti similis est, immitibus undis ac ventis malis referto : canities vero velut in tranquillo portu fovet eorum animos, qui consenuerunt, præstans, ut ætatis beneficio parta periculorum immunitate jucunde fruantur. Hac tranquillitate cum hic nunc tuto potiatur, atque in portu, ut dixi, sedens, nihilominus tamen est sollicitus : at hunc timorem accepit a Paulo, qui cum ascendisset in cœlum, atque inde reversus terras rursus attigisset, aiebat, « Ve» reor ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus ef» ficiar[1] : » eoque hic sese in perpetuo timore constituit, ut esset in perpetua fiducia, assideretque clavo, non ille quidem stellarum exortus observans, neque rupes sub aquis latentes, neque scopulos, sed dæmonum insultus, ac diaboli versutias, cogitationumque pugnas, omnique parte lustrans exercitum, cunctos in tuto constituit. Neque enim illud modo spectat, ne scapha demergatur, sed ne e quis eorum, quos secum habet in navi vectores, a tumultu quodam ceu a piratis abripiatur, nihil non curat agit atque. Per hunc, perque hujus sapientiam nos omnes secundo navigamus vento, plena navis vela pandentes.

IV. Sane cum priorem illum patrem amisissemus, qui et hunc nobis genuit, in angustia res nostræ erant : quare miserabiliter lamentabamur, ut qui non sperabamus fore, ut hic thronus alium virum talem acciperet. Verum ubi hic advenit, et in clara luce visus est, effecit ut omnis illa angustia veluti nubes præterierit, et omnes molestiæ evanuerint. Neque sensim nobis luctum illum exemit, sed adeo repente, quasi idem ille beatus e tumulo redivivus in hunc thronum denuo ascendisset. Verum imprudentes amore studioque præclare gestorum patris nostri,

[1] 1 Cor. IX, 27.

sermonem ultra modum produximus, non dico ultra modum eorum quæ hic cum laude gessit; nam de his ne loqui quidem cœpimus; sed ultra nostræ juventutis mediocritatem. Agedum igitur rursus velut in portum orationem silentio ad quietem revocemus : cæterum ea desinere non vult, se ægre fert, indignaturque cupiens toto prato expleri. Verum id impossibile est, o pueri. Desinamus igitur ea persequi, quæ non possumus assequi, sufficiant nobis ad solatium ea quæ dicta sunt. Quandoquidem in pretiosis unguentis non tantum si quis effundat lecythum, verumetiam si quis vel summis digitis superficiem attingat, et aërem novo colore tinxit, et quotquot adsunt, suavitate fragrantiæ replevit. Quod et in præsentia contigit, non viribus eloquentiæ nostræ, sed propter vim ab hoc bene gestorum. Abeamus igitur, abeamus ad preces divertentes, deprecemur Deum, ut communis mater nostra illabefacta et immota maneat, ut hunc patrem, doctorem, pastorem et gubernatorem, ad longam producat vitam. Si qua vobis etiam nostri ratio est; neque enim jam nos ipsos in sacerdotum numero ponere audebimus, quando nec fas est abortivos partus cum legitimis ac perfectis numerare; quod si qua, inquam, est apud vos et nostri ratio tanquam fœtus cujusdam aborsu ejecti, orate ut e supernis nobis multus accedat vigor. Opus quidem erat nobis et prius tutela, dum soli vitam degeremus a negotiis liberam : at postquam in medium producti sumus; omitto quomodo, sive humano studio, sive favore divino : nihil enim vobiscum hac de re contendam, ne cui videar per dissimulationem et ironiam loqui; attamen quando producti sumus, ac jugum hoc validum graveque suscepimus, multis nobis opus est manibus, infinitis precibus, quo possimus depositum salvum reddere domino qui deposuit, in die illo, cum ii quibus talenta credita

sunt, citabuntur, et judicio sistentur rationem reddituri. Orate igitur, ne nobis eveniat, quod evenit illis alligatis et in tenebras exteriores conjectis : sed simus in eorum numero, qui poterunt qualemcumque assequi veniam, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, imperium et adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS TOMI OCTOGESIMI NONI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 51.

Stagirius nobili loco natus, a teneris in christiana fide educatus, principio quidem terrenis rebus addictus erat; sed brevi postea abdicatis facultatibus mundique deliciis, vitam monasticam, invito licet reluctanteque patre, amplexus est. Initio tamen non ita diligenter, ut par erat, sed oscitanter et perfunctorie res asceticas tractabat, generisque fiducia fretus, monentes se ægre admittebat. Verum prospiciente Numine, ne post peractum tantarum opum sacrificium, levius præmium Stagirius referret: a dæmone corripitur et exagitatur, ac repetitis frequenter vicibus usque adeo vexatur, ut in desperatas sibi mortem consciscendi cogitationes interdum veniret. Hinc mœror et tristitia ingens: viæ omnes placandi Dei tentantur, nulla proficit: Sanctorum preces adhibentur, nec vexationis finem impetrant. Hic tamen ex ærumna hujusmodi fructus provenit, ut qui olim oscitantius se gerebat, jam ferventius pia exercitia adiret. Evocatur ad tantæ calamitatis solatium Chrysostomus amicus, qui cum morbo detentus domo excedere non valeret, tres hosce libros misit leniendo dolori opportunos: ubi exemplo Sanctorum utriusque Testamenti, probat Deum vel charissimis sibi viris atrociora ideo immisisse mala, ut majora præmia splendidioresque coronas tribueret. Animum ait calamitatibus affectum ferventius Deo divinisque rebus hærere, macu-

las omnes et vitia hac ratione citius abstergi : ut ipsius Stagirii exemplo comprobari poterat, qui oscitantia, torpore, tumore eliminatis, jam inter ferventiores Christi athletas primas teneret. Hæc ille fuse et παθητικῶς pro more suo prosequitur, ac cuilibet leniendo mœrori remedium offert legenti.

ANNOTATIO (2) pag. 126.

Sic in LXX. Interpretibus legitur : secus in Hebræo et in Vulgata, ubi Joseph fratres accusasse dicitur.

ANNOTATIO (3) pag. 212.

Matrona cujus cultus in Antiochiæ suburbio Daphne hic memoratur et carpitur, apud quosdam Juno intelligebatur, cujus erant diversa apud varias gentes nomina; nimirum a Curetis, Lucina, Matrona, Regina, et Opigena vocabatur. Hinc forte loco nomen; sed hac de re pluribus iterum agetur.

ANNOTATIO (4) pag. 237.

Pascha hoc loco intelligitur sacrificium, et liturgia, quæ Alexandriæ ter in hebdomada celebrabatur, et aliquando quater.

ANNOTATIO (5) pag. 286.

Hæc non parum differunt ab editis Josephi; sed quod ad seriem et verba tantum attinet, non quod ad sensum.

ANNOTATIO (6) pag. 290.

Hæc annorum supputatio a Cyro ad Antiochum Epipha-

nem magnis est difficultatibus obnoxia, ut videas apud Chronologos recentiores, Scaligerum, Petavium, Usserium.

ANNOTATIO (7) pag. 434.

Hæc a numero XII in Græcis non extant, sed a priori interprete lecta fuisse videntur.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Ad Stagirium a dæmone vexatum, liber I, p. 51.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 186-200.
Ad Stagirium a dæmone vexatum, liber II, p. 90.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 212-231, et 236-238.
Ad Stagirium a dæmone vexatum, liber III, p. 129.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 245-267.
Liber quod nemo læditur nisi a se ipso, p. 167.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 152-176.

ORATIONES ADVERSUS JUDÆOS.

Oratio I, p. 199.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 327-333.
Oratio II, p. 221.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 333-336.
Oratio III, p. 229.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 336.
Oratio IV, p. 245.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 337-339.
Oratio V, p. 263.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 339-380.
Oratio V et VI, p. 298.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 380-381.

CATECHESES AD ILLUNINANDOS.

Catechesis I, p. 363.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 298-308.

Catechesis II, p. 377.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 308-313.

LIBER DE SACERDOTIO.

Liber I, p. 393.	Versio nova et integra, tom. X, p. 171-197.
Liber II, p. 406.	Versio nova et integra, tom. X, p. 215-245.
Liber III, p. 421.	Versio nova et integra, tom. X, p. 261-329.
Liber IV, p. 452.	Versio nova et integra, tom. X, p. 375-410.
Liber V, p. 473.	Versio nova et integra, tom. X, p. 433-449.
Liber VI, p. 482.	Versio nova et integra, tom. X, p. 467-511.
Homilia cum presbyter fuit ordinatus, p. 520.	Ejusdem fragmenta, tom. XIX, p. 434-437.

INDEX

TOMI OCTOGESIMI-NONI.

HOMILIÆ DIVERSÆ.

Pagin.

Homilia. Adversus eos, qui dicunt dæmones gubernare res humanas et Dei punitiones iniquo animo ferunt, atque ob malorum prosperitates et justorum adversitates scandalizantur. 3

Homilia I. Ad eos qui objiciunt, cur e medio sublatus non sit diabolus, et quod hujus malitia nihil nos lædat, si attendamus; et de pœnitentia. 25

Homilia II. Quod ex desidia improbitas, ex diligentia virtus oriatur: quodque nec improbi homines, nec ipse diabolus homini vigilanti nocere possint. Demonstratio autem petitur tum aliis multis ex locis, tum ex iis, quæ Adamo et Jobo contigerunt. 36

AD STAGIRIUM A DÆMONE VEXATUM LIBRI TRES.

Oratio adhortatoria ad Stagirium ascetam a dæmonio vexatum. 51

Ejusdem ad Stagirium, quod tristitia dæmone ipso sit gravior. 90

Ejusdem ad Stagirium, de tristitia. 129

Liber quod nemo lædatur nisi a se ipso. 167

ORATIONES OCTO ADVERSUS JUDÆOS.

Oratio I. 199

Oratio II. Adversus eos qui Judæorum jejunium jejunant et adversus ipsos Judæos: dicta est autem homilia quinque diebus ante jejunium ipsorum, et cum alia prius habita esset. 221

Oratio III. In eos qui primo Pascha jejunant. 229

Oratio IV. Contra Judæos, in tubas Paschatis eorum Antiochiæ habita in magna Ecclesia. 245

Oratio V. Adversus Judæos. 263

Oratio VI. Cum superiori die prolixius disseruisset adversus Judæos, atque hinc raucedinem vocis contraxisset, hanc orationem habuit. 298

Oratio VII. Adversus Judæos. 318

Oratio VIII. Contra Judæos. 337

Catechesis I. Ad illuminandos, et cur lavacrum regenerationis, non autem remissionis peccatorum dicatur : quodque periculosum sit, non modo pejerare, sed etiam jurare, etiamsi recte juremus. 363

Catechesis II. Ad illuminandos, et de mulieribus se tortis crinibus et auro ornantibus, et de sectantibus vaticinia, vel ligaturas, vel incantationes : quæ cuncta a christianismo sunt aliena. 377

Liber I. *De Sacerdotio.* — I. Basilius omnibus Chrysostomi amicis antecellit. — II. Concordia Basilii et Chrysostomi, et communis circa res omnes disquisitio. — III. Statera inæqualis, cum vita monastica ineunda esset. — IV. Propositum communis habitationis utriusque. — V. Matris blanditiæ. — VI. Fraus qua in ordinatione usus est Chrysostomus. — VII. Basilii accusatio modesta et simplex. — VIII. Chrysostomi defensio cum reprehensione conjuncta. — IX. Magna ex tempestiva fraude utilitas : thesis et locus communis. 393

Liber III. *De Sacerdotio.* — I. Qui suspicati sunt nos per superbiam recusasse, suam ipsorum existimationem læsisse. — II. Nos non propter vanam gloriam fugisse. — III. Quod si gloriam concupisceremus, tale potius ministerium eligere potuerit. — IV. Tremendum quid esse sacerdotium, novumque cultum vetari formidabiliorem esse. — V. Magnam esse sacerdotii potestatem et dignitatem. — VI. Ministeria e numero esse maximorum Dei donorum. — VII. Ipsum etiam Paulum formidasse ad aspectum tanti principatus. — VIII. Sæpe ad peccandum induci, qui in medium progrediatur, nisi perquam fortis animi fuerit. — IX. Vana gloria ejusque malis ipsum irretiri. — X. Non ipsum sacerdotium horum malorum causam esse, sed nostram ignaviam. — XI. Ambitum principatus eliminandum ab animo sacerdotis. — XII. Sapientissimum oportere esse sacerdotem. — XIII. Præter maximam abstinentiam, alia quoque in animo sacerdotis requiri. — XIV. Nihil tam puritatem et aciem mentis obtundere, quam iracundiam inordinatam. — XV. Aliam speciem litis plenam periculorum Chrysostomus ostendit. — XVI. Quantum esse oporteat eum, qui tantis tempestatibus opponendus sit. — XVII. Quantus sit, in gubernatione virginum, timor. — XVIII. Judiciorum officium quam molestum. 420

Liber IV. *De Sacerdotio.* — I. Non eos tantum, qui ad clerum pervenire student, verumetiam qui vim patiuntur, ob peccata graviter puniri. — II. Qui indignos ordinant, idem quod hi supplicium experturos esse, licet ipsos non norint. — III. Sacerdoti necessariam esse expeditam dicendi facultatem. — IV. Ad quorumvis concertationes et Græcorum, et Judæorum, et hæreticorum eum paratum esse oportere. — V. Perquam peritum dialecticæ esse oportere. — VI. B. Paulum id optime præstitisse. — VII. Eumdem non signis tantum claruisse, sed etiam arte dicendi. — VIII. Eumdem id a nobis quo-

que velle exerceri. — IX. Quo nisi præditus sit episcopus, subditos non leve damnum necessario subire. 452

Liber V. *De Sacerdotio.* — I. Multum laboris ac studii adhibendum, in homiliis popularibus concinnandis. — II. Huic muneri deputatos laudes spernere, ac dicendi peritos esse debere. — III. Nisi utroque Sacerdos sit præditus, inutilem populo fore. — IV. Invidiam contemnat oportere. — V. Erudito plus studii et diligentiæ opus esse, quam inerudito. — VI. Judicium multitudinis imperitæ neque omnino contemnendum, neque omni ex parte curandum esse. — VII. Sermones omnes eo, ut Deo tantum placeatur, dirigendos esse. — VIII. Qui non sit laudis contemptor, ei multa gravia esse sustinenda. 473

Liber VI. *De Sacerdotio.* — I. Pœnas dure sacerdotes etiam pro populi delictis. — II. Majore, quam ipsos monachos, vitæ diligentia opus habere. — III. Faciliore vitæ ratione frui monachum, quam ecclesiæ præfectum. — IV. Sacerdotem terrarum orbi, aliisque rebus tremendis præpositum esse. — V. Sacerdotem ad omnia aptum esse debere. — VI. Vitam monasticam non tantum patientiæ argumentum esse, quantum multitudinis præfecturam. — VII. Eum qui seorsim vivat, eumque qui in rerum medio versetur, non super iisdem exercitari. — VIII. Facilius eos qui solitarie vivunt, quam eos qui multorum curam gerunt, virtutem exercere. — IX. Non contemnendas esse vulgi suspiciones, quamvis falsas. — X. Non magni esse negotii se ipsum servare. — XI. Longe graviorem pœnam manere sacerdotum peccata, quam idiotarum. — XII. Exemplis probatur et dolorem propter sacerdotii expectationem oriri, et timorem. — XIII. Omni bello molestiorem esse tentationem diaboli. 481

Homilia. — Rem esse periculi plenam cum iis qui dicunt, tum iis qui audiunt, ad gratiam concionari : atque utile esse et justitiam maximam propria incusare peccata. 507

Homilia. — Cum presbyter fuit ordinatus, de se ac de episcopo, deque populi multitudine, 520

Annotationes. 531

Concordantia. 555

EXPLICIT INDEX.

This is the property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Rd., Matthews, NC 28105

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
3 7387 0006 0019 5